



## Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

## Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

- + *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.
- + *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.
- + *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.
- + *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

## Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter <http://books.google.com> durchsuchen.





*2161.*

# M N E M O S Y N E.

---

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

A. E. J. HOLWERDA, J. C. NABER, M. C. VALETON.

NOVA SERIES.  
VOLUMEN QUADRAGESIMUM QUINTUM.

**LUGDUNI-BATAVORUM**  
**E. J. BRILL.**

LIPSIAE,  
O. HARRASSOWITZ.  
1917.

UNIVERSITY OF  
MINNESOTA  
LIBRARY

Digitized by Google

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QVAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUEBUNT.

INSTITUTUM  
ARABICUM  
ET  
PERSICUM

# INDEX.

	Pag.
Mnemosynes Batavae cultoribus, s. p. d. J. J. H. . . . .	1.
Ad Jacobum Joannem Hartman, scripsit JACOBUS VAN WAGENINGEN. . . . .	2—4.
Observatiunculæ de iure Romano ( <i>contin. ex Vol. XLIV pag. 254</i> ), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . . .	5—20.
De Harmodio et Aristogitone, scripsit MATTHAEUS VALETON. . . . .	21—52.
De Grattio et Nemesiano, scripsit P. J. ENK . . . . .	53—68.
De fide Natalis Comititis, scripsit A. G. ROOS . . . . .	69—77.
Ad Cic. Tusc. Disp. 3. 19. 45, scripsit W. STUART MESSER. . . . .	78—92.
Ad Statii Silv. L. V, 4, 1, scripsit J. J. H. . . . .	92.
Nova Phaedriana, scripsit L. RANK . . . . .	93—102.
Ad inscriptionem Argivam, scripsit G. V. . . . .	102.
De Lygdamo poeta deque eius Sodalicio, scripsit H. WAGENVOORT H.F. . . . .	103—122.
Ad Luciani Rhetorum Praeceptorem § 22, scripsit J. J. H. . . . .	122.
De versu e Marci evangelio 40 capitis IX, scripsit J. J. HARTMAN. . . . .	123—126.
Varia, scripsit P. GROENEROOM. . . . .	127—132.
De voce osca „tadait”, scripsit F. MULLER JAC.FIL. . . . .	133—134.
Ad Luciani Convivium § 5, scripsit J. J. H. . . . .	134.
Fulmen, scripsit JACOBUS VAN WAGENINGEN. . . . .	135—139.
Ad Luciani de morte Peregrini § 32, scripsit J. J. H. . . . .	139.
Ad Plinii epistolam L. VI 8 <sup>m</sup> , scripsit J. J. H. . . . .	140.
Observatiunculæ de iure Romano ( <i>contin. ex pag. 20</i> ), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . . .	141—165.
Emendatur Arnobius Adv. Nat. I 62, scripsit P. H. D. . . . .	165.
De duobus Heracliti fragmentis ( <i>contin. e Vol. XLIV pag. 427</i> ), scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF. . . . .	166—180.
Ad Persii Sat. I vs. 5 sqq., scripsit J. J. H. . . . .	180.
Pytheas Massiliensis, scripsit P. H. DAMSTÉ. . . . .	181—185.
Ad Martialis epigramma XLV libri octavi, scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	186—188.

	Pagē
Quid Plato responderit ad Polycratis orationem in Socratem, scripsit H. D. VERDAM . . . . .	189—204.
Ad Taciti Agricolae c. 16, scripsit J. J. H. . . . .	204.
Ad Ciceronis orationem pro P. Quinctio, scripsit J. J. HARTMAN. . . . .	205—227.
Ad Plutarchi De Sera Numinis Vindicta, scripsit J. H. W. STRIJD. . . . .	227.
Ad Persii Sat. I, 6, scripsit J. J. H. . . . .	228.
Ad Plutarchi De Sera Numinis Vindicta, scripsit J. H. W. STRIJD. . . . .	229—230.
Oedipus Indicus, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . .	231—232.
De Luciani qui fertur Fugitivis, scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	233—256.
Observationes ad Aegypti pertinentes administrationem qualis aetate Lagidarum fuit, scripsit M. ENGERS . . . . .	257—271.
Nova Phaedriana, scripsit L. RANK . . . . .	272—309.
Mira <i>συνέμπρωσις</i> , scripsit J. J. H. . . . .	309.
Ad Livii XXXIII. 16, scripsit G. E. W. VAN HILLE . . . . .	310—318.
Ad Seneca Naturales Quaestiones observatiunculae, scripsit F. MULLER I. FIL. . . . .	319—337.
Ad Iuvenalis S. VI vs. 660, scripsit J. J. H. . . . .	337.
Crito pg. 44 A, scripsit I. BERLAGE . . . . .	338.
Ad Hesychium, scripsit G. V. . . . .	339.
Hor. Epl. II, 1, 160, scripsit J. J. H. . . . .	339.
Ad Persii Sat. I, 8, scripsit J. J. H. . . . .	340.
De tabella emptionis aetatis Traiani nuper in Frisia reperta, scripsit GUILLELMUS VOLLGRAFF. . . . .	341—352.
De Cratini morte comica (Arist. Pac. vs. 700—703), scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	353—360.
De formula quadam Eleusinia, scripsit A. RUTGERS VAN DER LOEFF . . . . .	361—366.
Ad Senecae Nat. Quaest. I, 3, 2, scripsit G. V. . . . .	366.
Ad S. Aurelium Victorem, scripsit P. H. DAMSTÉ. . . . .	367—382.
Ad Aristophanem, scripsit G. V. . . . .	382.
Ad Platonis Rempubicam, scripsit J. L. V. HARTMAN . . . . .	383—416.
Seneca et Iuvenalis, scripsit IACOBUS VAN WAGENINGEN . . . . .	417—429.
Observatiunculae de iure Romano ( <i>contin. ex pag. 165</i> ), scripsit J. C. NABER S. A. FIL. . . . .	430—440.
De exordio Oedipodis Tyranni Sophocleae, scripsit J. J. HARTMAN. . . . .	441—444.
Ad Carm. Priap. LXIII, 15 sqq., scripsit G. V. . . . .	444.
De Catonianis librariorum memoriis duabus, scripsit M. BOAS. . . . .	445—446.
Ad Horatii c. III, 4, 2, scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	447—448.
Ad Soph. Oed. Reg. vs. 80 sq. scripsit G. V. . . . .	448.

# MNEMOSYNES BATAVAE CULTORIBUS

S. P. D.

J. J. H.

Proximi mensis die XXIII, cum muneris Academici quintum peregrissem lustrum, undique confluxerunt ad me amici, collegae, discipuli alius alio honore afficere me cupientes. Collega vero Groninganus JACOBUS VAN WAGENINGEN ad me carmen misit tersissimum, limatissimum, venustissimum. Quod, licet mearum laudum sit plenum, maiorem ipsi poetae allaturum laudem visum est. Quare Damstéo Vollgraffioque consentientibus a poeta in nostram illud bibliothecam recipiendi veniam petivi. Qua ab humanissimo viro impetrata nunc lepidissimum opusculum amicis et fautoribus nostrae artis offerimus, sperantes fore ut sic et festi illius dici et Wageningenii, praestantissimi, si ita res fert, poetae, perpetua servetur memoria

J. J. H.

L. B. die XII m. Oct.

a. MCMXVI.



## AD JACOBUM JOANNEM HARTMAN LEIDENSEM.

- 1 Salve, docte senex, meritis ornate coronis,  
Cui *Mitiae* laudes, cui sunt cantata Latine  
Omnia quae Genestet divino pectore fudit  
(Suave opus et superans auctoris tempore vitam),
- 5 Salve, praeceptor iuvenum, facunde magister,  
Cuius ab ore fluunt Ciceronis verba sonora!  
Quisquis amat linguam Latii, te laudibus effert,  
Te gaudet laetum hunc festumque diem celebrare.
- 10 Condita sunt iam lustra tibi felicia quinque,  
Ex quo Reginae placuit tibi tradere munus,  
Quod nulli potuit doctori carius esse.  
Quot pueri dociles, quot te audivere puellae,  
Carmina cum laetus recitares dulcia Flacci  
Vel Nasonis opus lepidum vel verba Maronis,
- 15 Insanum Didus saevumque canentis amorem.  
Nemo te potuit melius convertere versus  
Sermonem in patrium, quos edidit ore rotundo  
Albius, aut elegos natos e mente Properti.  
Hic adsunt animo memori, quicumque vocantur
- 20 Discipuli gratique tui semperque fideles.  
Omnes te memorant, quanto percussus amore  
Scriptorum tractaris opus vinctum atque solutum.
- 25 Nec desunt, quicumque solent tua suavia scripta,  
Mnemosynae commissa tuae, legere et venerari.  
Non modo enim lato circumdata flumine Rheno  
Traiectina vetus regio civesque Grunonis

Laetantes hodie prisco te more salutant,  
 Quin etiam Pluton orante uxore venusta  
 Manibus ad superos cupientibus ire peregre  
 30 Abnuit haud veniam hanc miseris Acheronte sepultis.

Aspice, iam veniunt! Magna comitante caterva  
 Primus adest princeps Academicus ore sereno,  
 Magni te faciens, quod multo emblemate turpi  
 Purgasti sapientis opus sublimia spirans. —  
 35 Hunc sequitur magnis Xenophontis passibus umbra.  
 Ille quidem pueris irascitur ut male salsis  
 (Semper enim rident καὶ σταθμούς καὶ παρασάγγας)  
 Te tamen usque colit, te grata mente Cobeto  
 Comparat ingenioque tuo dat praemia digna. —  
 40 En duo Romani, longo tamen intervallo,  
 Quorum cui facies fusco est infecta colore,  
 Ante Afer servus, debet tibi, callide, multa,  
 Alter — Donatus — bene te explicuisse fatetur  
 Omne quod exposuit, commentans cantica pulchra. —  
 45 Quis vero ille senex lacrimans, qui tristia fata  
 Plorat adhuc, magni prostratus principis ira?  
 Te bene novit et arte tua gaudere videtur,  
 Laudat *Parthenio* quae *Gallus* scripsit amico,  
 Legit in Elysio tua carmina, *Protesilaum*  
 50 Et *Metus* a nobis qui concelebratur *Inanis*,  
 Miratur tamen hoc, quod tu dubitare videris,  
 Situe Tomos missus propter culpam reticendam. —  
 Nasonem sequitur Tacitus gestans *Analecta*,  
 Iucundo sermone tuo conscripta, sed illi  
 55 Quamquam multa placent emendata ingeniose,  
 Haud tamen ignoscit, quod tu defendere mores  
 Ausus es illius, quem damnat, principis et te  
 Consuluisse suae famae male clamat et instat.  
 Sed non auxilium tibi deest. Video inter amicos,  
 60 Qui accelerant properantque manum prensare sodalis,  
 Unum, quem decorat *Sol* lucens *Vespertinus*.  
 Umbris ille aliis dat signum vertice nutans,  
 Ut taceant: se velle loqui, sibi iure licere

Hartmanum affari, quando ediderit sua scripta  
 65 Bis iam, Graecorum tam nobilis ille patronus. —  
 Fit strepitus, certantque diu, sed vincit et infit  
 Plutarchus columenque Erebi sanctusque sacerdos:

„O mihi care senex, qui, cum mea scripta iacerent  
 Squalerentque situ flammis gratissima praeda,  
 70 Traxisti ad lucem, tribuens mihi splendidum honorem!  
 Ille ego qui pueros cruciabam examine diro,  
 Nunc legor a domino divini interprete verbi.  
 Hoc refero acceptum tibi, dulcis amice, tuoque  
 Grato operi, quod nulla potest delere vetustas. —  
 75 Ergo sit tibi vita, precor, cum coniuge cara  
 Multis exhilarata bonis, longa atque beata.” —  
 Haec ubi dicta dedit, discedunt agmine longo  
 Cunctae animae te laudantes ducente Platone.

JACOBUS VAN WAGENINGEN.

Scriebam Groningae,  
 a. d. IX Kal. Oct., A<sup>o</sup> MCMXVI.

# OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(Continuantur ex Vol. XLIV pag. 254).



CVII.

DE NILO CENSITORE.

Pars quarta (ultima).

Altera illa vasaria, quae ἐξ ἀπογραφῶν profecta sunt et ordinata secundum dominorum seriem, supersunt ipsa quoque pro parte <sup>1)</sup>, etsi hodie dubitari coepit, sintne revera vasaria τὰ ἐν τῇ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκῃ διαστρώματα <sup>2)</sup>. Quod mihi etiamnunc certum videtur, quippe quum praescriptum sit <sup>3)</sup> τοῖς συναλλαγματογράφοις καὶ τοῖς μνήμοσι μηδὲν δίχα ἐπιστάλατος τοῦ βιβλιοφυλακείου τελειῶσαι, cuius praecepti aut nulla futura sit utilitas aut in eo consistet, ne monumenta et vasaria discrepent. An vero potius dicendum monumenta duplicata quam vasaria, ut sic praecepti utilitas in eo consistat, ne utraque monumenta invicem discrepent? Sed hoc natura non patitur, siquidem ne-

1) P. Oxy. 274; 360; BGU 959; 1072; P. Flor. 97 (Lewald, *Beitr. z. K. des röm.-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 18).

2) Cf. Lewald, *Beitr. cit.* p. 83/5; Eger, *zum aegypt. Grundbuche.* (1909) p. 195/6; Preisigke, *Girocesen* (1910) p. 290; Wilcken, *Grundzüge* (1912) p. 202/3; Mitteis, *Berichte* (Leipzig) 62 (1910) p. 253 (cf. *Grundzüge* (1912) p. 90-92), cuius argumento responsum est supra (Mnemos. XLIV p. 79).

3) P. Oxy. 237 VIII 35/6. Est similis cautio in (*preuss.*) *Grundbuchordn.* (1872) § 58. Cf. (*deutsche*) *Grundbuchordn.* (1897) § 96.

gotium quodlibet perfici bis non potest, perficitur autem, monumentis quicquid publicandum est, quum in libros id recipitur. Quocirca eius doctrinae, quam nos impugnamus, propugnator acerrimus Preisigke, quum semel adsignat monumenta publica τοῖς βιβλιοφύλαξιν, eadem consideratissime <sup>1)</sup> τοῖς συμβολαιογράφοις abiudicat <sup>2)</sup>. Sed hoc adsumto iam non potest dicere, quae sit praecepti utilitas <sup>3)</sup>, dicendo enim: ne quis praeiudicium patiatur iis, quae apud τοὺς συμβολαιογράφους geruntur <sup>4)</sup>, nihil agit, quia τοῖς συμβολαιογράφοις omnem nocendi potestatem ipse detraxit. Ergo remanet, ut sint alteri utri censores, altera utra vasaria. Porro, quia συναλλαγματογράφοι non sunt censores, sint oportet οἱ βιβλιοφύλακες, et horum διαστρώματα vasaria <sup>5)</sup>. Quae quidem supersunt in causa quum urbanorum <sup>6)</sup> tum rusticorum <sup>7)</sup> praediorum, sed indicasse sufficiet <sup>8)</sup> ἐκδέσιμον <sup>9)</sup>: ἐκ διαστρώματος <sup>10)</sup> Σοκνοπαίου Νήσου <sup>11)</sup>. Στοιχείου Ε. Ἐριεύς κτέ. ια' ἔτους Ἀντωνίνου Καίσαρος τοῦ κυρίου ἐπαγομένων δ' ἀπε(γράφατο ἡμι)τυ <sup>12)</sup> μέρος κλήρου κατοικικῶν κοινῶν καὶ ἀδιαιρέτων ἀρσενῶν γ' περὶ Ἀπιάδα <sup>13)</sup> ἀρξ <sup>14)</sup> παρὰ Χρυσάριου κτέ., ubi praedium περὶ Ἀπιάδα

1) Temere factum putat Partsch, *GGI* 172 (1910) p. 741.

2) *Girouesen* p. 415.

3) Ceteri ne curaverunt quidem.

4) *Girouesen* p. 301.

5) Esse perspexit qui subscripsit CPR I 198, 10: ποιήσομαι εἰς σὲ τὴν ... δημοσίαν πρᾶσιν καὶ (τὴν) διὰ τῆς βιβλιοθήκης.

6) P. Oxy. 274; Flor. 97 lin 3 (ὑποδοχείον), lin. 21 (ψιλὸς τόπος).

7) *BGU* 959; P. Flor. 97, 13. 18. 28. Veniunt denique etiam τάφοι (P. Oxy. 274, 26/7).

8) Plura dabunt Lewald, *Beitr.* cit. p. 21-25; Eger, op. cit. p. 155/67.

9) *BGU* 959 (anni 148) = Chrestom. II 194.

10) Intelliguntur hoc vocabulo plerumque τὰ ἐν τῇ τῶν ἐγκτήσεων βιβλιοθήκῃ (P. Oxy. 237 VIII 29/30), id est, praediorum census διαστρώματα. Sed videtur etiam alter census, id est, ἡ κατ' οἰκίαν ἀπογραφή sua habere διαστρώματα (*BGU* 124, 1). Exstat certe διάστρωμα λοογραφίας (*Sammelbuch* 5118) et item πρὸς ἐπίκρισιν κατ' οἰκίαν ἀπογραφῆς (*BGU* 484, 2).

11) Fiunt κατὰ κώμην τὰ διαστρώματα (*BGU* 11 lin. 14), itaque fieri iubet Meltius Rufus P. Oxy. 237 VIII 42. Cf. *Archiv* IV p. 348<sup>2</sup>, p. 563.

12) Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuch*, p. 159<sup>2</sup>.

13) Similiter P. Oxy. 274 indicatur τὸ ἄμφοδον ἐφ' οὗ. Ergo non usquequaque verum est, quod scribit Mitteis, *Grundzüge* p. 91 lin. 1/2 = p. 96 lin. 3/5: *in der Bibliothek (werden) nur Rechtsverhältnisse eingetragen, nicht auch thatsüchliche, wie Lage, Steuersatz, Verpachtung*.

14) Ἀρξ non intelligitur. Invenitur praeterca *BGU* 504, 5 (marg.); P. Lips. 41 Ro., 11 (marg.) et solvendum ἄρξ(ας) P. Lips. 59, 5 = 60, 3.

ideo censetur ἐν τῇ Σοκνοπαίου Νήσῳ, quia emptor Ἐριεὺς ibi habebat penates suos <sup>1)</sup>). Habebant igitur τὰ διαστρώματα etiam non suae κώμης praedia, modo possideret incola <sup>2)</sup>). Potest praeterea ex praediorum censu esse <sup>3)</sup> ἐκδόσιμον <sup>4)</sup> medii fere saeculi tertii <sup>5)</sup>, quod habet sic: Φιζ'. Ἀπολλιναρία χρηματίζουσα μητρός Σαραπιᾶδος . . . Ἰδιωτικῆς ἐσπαρμένης ἄρρουραι τρεῖς ἡμισυ τέταρτον et est ei adiuncta <sup>6)</sup> Ἀλυρηλίου Σαραπᾶτος querela <sup>7)</sup> de praediis sibi venditis et a se in censum delatis — itaque censa erant ἐξ ἀπογραφῆς — quae nihilominus in novo libro (ἐν τῷ νῦν προτεθέντι κατ' ἄνδρα βιβλίῳ) mansissent ἐπ' ὀνόματος τῆς προκτητρίας, id est, Ἀπολλιναρίας μητρός Σαραπιᾶδος, quod manifestat τὸ ἐκδόσιμον. Oportet enim eadem praedia fuerint, de quibus conqueritur, et quae relata sint εἰς τὸ ἐκδόσιμον. Quod quali ex libro fluxerit necesse est, tales supersunt inter papyros Lipsienses <sup>8)</sup> et in Corpore Hermopolitano <sup>9)</sup>, nisi quod possessoribus numeri non ut illic praefiguntur. Ergo nominibus ibi adscribuntur ἰδιωτικῆς ἐσπαρμένης, δημοσίας ἐσπαρμένης, ἰδιωτικῆς ἄρκοχέρσου, ἰδιωτικῆς χέρσου, δημοσίας ἄρκοχέρσου, ἰδιωτικῆς καθαρῶς <sup>10)</sup>, ἀμπέλου Φορίμης similiumve per singulas κώμας arurarum numeri et sequuntur praeceduntve consummationes. Ipsa autem nomina, non κατὰ στοιχεῖον, ita sunt disposita, ut separatim veniant κατ' ἀμφοδαρχίας τὰ μητροπολιτικά, deinde vero (τ)ἄπὸ πρακτορειῶν <sup>11)</sup>, postremo τὰ κωμητικά ipsius κώμης

1) Fit similiter, *BGU* 11, 1-10.

2) In causa πόλεως diversum putat Eger, *zum aegypt. Grundbuch*. p. 175 not. 2 (p. 176), nec probat.

3) Ἐξ ἀπαιτήσιμον esse credit Eger, op. cit. p. 193. Indicat etiam ἀπαιτήσιμον (*BGU* 659 II 3) δημοσία (προ)κείμενον (I 6). Similis est sententia viri doctissimi Lewald (*Beitr.* cit. p. 82) de P. Oxy. 488.

4) P. Oxy. 78, 1-10.

5) Cf. Wilcken, *Archiv* IV p. 539 (ad pag. 110).

6) P. cit. lin. 11-30 (cf. Wilcken, *Ostr.* I p. 484).

7) Querelam dixi, etsi non libellus proprie est, sed libelli rudimentum (ad lin. 13: «a rough draft»). Alioquin τὸ ἐκδόσιμον post libellum collocandum erat. — Habent similem querelam P. Tebt. 30, 15-20 et 31, 15-21, ubi ἀγροῦν vertendum videtur dissimulare, atque P. *Class. phil.* I 4 (pag. 170); *Soc. ital.* 249. Cf. praeterea Mitteis, *Archiv* I p. 351 lin. 4-9 (ad *BGU* 198).

8) P. Lips. 101 saeculi quarti vel quinti.

9) CPHerm. 120; 125 I. Cf. praeterea P. Gizeh 10487 (Preis. 47).

10) Καθαρὰ γῆ occurrit etiam P. Amb. 68, 8; Giss. 60 I 28. 33 (Meyer pag. 25).

11) Inter πρακτορείας et κώμας interesse videtur non multum. Sed non propterea ἀπὸ πρακτορείας utique sunt κωμητικά (CPHerm. 120 Vo. I 2, 18/9).

quae censeatur. Aliquantum differunt, quo digitum intendit Eger <sup>1)</sup>, quorum librorum partes extant inter papyros Berolinenses <sup>2)</sup> Florentinosque <sup>3)</sup>. Ex quibus Berolinensis (*BGU*) 426 nihil habet nisi possessorum nomina cum suo cuiusque agri modo <sup>4)</sup>; Florentinus pagum praeterea, in quo ager situs sit, et ius agri velut hoc modo (lin. 466): Χαρίτη Ἀμαζονίου. Ἐκτου πάγου. Ἰδιωτικῆς ἄρουραι τριάκοντα τέταρτον ἕκτον καὶ δέκατον. Ὀγδόου πάγου. Ἰδιωτικῆς ἄρουραι τοσαῦται, δημοσίας ἄρουραι τοσαῦται. Ἐνάτου κτέ. Ergo totius nomi, Hermopolitani opinor, possessiones hic papyrus comprehendebat. Ipse possessorum ordo in Berolinensi papyro fortuitus est; in Florentino praecedunt possessores Hermopolitani κατ' ἀμφοδάρχιας et κατὰ στοιχείον; sequuntur (a lin. 488) omnia κατὰ στοιχείον Ἀντινῶντικὰ ὀνόματα; reliqua perierunt. Alia sunt ἐκδόσιμα, quae aut non pertinent ad praediorum censum <sup>5)</sup> aut propter ipsam brevitatem sunt inutilia <sup>6)</sup>. Quorum pertinet unum ad proprium censum κλήρων κατοικικῶν <sup>7)</sup> de quo nullum aliud monumentum restat. Docent viri docti <sup>8)</sup> in τὴν ἀπογραφὴν antiquitus non venisse nisi praedia privata vel certe κατοικικὰ, quae a privatis non multum differunt <sup>9)</sup>,

1) *Grundbuchwesen* p. 193<sup>s</sup>.

2) *BGU* 217; 426. Accedit κατ' εἶδος descriptus P. Lond. 604 B.

3) P. Flor. 71 (cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 322) saeculi quarti. Accedunt P. Giss. 117; Gizeh 10483 (Preis. 46).

4) Tantundem P. Lond. 604 B. Τὸ τίμημα accedit *BGU* 217 (ὁ δεῖνα ἀνὰ πυροῦ τοσοῦτον ἄρουραι τοσαῦται). Cf. Wilcken, *Ostr.* I p. 482.

5) P. Lond. 182b; 324; Rain. SN 182 (*Chrestom.* I 209); Hawara 401, 16 sqq. (*Archiv* V p. 395); *BGU* 545 (cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuch.* p. 19 lin. 4-8); 562, 6-9 (*Chrestom.* I 220) (cf. P. Lond. 257-259; 901).

6) P. Oxy. 483, 34 (ἔχει Ἀχιλλᾶς ἐν ἀπογραφῇ τὰς ἀρούρας 83); *BGU* 870 (cum 861): Ἐξ ἐπισκέψεως ἡμερησίας οἰκοπέδων) . . . κώμης Σ. Ν. . . . Στοτοήτως Στοτοήτως . . . οἰκία καὶ ἐν ἄλλῳ τόπῳ οἰκία. . . . Quae adduntur (*BGU* 861) de conductoribus possunt esse aliunde adsumpta.

7) *BGU* 866 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 20 not. 3): (ἐκ γραφῆς καταλοχισμῶν τοῦ δεῖνα ἔτους . . . ἢ δεῖνα παρὰ τῆς δεῖνος (. . .) περὶ Πηλοῦσιον σιτικᾶς ἀρούρας τοσαύτας. Supplementum debetur pro portione Friderico Preisigke.

8) Mitteis, *Ztschr. d. Sav.-St.* XXII (1901) p. 160 (post notam 1); Lewald, *Beitr.* cit. (1909) p. 7/8, p. 19; Eger, *zum aeg. Grundbuch.* (1909) p. 37/8; Mitteis, *Grundzüge* (1912) p. 95/6. Ergo, quod profitetur, *Grundzüge* p. 107 (= *Berichte* (*Leipzig*) 62 (1910) p. 254): „die Bibliothek (umfasst) alle Grundstücke“, intelligendum est acsi dixisset „alle private Grundstücke“.

9) Cf. P. Lond. 192, 82/3 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 19 not. 3); Flor. 331 (*Chrestom.* I 341) lin. 17/8 (Wilcken, *Grundzüge* p. 303/4).

eo quod in ipsis professionibus γῆ βασιλική vel δημοσία vel οὔσιακὴ ante Diocletianum <sup>1)</sup> utique desit. Quod potest fortuitum esse <sup>2)</sup> et stat pro contraria sententia praeceptum Rufi <sup>3)</sup>, ut ordinentur τὰ διαστρώματα κατ' εἶδος, id est, secundum praediorum genera et iura <sup>4)</sup>, quod supervacaneum fuisset, si venissent privata sola. Quamquam culturarum discrimina potius respici <sup>5)</sup>, potest quidem defendi adhibitis papyris quibusdam Tebtunicis <sup>6)</sup>, attamen minus est sententia quam superior probabilis, quia culturarum genera crebro mutantur. Mitteis denique <sup>7)</sup>, cui consentit Eger <sup>8)</sup>, εἶδος non genus interpretatur sed speciem, proinde eo docet praeceptum pertinere, ut singula praedia ὀνόματι cuiusque separatim subiciantur („innerhalb des (ὀνομα) soll jedes . . . Object (Archiv I p. 199: „Grundstückskörper“) separat verzeichnet werden“), quod appellat „Spezialitätsprinzip“. Cui sententiae obloquuntur quidem ipsa διαστρώματα <sup>9)</sup>, sed etiam superioribus duabus, quocirca hoc argumentum nimis urgere nolo. Quodsi constaret βασιλικὰ, δημέσια, οὔσιακὰ in τὴν ἀπογραφὴν, ut illi volunt, antiquitus non venisse, causam esse dicerem, quod eiusmodi praedia tributum non pependerit, proinde ad genuinum censum nihil pertinuerint, quod post non obstitit, quam canonis et tributi coepit quodammodo obliterari distinctio <sup>10)</sup>. Reliquum est, cur duplex vasariorum genus in

1) Occurrit γῆ βασιλικὴ κτέ. in professione anni p. Chr. 303 (Archiv IV p. 175) = P. Abbott 14 (Mél. Nic. p. 187-189), quo remittit Lewald, Beitr. cit. (1909) p. 15<sup>2</sup>, atque P. Gizeh 10923; 10924 (Theod. 54; 55) anni p. Chr. 299. Etiam vasariis quarto saeculo adscribitur (P. Flor. 71; CPHerm. 120; P. Lips. 101).

2) Posse negat Eger, zum aeg. Grundbuchw. p. 37 (post notam 5). Sed cf. ibid. p. 187 cum not. 4.

3) P. Oxy. 237 VIII 42/3.

4) Cf. modo P. Lond. 604A, qui est ordinatus κατ' εἶδος (lin. 3).

5) Affinis est sententia Friderici Preisigke, Strassb. Papyri I pag. 123 ima; Klio XII (1912) p. 434 (§ 10). Sed hic ulterius non dividit quam urbana praedia et rustica („Ackerbesitz, Hausbesitz“).

6) P. Tebt. 60, 117; 61 (h), 350. Add. Sammelb. 5942, 2. 9 (κατὰ γένος).

7) Grundzüge p. 103 = Archiv I p. 199.

8) zum aegypt. Grundbuchw. p. 158.

9) BGU 1072 I. Legendum est: διὰ ἀγορανόμου Παρξ. Nomen ter occurrit P. Lips. 97.

10) Sic tribut(s) vocabulo includitur canon emphyteuticarius rei privatae quum apud Cassiodorum, Var. VI 8 § 5 (Bethmann-Hollweg, Civilproz. III § 134 not. 37 i. f.) tum c. 17 C. Th. 11. 7 (= c. 2 C. 10. 23). Cf. praeterea Weber, Agrargesch. (1891)



uno tributo <sup>1)</sup> Aegyptii <sup>2)</sup> instituerint, possunt enim videri aut ἐξ ἀπογραφῆς aut ἐξ ἐπισκέψεως vasaria supervacanea. Dicendum arbitror, τὴν ἀπογραφὴν institutam esse, unde fierent *breves*, quod, renuat licet Lewald <sup>3)</sup>, eo tamen prima specie videtur confirmari, quod *breves* <sup>4)</sup>, licet non semper, ordinati sunt κατὰ στοιχεῖον, sicut ipsa διαστρώματα <sup>5)</sup>, et quod *breves* <sup>6)</sup>, sicut διαστρώματα <sup>7)</sup>, etiam non suae κώμης praedia habent, quae incola possideat <sup>8)</sup>. Fatendum tamen, potuisse, etiamsi census actus esset ἐξ ἐπισκέψεως secundum soli continuationem, actum ordinari secundum dominorum seriem κατὰ στοιχεῖον <sup>9)</sup> et transferri praedia ex eo loco, in quo sita essent, in eum locum, ubi habitaret dominus <sup>10)</sup>. Ex diverso τὴν ἐπίσκεψιν institutam crediderim, unde constaret de fide τῆς ἀπογραφῆς <sup>11)</sup>. Manifestaret enim ἡ ἐπίσκεψις, sive quis praedium suum omnino non esset professus sive minorem modum vel τίμημα in censum detulisset. Confirmatur autem sententia mea de ratione τῆς ἀπογραφῆς atque τῆς ἐπισκέψεως, eo quod legitur P. Giss. 61: Ναβὼ κώμης τὸν

p. 208<sup>111</sup>; Mittels, CPR I pag. 64 (ad P. 19); Schulten, *Jahreshefte (Wien)* IX (1906) p. 50 (ad Bruns, font. (1909) 97, 15), quorum testimonia non utique sunt idonea. Valde huc pertinet quod τὰ γνήσια δημόσια sive τελέσματα (P. Lond. 1157 Ro. passim) sunt interdum τὰ ἐκφέρια (P. Hamb. 19, 21; Oxy. 1031, 21) licet non semper (P. Argentor. 2, 13; Amb. 86, 10/1. 15).

1) Soli.

2) Etiamsi ἡ βιβλιοθήκη sub Ptolemaeis nondum comparet (Lewald, *Beitr.* cit. p. 13; Eger, *Grundbuchw.* p. 205/6) haud magis quam τὰ διαστρώματα (Lewald, op. cit. p. 13, p. 87), tamen de duplici vasariorum genere dubitandum non est, quin tunc quoque extiterit. Supersunt enim praediorum utique urbanorum et professiones et ἐπίσκεψις (P. Petrie II 41). Cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 174 ima.

3) *Beitr.* cit. p. 83/5. Eorum, quibus pugnat, validissimum est, quod neque professiones neque διαστρώματα, quae quidem ad nos pervenerint (non pervenit professio ἐπὶ τοποθεσίας, quae laudatur P. Oxy. 75, 21), sub Romanis utique aut τὰς γειτνίας aut τὸ τίμημα habeant. Ex quibus utique τὸ τίμημα valde est necessarium ἀπαιτήσιμα scripturo.

4) *BGU* 659 II et III; P. Lond. 109 A; 119; Oxy. 1044; Tebt. 93-96.

5) *BGU* 959.

6) Cf. modo Preisigke ante P. Argentor. 31.

7) Dictum est supra.

8) Pari modo non habent (*BGU* 1047 II 8-10) suae κώμης praedia, quae extraneus possideat.

9) Ita fit hodie (Lyons, *the cadastral survey of Egypt* p. 93, 351 ima, 352, 358).

10) Ita fieri solebat ante novissimum censum (Lyons, op. cit. p. 28, 95, 323/4).

11) Versa vice τὴν ἀπογραφὴν adhibitam esse, ut constaret de fide τῆς ἐπισκέψεως, arbitratur Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 190 ante notam 2.

κωμογραμματέα exactionem confudisse συγκρίναντ(α) τὸν σωματισμὸν τοῦ γ' ἔτους καὶ τοῦ διεληλυθότος β' ἔτους <sup>1)</sup> πρὸς τὴν εὐθυμετρίαν <sup>2)</sup>, nec mutat, quod propterea ab iratis debitoribus τύραννος audiat, nam, iuste licet, non propter ipsam σύγκρισιν, sed, quia cluso censu talibus abstinendum est, accusari poterat. Haud magis obstat, quod edixit Mettius Rufus <sup>3)</sup>: novissimas ἀπογραφαὶ corrigendas esse ex antiquioribus, proinde veteres ἀπογραφαί, si extant, μετὰ πάσης ἀκριβείας Φυλάσσεσθ(αι δεῖν) δμοίως δὲ καὶ τὰ διαστρώματα <sup>4)</sup>, nam potest et hoc et illud verum esse. Eo denique ut revertatur, unde deflexa est, oratio: de eo dubitari iam non potest, quin vasariis Aegyptiis diligenter singulorum agrorum modus adscriptus fuerit, sed videndum, quam accurate et modus et reliquis agrorum status in libros censuales venerit, id est, utrum vero statui scriptus responderit. Non enim accurati possunt esse libri, si quadrilatera qualiacumque lateribus obligabuntur; si possessores renuntiabunt modum, quos, dum sequuntur emptiones suas nec putant *vere profiteri esse difficile* <sup>5)</sup>, falli et graviter falli <sup>6)</sup> par est, etiamsi verum dicere velint, et licet passim censitor sub inquisitionem rem vocaturus sit <sup>7)</sup>; si diu non renovabuntur libri <sup>8)</sup>. Licet enim agrorum status, id est, proprietas et linea finitima, censu obligetur — quod apud Aegyptios non obtinuisse supra docuimus —

1) Τὸν σωματισμὸν quotannis scribi, demonstrat etiam BGU 141, 4.

2) Εὐθυμετρίαν, ut P. Amh. 68, 59, sic noster quoque appellat, quam nos ἐπίσκειψιν.

3) P. Oxy. 237 VIII 38/40.

4) De hoc negotio etiam edixit anno 103 Minicius Italus (P. Lond. 1885, cuius eduntur particulae Archiv VI p. 101/3).

5) Cic. Accus. V 15 § 39.

6) Huc refero, quod legitur apud Gromat. p. 46 lin. 21 (Thulin 37, 16/7): *geminus in provinciis modus ab alio possidetur, ab alio ne quidem simplex*, ut intelligatur modus ab horum utro in censum delatus.

7) Vel magis igitur, si ne hoc quidem. Servant papyri inquisitionis exempla, sed quae non perveniant ad praediorum censum: BGU 52; 97; 108; 139; 352; 358; 577; Wilken, Herm. XXVIII (1893) p. 240; Ostr. I p. 474-477; P. Hamb. 11, 20/1 (= BGU 139, 21); Lond. 309; Tebt. 343 Vo.; Eger, Grundbuchw. p. 181<sup>o</sup>. Eodem pertinere censet Wessely, Sitzungsber. (Wien) 142 IX p. 14 ima, ἐπίκρισιν κατ' οἰκίαν ἀπογραφής (BGU 484, 2), sed quaerit aliud Meyer, Heerjocsen p. 115 not. 432.

8) Hoc est, quod appellatur (P. Oxy. 237 VIII 31): ἀνωθεν (id est denuo) γ(ίγνεσθαι) ἀντίγραφα = ἀυτόγραφα, ut saepe. Etsi aliter explicat Grenfell (ad P. cit.) pag. 178 lin. 9-12, ductus, ni fallor, eiusdem P. (237 VIII) lineis 38-40.

tamen mortes interrumpent <sup>1)</sup>). Multo citius libri et praediorum status discrepabunt, si status libris non fundabitur <sup>2)</sup>, etiamsi translationes in vasaria veniant, cautumque sit ne lateant praescripto, *δίχα ἐπιττάλλματος* ne fiant <sup>3)</sup>, interrumpent enim vel sic usucapiones vel longi temporis possessiones. Quocirca vana spes erat <sup>4)</sup> Mettii Rufi <sup>5)</sup>, ulla diligentia posse effici, (*ἴνα εἰς ἅπαν διακμένη τῶν διαστρωμάτων ἢ χρήσις πρὸς τὸ μὴ πάλιν ἀπογραφῆς δεηθῆναι*). Vitia autem, quae praediximus, pro parte Aegyptiis vasariis inusta fuisse videntur. Etenim de mensurae genere quum antea boni quid augurari nos vetabat sacrorum agrorum tabula, qua de dictum est supra, tum vero hodie constat ipsius *ἐπισκέψεως* documentis <sup>6)</sup> utroque aevo <sup>7)</sup> quadrilatera qualiacumque lateribus obligari solita <sup>8)</sup>. Quod secundum est: negligentia sua non profitentium <sup>9)</sup>, quae praeterea compensari consuevit perfidia aliena profitentium tamquam sua spe habendi ea <sup>10)</sup> — quocirca non est magnopere metuendum, ne dominus dolo malo non profiteatur vel minus <sup>11)</sup>, et miror, cur apud Gallos, antequam post reges exactos ad mensuram agri redacti sint, longe minora spatia („*des contenances très-inférieures*”) profiteri consueverint, ut fert fama <sup>12)</sup>, possessores, quum Romanorum quoque fide Gromaticorum <sup>13)</sup>, si *geminus in provinciis mo-*

1) Hoc neglexit Lyons, *the cadastral survey of Egypt* p. 391 ima.

2) Hoc cum suo damno hodie Aegyptus discit (Lyons, op. cit. p. 356/7).

3) Ea de lege diximus in alteris observatiunculis (§ 16).

4) Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 169 (post notam 1).

5) P. Oxy 237 VIII 40/1.

6) P. Tebt. 86; 87; Lond. 267; Amh. 68, 27/31.

7) Cf. Wilcken, *Archiv* I p. 152.

8) Etiam hodie mensura ita agitur (Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1909) p. 11 („*not only in the villages by the local measurer, but also in the provincial offices, where staff of the old type still remain*”), p. 45, 109, 123, 138), quin immo paenultimus census 1853-1859 totus sic actus est.

9) Praedia *μὴ ἀπογεγραμμένοι* obviam fiunt *BGU* 243, 9 (Chrestoin. II 216); P. Hamb. 16, 13/4 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 56 not. 2; Eger, *Grundbuchw.* p. 133 not. 2); P. Oxy. 637; 1268, minus professus *BGU* 350 (Gradenwitz, *Einf.* I p. 165 not. 3).

10) Lyons, *the cadastral survey of Egypt* p. 315, 354 ima, 355 ima.

11) Lyons, op. cit. p. 66.

12) *Recueil méthodique des lois etc. sur le cadastre de la France* I (1812) pag. 10 (§ XV).

13) Grom. p. 46 lin. 21 (= Thulin 37, 16/7).

*dux ab alio posside(a)tur, at ab alio ne quidem simplex, ubi puto modum in censum delatum cum possesso conferri — ea vel sine inquisitione eove genere, quo cavet intentius ab hoc vitio auctor formulae censualis<sup>1)</sup> anni 299, τῆ ἐπισκέψει negligentia cohibita sit necesse est; etsi vel sic praedia ἀναπόγραφα<sup>2)</sup> vel ἕξω (πορείας)<sup>3)</sup> obversantur, quamquam praedium incensum posse omnino dari, vi negat Mitteis<sup>4)</sup>. Raro denique sub Ptolemaeis utique renovata esse vasaria, causa Hermiae<sup>5)</sup> efficitur, qua demonstratur proavorum aliquando nomine et diu mortuorum possessiones fideliter in censu perseverasse, nam relatum legimus<sup>6)</sup> pro Hermia non in hoc ipso sed in alio quodam negotio ἀναγράφεσθαι τὴν γῆν εἰς Ἑρμῶνα Ἑρμίου τὸν πάππον τῆς (τοῦ νῦν) Ἑρμίου μητρὸς, quamobrem facile fieri potuit, ut etiam ἀδεσπότην domini in libris invenirentur, qui sine successore decessissent vel alias non apparerent<sup>7)</sup>. Veluti refert in Wilckenianis<sup>8)</sup> ὁ κωμογραμματεὺς τοῦ Περιθίβας: „ἐπισκοποῦντες εὕρισκομεν διὰ τῶν Φυλασσομένων ἡμῖν βιβλίων (τὰς προκειμένας ἀρούρας) εὐ.ρ. . . . ε<sup>9)</sup> ἀδεσπότες<sup>10)</sup> καὶ ἀνγρχφομένας εἰς τοὺς προγεγραμμένους.” Ro-*

1) Eam servant P. Gizeh 10923; 10924 (Thead. 54; 55). Fit ibi professio ἐφ' ὑπογραφῆς quum domini tum binorum mensorum, totidem coniatorum, (ὕπνρέτου δεκαπρώτων, ὀριοδείκτου. Subscribit ὀριοδείκτης: ἐπέδειξα καὶ οὐδὲν παρέλιπον, mensor: ἐμέτρησα, dominus: παρέλαβον τὴν μέτρησιν ὡς πρόκειται, reliqui, quod volunt.

2) BGU 832, 7 (ἀρουρῶν μὴ ἀπογεγραμμένων). Mancipia ἀναπόγραφα sistantur BGU 398 II 6, τέκνα BGU 983, 22. Cf. praeterea P. Tebt. 81, 3; Lyons, cadastral survey p. 62/3 (decrees 15 Sept., 22 Sept. 1865), p. 108.

3) P. Tebt. 343 Ro., lin. 81.

4) Archiv I p. 197': „wenn (auch) das Haus im Kataster nicht stand, . . . muss doch das Areal katastriert gewesen sein”.

5) P. Taur. 1.

6) P. cit (Taur. 1) IV 8/9. Res non latuit Eugenium Revillout, Précis p. 628 ima.

7) Veluti, quod culturam deseruissent. Cf. Lyons, cadastral survey p. 62/3 (decrees 21 Dec. 1858, 22 Sept. 1865).

8) Actenstücke 4 II 13—15.

9) Supplet Crönert, Studien z. Palaeogr. und Papyrusk. (4) p. 91: εὐφόρους. Sed praestat fortasse ἐμφόρους, quod habet P. Lond. 882, 3. 13.

10) Vertit Revillout, Précis p. 785, derelictas, speciem ponens pro genere; Wilcken, Actenst. pag. 32 „an den Staat gefallen”, quod videtur verum. Etenim τόπου ἀδεσπότες occupanti non cessisse, demonstratur quum Strabonis testimonio (XVII 1 § 12: ἰδιόλογος (ὁ) τῶν ἀδεσπότην . . . ἐξετάστης) tum Specim. Wesselyi passim (cf. Wessely, Sitzungsber. (Wien) 142 (1900) IX p. 14; Meyer, Festschr. f. Hirschfeld (1903) p. 150/1; Wilcken, Archiv IV p. 409). Cf. praeterea P. Amh. 31 (sed etiam Grenfell ad P. Oxy. 1032, 8) et, quem non intellexit editor, P. Amh. 32, atque

manorum utique temporibus praediorum utrumque censum quotannis renovari solitum, sicuti camelorum et pecudum <sup>1)</sup> ἀπογραφέας — nam personarum census (ἢ κατ' οἰκίαν ἀπογραφή) post quatuordecim annos renovari solebat — opinio hactenus erat Ulrici Wilcken <sup>2)</sup>, quem et quoad τὴν ἀπογραφήν magnis argumentis refellit Grenfell <sup>3)</sup> et omnino. res ipsa refutabat, quae semper valet plurimum. Non enim reputanti, quantum sit quantique regni alicuius vasaria condere, facile persuadebitur eiusmodi negotium usquam terrarum quotannis iterari solitum <sup>4)</sup>. Nuper quidem census Aegypti, quum ageretur secundum genuina artis praecepta <sup>5)</sup>, quindecim annorum (1892-1907) opus fuit <sup>6)</sup> et festinabatur <sup>7)</sup>. Quod propius accedit: prior census, quem aliter non egissent Ptolemaei, sexennio (1853-1859) constiterat <sup>8)</sup>. Quae pertinent quidem ad τὴν ἐπίσκεψιν, ceterum τὴν ἀπογραφήν quoque ingentem habuisse molestiam, satis aperte declarat Rufus <sup>9)</sup>. Nec mutat, quod αἱ εὐθυμετρίας quotannis scribebantur <sup>10)</sup>, non enim propterea novus fit census, quod in chartam puram transfertur. Plane fluviatilis agri <sup>11)</sup> mensura hodiernis temporibus quotannis agitur <sup>12)</sup>, sicut ἀβρόχων et quae

Lyons, *cadastral survey* p. 62/3 (*decrees* 15 Sept. 1851; 21 Dec. 1858; 20 Jul. 1857; 22 Sept. 1865), p. 108, 110, 112.

1) Pecudum vel saepius: P. Oxy. 246, 20; 297, 9/10.

2) Ostr. I p. 174/5, 464, 466; *Archiv* I p. 151. Causa erroris non intellectus Strabo XVII 1 § 3 (cf. supra).

3) Ad P. Oxy. 237 VIII 31 (pag. 177-179). Ipse nihilominus ante P. Tebt. 87 (pag. 386 ima) universae culturae („*land under cultivation*“) annuam ἐπίσκεψιν admittit.

4) Brockhaus, *Convers.-Lex.* VIII (1902) p. 458 (v. *Grundsteuer*): „*die Veranlagung (des Steuerkatasters), die langwierige und kostspielige Vermessungs- und Schätzungsarbeiten . . . voraussetzt, kann nur in grösseren Zeiträumen vorgenommen werden*“.

5) Cf. Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1908) p. 53 lin. 8-13.

6) Lyons, op. cit. p. 1.

7) Lyons, op. cit. p. 5.

8) Lyons, op. cit. p. 69. Stetit igitur hic census salvis peraequationibus (p. 347: „*revised from time to time*“) paene semisaeculum.

9) P. Oxy. 237 VIII 41.

10) Ita docet Grenfell ante P. Tebt. 84, qui papyrus inscribitur ἔτους τρίτου καὶ πεντηκοστοῦ . . . εὐθυμετρία. Rem confirmant P. Oxy. 488, 13 sqq.; Amh. 68, 40 sqq., et quod interdum adscribitur culturae genus, quod mutatur quotannis. Scribebat autem ὁ κωμογραμματεὺς (P. Tebt. 84, 1; Oxy. 488, 13 sqq.) nec vero is solus (P. Amh. 68, 40 sqq.; *BGU* 916, 9/10).

11) Qui sit fluviatilis diximus supra (Mnem. XLIII p. 416/7).

12) Lyons, op. cit. p. 26 (summa), 67, 325.

spatia aut tabaco <sup>1)</sup> aut orichalco <sup>2)</sup> seruntur, quam contemplatione vasariorum („*the cadastre*”) appellat Lyons <sup>3)</sup> operam extraordinariam („*special work*”). Ergo iam perspicitur, inter binos census annua *ἐπίσκεψις* qualis apud veteres usu venerit, unde potuit vasariis postea adscribi comparatio alterius anni velut <sup>4)</sup>: *πέμπτῳ ἔτει ἴσον* vel: *πέμπτῳ ἔτει ἄρουραι ιε' ἀνὰ ἀρτάβας γ'*. “Ελασσον ἄρουραι β' ἀρτάβαι λ' vel: *πέμπτῳ ἔτει χέρσου ἀρούρας ἡμισυ*. *Λοιπαὶ ἄρουραι ἐσπαρμέναι τέσσερες*. Non tota terra quotannis in *ἐπίσκεψιν* vocabatur, sed, ad hodiernam constitutionem coniectura si permittitur veterem memoriam integrare, inprimis ἡ *παρὰ ποταμὸν* <sup>5)</sup>, deinde vero τὸ *ὑπόλογον* <sup>6)</sup>, tertio denique τὰ *κείμενα ἐν τοῖς ἐπισκεφθισομένοις* <sup>7)</sup>, id est, ea, quae propter aliquam causam sub *ἐπίσκεψιν* vocare magistratibus visum esset <sup>8)</sup>. Quocirca iam non miramur, cur in quibusdam papyris <sup>9)</sup> singulorum fere annorum laudentur *ἐπισκέψεις*, nec propterea dicemus vasaria quotannis renovari solita, sed oportuisse quotannis (*τὸς*) *πρὸς τῆς χρεῖας . . . ἐπισκέψασθαι τὰ ἐκ τοῦ νομοῦ ἀναφερόμενα*, quae quidem spectarent τὸ *ὑπόλογον καὶ τᾶλλα* <sup>10)</sup>. Quo nunc quidem ipse rem deducit Wilcken <sup>11)</sup>, cui praeivit Lewald <sup>12)</sup>, qui tamen non recte scripsit nihil innotuisse de ipsa *ἐπισκέψεως* renovatione. Nam constat tempore Mettii Rufi *εὐθυμετρίαν*, quam nos vocamus

1) Cf. tamen Brockhaus, *Convers.-Lex.* I (1901) p. 230 (v. *Aegypten*): „*der früher sehr einträgliche Tabakbau ist seit 1889 durch Steuermassregeln unmöglich gemacht worden*”.

2) „*Tombac*”, quod aut genus esse tabaci aut consanguinitate propinquum ei, certiorum me fecit ipse Lyons.

3) Lyons, op. cit. p. 95 summa.

4) Exempla praebuit P. Tebt. 85.

5) Cf. P. Oxy. 589: . . . Ἀπίωνι ἐπισκέπτη τῶν παρὰ ποταμὸν ἑδαφῶν . . . Ἦν ἔπειψας ἐπίσκεψιν κωμῶν τινῶν (reliqua perierunt); P. Oxy. 918 XI 5, 14: τῆς γενομένης τῷ δέινι ἔτει τοῦ αἰγιαλοῦ ἀνμετρήσεως.

6) P. Giss. 60 II 20: ἐξ ἐπισκέψεως ὑπολόγου τρίτου ἔτους; BGU ined. sine no.: ἐξ ἐπισκέψεως ὑπολόγου φανεῖσαι δύνασθαι διὰ γεω (reliqua perierunt). Continet eiusmodi *ἐπίσκεψιν* P. Hamb. 12 et adparet ibi quotannis renovari solitam.

7) Cf. P. Tebt. 72 lin. 140 (= 61(b), 214) et lin. 468/9.

8) Eius generis esse arbitror τὴν τοῦ Ἡρώου *ἐπίσκεψιν*, quam servavit P. Tebt. 81.

9) BGU 563; 565; P. Lond. 267, 134; Oxy. 1287, 2.

10) P. Tebt. 28, 6/7. Est cum hoc papyro re coniunctus P. Tebt. 24.

11) *Grundzüge* p. 206/7.

12) *Beitr. z. Kenntniss des römisch-ägypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 80/1.

ἐπίσκεψιν<sup>1)</sup>, perseverasse eam, quae constiterat circa sextum Neronis annum<sup>2)</sup>; videtur praeterea (ἡ) τοῦ δεκάτου ἔτους Νέρωνος ἀπογραφῆ<sup>3)</sup>, qui fuerit oportet praediorum census<sup>4)</sup>, ante Mettium Rufum alii non cessisse<sup>5)</sup>, unde potest coniectura capi, utraque vasaria simul fieri consuevisse. Sane, quod adgressus est Grenfell<sup>6)</sup> adhibitis professionibus, quae aetatem tulerunt<sup>7)</sup>, singulos annos renovationis constituere, id ne ipsi quidem successit. Veluti prorsus est incredibile, quum decimo Neronis anno (63/64 p. Chr.) tum, quod credi iubet Grenfell: κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ κρατίστου ἡγεμόνος Λευκίου Οὐρηστίνου προστεταγμένα<sup>8)</sup> tribus annis ante censum esse actum, sed apparet aut nullum esse censum, qui κατὰ Οὐρηστίνου πρόσταγμα actus sit, aut eundem, qui decimo Neronis anno<sup>9)</sup>. Secutum putat Grenfell anno 80 novum censum, quod eo anno datae sint professiones<sup>10)</sup>, neque animadvertit omnibus annis profitendum fuisse eorum nomine, qui comparassent quive iure hereditario domini extitissent. Alioquin etiam anno 72 censum esse actum confitendum foret<sup>11)</sup>. Ergo hoc tantum census renovationem anno 80 indicat, quod eodem anno duae professiones datae inveniuntur et quod habet utraque<sup>12)</sup> habuitve clausulam κατὰ τὰ προστεταγμένα<sup>13)</sup> quae quidem clausula per se ambigua

1) Non movet P. Tebt. 83, 8.

2) P. Amh. 68, 58-60.

3) P. Oxy. 248, 31/2.

4) Quia ἡ κατ' οἰκίαν ἀπογραφὴ octavo Neronis anno habita est (Wilcken, Ostr. I p. 438). Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 107<sup>2</sup>.

5) Hoc statim demonstrabimus.

6) Quum ad P. Oxy. 237 VIII 31 (pag. 177-179) tum ante P. Oxy. 481. Cf. praeterea Lewald, *Beitr. z. Kenntniss des römisch-aegypt. Grundbuchrechts* (1909) p. 5/6; Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* (1909) p. 169; Mitteis, *Grundzüge* ((1912) p. 106.

7) Earum indicem confecit Lewald, *Beitr.* cit. p. 92.

8) *BGU* 112; P. Oxy. 250.

9) Verum vidit Lewald, *Beitr.* cit. p. 5. — Nihil certe ad hunc usque diem credi vetat Vestinum praefectum perseverasse decimo Neronis anno. Cf. *PSBA.* XXIV (1902) p. 59/60; *Memorie dei Lincei* XII (1906) p. 73/4.

10) P. Oxy. 248; 249.

11) *BGU* 184, 17. Cf. Wilcken, Ostr. I p. 463<sup>1</sup>.

12) Habuit P. Oxy. 248 (Lewald, *Beitr.* cit. p. 5 not. 6). Habuit P. Oxy. 249, 6/7.

13) Sive κατὰ τὰ μελευνθέντα. Cf. Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 171<sup>2</sup>.

est <sup>1)</sup>, sed ex numero professionum simul datarum vires capit <sup>2)</sup>. Plus tamen in contrariam partem valere debet, quod anno 90 constabat ἐκ πολλῶν χρόνων <sup>3)</sup> vasaria non esse renovata <sup>4)</sup>, quocirca, donec certius quid adfertur, credendum est τὴν(ν) τοῦ δεκάτου ἔτους Νέρωνος ἀπογραφῆ(ν) etiamtum perseverasse. Renovatum plane censum constat hoc ipso nono Domitiani anno (90) κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡγεμόνος Μεττίου Ρούφου προστεταγμένα <sup>5)</sup>, quod edictum extat <sup>6)</sup>. Posthac annis 99 et 109 et 129 censum actum esse docet Grenfell <sup>7)</sup>, quam in rem testibus utitur P. Oxy. 481 et 482 et 75, nec dicit causam, ad renovationem cur pertineant; ceterum non esse anno 129 censum actum vel eo demonstratur, quod anno 131 κατὰ τὰ ὑπὸ τοῦ κρατίστου ἡγεμόνος Τιτιανοῦ κελευσθέντα <sup>8)</sup> renovati census utique fuerint. Anno 182 sitne census actus ex edicto Sulpicii Similis, quod exstat <sup>9)</sup>, prorsus incerta <sup>10)</sup> res est, eoque magis, quia de anno huius edicti ambigitur <sup>11)</sup>. Nulla deinceps renovatio commemoratur nisi circa medium tertium saeculum <sup>12)</sup>, si fuit ea renovatio <sup>13)</sup>,

1) Wilcken, Ostr. I p. 449: „die Erwähnung des . . . Erlasses spricht nicht etwa für eine . . . aussergewöhnliche Anordnung“. Hoc verum esse, fatetur Lewald, *Beitr.* cit. p. 4, nec tamen extorqueri sibi patitur eiusmodi indicium. — Incidit hic diversa quaestio, utrum possit ad renovationem vasariorum pertinere sine clausula professio. Quod vix putat Eger. *Grundbuchw.* p. 124 circa notam 3.

2) Lewald, *Beitr.* cit. p. 3 (post mediam).

3) P. Oxy. 237 VIII 29.

4) P. Oxy. 237 VIII 31: μὴ ἄνωθεν (id est: denuo) γεν(έσθαι) ἀντίγραφα, id est, αὐτόγραφα, ut saepe.

5) P. Oxy. 72; 247; 358; *BGU* 536 (lin. 5: κατὰ τὰ κελευσθέντα). Laudatur quoque P. Oxy. 481, 15-17 (ἡ) τοῦ ἐνάτου ἔτους Δομιτιανοῦ ἀπογραφῆ(ῆ), sed fortasse κατ' οἰκίαν, quam hic annus etiam habuit (Eger, *zum aeg. Grundbuchw.* p. 170 not. 2).

6) P. Oxy. 237 VIII 27-43.

7) De anno 129 obloquitur Lewald, *Beitr.* cit. p. 5/6.

8) *BGU* 420; 459; P. Fay. 32; 216; *Genev.* 27; Hawara 308; Oxy. 584; 715.

9) P. Oxy. 237 VIII 21-27.

10) Grenfell quidem „almost certain“ rem appellat nec provocat (quo poterat) ad P. Oxy. 237 V 23: ἀπογραφῆν γενομένην ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἐπὶ τοῦ κ(.) (ἔτους).

11) Qui fuit Aegypti praefectus Flavius Sulpicius Similis sub Traiano annis 107-109 cum auctorem huius edicti habet Meyer Klius I (1901) p. 478 atque Seymour de Ricci, *Proc. Soc. Bibl. Arch.* XXIV (1902) p. 62. Cf. tamen Grenfell ad P. Oxy. 237 VIII 27 (II pag. 176 et IV pag. 262).

12) P. Oxy. 78 lin. 14 sqq. (cf. *Archiv* IV p. 539).

13) Quod non intervenit praefectus (cf. Lewald, *Beitr.* cit. p. 15<sup>1</sup>; Eger, *zum aegypt. Grundbuchw.* p. 194), hodie minus movere debet, quia fit similiter anno 303



et sub Diocletiano, qui Romano potius <sup>1)</sup> quum personarum <sup>2)</sup> tum praediorum censui Aegyptum subiecit per Iulium Alexandrum <sup>3)</sup> et Septimium Sabinum <sup>4)</sup> et Ulpium Alexandrum <sup>5)</sup> censitores, qui census anno 348 perseverabat <sup>6)</sup>, atqui Iustiniani temporibus cesserat τοῦ τῆς λογίης μνήμης Ἰωάννου σχολαστικοῦ καὶ κηνσίτορος τῆ ἀναγραφή <sup>7)</sup>. Ergo non, quod putat Grenfell, annis p. Chr. 61, 63/4, 80, 90, 99, 109, 129, 131, 182 census renovatos esse constat, sed annis 63/4, 90, 131 nec in ea re τὴν πενταετίαν <sup>8)</sup> observatam. Quam distromatis renovandis, id est, in chartam puram transscribendis praestituit Mettius Rufus <sup>9)</sup> πρὸς τὸ μὴ πάλιν ἀπογραφής δεηθῆναι, insito mentibus regentium vitio, ut res magnas attingere velint remediis brevibus et minimo constaturis, si gratis haberi non possunt. Posterioribus quoque saeculis <sup>10)</sup> magna intervalla intercesserunt, veluti eius quod proxime fuit <sup>11)</sup> ab anno 13 et ab anno 53 et secundum genuina artis praecepta <sup>12)</sup> ab anno 92 est renovatus ter non amplius <sup>13)</sup> census. Quod vero supra dicebamus: ubi

(P. Abbott 14 (= *Mél. Nic.* p. 187-189): κατὰ τὸ πρόσταγμα τῶν δεσποτῶν... ἀκολουθῶς καὶ τοῖς προσταχθεῖσιν ὑπὸ τοῦ διασημοτάτου καθολικοῦ). Cf. Wilcken, *Archiv* V p. 265<sup>a</sup>.

1) Cf. Wilcken, *Archiv* II p. 128 (ad P. Amh. 83); *Grundzüge* p. 226/8.

2) P. Argentor. 42 (Wilcken, *Archiv* V p. 264; *Grundzüge* p. 225/6).

3) Anno 298 professiones hic accipiebat τοῦ Ἐρμοπολίτου (P. Flor. 32).

4) Anno 299 hic accipiebat professiones τοῦ Ἀρσινείτου (P. Gizeh 10923; 10924 = Thead. 54; 55), postea desiisse videtur et reliquum censum ordinavisse ἀκολουθῶς τ(αῖς) ἐπ' Ἐνεύνου (*Archiv* V p. 265) ἀπογραφής (BGU 1049, 5/6. 8), quarum una superest ἀναμετρηταῖς data: P. Abbott 14 (*Mél. Nic.* p. 187-189) anni 303 (*Archiv* IV p. 175), videtur enim (etiam Udalrico, *Archiv* V p. 265) Ἐνεύνος et ὁ καθολικὸς Εὐνείος idem esse. Pertinet ad censum Sabini etiam P. Amh. 83 et ined. Rylands (Wilcken, *Grundzüge* p. 226) atque fortasse *Sammelbuch* 5356, 4-7.

5) Censitor hic Heptanomia accipiebat professiones anno 310 (P. Argentor. 42).

6) BGU 917, 5/6. Cf. BGU 1049, 5/6. 8 (anni 342); Wilcken, *Archiv* V p. 265.

7) Commemoratur ea P. Gizeh 67118, 29-31 (ann. 547); 67097 Ro., 40-42 (ann. inc.), atque fortasse 67117, 13/4 (ann. 524).

8) Ed. Tib. Alex. (CIG. 4957) lin. 49. Ad τὴν κστ' οἰκίαν non pertinere docet Wilcken, *Ostr.* I p. 451.

9) P. Oxy. 237 VIII 40-43. Cf. Preisigke, *Klusi* XII p. 429.

10) Cf. Lyons, *the cadastral survey of Egypt* (1909) p. 54/5.

11) Lyons, op. cit. p. 68/9 et p. 9.

12) Cf. Lyons, op. cit. p. 53 lin. 8-13.

13) Inchoatus anno 1878 census derelictus est, quum sexta fere pars agrorum in discriptionem venisset.

tributa fuerint, ibi ex necessitate vasaria extitisse, id non refellitur eo, quod Gizerichus, Vandalorum rex vasariis omnibus per Africam destructis nec novis confectis <sup>1)</sup>, tamen iis, quibus agros reddidisset, veteribus possessoribus vectigalia indixerit <sup>2)</sup>. Nam excipiebam, quae penderentur ex arbitrio, quod si re vera est boni ac sapientis viri, omnia vasaria facile vincit <sup>3)</sup>, sin minus, quam sit intolerabile, in *tallia* sive *collecta* pendenda sub regibus Gallia experta est <sup>4)</sup> sola fere <sup>5)</sup> Narbonensi (*Languedoc*) excepta <sup>6)</sup>; adeo verum non est, quod scribit Bethman-Hollweg <sup>7)</sup>: sine censu <sup>8)</sup> tributa leviora <sup>9)</sup> esse, quocirca, dissensus licet videatur Monin <sup>10)</sup>, de Gallia bene meruerunt, qui anno 1763 censum praediorum subditis promiserunt <sup>11)</sup>, quive post status publici mutationem Narbonensis provinciae exemplo ordinarunt (1807-1850), nec iis iuste vitio verti potest, quod vasariorum renovatio hactenus tracta est <sup>12)</sup>. In Gizerichi specie crediderim, non ex arbitrio tributa exacta esse, sed decumas *triticici sive hordei*, quales occasione data parti quoque Siciliae idem rex imposuit, sicuti discimus ex mandato Lauricii ad Sisinnium <sup>13)</sup>, quod mandatum mox post annum 444 scriptum est, quum anno 440 Gizerichus Siciliam *graviter adfl(x)erat*), unde revocavit eum

1) Procop. B. Vand. II 8 § 25. Locum exscripsimus sub harum observ. cap. LXXII.

2) Procop. B. Vand. I 5 § 15: τῆς δὲ γῆς, ὅση οἱ οὐκ ἀγαθὴ ἐδοξεν εἶναι, ἀφῆκε τοῖς πρότερον ἔχουσι, τοσαῦτα ἐνβένδε τῷ δημοσίῳ φέρεσθαι τᾶξας, ὥστε (reliqua dabuntur infra).

3) Plut., Aristid. 24.

4) Cf. e. g. Tocqueville, *l'ancien régime* (1856) p. 192-195; Wahl, *Studien zur Vorgeschichte der Revolution* (1901) p. 72.

5) Cf. *Recueil méthodique des lois etc. sur le cadastre* (1812) § II (p. 4).

6) Tocqueville, op. cit. p. 195, 419 (ad pag. 195); Fénelon, *Oeuvres* XXII p. 579; Merlin in v. *cadastre*. Cf. Ranke, *Werke* VIII (1868) p. 48; IX (1868) p. 318/9.

7) *Civilprozess* IV § 35 not. 11 (p. 133).

8) „weniger systematisch erhobene ...

9) ... und insofern weniger drückende (Steuern).“

10) *Essai sur l'histoire administrative du Languedoc* (Thèse, Paris 1884) p. 95-99.

11) Ranke, *Werke* XI (1869) p. 412; Merlin, in v. *cadastre*.

12) Accedit, quod formae immutabiles ut leges servantur, teste Bessonio, *Livres fonciers* (1891) p. 414/5: „les mutations ne sont appliquées que sur les matrices et sur les états de sections, on ne les rapporte jamais sur les plans.“

13) Pap. Marini 73 (Spangenberg. cod. num.) lin. 61. — Fiscus barbaric(us) ibi non potest esse nisi Gizerichi, quoniam Alaricho in Siciliam traicenti res non cessit (Oros. VII 43 § 12).

nuntius de Sebastiani in Africam reditu <sup>1)</sup> deinde anno 442 Africae parte oblata pacem Caesari dederat <sup>2)</sup> desideratque decuma exigi. Quo pertinent verba mandati: (*rati*)one tritici sive hordei quod ante barbarico fisco praest(abatur), et repudianda est sententia Mommseni <sup>3)</sup>, quam exscribit Holm <sup>4)</sup>: „dieser fiscus barbaricus oder τὸ Γοτθικὸν <sup>5)</sup> muss die Kasse sein, aus welcher die den fremden Soldaten bewilligten Verpflegungs- und Soldgelder gezahlt wurden <sup>6)</sup>.” Nam hoc remissum credere quis potest? Nec mirari debemus, cur Gizerichus, dum Panormum diu obsidet, vectigalia quasi iam suae Siciliae imposuerit, qui per idem tempus ad haeresin suam Siculos traducere intentus fuerit <sup>7)</sup>. Non erat autem, quod scribit Procopius <sup>8)</sup>, intolerabile decumae Vandalicae onus; alioquin tolerabile visum esset, quod Iustinianus invexit <sup>9)</sup>. Quae res non latuit Felicem Papencordt <sup>10)</sup> — latuit alterum Felicem <sup>11)</sup> — sed quaesivit ille frustra, quibus ex brevibus („nach welcher Steuerrolle”) vasariorum perditore contributum sit <sup>12)</sup>. Rursus verum est, quod scribit: in arbitrario tributo arbitrariae fuerint depraedationes oportere <sup>13)</sup>, sed in proposita specie supervacaneum, quia in causa Vandalorum de decumis agitur.

(Continuabuntur).

1) Prosp. Tir. c. 1342 (cf. tamen Papencordt, *Gesch. der Vandal. Herrschaft* (1837) p. 75/6; Martroye, *Genséric* (1907) p. 133 not. 2).

2) Prosp. Tir. c. 1347.

3) *Neues Archiv* XIV (1889) p. 501.

4) *Gesch. Siciliens* III (1898) p. 496.

5) Τὸ Γοτθικὸν unde habeat, nescio.

6) Brunner, *Rechtsgesch.* I (1887) p. 39: „der Militärfiscus”.

7) Hydat. c. 120.

8) Post modo laudata pergat: οὐδ' ὀτιοῦν περιῆν τοῖς τὰ χωρία . . . ἔχουσι.

9) Cf. Procop. II 8 § 25.

10) *Gesch. der Vandal. Herrschaft* (1837) p. 200/1. Viderunt etiam L. Schmidt, *Gesch. der Wandalen* (1902) p. 187; Martroye, *Genséric* (1907) p. 280.

11) *Könige der Germanen* I (1861) p. 206: „(die) Provinzialen (bezahlten) die alte Grundsteuer jetzt sehr gesteigert”.

12) Invenit scilicet L. Schmidt, *Gesch. der Wandalen* (1902) p. 186: „(die Kataster) wurden jedenfalls durch neue ersetzt”. Atqui contrarium nimis aperte docet Procopius (B.V. II 8 § 25: τοὺς φόρους οὐκέτι ἦν ἐν γραμματείοις τεταγμένους εὐρεῖν).

13) Papencordt, op. cit. p. 200: „die Erpressungen konnten nicht so systematisch sein, als es die römische Steuerweise möglich machte”. Hinc descendit sententia Bethmanni Hollwegii, quam notavimus: „weniger systematisch erhobene und insofern weniger drückende (Steuern)”. Quem meliora docuerat praeceptor eius, *Gesch.* I (1834) p. 406: „willkürlich ausgeübt, und darum gewiss um so drückender”.

# DE HARMODIO ET ARISTOGITONE.

SCRIPSIT

MATTHAEUS VALETON.



Bibliothecae huic ante hos sex annos Isaac frater inseruit commentationem <sup>1)</sup>, quam morte prohibitus ad finem non perduxit. Ostenturus enim Thucydidem, cum narraret Hipparchi caedem quam patnaverunt Harmodius et Aristogition, plus iusto concessisse caerimoniarum reverentiae et ardori civium ex amore patriae et libertatis suscepto, ideoque a nudae veritatis studio aberravisse <sup>2)</sup>, ipsam eam rem ne attigit quidem, utiliter multa praefatus de liberatorum status et sepulchris de columna Pistratidarum de feralibus publicis de die funeris publici de ludis et sacrificiis in feralibus celebratis. Iamvero demortui scrinia pervestigans, uberem inveni materiem collatam permultos diversorum scriptorum locos collectos capita nonnulla adumbrata, nihil vero absoluti nihil quod inmutatum prelo subici posset, non pauca reliqua quae ne incohata quidem essent. Itaque quae praesto erant sufficebant ad fratris sententiam mihi probandam, non sufficebant ad eius rationem scribendi et quasi manum reddendam. Qua propter τὸν ὀφθαλμὸν λόγον in lucem proferre statui, ita ut suppletis quoad poteram quae ad demonstrationis perfectionem deesse viderentur, in singulis exponendis meum ipsius consilium sequer.

Harmodio et Aristogitoni statuae sunt positae, quas anno 480

1) Vol. XXXVII p. 344 sqq.

2) l. l. p. 349, p. 351.

a Chr. n. Xerxes in Asiam absportavit <sup>1)</sup>, sepulchrum autem publice eis factum in via quae ad Academiam ducebat, res fert aetate non addita, ut aut statuarum honori iunctum fuisse, aut antecessisse potius quam successisse censeatur <sup>2)</sup>.

Praeterea vero alii honores eisdem decreti sunt hi: *ἐνάγισμος* sive hostia quotannis ultimo quoque die feralium publicorum a polemarcho ad eorum sepulchrum caesa <sup>3)</sup>; *σπονδαὶ καὶ κρατῆρες ἐν ἅπασιν τοῖς ἱεροῖς ἐπὶ ταῖς θυσίαις*, sive libationes eorum honoris causa secundum omnia sacrificia publica facta <sup>4)</sup>; tum beneficia si Andocidi <sup>5)</sup> Isaeo <sup>6)</sup> Demostheni <sup>7)</sup> Dinarcho <sup>8)</sup> fides est, Harmodii Aristogitonisque posteris data, sed quae verisimilius effici videtur ex inscriptione lapidis cuiusdam cuius fragmentum hodieque extat, *τοῖς παρ' αὐτῶν ὅς ἂν ἤ ἐγγυάτω τοῦ γένους* <sup>9)</sup> tributa esse. Sunt autem haec: *ἀτέλεια* sive immunitas <sup>10)</sup>, *σίτησις ἐν πρυτανείῳ* sive cibaria publice in curia data <sup>11)</sup>, *προεδρία* sive locus ad spectandum insignis <sup>12)</sup>. Ex his honoribus cibariorum munus insculptum fuit lapidi illi, quem viri dd. huius rei periti medio fere saeculo quinto a Chr. n. assignandum censent <sup>13)</sup>; *ἀτέλειαν* auctor est Demosthenes <sup>14)</sup> in columna scriptam fuisse, quam tamen ab illo lapide fuisse diversam apparet quoniam in hoc nihil nisi quod pertineret ad cibariorum munus extitisse compertum est, recensionem enim habuisse eorum qui eo fruerentur. Sed exhibuisse columnam praeter *ἀτέλειαν* etiam ceteros omnes quos modo recensuimus honores, inde suspicari licet, quod Demosthenes praestantissima dona

1) Paus. I. 8. 5; Val. Max. 2. 10 Ext. 1; Plin. H. N. 34. 70; Arrhian. Anab. 3, 16, 7; 19. 2.

2) Mnem. l. l. p. 367.

3) Aristot. Pol. edid. vHerwerden et vLeeuwen Col. XXIX. lin. 2. 3 sqq. C. 53; Pollux. 8. 91.

4) Demosth. 19 (de falsa legat.) 280.

5) De Mysteriis 95 sqq.

6) 5 (de Dicaeog. heredit.) 47.

7) 20 (contra Leptin.) 127 sqq.

8) 1 (contra Demosth.) 101.

9) C. I. A. 8. 5—7 cf. R. Schoell. die Speisung im Pryt. z. Ath., Hermes VI (1872) p. 33 sqq.

10) Dem. 20. 127 sqq.

11) Dinarch. l. l., Isaeus l. l.

12) Isaeus l. l.

13) Schoell. l. l.

14) 20. 128.

Harmodio et Aristogitoni tributa in illa scripta fuisse monet <sup>1)</sup>; praeterea res fert ut omnes eodem populi scito decreti sint; inepte enim egissent Athenienses, si antea decreto sacrificio anniversario, honore ante omnes insignissimo et vere heroico, aliquanto post addidissent honores cognatos illi sed multo debiliores, quibus tum omnino opus non esset si initio non visum esset opus esse; neque minus stultum erat, si primum solus institutus esset unus alterve ex honoribus debilioribus, hunc postea augere sacrificio, quasi merita interim accessissent. Nihilominus procul dubio honores hi separandi nobis sunt a dono sepulchri et statuarum. Quod demonstrabimus.

Thucydides commemorat <sup>2)</sup> columnam quamdam in arce erectam *περὶ τῆς τῶν τυράννων ἀδικίας*, cuius inscriptione ostendatur Pisistrati filius maximus natu fuisse Hippias, in ea enim èt e filiis genuinis Pisistrati Hippiae solius extare liberos, eosque quinque, consentaneum autem esse filium maximum natu primum uxorem ducere, èt Hippiam primum secundum Pisistratum obtinere locum deinde sequi Hipparchum et Thessalum, quo etiam ordine significetur illum proximum fuisse a patre natu et dominatu. Argumenti duplicis prior pars obscura est. Nam quid sibi velle potest illud *εἶδος γὰρ ἦν τὸν πρεσβύτατον πρῶτον γῆμαι* nisi hoc, Hipparchum et Thessalum ad aetatem virilem nondum pervenisse cum columna erigeretur? Quod absurdum est cum manifesto post demum tyrannos expulsos erecta sit. Veri similium censeas eam modo familiam in columna commemoratam esse, penes quam summa potestas esset, quod non pertinebat ad Hipparchi vel Thessali familiam. Sed quoquomodo hoc se habet, altera argumenti pars prorsus perspicua est, sufficitque ad rem conficiendam. Nisi forte faciendum est cum Belochio censente <sup>3)</sup> nec recte conclusisse Thucydidem, nec eius sententiam confirmari auctoritate Herodoti, contra ab hoc redargui, quippe qui Onomarchum ab Hipparcho eiectum esse tradat <sup>4)</sup>, unde sequatur

1) 21 (contra Meid.) 170 *·τούτους γὰρ δὴ* (i. e. Ἄρμωδιῶ καὶ Ἀριστογιτόνι) μέγιστα δέδονται δωρεαὶ παρ' ὑμῶν καὶ ὑπὲρ μεγίστων, οὐδ' ἂν ἠνέσχεσθε, εἰ προσέγραφέ τις ἐν τῇ στήλῃ κ.τ.λ.

2) VI. c. 55.

3) Griech. Gesch.<sup>3</sup> Erster B. Zweite Abt. p. 294 sqq.

4) VII. 6.

hunc ante Hippiam summae rerum praefuisse. Sumit Beloch neque Hipparcho neque Thessalo omnino fuisse liberos, quod quamvis e columnae inscriptione non sequatur nihilo magis ea redarguitur. Quod vero perhibet vir clarissimus, primum post Pisistratum propterea Hippiam potuisse scribi quod post mortem Hipparchi ipso vivo columna posita esset, neque hoc veri simile est, neque si verum esset propterea frater maior qui prior imperasset, scribendus esset post fratrem qui ei successisset. An Pisistratus qui tamen omnium primum locum in columna tenebat, non mortuus erat? Columnam autem Hippia vivo positam esse minus credibile est, quia tyrannis expulsis tyrannorum amici non statim potentia exuti sunt; sic Hipparchus Charmi filius Pisistrati cognatus anno 495 archon fuit; sic non pauci fuerunt nobiles quo tempore Datis appropinquabat et alii et Megacles fratris filius Clisthenis, qui ab Hippia tyrannidis renovationem sperarent <sup>1)</sup>; post demum pugnam Marathoniam audacia τῶν τυραννοφίλων ita debilitata est, ut anno 487 Charmi filius testarum suffragiis eici posset <sup>2)</sup>, cui anno nihil vetat tribuere populiscitum de ponenda columna factum. Porro, quod Herodotus tradit <sup>3)</sup> Onomacritum ab Hipparcho eiectum esse, facillime sic explicatur, Hippiam fratri administranda tradidisse quaecunque pertinerent ad civium mores emendandos, qua in re hunc multum fuisse tradit Plato vel quisquis alius confecit dialogum qui inscribitur *Hipparchus*, itaque ei puniendum permisisset virum impium deprehensum in interpolandis Musaei oraculis. Frustra igitur hoc quoque affert Belochius quod eiusdem dialogi scriptor commemorat <sup>4)</sup>, in miliariis quae media essent inter urbem singulosque pagos, singula carmina inscripta esse additis his verbis μνήμα τόδε Ἰππάρχου. Nam aliqua ex parte Hipparchum imperii participem fuisse nihil est cur negemus, idque etiam significare videtur Herodotus <sup>5)</sup> Athenas dicens γενομένησ τυράννων ἐλευθέρασ. Nihilo minus haud dubie Herodotus Thucydidis sententiam confirmat ita locutus <sup>6)</sup>: Ἰππάρχων τὸν

1) Ed. Meyer, *Gesch. des Alt.* III. 1. p. 317 in ann.

2) *Arist. Ath. Pol.* edid. vHerw. et vL. Col. IX. lin. 20 sq. C. 22. Harpocraton. s. v. Ἰππάρχου.

3) VII. 6.

4) 229.

5) V. 55.

6) l. l.

Πεισιστράτου Ἰππίω τοῦ τυράννου ἀδελφείον . . . κτείνουσιν Ἄρ. καὶ Ἄριστ. quae verba Beloch sic interpretatur: „Hipparchum Pisistrati filium fratrem Hippiae, qui post eum tyrannidem obtinuit” nullo iure id efficiens e verbis quae sequuntur: μετὰ ταῦτα ἐτυραννέοντο Ἀθηναῖοι οὐδὲν ἤσσαν, et inde quod his praemissis Herodotus Hippiae cladem narrat <sup>1)</sup>).

Apparet igitur quo tempore poneretur columna *περὶ τυράννων ἀδικίας* probe sibi conscius fuisse Athenienses non Hipparchum verum Hippiam successisse patri in tyrannidem. Sed aequales suos auctor est Thucydides in contraria fuisse sententia. Atque haec manifesto iam tum percubuerat, cum Simonides canebat <sup>2)</sup> ἢ μὴν Ἀθηναίοις Φάος γένεθ' ἠνίκ' Ἀριστογείτων Ἰππαρχὸν κτεῖνε καὶ Ἀρμόδιος, cumque pangebatur σκόλιον notissimum illud ἐν μύρτου κλαδί τὸ ξίφος φορήσω ὥσπερ Ἀρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων, ὅτε τὸν τύραννον ἔκτανέτην ἰσονόμους τε Ἀθήνας ἐποιήσατήν. Quid enim? Salutem tulisse Atheniensibus, tyrannum interfecisse, ἰσονομίαν paravisse, quomodo cogitari poterant Harmodius et Aristogiton nisi ab his qui crederent Hipparchum fuisse tyrannum eumque postremum omnium, ita ut Hippiae post eius mortem imperii omnino ratio non haberetur? Hipparchum enim, non Hippiam interfectum esse non Simonides solus auctor est, sed de ea re nemo Graecorum unquam dubitavit. Sane quam èt Simonidis illud èt σκόλιον quo celebrantur οἱ τυραννοκτόνοι ita cum columnae quam Thucydides commemorat titulo concinerent, si eorum auctores sibi proposuissent Hippiam ante Hipparchum mortuum esse et hunc post eius mortem tyrannum esse factum. Sed hoc non ita se habere èt testatur Thucydides cum dicit suis temporibus homines vulgo existimasse Hipparchum fuisse Pisistrati filium maximum èt praeterea incredibile est Atheniensibus excidisse, Hippiam post Hipparchi mortem in arcem

1) Herodotus loco quodam a Belochio non adhibito speciem praebet, quasi ipse sibi repugnans Hipparchum pro tyranno habeat cuius morte Athenienses libertatem adepti sint. Nam Miltiadem ante pugnam Marathoniam ita Callimachum polemarchum alloquentem facit (VI. c. 109): ἐν σοὶ νῦν Καλλίμαχε ἐστὶ ἢ καταδουλώσαι Ἀθήνας, ἢ ἐλευθέρας ποιήσαντα μνημόσυνα λιπέσθαι ἐς τὸν ἅπαντα ἀνθρώπων βίον οἷα οὐδὲ Ἀρμόδιος τε καὶ Ἀριστογείτων. Sed minime mirum est scriptorem non suam sed vulgarem aequalium suorum sententiam Callimacho attribuere.

2) Bergk III p. 1162.



inclusum et mox coactum esse in exilium ire. Hoc solum non possunt credidisse ii qui censerent Hipparchi morte libertatem esse partam, non statim sed quattuor annis post — id quod referunt Herodotus et Thucydides — Hippiam expulsam esse.

Iamvero eum errorem quem notat Thucydides vix oriri potuisse quam diu columna extaret quae meliora doceret, perspicuum est, eaque si ille cum scriberet omnium oculis patuisset, non opus ei fuisset ad causam suam probandam etiam alia afferre, quale est hoc quod monet <sup>1)</sup> Hippiam nisi iam diu cum frater interimeretur imperasset non in promptu habiturum fuisse praesidia quibus dominationem sibi vindicaret. Accedit quod per mirum sit si Xerxes qui et ipse et pater eius Pisistratidis semper favebat, e quibus ad hunc constat <sup>2)</sup> Hippiam, ad illum verisimile est Hipparchum Cholargi filium fugisse <sup>3)</sup>, cum anno 480 a Chr. n. Athenis captis statuas Harmodii et Aristogitonis abduceret, integrum siverit illud monumentum non minus infestum. Minime vero obstat tempus praesens quo usus Thucydidis „σημαίνει ἡ στήλη” ait et „γέγραπται (ἐν τῇ στήλῃ)” <sup>4)</sup>, quippe enim sibi proponit columnam qualis erat antequam deleretur; ut etiam de arae cuiusdam inscriptione agens, quam modo dixit <sup>5)</sup> deletam esse, eodem modo σημαίνει δ βωμὸς inquit <sup>6)</sup>. Neque igitur columnam suis vidisse oculis, sed ab aliis, maioribus natu puta Periclem, quid in illa scriptum esset audisse censendus est Thucydides, neque v Wilamowitz v. d. recte monens si qua columna ante annum 480 ignominiae causa Pisistratarum erecta fuerit, fieri non posse quin hanc everterit Xerxes, inde efficere debuit columnam cuius Thucydides mentionem facit post eum annum positam esse <sup>7)</sup>. Quod enim statuit hanc eandem esse quam memoravit Lycurgus <sup>8)</sup>, sine ullo iure statuit,

1) VI. c. 55 § 3.

2) Cf. Herod. V. c. 65, c. 94. Thuc. VI c. 59 § 4.

3) Naequam hoc disertis verbis traditur sed cum exulans accusatus sit προδοσίας (Lycurg. I contra Leocr. 117), in promptu est sumere eum comitatum esse Xerxem contra Graecos proficiscentem, idque confirmatur verbis Herodoti significantis (VIII. c. 52) adfuisse Pisistratidas in obsidione arcis Athenarum.

4) VI. c. 55 § 1.

5) VI. c. 54 § 7.

6) VI. c. 55 § 1.

7) Aristot. u. Ath. I. p. 114.

8) Contra Leocr. 117.

et ab ipso oratore redarguitur, eius enim verba vix dubium relinquunt, quin in hac primo loco Hipparchus Charmi filius scriptus fuerit, ceteri autem qui in ea scripti extarent, fuerint ὕστερον προσαναγραφέντες <sup>1)</sup>; neque vero credibile est Pisistratum Hippiam eius liberos Hipparchum Thessalum fratres, quos omnes Thucydides commemorat, *post* Hipparchum Charmi filium appellatos fuisse; neque de oratoris fide dubitare licet, quippe qui scribam iubeat et columnae titulum et nomina eorum qui adscripti sint ex apographo recitare. Columna igitur de qua Thucydides loquitur semel eversa non videtur renovata esse, sed post annum 480 alia esse instituta in qua primo solum nomen Hipparchi Charmi filii exhibitum est ut qui fecisset cum patriae hostibus <sup>2)</sup>, tempore insequenti deinceps adscripti sunt alii qui perduellionis damnati essent Arthmius Zelites, Diagoras Melius alii.

At vero si iam rogas utrum honores inscripti in columna cuius Demosthenes mentionem facit, ἐνάγισμος cetera de quibus supra egimus, melius conveniant interfectoribus tyranni fratris an tyranni ipsius cuius exitio ipsa finiretur tyrannis, haud obscurum est unice eos intellegi posse si tributis esse sumantur liberatoribus patriae, tales enim esse qualibus hi, ut ait Demosthenes <sup>3)</sup>, heroum instar extollantur, non quales deceant interfectores hominis privati cuius morte civitas non liberetur; his satis superque decoris esse sepulchrum et statuas, quae iam ante annum 480 decreta vidimus. Itaque apparet, id quod de-

1) Totus Lycurgi locus hic est: "Ἰππάρχων γὰρ τὸν Χάρμου οὐχ ὑπομείναντα τὴν περὶ τῆς προδοσίας ἐν τῷ δήμῳ κρίσιν, ἀλλ' ἔρημον τὸν ἀγῶνα ἔασαντα, θανατῶ τούτων ζημιώσαντας, ἐπειδὴ τῆς ἀδικίας οὐκ ἔλαβον τὸ σῶμα ἡμῶν, τὴν εἰκόνα αὐτοῦ ἐξ ἀροπόλεως καθελόντες καὶ συγχωνεύσαντες καὶ ποιήσαντες στήλην ἐψηφίσαντο εἰς ταύτην ἀναγράψειν τοὺς ἀλιτηρίους καὶ τοὺς προδότας, καὶ αὐτὸς ὁ Ἰππάρχος ἐν ταύτῃ τῇ στήλῃ γέγραπται καὶ οἱ ἄλλοι οἱ προδόται. Καὶ μοι λαβὴ πρῶτον μὲν τὸ ψήφισμα κατ' ὃ ἔεικον τοῦ Ἰππάρχου τοῦ προδότου ἐξ ἀροπόλεως καθηρέθῃ· ἐπειτὰ τῆς στήλης τὸ ὑπόγραμμα καὶ τοὺς ὕστερον προσαναγραφέντας προδότας εἰς ταύτην τὴν στήλην καὶ ἀναγίνωσκε γραμματεῦ."

2) Fratrem sequi non poteram Wilamowitzio assentientem unam eandemque columnam a Thucydide et a Lycurgo commemorari, negantem nomina Arthmii, Zelitae, Diagorae Melii ceterorum quos novimus στηλίτας fecisse Atheniensium in eam recepta esse. Mnem. I. I. p. 369.

3) 19 (de falsa legat.) 280 οὐς (i. e. Ἄρμ. κ. Ἀριστογ.) . . . τιμᾶτε ἐξ ὕσου τοῖς ἡρσῖν καὶ τοῖς θεοῖς.

monstrandum suscepimus, hos honores ab illis separandos esse, manifesto eos temporis ordine antecedentes.

Tamen hoc quoque ostendere licebit, vix plus decem annis intercedere inter utrosque decretos. Columna qua notaretur ἡ τῶν τυράννων ἀδικία, supra vidimus <sup>1)</sup> fieri non posse ut ante annum 490 posita sit, veri similiter tribui anno 487, quo anno Hipparchus Charmi filius in exsilium est missus. At vero dictu non opus est, in eadem causa atque columnam etiam Harmodii et Aristogitonis sepulchrum et statuas esse, haec quoque decerni non potuisse antequam pugna Marathonica factio τῶν τυραννοφίλων fracta esset, et veri simile sane est una cum columna illa a populo iussa esse anno 487. Nisi forte censes contrarium docere Herodotum cum ante ipsam eam pugnam Miltiadem ita locutum esse tradat: ἐν σοί νῦν Καλλιμάχε ἐστὶ ἢ καταδουλώσαι Ἀθήνας ἢ ἐλευθέρας ποιήσαντα μνημόσυνα λιπέσθαι ἐς τὸν ἅπαντα ἀνθρώπων βίον, οἷα οὐδὲ Ἀρμόδιός τε καὶ Ἀριστογείτων. At fac adeo his verbis tangi honores Harmodio et Aristogitoni decretos neque priores tantum verum etiam posteriores, tamen nihil vetat credere inconsultius scriptorem Miltiadi attribuisse quae neque dixerit neque potuerit dicere <sup>2)</sup>. Simonidem autem cuius carmen quod supra laudavimus <sup>3)</sup>, documento est poetae temporibus novam quam Athenienses de Harmodii et Aristogitonis facinore concepissent opinionem, extra Atticae fines elatam esse, compertum est anno fere 470 extinctum esse. Non inde necessario sequitur etiam honores qui illi opinioni convenient, non recentiores esse; ab altera parte quod supra monuimus <sup>4)</sup> lapidem, quo insculpta esset σίτησις ἐν Πρυτανείῳ tributa τοῖς παρὰ Ἀρμόδιου καὶ Ἀριστογείτωνος ὅς ἂν ἦ ἐγγυτάτω γένουσι, medio fere saeculo quarto a Chr. n. confectum esse, minime propterea cogimur etiam populi scitum quo iuberetur illa simul cum ceteris honoribus de quibus agimus, ad idem tempus referre, hoc enim propriae columnae inscriptum fuisse vidimus <sup>5)</sup>, lapidem vero habuisse eorum civium ad quos illa pertineret recensionem, quam nihil mirum sit alio tempore

1) p. 24.

2) Cf. supra p. 25 in ann. 1.

3) p. 25.

4) p. 22.

5) Supra p. 22.

iussam esse <sup>1)</sup>). Atque vix dubium esse quin mutata de Harmodii Aristogitonisque meritis opinio orta sit ex ipsis eorum honoribus auctis, ostendere conabimur.

Credibile autem non est, novam opinionem, quam supra vidimus <sup>2)</sup> ante annum 480 a Chr. oriri non potuisse, intra annos minus decem ansa nulla publice data ita convaluisse et percrescuisse ut ad aures perveniret poëtae peregrini; mutatio paene repentina vix dubium quin debeatur *μηχανήματι πολιτικῷ*. Libertatem Atheniensibus eo revera obvenisse quod Alcmaeonidae Spartanorum auxilio Hippiam in arcem inclusissent, unde mox cogeretur in Asiam discedere, auctor est <sup>3)</sup> Herodotus, cuius temporibus veram rei rationem nondum oblitteratam fuisse, facillime intelligitur quoniam tum maxime florebat Pericles ex Alcmaeonidarum gente oriundus. Atque triginta fere annis ante, quadraginta annis postquam Hippias eiectus est, cives provectiore aetate eius rei etiam meminisse poterant. Verum Alcmaeonidas temporibus pugnae Marathoniae invidia permotus, primum in Miltiadem deinde in Themistoclem, *Φιλιστυράννευσ* se ostendisse divulgatum erat <sup>4)</sup>, quae fama etiam Herodoti aetate tenebat, ita ut si quis forte inimicitias in eos exerceret et machinaretur aliquid quo eis laudem ab eorum patribus paratam eriperet, vix metuendum esset ut placeret populo. Neque hoc molienti aliena erat cogitatio transferendi gloriam patriae liberatae ad Harmodium et Aristogitonem, quos omnes sciebant Pisistrati tyranni interfecisse filium. Sed cum nemo ignoraret interfecto nomen Hipparcho fuisse, ei qui rogaret populum ut Hipparchi interfecto omnes honores decerneret quibus patriae liberatores digni essent, in suadenda rogatione ita res proponenda erat quasi Hipparchus Pisistrato successisset, eoque interfecto Hippias metu perculsus in arcem se inclusisset, unde mox a civibus expulsus esset. Hac ratione fieri potuit ut paucis annis postquam eversa est columna in qua Hippias significaretur Pisistrato successisse, et quamvis profecto non deessent qui verum tyrannidis exitum memoria tenerent, tamen multitudo

1) Sed etiam populiscitum quo iussa est, non minus viginti annis antequam lapidi insculperetur factum esse censet Schoell l. l. p. 32.

2) p. 26.

3) V. c. 62 sqq.

4) Ed. Meyer Gesch. d. A. III. 1 p. 317 in ann.

honores supra enumeratos, columnae quam vidit Demosthenes <sup>1)</sup> inscriptos, Harmodio et Aristogitoni tribueret. A quo eodem tempore vix dubium quin coepta sint cani σκόλια illa quibus τυραννοκτόνων loco celebrarentur <sup>2)</sup>. Neque sic mirum, paene continuo inde famam libertatis Atheniensibus ab iis paratae etiam extra fines Atticae percrebuisse; praeterea sic intelligimus cur columna quae erat περί τῆς τῶν τυράννων ἀδικίας semel eversa restituta non sit; denique, quod dicit Thucydides <sup>3)</sup> Athenienses quo tempore ipse scriberet, quamvis audiendo scirent tyrannidem postremo gravissimam factam non ab ipsis sed a Lacedaemoniis extinctam esse, vulgo tamen persuasum habuisse Hipparchum successisse Pisistrato, etiam hoc ad ea quae exposuimus optime quadrat, quippe veram enim rei rationem ceteris Atheniensibus, si discedis a paucis nobilibus gentibus, intra temporis spatium non admodum longum excidisse.

Non ante annum 476, sed aut ipso eo anno aut e tribus sequentibus priore aut tertio, liberatoribus parentationem cetera tributa esse veri simile est. Hoc enim anno <sup>4)</sup> pro statuīs eorum a Xerxe abductis quas confecerat Antenor <sup>5)</sup>, alias substituerunt Athenienses fabricatas a Critia et Nesiote <sup>6)</sup> neque credibile est consilium decernendi novos honores antecessisse consilio statuas ante decretas et positas sed ab hoste absportatas instaurandi, aut, ambobus consiliis una initis, illud peractum esse antequam statuāe confectae essent. Sed proximo anno in Ceramico aedificatum est polyandrium, quo prima condita sunt corpora civium Atheniensium qui ad Eium ceciderunt, deinceps vero omnium qui pro patria pugnantes moriebantur, eorumque honoris causa

1) Cf. supra p. 22.

2) Ante annum 425 a Chr. condita sunt, eo enim anno data est Aristophanis fabula Acharnenses in qua tanguntur vs. 980; cf. etiam Schol. ad eum locum. Praeterea tanguntur Lysistr. 632—634, ubi vide etiam Schol., et Pelarg. fr. 3. Porro cf. Schol. 13 ad Vesp. 1224. — Quarto ante Chr. saeculo obsoleta fuisse haec carmina docet Athenaeus (II. 110 p. 503 e, 15. 50 p. 695 a et b), e fabula cui titulus Διπλάσιοι Antiphatis poetae hos versus laudans: ἔπειτα μὲν τῶν ἀπὸ πρῶτων τούτων περὶ τὸν Τελέμαχον, τὸν Παιῖνα, μὴδ' Ἀρμόδιον. De Antiphate poetae vid. Christ. Gr. literat. Gesch. p. 319.

3) VI. c. 53.

4) Ep. Marm. Par. lin. 70 sq. C. Mueller fr. h. g. I p. 550.

5) Paus. I. 8. 5.

6) Paus. II. Lucian. Philopseud. 18.

aut instituta sunt feralia annua <sup>1)</sup>, aut si forte antiquiora fuerunt — nam mos in Ceramico sepeliendi cives pro patria interfectos antiquissimus sane fuit — de integro ordinata et aucta sunt. Quoniam autem his feralibus praefuit polemarchus, cui eidem mandata fuit parentatio quae fiebat liberatoribus, unde iure suo effecerunt viri docti, quamquam non disertis verbis id a scriptoribus perhibetur, huius sacrificii diem eundem fuisse feralium <sup>2)</sup>, dubitari possis an potius hoc anno quo polyandrium est factum, quam superiore illud sacrificium ceterique honores quos cum eo coniunctos vidimus, instituta sint. Denique anno 473 feralibus iuncta sunt Thesea quorum die praecipuo ita constituto ut extra feralia caderet, certamen ludicrum, quod feralibus per biduum celebrabatur, in posterum idem Theseum fuit; at vero die praecipuo sacrificium peragebatur Theseo <sup>3)</sup>, qua propter huc quoque facile adducaris ut censeas Atheniensibus id ipsum quod Theseo instituerent sacrificium, ansam dedisse ut eundem honorem tribuerent Harmodio et Aristogitoni.

Utriusque populi setti, cum prioris quo sepulchrum et statua tum alterius quo summi illi honores liberatoribus decreti sunt, credibile ne dicam veri simile puto auctorem fuisse Themistoclem. Hunc enim cum sciamus a civibus suis parum aequaliter esse habitum variantibus studium et invidiam, ipsis annis èt 487 èt 476 sequentibus auctoritate apud eos magna fuisse fere constat, cum Alcmaeonidis autem ei perpetuas intercessisse inimicitias; non sine eius opera anno 486 a Chr. n. Megaclem Hippocrate Clisthenis fratre natum, biennio post huius levirum Xanthippum testarum suffragiis electos esse <sup>4)</sup>; anno 479 compertum est, eundem Xanthippum fuisse inter eos qui populo persuaderent ne Themistocles praeturam continuaret <sup>5)</sup>, a Leobota Megaclis cognato

1) Cf. Mnem. l. l. p. 379 sqq.

2) Cf. Mnem. l. l. p. 390.

3) C. I. A. 2. l. n. 445 pag. 222 τὴν τε τομπὴν ἤ[πειμψ]εν (ὁ Θησεῖων ἀγωνοθέτης) [καὶ τὴν] θυσίαν συνετέλεσεν τῷ Θησεῖ κατὰ τὰ πάτρια καὶ τ[ῆ]σ λαμπάδος καὶ τοῦ γυμνικοῦ ἄγωνος καὶ τοῦ ἵππικοῦ ἐποιήσατ[ο τ]ὴν ἐπιμέλειαν Ἰσω[σ].

4) Huc pertinet quod scripsit Ed. Meyer v. cl. (Gesch. d. A. III. l p. 340) „Der Kampf der Parteien begann von neuem. In ihm aber gewannen alsbald nicht die Alcmaeoniden sondern die Themistokleischen gedanken die Ueberhand.“

5) Vide Meyeram l. l. p. 402 sq.

eum anno 468 maiestatis postulatum esse <sup>1)</sup>. Cui igitur magis consentaneum erat quam Themistocli, Aristogitonis et Harmodii merita in maius augere quo Alcmaeonidis obtrecret? Accedit quod erat propugnator acerrimus libertatis popularis cuius laetissimus ardor repulsa dominatione domestica simul ac externa, pronus erat ad extollendum quidquid videbatur ad se posse trahere.

Ceterum praeter honores de quibus in superioribus egimus, populi scito cautum esse ne per sermones et cantilenas liberatoribus male diceretur, Hyperides <sup>2)</sup>, neve eorum nomina inde rentur cuquam ex iis qui servitutem servirent, Gellius <sup>3)</sup> et Libanius <sup>4)</sup> auctores nobis sunt. De Hyperidis fide nemo dubitat. Inter Gellium et Libanium quamquam non ab omni parte convenit — hic enim quoniam dicit τὸν τύραννον interfecisse Harmodium et Aristogitonem, se voluisse significat Hipparchum patri in tyrannidem successisse, ille tyrannum Hippiam ait eos adortos esse interficere — ipsa tamen dicendi forma utrique fere eadem arguit sophistae pro fonte fuisse locum e Noctibus Atticis. Ibi enim legimus: maiores autem mei (i. e. Musonii), Athenienses, nomina iuvenum fortissimorum Harmodii et Aristogitonis qui libertatis recuperandae patriae Hippiam tyrannum interficere adorti erant ne unquam servis indere liceret decreto publico sanxerunt. Libanii verba haec sunt: ὡς περὶ τῶν ὀνομάτων Ἄρμωδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἔδοξεν ἡμῖν (τοῖς Ἀθηναίοις) μηδένα δούλον τοῖς τὸν τύραννον καβελούσι ποιεῖν ὀμώνυμον. Sed nihil vetat sumere Gellium hausisse e libro nobis deperdito scriptoris alicuius antiquitatis studiosi qui memoriae servaverit populi decretum quo caveretur ne nomina liberatorum inquinarentur servili usu; idque decretum idem fuisse quod commemorat Hyperides, quo cautum erat ne quis famosis versibus eos insequeretur, satis declarat rei similitudo qua simul eius probabilitas augetur. Rogandum igitur est, ad quodnam tempus referendum sit. Atque manifestum cum factum est aliquid acciderat quo excitaretur, ineptum

1) Meyer. l.l. p. 522.

2) ἐν νόμῳ γράψασ ὁ δῆμος ἀπέπιπε μήτε λέγειν ἐξεῖναι κακῶς Ἄρμωδίῳ καὶ Ἀριστογείτονοι μήτ' ἔσται ἐπὶ τὰ κακίονα, Hyper. 2 (contra Philipp.) 3 (Hyper. oration. sex. c. ceter. fragm. rec. Blass.).

3) Gellius Noctes Att. VIII. c. 2. 10.

4) Apologia Socr. c. 71 (Foerster Liban. opera, V p. 53).

enim erat vetare quod committere nemini in mentem venerat, potius autem quam credamus inter antiquos nobiles saeculo sexto exeunte vel quinto ineunte tyrannis nuper eiectis cupientes, quo tempore Hipparchi interfectores nondum evasissent heroes populares quorum nomina quodammodo essent symbola libertatis, fuisse quibus operae esset eis illudere nominibus servis inditis, cantilenis ignominiosis, conviciis per sermones cotidianos editis, nedum multitudini suppetivisse aut virium satis aut fiduciae ad legem iubendam qua repelleretur eiusmodi ignominia, probabile videtur tum temporis cum ad dignitatem paene divinam illi iam dudum eveci essent, odium autem plebis et optimatum adeo crevisset ut etiam verba gestus nomina ab his adhiberentur ab illa quam diligentissime observarentur tanquam signa animi hostilis, multitudinem post Periclis maxime mortem ad ultimam superbiam progressam iuvenibus oligarchiae studiosis causam fuisse illis insultandi, deinde vero ne hoc inultum esset legum adhibuisse severitatem. Accedit quod lex quam volumus respici videtur loco quodam Aristophanis <sup>1)</sup>, ubi in Philocleontem qui pro rusticitate sua stulto errore lapsus per versum de improvviso factum invidus maledixit Harmodio, his verbis invehitur Bdelycleon, *Φήσει γάρ (Κλέων) ἐξολεῖν σε καὶ διαφθερεῖν καὶ τῆσδε τῆσ γῆσ ἐξελαῖν*, quippe versus enim hi alioquin satis frigidi aliquanto plus valent ad delectandos auditores si inest commemoratio legis nuper ab ipso Cleone rogatae, quam si spectatur iussum publicum ante quinquaginta annos factum ad Cleonem omnino non pertinens. Mire igitur confirmatur id quod modo argumentati sumus.

Postremo etiam hoc commemorare non alienum videtur, Andocidem <sup>2)</sup> et Demosthenem <sup>3)</sup> oratores mentionem facere de populi scito a Demophanto quodam rogato, pilae inciso, quo Athenienses decreverint quicumque mortem intendisset sive tyranno sive tyranni adiutori, sive quisquis alius evertisset rem publicam vel ea eversa functus honoribus, si in caedis conatu occubisset, ut ipse liberique eius ornarentur beneficiis

1) Vespae 1222 sq.

2) 1 (de Mysteriis) 95 sqq.

3) 20 (contra Leptin. 159) cf. etiam Lycurg. (contra Leocrat.) 124 sqq., qui Harmodii et Aristogitonis nulla mentione facta de eodem agit populi scito.



iisdem quibus Harmodius et Aristogiton eorumque posteri. Populi scitum hoc, quod Andocides inter leges Solonis habet <sup>1)</sup>, satis constat factum esse anno 410 a Chr. n. <sup>2)</sup>.

Quae adhuc disseruimus si recte se habent, apparet Thucydidem iure et merito oblocutum esse famae populari qua tyrannum interfecisse ferrentur Aristogiton et Harmodius. Nunc vero transgrediendum est ad alia nonnulla ab eo tradita, quae diligenter considerata vix habeas quomodo neges falsa esse, aut iam ante eum vulgata, aut ab ipso conficta. Inter quae non numerandum esse puto — id enim praemittendum videtur — quod Hipparchi caedem e re amatoria ortam esse perhibet. Dandum est hac de re eum scire tantummodo potuisse quantum fama pertulisset, nisi forte, id quod nonnulli tradunt, e gente Pisistratarum ipse oriundus, sic veri certior factus sit, quae res tamen cum parum certos auctores habeat <sup>3)</sup>, minime constat ita iudicandum esse. Sed ab altera parte, quae ab oratoribus proponuntur, unde si recte se habent necessario efficias a vero discessisse nostrum, speciosa magis sunt quam fida. Narrat Thucydides Harmodium Aristogitonis fuisse *παίδικα* eumque invitum sibi conciliare conatum esse Hipparchum, hanc fuisse causam coniurandi. Voluit igitur Thucydides Aristogitonis Harmodiique amorem usque ad mortem tenuisse, Hipparcho enim occiso statim Harmodium deinde Aristogitonem interfectum esse tradit. Sed inter honores anno 476 vel paulo post liberatoribus decretos supra vidimus <sup>4)</sup> etiam fuisse quae si Andocidi Isaeo Demostheni Dinarcho fides est, donarentur eorum posteris. Aristogitonis neptem commemorat Plutarchus <sup>5)</sup>, alii eius posteri nulli comparent <sup>6)</sup>. Sed Dicaeogenem quemdam Proxeni filium, perhibentem se a consobrino suo Dicaeogene ex asse adoptatum

1) Lycurgus post triginta expulsos id factum esse praepostere censet.

2) Cf. Ed. Meyer. l.l. p. 613 in ann.

3) Marcellin. vit. Thuc. 18. 32. Schol. ad Thuc. I 20. 2; vide etiam infra p. 38.

4) p. 22 in ann. 3 sqq. p. 29 sqq.

5) Aristid. c. 27.

6) Neque Aristogitonem illum quem inter legatos fuisse legimus anno 336 ad Darium missos (Arrhian II. 15. Curt. III. 135) neque eiusdem nominis oratorem famosum, quem reum fecerunt *ὡς οὐκ ἔξον λέγοντα* Lycurgus et Demosthenes (Liban. p. 768. 26), *δαρδοκίλας* Dinarchus (2) huc trahendi ulla causa est.

esse, ita alloquitur Isaeus<sup>1)</sup>: ἐβουλήθησ μᾶλλον Δικαιογένουσ καλεῖσθαι υἱδσ ἢ Ἄρμωδίου, ὑπεριδῶν μὲν τὴν ἐν Πρωτανείῳ σίτησιν, καταφρονήσασ δὲ προεδριῶν καὶ ἀτελειῶν ἅ τοῖσ ἐξ ἐκείνου γεγυόσσι δέδοται; Harmodium Dicaeogenis fratrem Lysias vel quisquis alius Iphicrati adversus illum orationem scripsit, ab Hipparchi interfectore genus suum duxisse significat<sup>2)</sup>; alterum Proxenum Harmodii huius filium Demosthenes τὸν ἀφ' Ἄρμωδίου appellat<sup>3)</sup>; ἰδέθη τῶν ἀφ' Ἄρμωδίου γεγυότων εἶσ κατὰ τὸ σὸν πρόταγμα, sic Dinarchus in Demosthenem invehitur<sup>4)</sup>. Quomodo igitur Harmodius, quo tempore Hipparchus peteretur Aristogitonis παιδικά fuisse potest, eaque ut ait Thucydides, ὥρα ἡλικία λαμπρόν<sup>5)</sup>? Au qui ipse uxorem et liberos habuit? Nequaquam potest, est enim inauditum et contra naturam. At vero nonnihilo est cur dubitemus an minus accurate oratores rem proposuerint. In lapidis fragmento de quo supra egimus<sup>6)</sup>, e literarum reliquiis adhuc extantibus satis certo viri docti effecerunt legendum esse τῷ παρ' αὐτῶν (Ἄρμ. καὶ Ἄριστ.) ὅσ ἂν ἢ ἐγγυτάτω τοῦ γένουσ. Non necessario hic de progenie cogitandum esse, contra suspicionem moveri aut alterutri aut utrique eam defuisse, in aperto est. Nam τὸ „παρὰ του” ad progeniem significandam prorsus inusitatum est, atque is qui consanguinitate ab aliquo proximus simul ab eo oriundus est πρεσβύτατοσ τῶν ἐγγυόνων appellatur<sup>7)</sup> contra τὸ „ὅσ ἂν ἢ ἐγγυτάτω τοῦ γένουσ” saepius ita invenitur

1) De Dicaeog. hered. 47.

2) Legimus in Schol. ad Dem. 21 (contra Mid.) 62 (C. Mueller Or. Att. II p. 670): πρῶτοσ γὰρ Ἰφικράτησ τιμῶν ἔτυχεν ὧν Ἄρμωδίουσ καὶ Ἄριστογείτων. Κόνωνοσ μὲν γὰρ πρῶτοσ χαλκοῦσ ἀνδρίασ ἔσθη, ἀλλὰ τούτω μόνω ἐτιμήθη Ἰφικράτησ δὲ καὶ τὰσ ἀλλὰσ δωρεὰσ τὰσ ἐκείνοισ ψήφισθεισασ ἔλαβεσ ὥσθε καὶ τινα τῶν ἀφ' Ἄρμωδίου δικάσασθαι τῷ Ἰφικράτει περὶ τῶν δωρεῶν ὡσ ἀναξίωσ λαβόντι καὶ ἔστι Λυσίου λόγοσ εἶσ Ἰφικράτην ἀναφερόμενοσ (hunc spurium iudicavit Dion. Hal. V p. 477. 12) ἔχων τὴν ἐπιγράφην περὶ τῶν αὐτοῦ δωρεῶν ἐν ᾧ σκωφθεῖσ εἶσ δυσγένειαν παρὰ τοῦ κατηγόρου φησιν ὅτι: „τὸ μὲν ἔμον γένουσ ἀπ' ἐμοῦ τὴν ἀρχὴν τοῦ γυμνίζεσθαι λαμβάνει, τὸ δὲ σὸν μέχρι σοῦ τὴν δόξαν ἔσθησεν” (cf. Plut. Apophthegm. p. 187 B). Ex his non possumus quin efficiamus, non scholiastam modo sed etiam ipsum orationis auctorem, Harmodium illum contra quem agit, τῶν ἄφ' Ἄρμωδίου τινά habuisse.

3) 19 (de falsa legat.) 280.

4) Dinarch. I (contra Demosthen.) 63.

5) VI. c. 54 § 2.

6) Supra p. 22.

7) Sic in Platon. Crit. 114, cf. Schoell. l. l. p. 33.

ut praecedant verba „ἐὰν μὴ παῖδες ᾧσι” 1). Iam vero si in lapide nostro, quem vidimus recensionem habere eorum qui publicis cibariis in Prytaneo fruerentur, de liberatorum progenie sermo non fuit, ratio fert ut nihilo magis aut ille honor aut ullus e ceteris una decretis, nominatim progeniei eorum tributus sit. At Andocides inseruit orationi de Mysteriis populi scitum a Demophanto rogatum, in quo sic cognoscitur Ἀρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος ἀπογόνους appellatos esse 2). Sed hoc factum est anno a Chr. n. 410, nulloque negotio intelligitur accuratam iam appellationem neglectam esse post sexaginta plus annos quam honores decreti sunt, cum praesertim eum ad finem commemorarentur ut exemplo essent in honorando eo eiusque liberis qui sicut Harmodius succubuissent in conatu interficiendi tyrannum. Sequitur ut minime sit mirum oratores florentes post rursus sexaginta annos quam decretum factum est eoque exemplo usos, Lysiam Isaeum Demosthenem Dinarchum dixisse τοὺς ἐξ vel ἀφ’ Ἀρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος, cum dicere debebant τὸν παρ’ αὐτῶν ἐγγυτάτω τοῦ γένους. Quorum negligentiam veri aliunde notissimam vel sic quoque perspicitur quod Demosthenes Proxenum illum Dicaeogenis filium τὸν ἀφ’ Ἀρμοδίου καὶ Ἀριστογείτονος nuncupat quasi Proxenus hos ambos generis sui auctores habuerit 3).

Iamvero quod Thucydides dicit 4), in animo fuisse Aristogitoni et Harmodio non Hipparchum solum sed etiam Hippiam eumque prius interficere, sed cum viderent hunc colloquentem cum uno aliquo e coniuratis atque inde suspicarentur rem enunciatam esse, impetum in Hipparchum fecisse ne inceptum suum prorsus irritum esset, vehementer dubitandum est an ab ipso scriptore

1) Aristoph. Av. 1661 sq. cf. Schoell. l. l. p. 34 in ann. 2. Decreto ab Atheniensibus, rogante Demochare, Demosthenem honorandi causa facto, σίτησις ἐν πρυτανείῳ καὶ προεδρία tribuitur τῶν ἐγγόνων ἀεὶ τῷ πρεσβυτάτῳ, quod Plutarch. Demosth. 30 sic reddit: τὸν πρεσβυτάτον τῶν ἀπὸ τοῦ γένους. Voce ἐγγονος non necessario progenies significatur, sed universe quicumque in consanguineorum numero est, idemque valet τὸ: πρεσβυτάτος τῶν ἀπὸ τοῦ γένους. Demosthenes genuinos libros non reliquit cf. Din. 1 (contra Dem.) 71. Schaeff. Dem. u. s. Z. III<sup>2</sup> p. 395.

2) Vide supra p. 33.

3) Blass (in Ed. Dindorf.) delevit vocem Ἀριστογείτονος, sed quoniam deinde haec sequuntur: τῶν τὰ μέγιστ’ ἀγαθὰ ὑμᾶς εἰργασμένων res fere eodem loco manet.

4) I. 20, VI. 57.

excogitatum sit. Beloch v. cl. Thucydidis narrationem propterea incredibilem censet <sup>1)</sup>, quod absonum sit Harmodium et Aristogitonem cum se proditos esse existimarent, non fugisse sed Hipparchum petendi causa fidenter iisse longam viam quae a Ceramico ad Leocorium duceret, in qua tamen facillime eos assequi possent Hippiae satellites. Qua de re minime cum viro clarissimo consentio, neque enim ullo modo mirum eos ira et odio superante metum, potius quam de fuga cogitarent aliquid perficere voluisse, ut ait Thucydides, ante quam prehenderentur. Verum hoc rogo, quomodo scire potuerit noster quid in animum induxerint neque tamen peregerint? Neque enim, credo, mihi respondebis fuisse qui animadverterent, eos Hippiam iam petentes subito pede relato diversum iter ingredi, atque sic intellectum esse eorum consilium, cuius rei famam tenuisse. Quasi ullo modo credibile sit, eos infestis armis invadentes in Hippiam, quem disertis verbis Thucydides satellitibus stipatum dicit <sup>2)</sup>, non extemplo ab his arreptos esse. At, inquit, Aristogiton quem Thucydides ait Harmodio statim interfecto paulo post captum male mulcatum interisse, tormentis exercuciatus id enuntiavit, inque familia Pisistratidarum e qua Thucydides ortus esse fertur, eius rei notitia permansit. Omitto quod quaestionem de reo habitam esse non narrat Thucydides, Aristotelis autem qui primus id commemorat auctoritatem satis exiguam esse posthac videbimus. Fac vero quaestionem habitam esse, quid inter dolores Aristogiton si quid enuntiaverit enuntiasse censes? Id quod nullo usu esset, nisi forte ad tyranni animum magis etiam exacerbandum? an id quo impetraret ut tormentis finis fieret, nomina dico coniuratorum sive vera sive ficta? Praeterea ipsam Thucydidis e Pisistratidarum gente originem supra iam vidimus nullo modo compertam haberi, videtur autem conficta esse quo explicaretur quod perhibet scriptor <sup>3)</sup> se audiendo plurima accuratius cognovisse ceteris Atheniensibus. Sed hoc veri similis puto sic explices, propter familiaritates quae ei intercederent cum nobilibus gentibus velut Alcmaeonidarum, certiore eum

---

1) Gr. Gesch. I<sup>a</sup> pars altera p. 295 sq.

2) VI. 55. 1.

3) VI. 55. 1.

factum esse de nonnullis rebus quae ad Hippiam pertinerent <sup>1)</sup>. Ceterum, ne existimes Thucydidem secreta illa Harmodii et Aristogitonis consilia referentem, famam vulgarem secutum esse, satis est monere haec, cum eius temporibus Hipparchum imperantem haberet, nullam omnino causam esse cur voluerit vim potius in Hippiam intentam esse.

Altero loco Thucydides tradens Hipparchum non ipso eo die festo perisse quo Harmodii sororem pompa virginum arcuerit, sed cum in Panathenaeis interfectus sit, illud accidisse in solemnibus aliquo ante acto, a vero aberrasse videtur, Aristoteli contra utramque rem ipsis Panathenaeis tribuenti <sup>2)</sup> vix dubium quin fides habenda sit. Omitto quod Herodotus <sup>3)</sup> narrato somnio quod nocte proxima ante mortem viderit Hipparchus, sic pergens *μετὰ δὲ ἀπειπάμενος τὴν ὄψιν ἔπεμπε τὴν πομπὴν ἐν ἧ δὴ τελευτᾷ*, causam interficiendi, quamvis non addat, nullo modo voluisse videtur ad priorem nescio quam pertinere pompam <sup>4)</sup>. Verum permirum est Thucydidem, si hac in re ex antiquiore fonte hauriret, aut ibi non invenisse aut ultro tacuisse, pompa prior ad quod tandem solemnibus pertineret, satis enim habet dicere *κανοῦν οἴσουσαν ἐν πόμπῃ τινὶ ἀπήλασαν* quasi haec una e multis fuerit, cum revera Athenis Pisistratidarum temporibus tria modo agerentur solemnibus quae haberent pompas virginum canistras ferentium <sup>5)</sup>, unum autem ex his ipsum Panathenaeorum festum <sup>6)</sup>. Tum vero, id quod multo gravius est, duorum solemnium quorum alterum Thucydides significat verbis modo laudatis, neutrum loco nostro convenit; alterum enim, Dionysia urbana quae dicebantur, agebatur abinde die fere octavo ad diem sedecimum mensis Elaphobelii <sup>7)</sup>, alterum, cui nomen Brauroniis, die fere

1) Simili modo Herodotum quem supra vidimus (p. 24 sq.) non aliter quam Thucydidem iudicare de Hippiae imperio, a Pericle Alcmaeonidarum progenie edoctum esse, suspicaris necesse est.

2) *Ἀθ. πολ.* edid. vHerwerden et vLeeuwen col. VII lin. 17 sqq.

3) *V. c.* 55 sq.

4) Somnium Herodotus hoc fuisse dicit: *ἔδοκε Ἰππαρχος ἄνδρα οἱ ἐπιστάντα μέγαν καὶ εὐεϊδέα αἰνίσσεσθαι τὰς ἔπαι: τλήθι λέων ἄτλητα καθὼν τετραγῶτι θυμῷ. οὐδεὶς ἀνθρώπων ἀδικῶν τίσιν οὐκ ἀποτίσει.* Somnium ceteroquin satis obscurum sic intelligitur si sumimus a *τυραννοφίλων* aliquo inventum esse.

5) *VI. c.* 56 § 1.

6) cf. A. Mommsen, *Att. Götterf.* p. 120.

7) Mommsen *l. l.* pp. 430 sqq., 438.

sedecimo mensis Munichii <sup>1)</sup>, itaque cum Panathenaea haberentur die fere duodetricesimo sequentibus mensis Hecatombaei, sequitur ut si Thucydidi fides habetur, inter contumeliam virgini illatam et ultionem ab Hipparcho petitam spatium aut trium aut quatuor mensium intercesserit <sup>2)</sup>, quod equis non videt incredibile esse? At inquit noster <sup>3)</sup>, propterea Harmodius et Aristogiton Panathenaea expectaverunt, quod nisi illo die non sine suspicione cives armati congegrari poterant, horum autem auxilio sperabant sicubi ipsi initium fecissent fore ut res perficeretur. Hic rursus rogo quomodo consilium quod ad effectum non pervenerit scire Thucydides potuerit. An hoc quoque Aristogiton in eculo enuntiavit? Accedit quod ea quae nostro loco scriptor profert, minime quadrant ad ea quae ipse paulo ante disseruit, in Hippiam Hipparchumque cives admodum placato fuisse animo <sup>4)</sup>, haec enim praefatus quomodo sibi constitit cum diceret <sup>5)</sup>: „ἤλπιζον (Ἀρμ. καὶ Ἀρ.) καὶ τοὺς μὴ προειδότας εἰ καὶ ὀποιοῦν τολμήσειαν, ἐκ τοῦ παραχρῆμα ἔχοντάς γε ὄπλα ἐβέλῃσειν σφᾶς αὐτοὺς ξυνελευθεροῦν”? Neque hoc congruit quod deinceps tradit Hippiam cognita Hipparchi morte statim per satellites suos investigasse quinam e civibus cum sicis essent, quasi attineret armatos sicas habere quibus ne uti quidem possent dextris hastas tenentes. Tum vero mirum sane videtur tyrannos civibus arma permittere, atque revera eos in Panathenaei armatos non fuisse eorum iudicio qui condiderunt carmen in cuius exordio legimus ἐν μύρτου κλαδί τὸ ξίφος Φορήσω ὥσπερ Ἀρμόδιος καὶ Ἀριστογείτων ipsi his verbis demonstratur, e quibus iure v Wilamowitz effecit <sup>6)</sup> poëtam sibi proposuisse, quo die Hipparchus interficeretur cives in pompa non hastas tenuisse dextris, sed ramos myrteos; interfectores enim non potuisse eadem manu hastas et gladios habere, nedum hos ramis abdere, nihil vero esse cur aut credamus ramos iis futuros fuisse nisi pompae interfuissent, aut in pompa alios cives hastas, alios ra-

1) Mommsen l.l. pp. 453, 458, 460.

2) Quatuor menses quos volo sunt Elaphobelon, Munichion, Thargelion, Skirophorion.

3) VI. c. 56 § 2 sq.

4) VI. c. 54 § 5 sq.

5) VI. c. 56 § 3.

6) Aristot. u. Ath. I p. 109 in ann. 18.

mos habuisse, quod ipsum sane etiam Thucydidis verbis repugnat quippe qui dicat „έν ὄπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν πέμψοντασ — i. e. omnes qui pompam prosecuturi essent — ἀθρόουσ γενέσθαι. Ceterum fieri non posse ut Thucydides voluerit etiam suis temporibus cives in Panathenaeorum pompa armatos fuisse ostendit A. Mommsen v. cl., demonstrans per totum saeculum V a Chr. n. arma abfuisse a pompis solemnibus idque inter alia de ipsa Panathenaeorum pompa apparere e Parthenonis zophoro, qui cum nemo dubitet quin illius imaginem referat, ne ullum quidem exhibeat peditem armatum <sup>1)</sup>; sed medio saeculo IV a Chr. n., ut Atheniensibus ipsum bellandi studium decresceret, ita magis eis placuisse ludicra militaria; iam Demosthenem queri <sup>2)</sup>, praetores tribunos militum multo plures in urbe pompas administrare quam foris contra hostes contendere; itaque ubi Aristoteles, postquam manifesto Thucydidem spectans haec disseruerit ὁ λεγόμενος λόγος ὡσ ὁ Ἰππίασ ἀποστήσας ἀπὸ τῶν ὄπλων τοὺς πομπεύοντασ ἐφώρασε τοὺς τὰ ἐγχειρίδια ἔχοντασ οὐκ ἀληθὴσ ἐστὶ, haec addat οὐ γὰρ ἔπεμπον τότε μεθ' ὄπλων, ἀλλ' ὕστερον τοῦτο κατεσκεύασεν ὁ δῆμοσ aliter non posse quin egerit de populi scito cum ipse scriberet satis recenti. Neque illud οὐ γὰρ ἔπεμπον τότε μεθ' ὄπλων ab omni parte verum esse videtur. Hoc enim rogandum est quomodo Thucydides in cogitationem inciderit, Pisistratidarum aetate cives in Panathenaeorum pompa armatos fuisse, aut, si ea in re famam popularum secutus sit, quomodo factum sit ut haec ita se haberet. Facile hoc intelligeretur si quinto iam saeculo ante Chr. n. populi scitum illud factum esset cuius Aristoteles mentionem facit, neque enim dubitarem quin morem qui ante oculos esset, perperam retulisset ad tempus antiquum, verum cum hoc non ita sit, erroris causa alia quaerenda est. Quid igitur? Fac non cives sed tyranni satellites pompam armatos prosecutos esse; nihil vetat credere memoriam huius rei minus accurate servatam erroris fontem fuisse satellitibus confusis cum civibus. Ceterum narrationem popularem Hipparchum trucidatum habuisse alio die quam quo Harmodii sororem iniuria affecisset, aut civium armatorum men-

1) l. l. p. 144 sqq.

2) IV (κατὰ Φίλιππ. α') 26.

tionem fecisse cui rei ne locus quidem esset nisi coniuratione facta aliqua spes in eis poneretur, vix credibile est. Narrabatur tyrannus a duobus civibus quos laesisset interfectus esse, de coniuratione non erat cur cogitaretur, haec tum demum non aliena erat cum is qui primo loco peteretur alius esset atque is in quo vindicanda esset iniuria. Nam si hac stimulati ad patriam liberandam Harmodius et Aristogiton non Hipparchum solum, sed aut Hippiam solum aut utrumque occisuri erant, consentaneum erat tempus aliquod requiri quo hoc consilium maturesceret, idque ad plures proferri ita ut coniuratio fieret, sed iratos Hipparcho tyranno consilium patriae liberandae si maxime subiret, nihil aliud requirebat nisi ut continuo irae indulgerent.

Tertio eoque postremo loco animadvertendum est, coniurationem illam non tantum non fuisse inter ea quae narrarentur de Hipparchi caede, sed omnino veram non esse verum a Thucydide confictam. Etenim Hipparchi interfectores si néque consilium inierunt tyrannum occidendi, èt ira recentissima commoti eius fratrem statim post iniuriam ab eo acceptam adorti sunt, quem ad finem vel quomodo alios quibuscum coniurarent sibi adscivisse putandi sunt? Ut ne apud ipsum quidem Thucydidem ullo loco coniurati sunt ceteri; quid agant nemo videt, nisi quod unus ex iis cum Hippia confabulari narratur. At iure credo expectaveris ita partes distributas esse ut alii, puta Harmodium et Aristogitonem, Hippiam peterent, alii Hipparchum, alii Thessalum, alii cives armatos quos loquitur noster, ad libertatem evocarent. Patet coniurationis hic neque rationem neque speciem esse; quodque in superioribus demonstravimus <sup>1)</sup>, non sibi constare Thucydidem cum èt cives in pompa arma fuisse narret, èt qui ex his in coniuratorum essent numero praeterea cum sicis fuisse narret, apparet eorum quae ipse confinxisset eum fugisse repugnantiam.

Exponendum nunc videtur quomodo credibile sit Thucydidem ea quae arguimus parum proposuisse convenienter vero, quem omnes sciant in perscribendo bello Peloponnesio, quod argumentum

---

1) p. 39.



persecuturum se professus esset, gravissimum et veracissimum se praestitisse auctorem. Tenendum nempe ea quae liceret accuratissime eum investigasse, aliam vero rationem esse eorum quae non nisi coniectura attingere posset. Ut in operis exordio disserens de antiquissimis Graeciae temporibus, sagacissime multa collegit ex indiciis ut certis ita tectis et occultis, neque tamen cavet ab erroribus apertis. Sic haud absurde monens regiones fertilissimas quasque omnium maxime incolas mutare <sup>1)</sup>, parum probabiliter ita rem explicavit, quasi propter agrorum ubertatem homines nonnulli praepotentes facti tumultus moverent e quibus debilitarentur simulque ab alienigenis magis peterentur <sup>2)</sup>; tum in Attica recte fortasse perhibens gentem Graecam eandem semper consedissee, sine causa contendit illam seditionibus vacavisse semper propter sterilitatem soli. Sic rite gnarus tempus fuisse quo Graeci communi carerent nomine, mera somnia narrat asseverans Hellenis filios diversis Graeciae civitatibus utilitatis causa esse invocatos et inde factum ut magis magisque Hellenum nomen percrebuerit <sup>3)</sup>. Sic veri similiter disserens Cretenses quondam dominatum obtinuisse maris Aegaei, quam gloriam nihil vetabat tribuere regi Minoi, temere statuit illum filios suos praefecisse Cycladibus insulis <sup>4)</sup>. Sic alia multa quae afferre longum sit. Orationes vero quales a legatis ducibus magistratibus concionatoribus habitas esse refert ipse ait quoniam non liceret memoria tenere, ita se fluxisse ac consentaneum esset pro tempore et re quosque verba fecisse <sup>5)</sup>. De Harmodio autem et Aristogitone compertum habens, non quod illi iugulassent Hipparchum verum ab Alcmaeonidis et Spartanis libertatem Atheniensibus paratam esse, idque non dubitans aperte pronun-

1) l. l. διὰ γὰρ ἀρετὴν γῆς αἱ τε δυνάμεις τισὶ μείζους ἐγγιγνόμεναι στάσεις ἐνεποιούν ἐξ ἧν ἐφείροντο καὶ ἅμα ὑπ' ἄλλοφύλων μᾶλλον ἐπεβουλεύοντο.

2) I. c. 2 § 4.

3) l. l. c. 3 § 2 "Ἕλληνας δὲ καὶ τῶν παίδων αὐτοῦ ἐν τῇ Φθιώτιδι ἰσχυσάντων καὶ ἐπαγομένων αὐτοῦς ἐπ' ὠφελείᾳ εἰς τὰς ἄλλας πόλεις καθ' ἐκάστου ἤδη, τῇ ὁμιλίᾳ μᾶλλον καλεῖσθαι "Ἕλληνας.

4) l. l. c. 4 § 1 Μίνωσ γὰρ παλαιάτατος ὢν ἀκόη ἴσμεν, ναυτικὸν ἐκτίσαστο καὶ τῆσ νῦν Ἑλληνικῆσ θαλάσσης ἐπὶ πλείστον ἐκράτησε καὶ τῶν Κυκλάδων νήσων ἤρξε τε καὶ οἰκίστησ πρῶτοσ τῶν πλείστων ἐγένετο Κᾶρσοσ ἐξελάσασ καὶ τοῦσ ἑαυτοῦ παῖδασ ἐγκαταστήσασ.

5) l. l. c. 22 § 1.

tiare, ceteroquin nulla instructus notitia nisi quam praeberet fama popularis, de suo quaedam confinxisse videtur hunc ad finem, ne arguisset crederetur immerito iis honores haberi ut patriae liberatoribus decretos. Quam rem acu tetigit frater in commentatione supra laudata <sup>1)</sup> monens Thucydidem „cum eadem Hipparchi quam patnaverunt Harmodius et Aristogiton non ita narraret ut nudae veritatis studium ab eo requireret” . . . . „suae caerimoniarum sacrarum reverentiae et ardori civium ex amore patriae et libertatis suscepto aliquid concessisse.” Quid enim? Interfectores Hipparchi quo iure pro liberatoribus habebantur nisi crederentur interemisse tyrannum et ipsa ea re a tyrannis liberasse patriam? Itaque necesse erat, ut qui eos pro liberatoribus haberent existimarent Hipparchum obtinuisse tyrannidem. Eam autem sententiam cuius antiquissima documenta servata nobis sunt Simonidis carmen et cantilenae quibus celebrabantur *οἱ τυραννοκτόνοι*, quam Athenienses publice amplexi sunt cum honores summos eosque maiores paene quam pro hominibus Harmodio et Aristogitoni attribuerent, redarguerunt Herodotus et Thucydides. Invidiam vero quam habet obtrectatio meritorum publice probatorum ille aut non aut ita tantum curavit, ut rem paucis absolveret lectoribus relinquens ut inde colligerent quo loco honores illi habendi essent, Thucydides haud obscure cavendam putavit, quippe cui multo magis metuenda esset, neque enim quem ad modum Herodotus florentissimis Atheniensium rebus, quae ipsa res licentiae dicendi et scribendi prodest, amico et patrono Pericle etiamnunc in re publica regnante, ipse Athenis degens gratissimus civibus ob plurimas laudes quibus ornaverant eorum insignem fortitudinem in Graecia a barbaris vindicanda, opus suum edidit, sed vix revocatus ex exilio afflictis patriae rebus, cum optimus quisque, ne prorsus desperaretur, oculos avertens a praesenti fortuna respiciebat fortia facta a maioribus propter salutem patriae perpetrata. Quamobrem noster quamvis non sustineret reticuisse se veritatem de tyrannide Athenis dissoluta, tamen ita rem sibi instituendam esse censuit, ut ne Harmodii Aristogitonisque merita imminuerentur, nec quicquam obstare quominus crederentur si minus

---

1) *Mnem.* 1912 p. 349.

manu et armis, mente tamen et consilio tyrannum oppressisse, inviti casu infesto prohibiti propositum suum exequi. Sed quoniam credibile non erat eos ab Hipparcho contumelia affectos eodem die Hippiam interfekturos fuisse, nam aliquantum temporis requirebatur ut ira ab iniuriae auctore, tyranni fratrem dico, se converteret in ipsam tyrannidem, ab altera parte vero nemo nesciebat Hipparchum Panathenaeorum die festo occisum esse, explicandum igitur erat cur solemne hoc expectassent potius quam die profesto clam regiam ingressi tyrannum petivissent, hoc videbatur statuendum, coniuratione facta coniuratos auxilium speravisse a civibus numquam nisi in Panathenaeorum pompa armatos, quippe qua in re Thucydides confudisse videatur cives et tyranni satellites. Contumeliam qua Harmodii sororem affecerit Hipparchus a canephororum pompa eam prohibens, quamquam ex omnibus scriptoribus Graecis primus Thucydides memoravit, non est cur dubitemus agnoscere, res enim eiusmodi est quam neque a nostro e nihilo confictam esse neque plebeculae deberi ingenio credibile sit. Sed haeremus incerti utrum Aristogitonis et Harmodii amorem Hipparchi rivalitatem iram e repulsa ortam vere tradita an temere esse inventa credamus. Harum quoque rerum antiquissimus nobis auctor Thucydides est. Et nihil quidem habent quod incredibile sit <sup>1)</sup>, sed ab altera parte vidimus eum ex alio fonte nullo nisi e fama populari potuisse ea cognita habere, fac autem veram contumeliae causam aut vulgo ignotam aut iam dudum e memoria elapsam fuisse <sup>2)</sup>, dubitare non licet quin eam suppleverit hominum studium assequendi conjectura ea quae nesciant. Cumque una caedem perpetravissent Aristogiton et Harmodius idque ut huius ulciscerentur iniuriam domesticam, ideoque eos pateret necessitudinis quodam vinculo

---

1) De Harmodii posteris quos loquuntur oratores supra vidimus p. 84 sqq.

2) Iustinus. (II. 9) cui forsitan Ephorus auctor fuerit Harmodii et Aristogitonis amorem Hipparchi rivalitatem omittit, sed Harmodii sororem ab Hipparcho per vim stupratam dicit, quae memoria quanti sit unusquisque videt. — Aelianus (var. hist. XI. 8 virginis repulsam narrat nulla eius addita causa. Sed hoc casu factum esse potest, neque in scriptore satis recenti documento est fontes ei suppetisse unde colligeret Harmodii et Aristogitonis amores confictos esse. — Busolt (Gr. Gesch. II p. 381) suspicatur virginem non tam ignominiae causa repulsam esse quam quod ad Gephyraeos, qua e gente Harmodius et Aristogiton oriundi essent, origine externa — de qua multus est Herodotus (V. c. 57), — pompa quae ageretur, non pertinere.

coniunctos esse, nihil magis in promptu erat quam de amore cogitare cum praesertim Graecis vix licuerit amicitiam intimam ab amore seiungere <sup>1)</sup>). Atque ipsi etiam Thucydidi, si neque amor revera intervenisset neque inventa ante eum esset fabula amatoria, causa non deerat eam excogitandi, qua scilicet ostenderetur non repente et propter iniuriam non gravissimam sed propter longinquum odium insidias tentatas esse.

Restat ut videamus quid post Thucydidem de Aristogitonis et Harmodii facinore iudicatum sit, maxime ut appareat quid in hac materia valuerit illius auctoritas.

Atque is quidem qui proximus ab eo de ea re egit, Platonem volo, cum in dialogo cui titulus *Symposio tyrannorum* Athenis imperium Aristogitonis amore et Harmodii amicitia dissolutum esse contendat <sup>2)</sup>, Hipparchum obtinuisse tyrannidem significat. Tum scriptor dialogi qui inscribitur Hipparchus, quem sive Platoni tribuis, sive minus, utique ante medium saeculum ante Chr. n. quartum scriptum esse constat, cum Hipparchum vocet <sup>3)</sup> Pisistrati filium maximum, idem se velle ostendit, qua in re nullam Thucydidis sententiae rationem esse habitam apparet. Sed differunt dialogi *Symposium* et Hipparchus et eo quod in illo Aristogitonis et Harmodii amores quemadmodum a Thucyde, referuntur ad tempus quo Hipparchus occiderint <sup>4)</sup>, in hoc ad tempus aliquanto prius, ita ut Harmodius statim post Hipparchum interfectus tum iam non fuerit Aristogitonis amasius <sup>5)</sup>, et eo quod in hoc post fratris mortem Hippias per tres annos

1) Cf. Xen. *Comm. Socr.* II. c. 6, ubi agitur de amicis conciliandis sed complura inseruntur (§ 30—34) quae non ad amicitiam sed ad amorem pertineant.

2) p. 182.

3) p. 228 C.

4) ὁ μὲν Ἀριστογείτονος ἔρωσ καὶ ἡ Ἀρμόδιου φιλία βέβαιος γενομένη κατέλυσε αὐτῶν (τῶν ἑνθαδε τυράννων) τὴν ἀρχήν.

5) p. 229 c (*λέγεται*) τὸν μὲν Ἀρμόδιον γεγονέναι παιδικῶς Ἀριστογείτονος καὶ πεπαιδευθῆαι ὑπ' ἐκείνου. Si voluisset noster Harmodium quo tempore mortem obire nondum desisse ab Aristogitone institui, non scripsisset *πεπαιδευθῆαι*. At manifesto tum ab eo amabatur cum eius discipulus erat, itaque *γεγονέναι* hic pro tempore perfecto verbi *εἶναι* est habendum. Res confirmatur eo quod noster Harmodium quo tempore una cum Aristogitone insidias pararet Hipparcho aliam quemdam amasse contendat *τῶν νέων τε καὶ γενναίων καὶ καλῶν*. Nemo putabit Harmodium simul fuisse et Aristogitonis amasium et alius iuvenis amatorem.

imperasse dicitur, neque igitur Hipparchi interfectores existimantur tyrannidem Athenis dissolvisse et liberatores iure appellari. Praeterea huius dialogi auctor, quae res in Symposio non tangitur, de causa quoque Hipparcho insidiandi a Thucydide dissentit, neque enim iniuriam ultos esse Aristogitonem et Harmodium, sed hunc ei suscensuisse quod iuvenis a se amatus prae eo se contemneret, illum quod Hipparchus arte docendi se superaret. Dictu non opus est haec omnia deberi fertili scriptoris nostri ingenio.

A dialogis, Symposium et Hipparchus qui dicuntur, transeundum est ad Isaeum Demosthenem Hyperidem Aeschinem Dinarchum qui soli ex oratoribus temporis ordine Aristoteli antecedentibus, de Harmodio et Aristogitone mentionem faciunt <sup>1</sup>). Dinarchus <sup>2</sup>) non tangit nisi honores eis decretos, merita praeterea ceteri, idque eo modo ut tyrannide eos patriam liberasse haud dubie pronuntient <sup>3</sup>), quod prorsus convenit ad honores illos quos unice liberatores decere supra vidimus. Itaque statuendum est oratores, qui non ipsi essent rerum scriptores sed earum memoria qualis publice constituta esset in declamando uterentur, rationem Thucydidis habuisse nullam.

Sequitur Aristoteles. Is in opere cui titulus Rhetoricae hoc scribens <sup>4</sup>): „civitatibus prosunt amantes, Harmodii enim et

1) Praeterea Andocides (de Myster: 98) refert populi scitum in quo memorantur Harmodius et Aristogiton (vide supra p. 33 sq.). Atque Lysias dicitur Iphicrati scripsisse orationem contra Harmodium quemdam e genere Harmodii τοῦ πανύ. Sed nihil ex ea nobis servatum est nisi unum dictum quod supra laudavimus p. 35 in ann 2.

2) Contra Demosth. 65, 101.

3) Isaeus (de Dicaeog. heredit.) 47, ita Dicaeogenem ab adversario compellatum facit ἴσως διὰ τοὺς προγόνους ἀξιώσεις μου πλέον ἔχειν ὅτι τὸν τύραννον ἀπέκτειναν. Demosthenes contra Leptin. 127, contra Meid. 170 Ἀρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονι γὰρ δὴ μέγιστα δέδονται δωρεὰν παρ' ὑμῶν καὶ ὑπὲρ μεγίστων; de falsa legat. 280 τὸν ἀφ' Ἀρμόδιου καὶ Ἀριστογείτονος τῶν τὰ μέγιστ' ἀγάθ' ὑμᾶς εἰργασμένων, οὗσ νόμῳ διὰ τὰς εὐεργεσίας ἃς ὑπῆρξαν εἰς ὑμᾶς ἐν ἅπασι τοῖς ἱεροῖς ἐπὶ ταῖς θυσίαις σπονδῶν καὶ κρατήρων κοινωνοὺς πεποιήσθε. Hyperides Epithaph. col. XIII lin. 33 sq. (Blass Hyperidea p. 92. 39) οἱ μὲν γὰρ τοὺς τῆς πατρίδος τυράννοισ καταέλυσαν. Aesch. 1. (contra Timarch.) 132 τοὺς εὐεργέτας τοὺς ὑμετέρους Ἀρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα; 140 Τοιγάρ τοι τοὺς τῆς πόλεως μὲν εὐεργέτας ταῖσ' δ' ἀρεταῖσ ὑπερηννοχότας Ἀρμόδιον καὶ Ἀριστογείτονα ὁ σώφρων καὶ ἔννομος εἶτε ἔρωτα εἶτε τῶν χρηρῶν αὐτὸν προσεῖπεν τοιοῦτους ἐπαίδευσεν ὥστε τοὺς ἐκαινοῦντας τὰ ἐκείνων ἔργα καταδεστέροισ δοκεῖν εἶναι ἐν τοῖς ἐγκωμίοισ τῶν ἐκείνοισ πεπραγμένων.

4) 2. 24.

Aristogitonis amor delevit tyrannum Hipparchum", aut in ea fuit sententia quam oppugnavit Thucydides, Hipparchum patri in tyrannidem successisse, aut tyrannum appellans nihil aliud voluit nisi hoc, eum fuisse e tyranni familia. Quoquomodo hoc est, in opere quod inscribitur Politica <sup>1)</sup> significans non Hipparchum solum sed etiam Hippiam petito esse, impetum enim factum esse in Pisistratidas, addensque tantum Harmodium propter sororem contumelia affectam, Aristogitonem propter Harmodium ira inflammatum esse, omni ex parte Thucydidem secutus esse videtur. Sed in libro cui titulus *'Αθηναίων πολιτεία* singula accuratius persequens, de Hippia agit eodem fere modo leviter tantum Thucydidis narratione mutata <sup>2)</sup>, praeterea vero duplici modo huic obloquitur. Nam non Hipparchum sed Thessalum dicit Aristogitonis rivalem fuisse frustra tentantem Harmodium conciliare sibi <sup>3)</sup>, paulo post ira adductum ut eius sororem ignominiae daret; tum, id quod supra iam animadvertimus eodem Panathenaeorum die festo et Harmodii sororem contumelia esse affectam et Hipparchum occisum. Hoc recte se habere in superioribus demonstravimus, at in utraque re pertractanda inconsulto noster fontes diversos permiscuit. Nam aliter ac Thucydides contumeliam eodem die et illatam et vindicatam esse contendens, et tamen hunc secutus de coniuratione facta deque consilio Hippiae interficiendi, ea iungere conatur quae inter se

1) 5, 10 p. 1311 a<sup>4</sup> p. 1312.

2) Thucydides enim (I. 2<sup>o</sup>, VI. 57) Hippiam in Ceramico Hipparchum prope Leocorium versantem facit, utrumque pompam ordinantem; Aristoteles (Ath. pol. vH. et vL. col. VII lin. 1 sqq.) Hippiam in acropoli pompam expectantem Hipparchum in Leocorio eam ordinantem. Utrum haec e populari narratione transumpta an de suo mutaverit Aristoteles mitto. Forsitan uterque nullis ex fontibus hausta scripserit quae sibi veri similia viderentur.

3) l. l. lin. 14 sqq. Delevit vHerwerden verb. *Θέτταλος δὲ νεώτερος πολὺ καὶ τῆ βίῃ θρασυς καὶ καὶ ὑβριστής* quo facto discrepantia quae inter Thucydidem et Aristotelem extat tollitur; causa delendi manifesto haec fuit quod absurdum videbatur, Hipparchum ipsum innocentem interfectum esse propter iniuriam factam a fratre Thessalo. Neque tamen obscurum est, id quod infra ostendam, quo ex fonte Aristoteles haec hausserit. Quae si delentur, verba quae sequuntur *ἀφ' οὗ καὶ συνέβη ἀρχὴν αὐτοῖς γενέσθαι πάντων τῶν κακῶν* male cohaerent cum superioribus quibus narratur Hipparchum fuisse *φυλόμυσον* et accessivisse poetas. Praeterea Heraclides Ponticus Aristotelis discipulus, in opere cui titulus *περὶ πολιτείας Ἀθηναίων* eadem scripsit (C. Muell. fr. h. g. II p. 268. 6) haud dubie ab Aristotele sumta.

non bene conveniant. Etenim paucarum horarum spatium non sufficiebat sed requirebantur complures dies, si ira propter iniuriam acceptam transitura esset in studium libertatis e qua oriretur coniuratio qua non iniuriae auctor sed dominus civitatis peteretur<sup>1)</sup>. Ab hac autem discrepantia haud dubie cavisset Aristoteles, si ipse excogitasset ea quae a Thucydidis narratione diversa narrat, atque praeterea ratio fert ut secutus sit narrationem popularem quam non potuisse aliter se habere in superioribus ostendimus<sup>2)</sup>, Thucydidem contra sua e nihilo confinxisse. Quod autem perhibet non Hipparchum sed Thessalum Harmodium invitum amasse eiusque sorori obtrectasse, e duobus fontibus conflatum id esse inde iam apparet quod tamen ei Hipparchus *παιδιώδης καὶ ἐρωτικός* est, qualis unice Thucydidis narrationi convenit. Praeterea autem ipsa ea quae de Thessalo narrat, transtulit e fonte qui tam derivatus a Thucydide quam ab eo deflectens neutra e parte fide dignus est. Nam praeter famam popularem quae erat de Hipparchi morte, inventa exitisse optimatum qui multitudinis odio permoti, ut obtrectarent laudibus liberatorum quos plebs in coelum extolleret, quemadmodum his eos illudere vidimus<sup>3)</sup> cantilenis sermonibus ignominiosis nominibus eorum servis datis, ita Hipparchi praedicarent singularem iustitiam sapientiam humanitatem apparet e dialogo cuius titulus Hipparchus, ubi viri virtutibus demonstratis ita pergitur<sup>4)</sup>: *λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν χαριστέρων ἀνθρώπων καὶ ὁ θάνατος αὐτοῦ γενεσθαι οὐ δι' ἃ οἱ πολλοὶ φήθησαν διὰ τὴν τῆς ἀδελφῆς ἀτιμίαν τῆς κακηφορίας ἐπεὶ τοῦτό γε εὔηθεσ*, post quae sequuntur ea quae de caedis causa ex hoc dialogo supra deprompsimus. Atque eiusdem rei documento est Aristotelis liber de quo nunc agimus, ubi Aristogitonis narratur in tormentis indicium interque se opponuntur quae de ea re *οἱ δημοτικοὶ φασιν* et quae

1) vWilamowitz (Arist. u. Ath.) p. 110 „Die beleidigung und die rache folgen so fast unmittelbar auf einander, die geschichte wird in sich geschlossener, wahrscheinlicher, aber noch mehr als bei Thueydides erhält sie den charakter des plötzlichen und persönlichen“. Nihil rectius his, sed quomodo cum his concinant quae deinceps sequuntur „dafür wächst die politische bedeutung, da es in der tat auf eine revolution abgesehen war“ aperte confiteor me non intellegere.

2) p. 40.

3) p. 32 sqq.

4) p. 229 BC.

ἐνιοὶ λέγουσιν, ab his enim dici eum coniurationis conscios, ab illis vero insontes eosdemque tyranni amicos eum detulisse <sup>1)</sup>). Mentio hoc loco facta de coniuratione docet optimatium commenta pendere ex Thucydide quippe a quo illa conficta sit, eademque commenta eis quoque pro fonte fuisse quae de Thessalo Aristoteles proferat, inde patet quod quemadmodum in dialogo sic his Hipparchus omni culpa liberatur. Ceterum nihil est cur negemus Hipparcho cordi fuisse ut cives bene morati essent, quod docere videntur Hermae pro miliariis ab eo erecti quibus sententias eo pertinentes inscribendas curavit <sup>2)</sup>, quodque Thucydides de utroque fratre dicit <sup>3)</sup> ἐπετῆδευσαν ἐπὶ πλείστον δὴ τύραννοι οὗτοι ἀρετὴν καὶ ξύνεσιν ita credibile est si sumimus scriptorem a multitudinis licentia alienum, quae pro eo ut sibi placebat tyrannorum memoriae infesta erat, rem paululum in maius auxisse.

Sed non optimates tantum, verum etiam populares ascivisse coniurationem a Thucydide inventam, ostendit Aristoteles referens etiam quae οἱ δημοτικοὶ Aristogitonem in tormentis enuntiasse contenderint. Quae repeterunt Diodorus Siculus <sup>4)</sup> Seneca Polyaeus <sup>5)</sup> Iustinus <sup>6)</sup>, itemque quod ille addidit haud dubie ex eodem fonte haustum, Hippiam interfecisse amicos quos insontes detulisset Aristogiton. Neque profecto ex alio fonte est derivatum quod solus Aristoteles habet Hippiam ab Aristogitone irrisum sua manu eum interfecisse. Eidem autem fonti etiam debetur manifesto id quod apud Diodorum legimus <sup>7)</sup>, Thessalum contra atque ab optimatibus contendebatur, fuisse virum sapientem aequabilitatis studiosum, qui tyrannidem desisset, Hipparchum vero et Hippiam violentos et truces. Tum quae de Leaena narrantur unice quadrant ad popularium studium gloriandi Hip-

1) l. l. lin. 27 sq., 31 sq.

2) Hipparchus p. 238 C, D, E, p. 229.

3) VI. c. 54 § 5.

4) X. 17. 2. Diodori locus depromptus ex excerptis *περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας* ab Henric. Vales. editis (Paris. 1634) mutilatus est, nam sic desinit: ὅς ἐν τοῖς φοβερωτάτοις καιροῖς δύο μέγιστα διατήρησε, τὴν τε πρὸς τοὺς φίλους πίστιν καὶ τὴν πρὸς τοὺς ἐχθροὺς τιμωρίαν. Quae sit illa τιμωρία non significatur, indicium falsum manifesto spectatur.

5) De Ira II. 23.

6) στρατηγίμ. I. 22.

7) II. 9.

8) X. 17. 1.



parchi caede. Sed quoniam ea ante Plinium maiorem a nullo scriptore commemorata invenimus, quin etiam saeculo post Pausanias cui et Plinii locus et quae de eadem re Plutarchus tradidit, ignota fuisse videntur, numquam ante se scripto mandata esse ait, veri simile est narratiunculam, quam satis apparet eius generis esse quod *αιτιόλογον* vocant, post demum inventam esse quam Atheniensium civitas gravissimis cladibus fracta, viribus et auctoritate comminutis, ut etiam nunc discordabat ita desierat seiungi in antiquas factiones optimatum et popularium. Plinius narrat <sup>1)</sup> Leenam meretricem lyrae cantu familiarem Harmodio et Aristogitoni, usque in mortem excruciatam neque eos indicavisse <sup>2)</sup> neque eorum consilia prodidisse <sup>3)</sup>, eamque ob rem Athenienses et honorem ei habere volentes nec tamen scortum celebrasse, animal eius nominis ex aere faciendum curasse per Amphicratem statuarium, atque ut intellegeretur causa honoris, in opere linguam ab artificio addi vetuisse. Plinius sibi proposuisse videtur, sive hoc in fonte suo invenit — fontem autem dico etiam hominum sermones, si forte primus ille rem perscripsit — sive falso sibi visus est invenisse, Harmodium et Aristogitonem tyranno suspectos fuisse ante quam caedem patrent. Quid enim alioqui sibi vult quod dicit Leenam „non indicavisse eos” „non prodidisse eorum consilia”? Plutarchus <sup>4)</sup> et Polyaeus <sup>5)</sup> totidem verbis dicunt Leenam eum ad finem tortam esse ut enuntiaret coniurationis socios, qua re eius fortitudinis narratio non aliter atque Aristogitonis, velut ad fundamentum suum refertur ad illud Thucydidis inventum. Idem autem quamquam coniurationem non memorat voluisse videtur Pausanias <sup>6)</sup>; nam dicit post Hipparchi mortem Hippiam eam interemisse cum suspicaretur consilii Aristogitonis non ignaram esse; Plutarchus fere ut Plinius, feminam dicit *ἑταιραν τῶν περὶ Ἀρμόδιου καὶ Ἀριστογείτονος*, Polyaeus et Pausanias eam amicam Aristogitonis vocant, ille addit tormentorum vi superatam, ne quid excideret ipsam sibi dentibus abscidisse linguam. Plutarchus solus refert

1) H. N. VII. 87, XXXIV. 72.

2) H. N. VII. 87.

3) H. N. XXXIV. 72.

4) De Garrulit. 8 p. 505.

5) *στρατ.* VIII. 45.

6) I. 23.

imaginem in Propylaeis positam esse, Pausanias iuxta stetisse simulacrum Veneris; hic omittit linguae iacturam. Athenaeus <sup>1)</sup> ita rem proponit, ut nescias utrum faciat cum ceteris an cum Plinio. Ita enim: ἔνδοξος δὲ ἐστὶ καὶ Λέαίνα, ἣ ἔταιρα Ἀρμοδίου ἐρωμένη τοῦ τύραννοκτονήσαντος ἧτις καὶ αἰκίζομένη ὑπὸ τῶν περὶ Ἰππίαν τὸν τύραννον οὐδὲν ἐξεipoῦσα ἐναπέθανε ταῖς βασάνοις. De simulacro Athenaeus nihil, nihil de lingua abscissa; Leenam Harmodii amicam vocat, quod memorabile est cum inde appareat eum putavisse quemadmodum auctorem dialogi qui inscribitur Hipparchus, amorem Harmodio non intercessisse cum Aristogitone quo tempore Hipparchum caederent. Prorsus a ceteris differt Lactantius <sup>2)</sup> qui satis ridicule ipsam Leenam Hipparchum occidisse vult. Originem autem fabulae hanc fuisse, quod in Propylaeis extaret leaena aënea ore aperto lingua olim porrecta sed iniuria temporis abscissa multis ante annis consecrata Veneri meretricum tutelae prope cuius signum esset posita, quemadmodum nonnullarum etiam meretricum in sepulchris leaenarum imagines aut Veneris statuæ <sup>3)</sup> conspicerentur, veri similiter coniecit Iacobi v. cl. <sup>4)</sup>, sciscitantibus enim hominibus cur simulacrum careret lingua, cum leaena nomen esset meretricibus solitum, fertile plebeculae ingenium exinde effecisse quae a Plinio ceteris tradita nobis esse vidimus.

Restat ut moneamus ex omnibus scriptoribus antiquis, qui post Aristotelem de Harmodio et Aristogitone egerint, tantummodo Gellium totidem verbis Thucydidi assentiri <sup>5)</sup> eos „libertatis recuperandae gratia Hippiam tyrannum interficere adortos esse” et „occidisse Hipparchum Pisistrati filium tyranni fratrem”, ceteros omnes aut controversiam non tangere aut ita rem proponere ut nescias utrum Hipparchum an Hippiam Pisistrato successisse censeant, aut aperte illud profiteri. Nam Plinius <sup>6)</sup> cum dicat: Athenienses nescio an primis omnium Harmodio et

1) XIII. 70 p. 596.

2) Inst. I. 20. 8.

3) In Laïdis meretricis sepulchro conspiciebatur leaena quae unguibus capellam tenebat, iuxta erat aedes Veneris Melaenidis (Paus. II. 2. 4). Thespiis erat status Phrynes meretricis, et iuxta rursus aedes eiusdem Veneris (Paus. IX. 27. 5).

4) Leana ein ätiologischer Mythos (Jhrbüch. f klass. Philol. XIX. 1878 p. 366 sqq.).

5) Noct. Att. IX. 2. 10, XVII. 21. 7.

6) H. N. XXXIV. 17,

Aristogitoni tyrannicidis publice posuerint statuas, non satis declarat utram tyrannicidam hic velut esse eum qui τὸν τύραννον an universe qui e tyranni familia aliquem occiderit. Atque in eadem causa est Athenaeus <sup>1)</sup> Harmodium appellans τὸν τυραννοκτονήσαντα; nam quod dicit Leaeenam excruciatam esse ὑπὸ τῶν περὶ Ἰππίαν τὸν τύραννον, inde non patet utrum velit Hippiam iam Hipparcho vivo an demum post eius mortem dominatum esse. Sed Didorus <sup>2)</sup> postquam dixit Thessalum fuisse virum sapientem et probum, ita pergens οἱ δὲ ἄλλοι Ἰππαρχος καὶ Ἰππίας βίαιοι καὶ χαλεποὶ καθεστῶτες ἐτυράννευον, cum Hipparchum priore Hippiam secundo loco nominet, illum habuisse videtur pro fratre maiore. Haud ambigue autem si Arriano credimus <sup>3)</sup> Callisthenes cum Philota collocutus: propterea inquit Harmodius et Aristogiton ab Atheniensibus honorantur ὅτι τὸν ἕτερον τῶν τυράννων ἐκτείναν καὶ τυραννίδα ὅτι κατέλυσαν. Nam quamquam „τὸν ἕτερον τῶν τυράννων” dicit, manifesto tamen Hipparchum principem fuisse vult; ceteroquin non erat cur diceret „καὶ τυραννίδα ὅτι κατέλυσαν”. Idemque pronuntiat Dio Chrysostomus <sup>4)</sup> ita locutus οὗς (τὸν Ἄρ. κ, Ἄρ.) πάντων μᾶλλον τιμῶσιν (οἱ Ἀθηναῖοι) ὡς ἐλευθερώσαντας τὴν πόλιν καὶ ἀνελόντας τὸν τύραννον et Libanius cum dicat <sup>5)</sup> ἔδοξε τοῖς Ἀθηναίοις μηδένα δούλον τοῖς τὸν τύραννον καθελοῦσι ποιεῖν δμῶνυμον. Atque reputanti etiam oratores qui aetate antecedant Aristoteli non dubitare quin Hipparchi caede dominatione Athenienses liberati sint, apparet ex omnibus scriptoribus antiquis si discedas ab Aristotele ipso et a Gellio, neminem disertis verbis veram rei rationem ab Herodoto et Thucydide demonstratam probavisse, nonnullos ita agere ut nescias utrum cum illis faciant an cum oratoribus, multo plures his adsentiri. Contra commenticiam coniurationem quam excogitavit Thucydides, tantum non omnes asciverunt qui de Harmodii Aristogitonisque egerunt rebus.

1) XIII. 70 p. 596.

2) X. 17. 2.

3) IV. 10. 3.

4) XI. p. 191.

5) Apologia Socr. c. 71 (Foerster Lib. opera V p. 53).

## DE GRATTIO ET NEMESIANO.

SCRIPSIT

P. J. ENK.



„Miram medius fidius prae se fert elegantiam et suavitatem Grattius, ut continere iam olim me non potuerim, quin familiarum mihi redderem hunc poetam et ab eius ore frequenter penderem”. Haec legimus in epistula Nicolai Heinsii, quam scripsit ad Graevium amicum. Idem Grattius a Broukhusio nostrate, qui ipse non humilis fuit poeta, in commentario ad Propertium „venustissimus poeta” vocatur. Et, ut nostrae aetatis virum doctum citem, Fredericus Plessis in pulcherrimo libro „la Poésie latine”, p. 476 de Grattio hoc fert iudicium: „les vers sont bien tournés, l’exécution heureuse et digne des derniers jours de l’époque classique.”

Quantopere ab horum iudiciis differunt aliorum sententiae, ex quibus Schanzius in historia litterarum Romanarum artis vaticinae cantorem omnis ingenii expertem habet: „dem Verfasser — haec sunt eius verba — ist jedes poetische Talent mit Entschiedenheit abzusprechen”, neque aliter iudicat vir doctissimus Wight Duff, qui in libro praestantissimo, cui titulus „Literary History of Rome” scribit: „there may be some instruction, but there is no pleasure.” Quin etiam adeo philologi hodierni Grattium contemnunt, ut nobis persuadere conentur eum apud Romanos quoque mox oblivione obrutum esse.

Cum enim vir doctus Fiegl in libello, qui inscribitur „Des Grattius Faliscus Cynegetica, seine Vorgänger und seine Nach-

folger" (40ster Jahresbericht des k. Staatsgymn. in Görz 1890) demonstrare conatus esset — id quod et editores antiquiores, Vlitius et Sternius (vide eorum edit. ad vs. 299) crediderant — Nemesianum in Cynegeticis suis scribendis hausisse ex Grattio, anno 1899 vir doctus Italus G. Curcio <sup>1)</sup> Fiegl's opinionem impugnavit contendens Grattii carmen poetae Carthaginiensi prorsus fuisse ignotum. „Nemesiano“, inquit Curcio, „non conobbe il poemetto di Grazio, e se qualcuno volesse affermare il contrario, dovrebbe convenire almeno in questo, che si fece un obbligo di non farne apparire traccia nell' opera sua.“

Cum Curcionis disputatio multis <sup>2)</sup> persuasisset, anno 1906 vir doctus G. Pierleoni <sup>3)</sup> a Nemesiani versu 8 Cynegeticorum ducitque per avia qua sola nunquam trita rotis et versu 11 intacto premimus vestigia musco profectus Grattium poetae nomine omnino dignum esse negavit: „io ritengo che, se Grattius fu dai Romani dimenticato, la colpa non fu tutta di chi lo dimenticò.“ Vides duas has quaestiones inter se cohaerere; nos hic id tantum indagare conabimur, utrum vera sit Curcionis illa opinio necne; deinde de arte <sup>4)</sup> et doctrina nostri poetae scripturi sumus in praefatione editionis quam mox in lucem prodituram speramus.

Ante omnia vix opus est me dicente nullum argumentum peti posse ex Nemesiani verbis:

1) Rivista di filologia XXVII. p. 447—462.

2) Cf. Schanz, Gesch. Röm. Litt. III. p. 31 „Gegen die von Fiegl behaupteten Beziehungen zwischen Grattius und Nemesianus wendet sich mit Recht die fleissige Abhandlung von G. Curcio.“ Eodem modo de Curcionis disputatione iudicat vir doctus J. Tolkehn (Berl. Phil. Wochenschr. 1900. p. 1130): man wird einräumen müssen, dass er die von jenem (sc. Fiegl) angenommenen Beziehungen mit Recht abgelehnt hat.

3) Rivista di filologia XXXIV. p. 580—597.

4) Iure suo Vollmerus dicit apud Pauly-Wissowam.: „Überhaupt pflegt man die gestaltende Kunst, die dichterische Ader des G. zu unterschätzen (so zuletzt Pierleoni), von den Neuern ist eigentlich nur Stern dem Manne gerecht geworden. Die Freude an seinem Stoffe ist überall deutlich; die Wärme, mit der er die Bedeutung der Jagd für die Kultur der Menschheit betont, steht der Begeisterung des Dichters der Georgica nicht viel nach, und auch die Kunst mit der er das unvermeidliche Technische bündigt und durch verschiedene Einlagen und Schilderungen zu beleben weisz, ohne doch in den rhetorischen Bombast eines Nemesian zu verfallen, verdient alle Anerkennung.“

- 5 Castaliusque mihi nova pocula fontis alumnus  
ingerit et late campos metatus apertos  
imponitque iugum vati retinetque corymbis  
implicitum *ducitque per avia, qua sola nunquam  
trita rotis.* iuvat aurato procedere curru  
10 et parere deo: virides en ire per herbas  
imperat: *intacto premimus vestigia musco.*

Cum his versibus comparanda sunt, quae legimus apud Propertium III. 1. 3. 4:

primus ego ingredior puro de fonte sacerdos

Itala per Graios orgia ferre choros,

quamquam autem eum iam Gallus elegos scripsit. Recte autem scripsit vir doctissimus B. O. Foster (Matzke Memorial volume p. 104) de poetis Romanis: „That a man should write well was not enough: he must, if possible, make good his claim to exclusive ownership of some corner, no matter how small, of the field of poetry.”

Etiam Oppianus, Cyngeticorum poeta, contendit se in suo genere primum esse, nam Musa ab eo sic loquens inducitur (Cyneg. I. 20. 21):

*ἔγρεο καὶ τριχεῖαν ἐπιστεῖβωμεν ἀταρπὸν,  
τὴν μερόπων οὐπὼ τις ἔῤῃς ἐπάτησεν αἰοδαῖς.*

Et tamen Oppianus Grattium notum habuisse videtur, nam non potest mero casui tribui, quod poeta Graecus venatorem esse vult (Cyneg. I. 90):

*ἄμφοτερον κραιπνὸν τε θέειν σθεναρὸν τε μάχεσθαι,*  
cum Grattius (vs. 333) postulet, ut magister catulorum sit:

utrumque et prudens et sumptis impiger armis,

nam sive statuis Oppianum Grattii imitatore esse sive assumere mavis utrumque ex tertio fonte hausisse, Oppiani verba mendacium esse patet.

Vir doctus Curcio ad investigandum, utrum Nemesianus poetam Romanum notum habuerit necne, viam iniiit, quae mihi quidem ad finem petitum ducere non videtur. Comparat enim genera canum equorumque ab utroque poeta in carminibus enumerata. Qua in re Grattium et poetam Carthaginiensem

multum inter se differre statim intelleges, tecum reputans inter Grattium, cuius carmen exortum est inter annum tricesimum ante Christum natum et annum octavum post Christum natum, et Nemesianum, qui anno 284 post Chr. n. Cynegetica sua scripsit, spatium interesse *trecentorum* fere annorum.

Veri simile est Nemesianum ea tantum genera canum et equorum enumerasse, quae eius aetate usitatissima essent; praeterea nulla causa est, cur assumamus Nemesianum solius Grattii carmen legisse; neque hoc dicimus Nemesianum servili modo Grattii Cynegetica secutum et imitatum esse; *hoc tantum quaerimus, utrum Ovidii aequalem notum habuerit necne.*

Ut de his rebus recte iudicare possimus, necessarium est non solum Grattium et Nemesianum inter se comparare, sed alium quoque poetam Nemesiano aetate propiorem, Oppianum dico. Dedicavit hic poeta, qui in carmine suo, quod inscribitur „Cynegetica” II. 127 Apameam, Syriae urbem, suam vocat patriam, opus suum Caracallae, unde conicere licet Cynegetica post annum 211, fortasse anno 212 scripta esse; Nemesianus vero libellum ante annum 284 scripsit.

Conferamus autem primum τὸς τῶν κυνῶν καταλόγους apud tres poetas.

Apud GRATTIUM enumerantur haec genera: *Medi* (155), *Celtae* (156), *Geloni* (157), *Persae* (158), *Scres* (159), *Lycaines* (160), *Hyrani* (161), *Umbri* (172), *Morini* (174), *Britanni* (175), *Molossi* (181), *Alhamanes* (182), *Azorei* (? 183), *Pheraei* (183), *Acarmanes* (183), *Aetoli* (187), *Calydonii* (196) *Petronii* (202), *Sycambri* (202), *Vertraha* (203), *Metagontes* (209), *Lacedaemonii* (211), *Crelenses* (211).

Apud OPIANUM (lib. I): *Παίονες*, *Αἰθίοιοι*, *Κᾶρες*, *Θρηῆκες*, *Ἰβηρες* (371), *Ἀρκάδες*, *Ἀργεῖοι*, *Λακεδαιμόνιοι*, *Τεγεῆται* (372), *Σαυρομάται*, *Κελτοὶ*, *Κρήτες*, *Μάγνητες*, *Ἀμοργοὶ* (373), *Αἰγύπτιοι* (374), *Λοκροὶ*, *Μολοσσοὶ* (375), *Ἡλεῖοι* (395), *Τυρσηνοὶ* (396), *Σαρματικοὶ* (397), *Βρετανοὶ* (470).

Apud NEMESIANUM: *Lacedaemonii* (107), *Molossi* (107), *Britanni* (225), *Pannonici* (227), *Iberi* (228), *Lilyes* (229), *Tusci* (231).

Si quis nomina canum ab his scriptoribus enumerata inter se comparaverit, videbit ex septem canum generibus apud Nemesianum obviis tria apud Grattium, quinque apud Oppianum re-

periri; nam canis *Lacedaemonius* <sup>1)</sup> *Britannus Molossus* et apud Grattium et apud Oppianum et apud Nemesianum inveniuntur, *Iberi* tamen et *Tusci* apud Oppianum et Nemesianum, sed non apud Grattium nominantur; restant *Pannonici* <sup>2)</sup> et *Libyes*, de quibus nusquam legimus nisi apud Nemesianum. Sponte igitur conicias duas has „gentes” Nemesiani praesertim temporibus in usu fuisse, id quod infra de equis Cappadocibus demonstrabo. Praeterea agnoscimus Africae incolam, quod Libyicos canes, genus extra Africam fortasse prorsus ignotum, memorat; eos igitur non in fontibus invenisse, sed ipse addidisse videtur.

Quaeritur nunc, num canis *Iberus* iam Grattii aetate in Italia notus fuerit; cuius apud posterioris demum aetatis scriptores venaticos mentio fit, ut apud Oppianum, Nemesianum, Pollucem (V. 37 Ἰβηρικῶν).

*Iberici* enim canes non, quod putaverit quis, in Hispania nascebantur, sed, ut bene intellexit Vlitius nostras (opus cit. p. 357), in *Iberia Asiatica*, de qua sermo est apud Strabonem XI. 4. 5.

Cum Vlitii libellus non cuique prae manibus sit, iuvat me ipsius viri docti verba afferre: „interpretes aliqui Ἰβηρας apud Oppianum pro Hispanicis habuerunt quos tamen nemo inter antiquos illis oggessit. Immo vix hodie aliqui memoratu digni inde advehuntur, nisi quis putet accipitrarios illos, quos „Spanicos” <sup>3)</sup> Angli et Galli vocant, in Anglia quam Hispania frequentiores longe, hinc originem sumpsisse. Eiusdem generis, nisi fallor, etiam Phasiani sunt, quos cum Ibericis eosdem putat esse Gesnerus, non a Phaside, sed a Phasianis avibus, in quarum aucupio adhibentur, denominati. At tales ab Ibericis nostris diversissimi, qui bellicosus a Nemesiano accensentur.

Quapropter non aliam illis, quam *Asiaticam Iberiam patriam assignaverim*, Albaniae, bellicosus canibus Alexandro magno oblatis

1) Fallitur vir doctus Curcio scribens: „delle sette razze di cani, che conosce Nemesiano, cinque non sono conosciute e menzionate da Grazio”; omittit enim canes *Lacedaemonios*, quos Grattius memorat vs. 211 sqq. at vestrum non vile genus, non patria, vulgo | *Sparte quos* (sic cum Schenklio, Fleckeis. Jahrb. 1898, Supplem. 6. p. 441 lego pro *Sparta suos*) et Creta suos promittit alumnos.

2) Errat enim Vlitius nostras qui *Pannonicos* cum *Paconibus* (Oppian. I. 371) confundit, cf. eius „Venatio novantiqua”, anni 1645, p. 356, 357.

3) Angl. *spaniel*; Francog. *épagueul*.



memoratissimae, conterminam adeo, ut pleraque vivendi instituta, teste Strabone lib. XI, utriusque incolae inter se communia habuerint”.

Tota autem ea regio, quae est prope mare Caspium, canes venaticos aluisse videtur, cf. quae legimus apud Strabonem de *Albanis*: *θηρευτικοὶ δὲ καὶ αὐτοὶ καὶ οἱ κύνες αὐτῶν εἰς ὑπερβολὴν* quamquam haec Albanos tantum spectant neque enim verba citata cum Vlitio ad *Iberos* quoque referri possunt. Hoc igitur contendo aetate Strabonis, qui Grattii fere fuit aequalis, *Iberos* canes nondum *vulgo notos* fuisse; quod nisi ita esset, Strabo pauca de Iberis canibus addidisset, quippe qui et canes Albanos et Britannos memoraverit.

Non mirum igitur est Nemesianum quattuor genera canum nominare quae Grattius omiserit; nam tria ex his generibus postea demum in usu fuisse videntur: *Pannonici Libyes Iberi*; *Tuscum* autem canem, qui iam ante Grattium in Etruria alebatur, (cf. Keller, *Antike Tierwelt* I. p. 95) Nemesianus ex alio fonte addidit, ex qua re tamen non sequitur, eum Grattii carmen notum non habuisse. Transeamus nunc ad equos.

Apud GRATTIUM enumerantur haec genera equorum: *Thessalus* (502), *Mycenaeus* (502), *Syenites* (507), *Parthus* (508), *Callaicus* (514), *Hispanus* (515), *Nasamonius* (517), *Numida* (518), *Strymonius* (523), *Siculus* (525), *Chaonius* (530), *Pellaeus* (532), *Cyrrhaeus* (533).

OPPIANUS (lib. I) equos his tribus enumerat hexametris:

170 *Τυρσηνοὶ, Σικελοὶ, Κρήτες, Μάζικες, Ἀχαιοί,*

171 *Καππαδόκαι, Μαῦροι, Σκυθικοὶ, Μαγνήτες, Ἐπειοί.*

172 *Ἴονες, Ἀρμένιοι, Λίβυες, Θρήϊκες, Ἐρεμβοί.*

Versu 278 Parthum et Iberum equos commemorat:

*ἀλλ' ἄρα καὶ Πάρθοισι μέγα προφέρουσιν Ἴβηρες.*

Apud NEMESIANUM haec genera reperimus: equos *Graecos* (240), *Cappadoces* (241), *Hispanos* (251), *Maurusios* (259), *Mazaces* (261); ex quibus generibus equi *Graecus*, *Hispanus* apud Grattium memorantur; uterque poeta equos ex Africa oriundos nominat, Grattius *Nasamones Numidasque*, Nemesianus *Maurusios Mazacesque*; si equos ab Oppiano enumeratos conferimus, videmus et *Maurusios* et *Mazaces* (*Μαῦροι, Μάζικες*) apud eum reperiri: in

hac re fonte recentiore usus esse videtur Nemesianus, quod suis temporibus illi equi pluris fierent. Praeterea minime mirum Africae incolam melius quam virum Romanum scisse, quales equi in patria sua optimi essent.

Frustra apud Grattium quaerimus equos *Cappadociae*, quos laudat Nemesianus. Hic igitur quoque aetatem suam prodit poeta Carthaginensis, qua Cappadoces equi praecipuo in honore erant, cf. Oppianum I. 197:

Καππαδόκαι τε κλυτοί, Ταύρου πρόπαρ οἷτε νέμονται.  
θαῦμα δὲ Καππαδόκεσσι μέγ' ἔδρακον ὠκυπόδεσσι·  
εἰσόκε μὲν νεογιλὸν ὑπὸ στομάτεσσιν ὀδόντα  
καὶ γλαυερὸν Φορέουσι δέμας, τελέθουτ' ἀμενηνοί·  
κραιπνότεροι δὲ πέλουσιν, ὅσφ' ἄλλα γηράσκουσι.  
κείνους εἰς πόλεμον μεγαλήτορα θωρήσσοιο  
αἰθωνάς τ' ἐπὶ θήρας· ἐπεὶ ἄλλα θαρσήεντες  
ὄπλοισι ἀντιάαν, πυκινὴν ῥήξαι τε Φάλαγγα,  
θηρσί τ' ἐνυαλίοισιν ἐναντία δηρίσασθαι.

Etiam post Nemesianum equi Cappadoces laudantur, cf. Claudian. de laudibus Serenae vs. 190:

*delectus equorum | quos Phrygiae matres, Argaeaeque gramina  
pastae, | semine Cappadocum sacris praesepebus edunt.*

Idem poeta Honorii equum ita alloquitur (Epigramma de freno, phaleris, cingulo equi Honorii a Serena missis 4. 5):

*seu te Cappadocum gelidae sub valle natantem | Argaeae laveré nives.*

Vides igitur Cappadocum equos, de quibus neque apud Pseudo-Xenophontem neque apud Grattium quicquam legimus, et Nemesiani temporibus et Oppiani, qui ei propior fuit, maxime celebrari.

Quamquam igitur verum est Nemesianum et canes et equos nominare, quos apud Grattium frustra quaeras, simul apparuit hoc plerumque inde explicari posse, quod — ut res ipsa fert — recentiores adiit fontes, quodque illa genera animalium tum, cum scribebat, praeter cetera nominabantur.

Accedit quod Grattius — id quod alii scriptores cum eo comparati docent — minus nota genera enumerat, Nemesianum contra eas tantum „gentes” commemorat quae aut omnium celeberrimae erant, aut in Africa, eius patria, nascebantur.

Hoc igitur iure meo contra virum doctum Curcio eiusque assecclas palam declaro nos ex canum equorumque catalogis inter

se collatis nequaquam discere, utrum noverit poeta Carthaginiensis venatorem Romanum necne, neque ullum peti posse argumentum, quod nos in alterutram partem trahere possit.

Etiam vocabula, quibus instrumenta artis venandi nominantur, apud utrumque poetam obvia, inter se comparavit vir doctus Curcio, praeterea canum membra, morbos, medicamenta, cf. Riv. di filol. XXVII. p. 460, 461. Si has tabulas inter se conferimus, et hic videmus Grattium omnia copiosius tractare quam Nemesianum cum ille docere velit, hic delectare. Supersedit enim Nemesianus loqui de *laqueis*, de *pedicis*, de *hastis*, et ex morbis, de quibus loquitur Grattius, omittit *vulnera*, *tussim*, *veternum*, *podagram*.

Comparemus nunc vocabula, quae apud utrumque poetam invenimus.

Retia { *Gratt.* 25—33 filum — limbus — cassis — sinus — nodus.  
*Nemesian.* 299—302 cassis — plagae — macula — nodus.

Pennatum { *Gratt.* 75—88 decerptae plumae.  
*Nemes.* 303—320 non una ex alite pinnae.

Coitio canum { *Gratt.* 263—265 iunge pares — pignus — fetura.  
*Nemes.* 114—122 parilem submitte marem — fetura.

Artus canis { *Gratt.* 269—278 vultus (celsus) — aures (hirtae frontibus) — os (magnum) — nares (patulae) — ilia — venter (adstrictus) — cauda (brevis) — latus (longum) — caesaries (discreta, pexa, frigoris inpatiens) — pectus — armus (validus) — planta — lacertus — crura — calx.  
*Nemes.* 108—113 crura (alta, rigida) — pectus (latum) — carina (multa) — alvus (sicca) — renes (validi) — coxae — aures (molles).

Cibus canis { *Gratt.* 307—309 lac — maza.  
*Nemes.* 151—154 molli pasce sero — lac — cererem cum lacte ministra — sagina.

De equorum pabulo apud Nemesianum solum legimus; veri

simile tamen Grattium de ea re locutum esse in ea parte primi libri, quae nunc deest.

Rabies	}	<i>Gratt.</i> 383—398 ulcer — purus sal — tenue olivum — collar cristis inductum lucifugae maelis.
		<i>Nemes.</i> 203—223 virosa castorea — pulvis ex ebore trito vel secto — lactis liquidos sensim superadde fluores.
Scabies	}	<i>Gratt.</i> 408—426 — odorato medicata bitumina vino — Hipponia pix — unguen amurcae — duc magis ... a vento clarique faces ad solis.
		<i>Nemes.</i> 195—202 acidos Bacchi latices Tritonide olivo admiscere decet — tepido ostendere soli — auribus et tineas candente pellere cultro.

Licet libenter concedam ex his vocabulis inter se collatis nequaquam sequi, Nemesianum Grattii carmen imitatum esse, aut legisse, tamen modum non servat, qui cum viro docto Curcio contendit te, si accurate examinas tabulam, quam supra ostendi, tibi facile persuasurum Nemesianum ignorasse Grattii Cynegetica. Nam quamquam uterque poetae differt in cane venatico describendo et in remediis morborum enumerandis, tamen omnes res, quas tractat Nemesianus, apud Grattium quoque reperiuntur, et de *retibus, pennatis, canum coitione et cibo* loquentes ambo complura communia habent; tamen mihi constat, quod etiam de canum equorumque tabulis dixi, hoc modo problema solvendum non esse. *Aliis igitur opus argumentis.*

Est in Grattii carmine locus lepidissimus, ubi de catulis loquitur poeta; iam cum admodum parvi sunt canes, cernere possumus, quinam ex iis egregii canes venatici futuri sint:

- 290 signa dabunt ipsi. teneris vix artibus haeret  
 ille tuos olim non defecturus honores,  
 iamque illum inpatiens aequae vehementia sortis  
 extulit: adfectat materna regna sub alvo;  
 ubera tota tenet, a tergo liber aperto,
- 295 dum tepida indulget terris clementia mundi;  
 verum ubi Caurino perstrinxit frigore vesper,  
 irreptat <sup>1)</sup> turbaque potens operitur inertis.

1) Sic ex Radermacheri coniectura incerta scribo.

*illius et manibus vires sit cura futuras  
perpensare: leves deducet pondere fratres.*

Idem fere praeceptum dat Nemesianus (vs. 138, 139):

*pondere nam catuli poteris perpendere vires  
corporibusque leves gravibus praenosceri cursu.*

Vir doctus Curcio similitudinem horum locorum ita explicare conatur: „la uguaglianza del pensiero deriva dalla medesima consuetudine, che i due poeti ci narrano; ma non c'è alcuna giacitura di parole nei due luoghi che tradisca imitazione di forma, la sola che in questo caso avrebbe valore.” Si quis tamen versus Nemesiani accurate examinat perpenditque, possunt adhiberi ad redarguendum virum doctum Curcio; sed nondum excussi sunt.

Primum tamen operae pretium est monere Nemesianum, postquam de catulis pendendis locutus sit, etiam aliud praeceptum dare, quo egregii canes a ceteris secernantur: totum locum exscribam:

140 quin et flammato ducatur linea longe  
circuitu signetque habilem vapor igneus orbem,  
inpune ut medio possis consistere circo:  
huc omnes catuli, huc indiscreta feratur  
turba: dabit mater partus examen, honestos

145 iudicio natos servans trepidosque periclo;  
nam postquam conclusa videt sua germina flammis,  
continuo saltu transcendens fervida zonae  
vincla, rapit rictu primum portatque cubili,  
mox alium, mox deinde alium. sic conscia mater  
segregat egregiam subolem virtutis amore.

Haec apud classicae, quae dicitur, aetatis scriptorem non leguntur; recurrit demum fabula apud Demetrium Constantinopolitanum (Aelian. ed. Hercher II, p. 588), qui haec narrat:

*εἰ ἐπιθυμεῖς καλοὺς κύνας κτᾶσθαι, οὕτως αὐτοὺς δοκίμαζε· στεφανοειδῆ κύκλον ποιήσας ἀπὸ χόρτου, ὅσον περιγραφὴν τροχοῦ ἀμάξης, θές τὰ σκυλάκια εἰς μέσον τοῦ κύκλου· τὴν δὲ κύνα ἔχε ἰδίᾳ· ὕφαπτε δὲ τὸν χόρτον κύκλω καὶ ἠνίκα ἴδης τὸν χόρτον ὕφαπτόμενον, ἀπόλυε τὴν κύνα· καὶ ἴδης ὅτε εἰσέρχεται ἀνὰ μέσον τοῦ πυρὸς μὴ φοβουμένη, ἀλλὰ φίλτρῳ κατεχομένη τῶν ἰδίων τέκνων, ἐπιλέγεται δὲ φυσικῶ τινι πόθῳ καὶ διακρίσει τὰ βελτίονα καὶ ἐξάγει.”*

Deinde Demetrius haec addit:

ἐν καὶ ἄλλῃ δοκιμασίᾳ τοῦ βελτίονος σκύλακος. ἐν ζυγῶ  
σταθμῆσας τὰ κυνάρια ἐπίλεξαι τὸ βαρύτερον.

Quaeritur, quomodo hoc explicandum sit. Duae tentari possunt  
explicationes. Aut Demetrium utrumque praeceptum ex Neme-  
siano hausisse sumas, aut et Nemesianum et Demetrium quae  
narrant ex scriptore aliquo antiquiore petisse; si haec coniectura  
vera sit, non tamen licet credere Grattium quoque ab hoc  
scriptore τὰ περὶ δοκιμασίας sumpsisse, nam apud eum catuli  
*manibus*, non — ut apud Demetrium — *trutina* <sup>1)</sup>, pensantur.  
Fac autem hoc verum esse Nemesianum et Grattium alterum  
ex altero fonte Graeco hausisse; nonne sic admodum mirum,  
vel potius, paene incredibile eos, qui non eundem scriptorem  
secuti sunt, tamen vocabulis uti inter se similibus? Nonne vel  
sic sumere necesse est Grattii carmen Nemesiano fuisse notum?  
Quod nunc planum facere conabimur.

Examinemus primum singula verba quibus Grattius in hac re  
describenda utitur: *illius et manibus vires sit cura futuras |  
perpensare*; notatu dignissima sunt verba quae litteris inter  
se distantibus imprimenda curavi; nonne audacter dictum *vires  
perpendere*? nam *perpendere* reddere *examinandi* verbo non licet.  
Qui autem Grattii modum scribendi notum habet, scit eum  
*πρᾶκκεκινδυνευμένον τι* valde in deliciis habere; complura verba  
apud eum novo sensu adhibentur, nobis saltem minus noto,  
cf. editionem viri docti Curcio p. xvii.

Quodsi eandem verborum iuncturam — *perpendere vires* —  
apud Nemesianum reperimus, nonne fit veri simillimum poetam  
Carthaginiensem hunc Grattii locum notum habuisse? praesertim  
cum uterque poeta ea compositione *pendendi* verbi utatur, quae  
a praepositione *per* incipit; potuerat enim Nemesianus idem  
enuntiare verbo *pendere* vel *expendere*; quin etiam iure meo  
contendo ipsum *pendendi* verbum non unicum fuisse, quo uti  
posset, nam apud eum *perpendere* nihil nisi *examinare* significare  
videtur, quod perspicuum fiet, si utrumque locum Grattii et  
Nemesiani Franco-Gallice vertam: apud illum legimus: „tu peux  
aussi, en le pesant dans les mains, apprécier ses forces futures”;

1) Nemesianus non addit, quomodo pendendi sint catuli, *manibus an libra*.

apud hunc vero: „tu pourras, à leur poids, t'assurer de leurs forces". Vides hoc argumentum multum valere, nam si τὸ „examinare vires" et nihil aliud exprimere vult poeta, complura ei praesto sunt verba; quod Nemesianus ex his verbis τὸ „perpendere" potissimum elegit, id mero casui tribuere equidem nolo.

Sed aliud habeo argumentum quo tibi me persuasurum esse credo id, quod nunc veri simile tantum sit, tum fieri certissimum.

Si quis Grattii et Nemesiani perlegerit carmina, animadvertet illum <sup>1)</sup> artis venandi peritiorum esse quam poetam Carthaginiensem; hic enim ipse nobis se aliquamdiu incertum fuisse narrat, quod genus carminis pangeret; omnes temporum antiquorum fabulas in Cynegeticorum suorum prooemio recensens dicit:

haec iam magnorum praecepit copia vatam  
omnis et antiqui vulgata est fabula saeculi;

ita factum est, ut viam tritam relinquere cupiens ad venaticum carmen scribendum, cuius materia non ita decantata esset, accingeretur. Legit igitur aliquot libellos ad rem venatoriam pertinentes, colloquitur cum aliquot amicis eius rei peritis; postremum, postquam vix primis labris, ut aiunt, artem venandi gustavit, calamum sumpsit. A tali poeta versus venustos, non doctrinam, non rectum callidumque iudicium expectaveris. Sic apparet, qui fiat, ut Nemesianus, cum verba Grattii *vires futuras perpensare et leves deducet pondere fratres* in suum usum converteret, non satis feliciter interpretatus sit.

Sed primum videndum est, quidnam utriusque poetae verba sibi velint, nam de hac quoque re viri docti in contrarias partes abeunt.

Versus de quibus agimus, in Grattii codice Vindobonensi (A) sic leguntur:

298 illus e manibus vires sit cura futuras

299 perpensare: *levis* deducet pondere fratres.

Pro e (298) cum Heinsio recte editur *et*; difficiliora sunt verba *levis deducet pondere fratres*; Ianus Vlitius (Venatio no-

1) Hoc concedit v. d. Curcio (Riv. d. filol. XXVII. p. 456) „nella poesia di Grazio troviamo ricchezza di cognizioni e notizie, didatticamente intesa."

vantiqua, 1645) *levis* pro accus. plur. (= leves) accipit, et hanc dat explicationem, „graviore praestant, qui fratres suos pondere deducunt, id est, vincunt.” Barthius vero (Venatici et Bucolici, 1613) *deducet* ita interpretatur: „cum levitate sua ipse adscendat, fratres pondere descendere cogit. Loquitur tamquam catuli in libra appensi essent.” Idem fere legimus apud Wernsdorfium, qui locum sic intellegit: „qui generosior est catulus, ipse *levis* ascendet (sc. cum perpensatur) et fratres pondere coget descendere; vel nobilior catulus levior pondere erit.” Cum Barthio et Wernsdorfio stat Sternius, qui anno 1832 Grattii et Nemesiani carmina cum commentariis edidit, et Fiegl. Quominus hanc interpretationem veram ducamus, obstat primum quod non de *trulina* cogitare licet, ut vox *manibus* docet, deinde praeceptum Demetrii, quod cum aliis rebus, quas narrat, ex fonte antiquiore haustum est: *σταθμῆσθε τὰ κονάρια ἐπιλεξαί τὸ βαρύτερον*. Quodsi Vlitio adstipulamur, poetam dicentem facimus id quod naturae convenit, neque enim absurdum est credere canem, qui cum parvus est, gravior sit, postea robustiorem fieri quam eum catulum, qui initio *levis* est, neque huic obstat interpretationi quod Grattius v. 290 *teneris. vix artibus haeret* de cane generoso dicit, nam adverbium *vix*, id quod recte vidit recentissimus Grattii editor, Vollmer, coniungendum est cum *iamque* (292), ita ut sententia evadat haec: „iam, cum tenerrimus est, se supra fratres extollit.” Restat tamen difficultas, quam praebet *deducendi* verbum. Vlitius nihil addidit, quo suam stabiliret opinionem; Curcio haec scribit in commentario suo: „*deducet pondere fratres*: qui *deducere* è costruito come *privare, spoliare etc.* „sminuirà di peso i fratelli, sottrarrà peso ai fratelli,” e perciò „li vincerà nel peso”.

Sic tamen verbum *deducere* interpretari prorsus non licet neque addidit Curcio ullum locum similem. Vollmerus in commentario critico editionis suae praestantissimae legentem ad Thesaurum linguae Latinae V. 280. 60 sq. delegans *deducet* verbo *detrectabit* reddit; neque tamen loci in Thesauro collecti cuiquam persuadebunt, quapropter alia ibimus via. Verbum *deducendi* saepius *ad humiliorem statum referre* significare et alii loci et hic Livii (IX. 34. 18) docet: „solemne ab ipso, cui fit, institutum deo, ab nobilissimis antistitibus eius sacri ad servo-



rum ministerium *deduxisti*"; nostro autem loco similis est Ciceronis locus, quem legimus „de Finib.” V. 91, 92 „audebo igitur cetera quae secundum naturam sunt bona appellare nec fraudare suo vetere nomine potius quam aliquod novum exquirere, virtutis autem amplitudinem quasi in altera librae lance ponere. *Terram, mihi crede, ea lanx et maria deprimet*". Hoc loco *deprimere* = „vincere”; duae enim imagines confunduntur inter se, nam si Cicero de *trutina*, cum *terram* eqs. scribebat, cogitasset, *attollet vel elevarit*, non *deprimet* scripsisset; sic nostro loco *deducet* (quamquam non licet dicere imagines confundi, cum *manibus* pendantur catuli) *deprimendi* vim habet.

Statuamus nunc, quidnam Nemesianus dicat vs. 138:

138 *pondere nam catuli poteris perpendere vires*

139 *corporibusque leves gravibus praenosceres cursu*

nam de horum quoque versuum sententia variis modis iudicatur; quaeritur enim quid sibi velit vs. 139, mihi eius sensus minime obscurus videtur, et quivis, puto, versum citatum legens Vltio nostrati assentietur, qui locum sic interpretatus est: „a gravibus corporibus agnosces leves (sc. cursu): gravissimi enim catuli velocissimi evadunt, quia scilicet ex pondere futura illorum magnitudo, ex magnitudine velocitas praesumitur.”

Wernsdorfius contra sic explicat: „*poteris e corporibus gravibus* vel iis quae praeponderant, *praenosceres* qui *leves* cursu futuri sint, nempe leviores pondere”. Eum sequuntur Sternius et Fiegl. Vix tamen dictu opus est hanc interpretationem admodum contortam esse, neque haec Sternius et Fieglus probassent, nisi voluissent Nemesianum idem dicere atque Grattium, quem tamen, ut supra demonstrare conatus sum, in hac re non bene intellegebant.

Contendit igitur Nemesianus *ponderosissimos catulos postea levissimos cursu* i. e. *celerrimos fieri*. Haec recta loci interpretatio; sed num et verum est quod dicit bonus Nemesianus?

Graves catuli grandia membra promittunt, non tamen velocitatem; potest fieri ut canis corporis vim habeat magnam, careat autem velocitate. Oppianus, Cyneg. I. 423. 24:

*κραιπνοὶ δ' οὐ τελέθουσιν, ἀτὰρ μένος ἔνδοθι πολλόν,  
καὶ σθένος ἄφραστον, καθαρὸν, καὶ θυμὸς ἀναιδής.*

Nemesianum autem a venatore audivisse aut e libro venatico

hausisse opinionem suam gravissimos catulos celerrimos evadere mihi quidem absurdum videtur; cur haec contendere potuerit, tum demum luce clarius fit, si assumimus Nemesianum verba Grattii *leves deducet pondere fratres* imitatum esse neque tamen bene intellexisse. Cum enim legeret: „talis canis (qualis in praecedentibus describitur) leves fratres superabit”, sententiam, ut rei venatoriae imperitus erat, in hunc modum supplevit, quasi non de *vi corporis*, sed de *velocitate* cogitavisset Grattius. Nihil est quin male narrando depravari possit! Fortasse studium quoque verbis ludendi *graves* catulos *leves* cursu fieri eum haec scribere coegit.

En firmissima argumenta quae clament Nemesiano Grattii notum fuisse carmen. Sunt et alii loci collati ad ostendendum Nemesianum Grattii Cyngetica legisse, sed non eiusmodi sunt, ut adversario persuadere possint; si cui tamen ea quae supra disputavi persuaserim, is nonnullos locos a viro docto Fiegl citatos alicuius momenti esse ad nostrum problema solvendum haud negabit; eligam autem non nisi eos qui mihi in hac re utiles esse videantur, simul aliquid addens, quo melius appareat eos ad nostrum pertinere propositum, id quod omisit vir doctus Fiegl.

*Grattius* 75 decerptae *vulture* plumae.

77 iungantur vellera *cygni*.

78 haec *clara luce* coruscant.

80 meliusque *alterna* valet res.

86 *Libyco* fucantur *sandyce* pennae.

*Nemesianus* 312 dat tibi pennarum terrentia millia *vultur*.

314 dantque grues *cynique*.

307 (pinnae) ceu *fulgura caeli* | terrificant.

311 *alternosque* metus.

309 has igitur vario semper *fucare* veneno | cura tibi.

317 hinc mage *puniceas nativo* munere sumes.

*Grattius* 235: cum sequitur iuxtaque *domos* | quaesita | *ferarum*.

*Nemesianus* 98: te sequimur, tu pande *domos* | et *lustra* | *ferarum*.

Operae pretium est monere apud utrumque poetam verba *domos* et *ferarum* prorsus eodem loco versus legi.

Uterque poeta canis venatici descriptionem eodem modo orditur:

*Grattius* 269 *sint celsi voltus, sint hirtae frondibus aures.*

*Nemesianus* 108 . . . *sit cruribus altis,*

109 *sit rigidis.*

Uterque poeta catulos nominat *minores*, cf. *Gratt.* 303 illa perinde suos, ut erit, de lacte *minores* | ad longam praestabit opem.

*Nemesian.* 128 *mox non omnes nutrire minores.*

Hic quoque moneo vocem *minores* apud utrumque poetam eodem legi contextu, quin etiam prorsus eodem versus loco.

Deinde cum Fieglio comparandus est is locus, ubi de rabie canina loquitur Nemesianus, quam *letale periculum* (203) dicit; apud Grattium rabies *letale malum* (384) vocatur.

Sed, ut supra dixi, his argumentis talibusque locis *παράλληλοις* non nimium tribuendum est; et haec est causa, cur tam facile fuerit viro docto Curcio Fieglii impugnare sententiam.

Si quis problema, de quo egimus, solvere vult, ei proficiendum est a versibus qui apud utrumque poetam agunt de canibus perpensandis; mihi <sup>1)</sup> quidem constat, his locis accurate inter se comparatis, luce clarius esse Nemesianum Grattii carmen bene notum habuisse (quam multa ei in eligenda materia debeat, docet tabula, p. 60. 61; cf. etiam p. 67) licet alios quoque fontes recentiores adierit.

---

1) Iuvat me legentem admonere Fridericum Vollmerum, cui tam accuratam Grattii debemus editionem, apud Pauly-Wissowam de tota hac quaestione, utrum Nemesianus Grattium legerit necne, sic iudicare: „ich bin geneigt es zu glauben trotz Curcio“; „sein ja auch nur als Bruckstück auf uns gekommenes Gedicht macht ganz den Eindruck eine teilweise erweiternde Umarbeitung des ersten Buches von G. zu sein.“ Argumentum tamen ad opinionem suam stabiliendam adfert nullum.

## DE FIDE NATALIS COMITIS.

SCRIPSIT

A. G. ROOS.



Fragmenta auctorum Graecorum, qui de rebus ad deorum cultum pertinentibus opera singularia scripserunt, collegit nuper et adnotationibus illustravit Aloisius Tresp <sup>1)</sup>. Exilis sane messis viro diligentissimo contigit, cum ex 49 auctoribus fragmenta tantum 179 congesserit, eaque parvi plerumque ambitus, misellas eheu reliquias eorum operum quae, si superessent, doctrinam nostram de Graecorum religione et cultu non paulum amplificarent. Utinam reddat nobis aliquando dives Aegypti solum scripta qualia fuerunt Philochori *περὶ ἑορτῶν* vel Sosibii *περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν* vel Polemonis τοῦ *στηλοκόπου* doctas elucubrationes!

In tanta reliquiarum inopia non mireris, Trespium quoque-versum circumspexisse, unde augetur fragmentorum numerum. Quo factum est ut in Praefatione iure gloriari possit quod e fragmentis a se collectis in Mülleri *Historicorum Graecorum Fragmentis* 38 plane desiderantur, ceteraque magnam partem apud Müllerum non integra leguntur. Sed idem perfectionis studium eum permovisse videtur ut pauca fragmenta libro suo insereret quae non apud veterem aliquem auctorem, sed in libro a viro erudito recentioris demum aetatis scripto inveniuntur et huius solo testimonio nituntur. Cui cum fidem habuerit

---

1) *Die Fragmente der griechischen Kultschriftsteller gesammelt von Alois Tresp* (*Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten. XV, 1*). Giessen 1914. Cuius operis censuram egi in Museo nostrati, Vol XXIV, p. 1 sqq.

Trespis, meo quidem iudicio decipi se passus est, et pro antiquae doctrinae reliquiis edidit quae re vera saeculo decimo sexto sunt ficta.

Fragmenta, quae volo, sumpsit e Natalis Comitum *Mythologia*, quod opus primum in lucem prodiit Venetiis anno 1551 apud Aldum, deinde per plus centum annos saepius recusum est <sup>1)</sup>. Fuit Natalis Comes (vulgo Natale Conti) homo doctus Italus, Mediolani natus, qui totam vitam Venetiis degit ibique anno 1582 mortuus est. Pepigit varia carmina Latina, praeterea nonnullos auctores Graecos, rhetores praesertim, Latine vertit, inter quos praee ceteris nominandus est Athenaeus, quem primus Latinitate donavit (Venetiis, 1556). Non sine vitiiis hac opera defunctus videtur esse, siquidem Daniel Huetius, *De claris interpretibus* II p. 167, gravissimum de eo tulit iudicium, et Scaliger „hominem futilissimum” eum appellavit <sup>2)</sup>.

In *Mythologia* sua Natalis Comes auctorum Graecorum (Philochori, Androtionis, Anticlidis aliorum) locos nonnullos laudavit, qui vel apud alios sine auctoris nomine traduntur vel praeter eum apud neminem leguntur. Fieri quidem potuit ut homo Italus medio saeculo decimo sexto codices aliquos nunc deperditos, qui antiqua scholia vel lexica continebant, in manibus haberet, e quibus fragmenta illa sumpserit, sed cum hoc per se minime veri simile sit, debuerat Trespis, antequam iis in collectione sua locum assignaret, ratione investigare utrum genuina essent necne. Quo negotio a Trespicio neglecto nunc perfungi conabor. Quaerendum igitur est, num fragmentorum, quae Natalis vel solus tradit vel solus auctori cuidam assignat, originem invenire

1) *Mythologiae sive explicationis fabularum libri X, in quibus omnia prope naturalis et moralis philosophiae dogmata contenta fuisse demonstratur*. Venetiis, apud Aldum, 1551 et 1581; Francofurti, apud Wechelum, 1581 et 1584, et saepius alibi (postremum Genevae 1653). Cf. de hoc opere Gruppe, *Die griechischen Culte und Mythen* I p. 30: *So ist z. B. der erste eigentliche Mythendeuter der Neuzeit Natalis Comes, dessen zehn Bücher über Mythologie trotz des absprechenden Urteils eines Scaliger fast ein Jahrhundert lang einen bestimmenden Einfluss auf die Mythendeutung ausgeübt haben, der schon im Altertum verbreiteten Ansicht, dass in den Mythen philosophische Lehren dargestellt seien.*” Quod iam ex eius operis titulo apparet.

2) Utriusque viri docti iudicium laudatum inveni in opere cui titulus: *Nowelle biographie générale*, Tom. XI p. 675. In Sandysii studiorum humaniorum historia (*History of classical scholarship*) Natalis ne nominatur quidem.

possimus. Si demonstramus Natalem nonnulla eorum sumpsisse ex operibus adhuc exstantibus, ubi ἀνανύμως servata sunt, et eum nomina clarorum auctorum de suo iis addidisse, etiam ceterorum fides erit imminuta.

Sicut in auctoris alicuius codicum manuscriptorum stirpe statuenda magno usui esse solent ea vitia, quae variis codicibus communia sunt, et sicut saepe mendum, quo codex aliquis inquinatus est, causam fuisse videmus, qua in alio codice lectio in peius etiam abierit, (quo patet hunc ex illo originem ducere) — eadem ratio etiam in hac quaestiuncula obtinet. Initium faciemus a Tresprii fragmento 25, quod excerptit e Natalis Comitum Mythologia, Lib. V cap. 8 p. 465 editionis Wechelianae anni 1584 (huius editionis, cuius exemplar possidet bibliotheca Lugduno-Batava, paginas semper laudabo; quae diductis litteris expressa uides, ea meo iussu ita excusa esse scias): „*alii memoriae prodiderunt, quod Bacchus aetate confectos Silenos in Italia reliquit, cum ad bellum adversus Tarsenses exireturus esset; quibus mandavit, ut vites curarent, quo vini ferax efficeretur Italia. Quare posteri statuas deinde Silenorum vinum in utribus ferentes ad perpetuam Silenorum memoriam erexerunt, ut testatus est Androtion in libro de sacrificiis secundo et Dionysiocles.*” Miramur Bacchum urbis Tarsi incolis bellum inferentem, quamquam duos auctores affert Natalis, sed inspicias velim Etymologicum Magnum v. Κολώνεια . . . Φασὶ γὰρ τότε τὸν Διδύσσον τὸν ἐπὶ Ταρσηνοὺς ἀπίοντα πόλεμον (ita editiones quibus uti potuit Natalis; anno demum 1594 in Etymologici editione Commeliniana Sylburgius reposuit: Φασὶ γὰρ ποτε τὸν Διδύσσον, ἐπὶ τὸν πρὸς Τυρσηνοὺς ἀπίοντα πόλεμον), τοὺς γεγραμμένους τῶν Σειληνῶν μετὰ τῆς ἀχρήστου ἡλικίας ἐν Ἰταλίᾳ καταλιπεῖν· τοὺς δὲ τραπήναι ἐπὶ ἀμπέλων ἐπιμέλειαν, καὶ εὖσινον γενέσθαι τὴν Ἰταλίαν· τοὺς δὲ γεωργοὺς οἱ Ἰταλοὶ κολώνους ἐκάλουν· ὡς καὶ ἰδρῦσασθαι τοιαῦτα ἀγάλματα οἰνοφοροῦντα ἐν ἀσχοίς. ἐσπούδαζον δέ, καὶ ἄς ᾤκουν πόλεις οἱ Ἰταλοὶ, τιμὴν ταύταις παρέχειν, ἀνιστάντες δαίμονά τινα ὡς πρεσβύτην ὅμοιον Σειληνῶ . . . ταῦτα εἴρηται Χάρακι ἱστοριογράφῳ<sup>1)</sup>.

1) Est hic locus fragmentum 22 Characis Pergamei, in Mülleri *Fragm. Histor. Graec.* T. III p. 641.

Nonne vides mendosam Etymologici lectionem *Ταρσηνοῦς* apud Natalem in Tarsenses abiisse, neque dubitari posse quin Natalis sua ex Etymologico deprompserit et pro Charace Androtionem et Dionysioclem auctores de suo ascripserit? <sup>1)</sup> Sed unde haec duo nomina Natalis arripuit? De Dionysiocele ita Tresp in adnotatione ad h. l. p. 70: „*Dieser Name (Dionysocles sc., quod Tresp tacitus reposuit pro Dionysiocles, quod habet Natalis Comes) wird, wie es scheint, nur noch erwähnt bei Strab. XIV 1, 42, wo es sich um einen Rhetor Dionysokles handelt (vgl. Radermacher bei PW V 1007 u. d. W. Dionysokles). Möglicherweise sind beide identisch. Jener Zug des Dionysos nämlich gegen die etruskischen Seeräuber wird auch erwähnt von dem Rhetor Aristoteles or. IV 30 (I 50 Dindorf).*” En bellam argumentationem! Sed, o bone, multo simplicius res se habet. Dionysiocles, a Natale Comite testis citatus, cuius nomen apud auctores antiquos frustra quaeras, nullus alius est nisi Dionysiocles medicus, quem inter dipnosophistas bis loquentem inducit Athenaeus (III 96 d, 116 d–f), cuiusque personam Natalis, Athenaei interpres, ab eo mutuatus est. Athenaei enim codices et editiones veteres formam *Διονυσιοκλῆς* praebent, pro qua Kaibel demum reposuit *Διονυσοκλῆς*!

Actum est de Dionysiocele, opinor. Quid faciamus Androtione „*in libro de sacrificiis secundo*”? Androtion, Isocratis discipulus et Demosthenis aequalis, *Ἀθίδος* cuiusdam nunc deperditae auctor fuit, sed libri de sacrificiis a Natale Comite laudati apud veteres nunquam mentio fit, qui praeter *Ἀθίδα* nullum eius opus noverant, cf. Schwartz apud Pauly-Wissowa I p. 2173, Christ-Schmid, *Gesch. d. griech. Lit.* II 1 p. 81. Tuto igitur statuere licet Androtionis de sacrificiis librum nunquam existitisse, sed a Natale Comite, qui multis auctoribus citatis gloria retur, esse excogitatum: auctoris nomen ex Athenaeo suo (IX 375 b) noverat, operis titulum facile fingere potuit.

Aliter de hac re sentit Tresp, nam locum de Silenis supra exscriptum non quidem putat fluxisse e libro de sacrificiis Androtionis, sed ex Andronis de sacrificiis (*περὶ θυσιῶν*) libro.

1) Etymologici locum Tresp in calce fragmenti e Natale deprompti exscripsit, quo magis miror eum non perspexisse, quae inter utrumque ratio intercedat.

Quid enim? In Apollonii Hist. mir. 8 (Rerum natural. script. ed. Keller p. 47, 4) semel laudatur Ἄνδρων ἐν τῇ δ' τῶν πρὸς Φίλιππον θυσίῳν. Quis fuerit hic Andron, quo tempore vixerit, cuinam Philippo librum suum dedicaverit, plane ignoratur, cum praeter Apollonii locum nunquam apud veteres de hoc opere sermo sit. Müllerus, *Fragm. Histor. Graec.* II p. 346, quem sequitur Trespius p. 67, Andronem libri de sacrificiis auctorem eundem fuisse suspicatur atque Andronem Halicarnassensem, qui saeculo, ut videtur, quarto opus scripsit, quod inscriptum erat Συγγένεια, e quo fragmenta aliquot aetatem tulerunt, sed haec coniectura incertissima est <sup>1)</sup>. Ex Andronis Halicarnassensis „Genealogiis” sine dubio fluxit locus in scholio ad Soph. Oed. Colon. 1053 (p. 446, 13 ed. Papag.) citatus (fragm. 11 in Mülleri *Fragm. Hist. Graec.* II p. 351): Ἄνδρων μὲν οὖν γράφει οὐ τὸν Εὐμόλπον εὐρεῖν <τὴν> μύθῳ, ἀλλ' ἀπὸ τούτου Εὐμόλπον πέμπτον γεγνότα· Εὐμόλπου γὰρ γενέσθαι Κήρυκα, τοῦ δὲ Εὐμόλπον, τοῦ δὲ Ἀντίφημον, τοῦ δὲ Μουσαίου τὸν ποιητὴν, τοῦ δὲ Εὐμόλπον τὸν καταδείξαντα τὴν μύθῳ καὶ ἱεροφάντην γεγνότα. De Eumolpidarum genealogia eandem doctrinam profitetur Natalis Comes, *Mythol.* I 10, p. 30, et loci exscripti ipsa verba ascribit (inde ab Εὐμόλπου γὰρ γενέσθαι usque ad ἱεροφάντην γεγνότα), sed auctorem nominat non Andronem, sed denuo Androtionem in libro secundo de sacrificiis! <sup>2)</sup> Cuius operis titulum recte a Natale servatum esse suspicatur Trespius p. 69: Natalem enim sua non e scholiasta Sophocleo hausisse, sed fontem adhibuisse qui falsum quidem auctoris nomen, sed titulum libri verum praebuisset. Andronis igitur περὶ θυσίῳν libro cum hunc Natalis locum de Eumolpidis, tum alterum locum de Silenis, de quo iam egi, tribuendum esse <sup>3)</sup>. Quod secus esse

1) Cf. de Androne Halicarnassensi Ed. Schwartz apud Pauly-Wissowa I p. 2159. Et huius et aliorum Andronum reliquias invenias in Mülleri *Fragm. Hist. Graec.* II p. 346 sqq.

2) Natalis Comes, *Myth.* I 10, p. 30: *Androtio vero in libro 2 de sacrificiis non enim Eumolpum inquit illa sacrificia (Eleusinia sc.) invenisse, sed alium Eumolpum, qui fuit quintus a primo, qui pugnavit adversus Erechtheum: sic enim inquit: Εὐμόλπου γὰρ γενέσθαι Κήρυκα, τοῦ δὲ Εὐμόλπον, τοῦ δὲ Ἀντίφημον, τοῦ δὲ Μουσαίου τὸν ποιητὴν, τοῦ δὲ Εὐμόλπον τὸν καταδείξαντα τὴν μύθῳ καὶ ἱεροφάντην γεγνότα.*”

3) Trespius p. 69: „Dass bei Natalis Comes Andron für Androtion zu lesen ist,



apparebit, si scholiorum Sophocleorum editionem aliquam saeculi decimi sexti inspexeris: ea enim in scholio ad Oep. Colon. 1053 supra laudato non habet Ἄνδρων, sed Ἄνδρωτίων; vera lectio Ἄνδρων postea demum e codicibus reposita est. Patet igitur, opinor, Natalem Comitem sua non e fonte aliquo hausisse, qui antiquae doctrinae reliquias aliquot servaverit nunc nobis perditas, sed eum et Graeca verba et nomen Androtionis deprompsisse ex scholio Sophocleo et de suo quasi Androtionis operis titulum addidisse „in libro 2 de sacrificiis”. Falso igitur Trespius locos Natalis Comitum de Eumolpidis et de Silenis ex Andronis *περὶ τῶν πρὸς Φίλιππον θυσιαῶν* libro fluxisse putat et iniuria eos fragmento unico ex hoc opere servato quasi alterum et tertium subiunxit.

Praeter Andronem etiam Philochorum fragmentis e Natale sumptis Trespius ditavit. Natalis enim de Sphinge agens, Lib. IX cap. 18 p. 1018 sqq., praemissa fabula vulgata de Sphinge et de eius aenigmate ab Oedipode soluto, adiecit Sphingem re vera feminam praedatricem fuisse, quae iuxta Moaben locum Phycumque montem rapinas exercuerit, donec Oedipus eam cum Corinthiorum exercitu superaverit, „ut scripsit Strabo libro nono et Phanodemus libro quinto rerum Atticarum”<sup>1)</sup>. Deinde sic pergit: „*Philochorus in libro de sacrificiis Minervae consilio edoctum Oedipum inquit societate rapinae simulata se ad Sphingem contulisse atque novis semper sociis Oedipo se addentibus, denique illam cum magna suorum manu oppressisse,*” quem locum Trespius collectioni suae inseruit p. 71. Iam Müllerus, *Fragm.*

*ersieht man aus dem zitierten Scholion zu Sophokles, wo Handschrift und Triklinios Ἄνδρων bieten. Müller will nun dies Fragment der Atthis des Andron zuweisen [Andronis Halicarnassensis Συγγενηῶν libro octavo titulum Atthidos fuisse suspicatur Müllerus]. Doch vielleicht bietet hier einmal der freilich sehr unzuverlässige Natalis Comes den richtigen Buchtitel; dann geht er sicher nicht auf den Scholiasten, sondern auf eine Quelle zurück, wo der falsche Name, aber der richtige Buchtitel stand. Falls dies zutrifft, darf man annehmen, dass Natalis Comes auch für die nächste Stelle (Fr. III) [locum de Silenis vult de quo supra egi] den richtigen Buchtitel angibt, zumal der Inhalt dieses Fragmentes zum Charakter des umfangreichen Opferbuches Androns passt.”*

1) Apud Strabonem haec frustra quaeras, et sine dubio etiam Phanodemum auctorem Natalis e mentitus est. De auctoribus antiquis, qui hanc formam fabulae de Sphinge ab Oedipode trucidata tradiderunt cf. Höfer in Roscheri Lexico Mythologico III 1, p. 716 et Robert, *Oedipus* I p. 501 sqq., cum adnotationibus II p. 168 sqq.

Hist. Graec. I p. 413 No. 174, animadvertit, non posse hoc fragmentum confidenter Philochoro tribui, cum, ut rectissime dicit, „*Natalis Comes mendaciis fallere soleat*”. Cui oblocutus Trespius genuinum id esse affirmat, iniuria, si quid video. Nam fabulam de Oedipode primum rapinarum Sphingis particeps, tum illius percussore, quam e Philochoro se sumpsisse Natalis profitetur, nosse potuit e compluribus auctoribus antiquis (e. g. e Malala 51, e Cedreno 1, 45, e Suida s. v. *Οιδίπκος*, e Tzetzza ad Lycophr. 7); unica vero res, quae in his fontibus non invenitur, nempe Oedipum Minervae consilio edoctum esse, Natalem fraudis arguit: ex auctoribus enim antiquis nemo in fabula de Sphinge Minervae ulla partes tribuit <sup>1)</sup>. Nullus igitur dubito quin cum Philochori auctoritatem tum Minervae consilium Natalis ementitus sit.

Fragmentis Philochoreis etiam alium locum Trespius p. 74 inseruit, desumptum e Natale Comite I p. 36: „*erant autem cantilenae in sacris nihil aliud, quam commemorationes eorum beneficiorum, quae dii ipsi in homines benigni contulerant, cum virium ipsorum deorum et clementiae et liberalitatis amplificatione, et cum precibus, ut benigni ac faciles precantibus accederent, at ait Philochorus in libro de sacrificiis, ut significant hymni Orphei, et iubet omnis ratio conscribendorum hymnorum, quale est id Apoll. lib. 2*” (sequitur Apoll. Rhod. Argonaut. II 703—709). Ex auctoribus antiquis locos parallelos ad hoc fragmentum Trespius

---

1) Cf. Höfer in Roscheri Lexico Mythologico III 1, 715 sqq., et Robert, qui nuper in libro cui titulus *Oidipus, Geschichte eines poetischen Stoffes im griechischen Altertum*, omnes de Oedipode fabulas diligentissime persecutus est. Trespius sane suspicatur p. 74, picturam, quae in lecytho quodam Attico saeculi quarti ineuntis conspicitur, exhibere Minervam Oedipo opem ferentem, et ibi igitur eandem fabulae formam inveniri ac in Philochori fragmento a Natale Comite citato. In eo vasculo, quod Murray, Journ. of hell. stud. VIII 1887, p. 320 publici iuris fecit et cuius imaginem praeterea habes apud Robert, *Oidipus* I p. 50, vides Oedipo Sphingem trucidanti adstantes ab una parte Minervam et Aenean, ab altera parte Apollinem, Castorem, Pollucem. Sed haec pictura, cuius singulas figuras ab artifice ex diversis artis statuarum praeclaris exemplis expressas et in operis musivi modum congestas esse exposuit Robert, *Oidipus* II p. 21 adnot. 6, nihil ad eam fabulam, quam Natalis l. l. Philochoro tribuit, pertinet: Sphinx enim, ad quam Pseudo-Philochorus a Natale Comite laudatus Oedipum Minervae consilio edoctum societate rapinae simulata ac contulisse inquit, femina est, cum in pictura supra dicta illud animal formae monstrosae conspiciatur!

non attulit; mihi quidem verba exscripta magis saeculi decimi sexti virum philosophum quam iuris sacri Attici interpretem veterem sapere videntur, neque ex huius *περὶ θυσίων* libro ea fluxisse sed ab illo esse excogitata puto.

Finem disputationis faciat Natalis Comitum locus a Trespio p. 50 Autoclididi attributus, auctori aetatis incertae, cuius liber *Ἐξηγητικὸν* vel *Ἐξηγητικὰ* inscriptus laudatur a Plutarcho in vita Niciae 23 et ter ab Harpocrate (s. v. *δξυθύμια, παλαμναῖος, προκώνια*). Vulgo viri docti putabant nomen eius fuisse *Ἀντικλείδης* et pro eodem eum habebant atque Anticlidem Atheniensem, qui saeculo tertio ante Chr. n. *Δηλιακά, Τὰ μετ' Ἀλέξανδρον, Νόστοι* conscripsit, sed cum quattuor locis supra laudatis codices formam *Ἀυτοκλείδης* praebeant, recte Ed. Schwartz (apud Pauly-Wissowa I 2425 s. v. *Antikleides* et II 2597 s. v. *Autokleides*), quem secutus est Trespius p. 44, exposuit, auctorem τοῦ *Ἐξηγητικοῦ* Autoclidem ab Anticlido distinguendum esse et igitur apud Athenaeum, qui semel (XI 473 b) eius *Ἐξηγητικόν* laudavit, quo loco codices et editiones exhibent ὡς *Ἀντικλείδης Φησὶν ἐν τῷ Ἐξηγητικῷ*, reponendum esse *Ἀυτοκλείδης*. Athenaeus enim saepius Anticlidis *Νόστους* citavit, et facile igitur vel ipsius vel scribae culpa insolitum Autoclidis nomen in formam magis notam Anticlidis abire potuit <sup>1)</sup>.

Iam ad Natalem Comitem revertamur. Is postquam exposuit, I 10 p. 27, ad sacra accedere nemini licere nisi lotis manibus, cuius rei auctores exscripsit Virg. Aen. II 717—720 et Hom. Il. VI 266—268, sic pergit: „*existimabant enim antiqui eandem esse animi quam etiam corporis purgationem; ut cum quis in flumine manus aut corpus abluisse post caedem, ille purus statim efficeretur; quare ita scribit Anticlidides libro 74 redituum: ἔθος γὰρ ἦν τοῖς παλαιοῖς, ὅπερ καὶ νῦν ἀκμάζει, ὅταν ἡ Φόνον ἀνθρώπων, ἢ καὶ ἄλλας σφαγὰς ἐποίουν, ὕδατι ἀεννάω τὰς χεῖρας ἀπονίπτειν εἰς τοῦ μιάσματος κάθαρσιν.*” Quae verba Graeca Trespius p. 50 fluxisse putat ex Autoclidis τῶν *Ἐξηγητικῶν*

1) Anticlidis reliquias habes in Mülleri Scriptorum Alexandri Magni fragmentis p. 147 sqq., ubi sub eius nomine etiam fragmenta e libro *Ἐξηγητικῶν* servata inveniunt; haec dedit Trespius p. 44 sqq. De Anticlido cf. praeterea Susemihl, *Gesch. d. gr. Lit. in der Alexandrinerzeit* I p. 584.

libro et huius fragmentis addidit. Mihi quidem videtur Natalis nomen auctoris, quem citat, sumpsisse ex Athenaeo. Quid enim? Citatur Anticlidis *Νόστων* liber II ab Athenaeo IV 157f, liber VIII ab Athen. IX 384d, liber XVI ab Athen. XI 466c (ubi pro *ἐν τῷ 15'* Kaibel coniecit *ἐν τῷ 5'*), cetera ex eo opere fragmenta sine numero libri tradita sunt, sed Natalis Comititis aetate apud Athen. IX 384d editiones praebebant: *Ἀντικλειδῆς δ' ἐν ἑβδόμηκοστῷ δγδδὲ Νόστων*, quo loco nunc e codicibus pro *ἐν οη'* restitutum est *ἐν η'*. En igitur mendosam lectionem, opinor, e qua Natalis auctorem Anticlidem libro 74 redituum finxit. Quod ad verba Graeca attinet ab eo allata, ea vel in scholio nescioquo invenit et ficto auctoris nomine ornavit, vel praeter auctoris nomen etiam verba ipse excogitavit<sup>1)</sup>, nam antiquos in lustrationibus manus lavare solitos esse ei notum fuit e. g. e Dorothei fragmento apud Athen. IX 410a vel ex Apollonii Rhodii (quem identidem citat) Argon. IV 705 sqq.

Fragmenta a Trespio e Natale Comite sumpta et collectioni suae inserta iam tractavimus. Sufficiunt ea, opinor, ut intelligamus Natalem Comitem, virum doctrinae gloriam concupiscentem, scientia, quam habebat auctorum veterum, abusum locos, quos *ἀνωνύμως* traditos invenisset, auctoris alicuius nomine ditare et commenta sua pro antiquis venditare solitum esse, neque igitur licere, si fragmentum aliquod vel auctoris nomen sola Natalis fide nitatur, — et praeter locos, de quibus egi, talia multa apud eum leguntur — inter veterum reliquias id admittere. Iam homo vafer in Orcum redeat, unde invita Minerva nuper erat excitatus.

---

1) Si verba Graeca genuina essent, expectares *ἐποίησαν* pro *ἐποίηον*.

## AD CIC. TUSC. DISP. 3. 19. 45.

SCRIPSIT

W. STUART MESSER.



O poetam egregium! quamquam ab his cantoribus Euphori-  
onionis contemnitur.

Egregius ille poeta, quamquam aetate haud multum a Naevio distabat, in carminibus scribendis rationem iniit longe dissimilem. Nam cum Naeivius incondita prompsisset carmina quae sine ulla arte, numero Saturnio illo horrido, inornatis nominibus et verbis, pedestri ac satis arido stilo, res gestas Romanorum ac gloriam commemorassent, Ennius, qui Homerum et Graecos alios imitatus contra illius vestigia ruris consulto repugnabat, poemata facere non multis tantum luminibus ingenii sed multae etiam artis est conatus. Quae quidem Graecorum ad aemulationem potissimum spectare ex ipso constat Annalium exordio ubi Homerum per artificium somnii poeta noster sibi magistrum vindicat. Nam postquam ab invocatione Camenarum coepit Ennius, ut ille Musarum, somnium ex quo finxit se esse Homerum Romanum pergit narrare <sup>1)</sup>: sibi recubanti, somno leni placidoque revincto, ex Acheruntiis templis exortam semper florentis Homeri speciem largosque lacrimarum visam effundere fletus rerum naturam dictis expandisse. Quae imago dixit quoque animam

---

1) Cf. Vahlen, *Ennianae Poesis Reliquiae*, Lips. 1903, CXLVI sqq. et 1—4.

Homeri, secundum doctrinam Pythagoream, postquam pavo esset facta, in Ennii corpus venisse <sup>1)</sup>).

Haec igitur explicatio quam supra paucis indicavi demonstrat Ennium id tunc egisse ut, non sine arte, sed vestigia Graecorum persequens, epos scriberet latinum. Quibus autem ex fontibus, quaerat aliquis, somnium illud quod ad exordium in *Annalibus* adhibuit duxit Ennius? Musas invocaverat Homerus; quo more liquet omnes etiam illo prisco tempore in carminibus facere vates. Itaque Ennius et supplicationem Musarum ascivit <sup>2)</sup> et praecipue somnium quoddam cuius ex monitu se ipsum demonstraret divinitus ad scribendum esse suscitatum addidit. Homerus eo non est progressus: huius auditores, simpliciores videlicet homines et sinceriores, invocatione contenti Musarum quarum divino spiritu poeta afflaretur nihil aliud petebant.

Deinde accedimus ad duo carmina quae, si non ab Hesiodo, at certe ab uno ex illius sociis imitatoribusque <sup>3)</sup>, multo ante aetatem Alexandrinam sunt edita. Quorum in altero antiquiore, *Operibus et Diebus* <sup>4)</sup>, initium auctor ipso Homericum modo ab invocatione Musarum fecit; in altero autem, *Theogonia*, quod recentius et multo expolitius erat poema, prooemium invenitur, iam sane maius factum cum a variis rhapsodis tractarentur

1) Qui hoc somnium ponunt in *Annalium* principio recte statuisse auctores praebet Valmaggi, *Bollettino di Filologia Classica*, 1897, p. 259: Fronto, *Epp.* p. 11, Nab.; Porfirio ad *Hor. Ep.* 2. 1. 51; Scholiastes ad *Pers.* 6. 10: „Sic Ennius ait in *Annalium* suorum principio, ubi dicit se vidisse in somnis Homerum . . .”; et al.

2) Vahlen, p. 1, fr. 1.

3) Iam Alexandrino tempore quis carmen cui titulus est *Theogonia* composuisset quaesitum est, eodem modo quo de Homeri carminibus, a Zenodoto, Apollonio Rhodio, Aristophane, Aristarcho aliisque. Pausanias, 9. 31. 4, affirmavit nihil fecisse Hesiodum aliud quam *Opera*. De his rebus docte commentati sunt hi recentes: Steitz, *De Operum et Dierum compositione, forma pristina et interpolationibus*, Goett. 1856; Fick, *Hesiods Gedichte*, Goett. 1887; Kirchhoff, *die Werke und Tage des Hesiod*, Berol. 1889. Omnibus manifestum est haec carmina multo ante aevum Alexandrinum esse edita.

4) Horum duorum carminum recentius esse *Theogoniam* inter omnes constat: cf. Dimitrijević, *Studia Hesiodica*, pp. 5—10; A. Meyer, *De compositione Theogoniae Hesiodicae*, Berol. 1887, p. 83; E. Lisco, *Quaestiones Hesiodicae*, Goett. 1903, pp. 4—6; Rzach, *Pauly-Wissowa*, 8 (1913), 1178. Non parvi interest animalvertere carmen antiquius initium cepisse a Musarum invocatione, quo modo Homeri carmina cf. versus 1—10; quos versus obelo notarunt Aristarchus Crates alii. Vide A. Rzach, *Hesiodi Carmina*, Lips. 1902, p. 53; Dimitrijević. l. l. p. 7.

carmina <sup>1)</sup>, simillimum tamen huic somnio de quo hic agitur <sup>2)</sup>.

Hesiodo <sup>3)</sup> igitur ut in Theogoniae prooemio (1—115) narratur pecudes sub Helicone divino pascenti (22—23) visae adesse sunt Musae, modo Heliconiae (1), modo Olympiae (25, 52, 75, 114) vocatae <sup>4)</sup>, quae declaraverunt se vera atque ficta dicere posse. Deinde huic verba fatidica donarunt et effecerunt ut carminibus maxime polleret. Utrum hoc *ἄναρ* an *ἕπαρ* sit affirmari non potest. Nam quamquam, ut legimus, nocte (*ἐννύχιαι*) obscura caligine saeptae (*κεκαλυμμέναι ἕρῃ πολλῇ*) ex Helicone progrediuntur Musae, tamen hic locus non adeo certe cum eis verbis coniungi potest quae sunt ab illis Hesiodo ipsi dicta ut haec ad somnium sine ulla dubitatione referenda dicere possis. Quod ipsum non maxime refert: apud omnes enim poetas per omnia saecula, et graecos et latinos, quae videre sibi dormientes videntur, quae vigilantes vident, non multum inter se aut verbis aut rebus discrepant. Qua ex re utra in animo habuerint scriptores non modo difficile est dicere, sed etiam de nonnullis locis abiecta omni cunctatione affirmari potest eos ipsos utrius generis essent non voluisse discernere <sup>5)</sup>.

Accedit quod quamquam saepissime <sup>6)</sup> somniis utebantur Graeci qui per saecula quae inter Hesiodi et Alexandrinorum tempora fuerunt litteris se dederunt, tamen ad hanc aetatem inveniri somnium non potest quod ad exordium poematis usurpetur.

1) De compositione et auctore huius prologi, 1—116, v. O. Gruppe, Die griech. Kulte u. Mythen, 1, 599sqq., qui tria prooemia et tres Theogonias vult; veri similius est, ut mihi recte credere videtur Christ, Griech. Litteratur<sup>2</sup>, p. 83, hoc prooemium ex duobus exordiis, altero Heliconiis Musis, altero Olympiis inscripto, esse exortum, quae a rhapsodis post Hesiodi ipsius tempus natis sunt contexta; cf. Ellger, Die Zusätze zu dem Prooemium der Hesiodischen Theogonie, Berol. 1883; Fick, l.l. pp. 69—73. De libris in has quaestiones scriptis vide denique Pizzagalli, Mito e Poesia nella Grecia antica, Catania, 1913.

2) Cf. Hardie, Class. Quart. 7, 1913, p. 188.

3) Hesiodum posthac nominabo scriptorem quicumque fuit carminum Hesiodeorum.

4) Cf. supra adn. 6.

5) Cf. Ovid. Rem. Amor. 555—556: dubito, verusne Cupido, An somnus fuerit; sed puto, somnus erat; 575—576: placidum puerilis imago Destituit somnum, si modo somnus erat. Verral, Four Plays of Euripides, Cambridge 1905, p. 163, putat chororum apud Heraclem Maen. tragoediam somniare (872 sq.). poeta autem hoc pro certo non exponit.

6) Cf. Buechseuschuetz, Traum und Traumdeutung im Alterthume, Ber. 1868.

Apud Alexandrinos Hesiodi carmina vix minus quam Homeri a praeclarissimis grammaticis pertractata sunt eorumque materiam et artem multi imitati sunt poetae <sup>1)</sup>. In hoc numero erat Callimachus <sup>2)</sup> qui Hesiodo auctore adhibuit in Aetion <sup>3)</sup> prooemio Musarum visionem. Cum autem de illo, id quod modo enarravi, utrum somnium fuerit necne affirmari non possit, de hoc poeta tamen res non potest in controversiam vocari. Hic primus igitur, quod quidem ex litteris quae supersunt graecis et latinis sciamus, somnio ad exordium est usus. Cuius rei testis est incerti poetae carmen, anth. Pal. 7. 42, octo versus continens, inter epigrammata sepulcralia perperam relatum <sup>4)</sup>, in quo Callimachi poema Aetia inscriptum celebratur.

ἄ μέγα Βαττιάδαο <sup>5)</sup> σοφοῦ περίπυστον θνηταρ,  
 ἢ ῥ' ἔτεδν κεράων οὐδ' ἐλέφαντος ἔης.  
 τοῖσ γὰρ ἄμμιν ἔφηνας, ἄτ' οὐ πάρος ἀνέρες ἴδμεν,  
 ἀμφί τε ἀθανάτους ἀμφί τε ἡμιθέους,  
 εὐτέ μιν ἐκ Λιβύης ἀναείρας εἰς Ἑλικῶνα  
 ἤγαγες ἐν μέσσαις Πιερίδεσσι Φέρων.  
 αἱ δὲ οἱ εἰρομένῃ ἀμφ' ὠγυγίων ἡρώων  
 αἴτια καὶ μακάρων εἶρον ἀμειβόμεναι.

Testatur hoc epigramma <sup>6)</sup> Callimachum in Aetion principio per somnium se finxisse e Lybia sublatum in Heliconem et a Mysis cum de priscis heroibus quaereret et de his et de divis beatis edoctum. Quo in somnio versatur ratio sive oeconomia

1) Cf. Couat, La Poésie Alexandrine, passim; Sussehl, Geschichte der griech. Lit. in der Alexandrinerzeit, Lips. 1892, indicem s. v. Hesiodos; Rzach, Wien. Stud. 16, 221; Flach, Jahrbuch f. Phil. 1877, 433; denique Christ, l. l. pp. 89, 425 sqq.

2) K. Kuiper, Stadia Callimachea, Lugd. Bat. 1896. Indicibus pp. 224, 238 repertis potest intellegi quot apud locos Callimachi auctoritas Hesiodeorum carminum valuerit.

3) O. Schneider, Callimachea, Lips. 1873, vol. 2, p. 39, putat totum elegiarum Callimachearum corpus praeter ἐπινίκιον ἐλεγειακὸν εἰς Σωσίβιον εἰ πλόκαμον Βερενίκης et Γάμον Ἀρσινόης communi Αἰτῶν nomine comprehensum fuisse; unde Quintil. 10. 58, eum elegiae principem dicit.

4) Male relatum inter sepulcralia notat Heckerus 1, p. 193" in Duebneri annotatione ad loc.

5) Duebner, Anthologia Palatina, Parisiis, 1864, 7, 42.

Βαττιάδαο i. e. Callimachus, ut Cyrenis in urbe a Batto condita natus.

6) Cf. Dilthey, De Callimachi Cydippa, Lips. 1863, p. 15. Butler, Properti Opera Omnia, Lond. 1905, p. 253.



quam Graeci vocabant, huius poematis. Ad hoc carmen igitur spectant verba 'somnia Callimachi' apud Propertium 2. 34. 32, in quibus hic Horatii verba de Ennio 'somnia Pythagorea', Ep. 2. 1. 52, est imitatus. Alexandrini enim poetae cum non iam contenti essent invocatione Musarum, qua contentus fuerat Homerus, argumenta sua, in hac re Hesiodum sequentes, ad quasdam theophanias referre impensius amabant. Quo e genere erat Eratosthenis Hermes <sup>1)</sup>, poema astronomicum, cuius magnum fragmentum exstat, et Alexandri Aetoli carmen elegiacum, Apollo inscriptum <sup>2)</sup>, et multa apud Ovidium eiusdem generis <sup>3)</sup>. Quam consuetudinem postea cum alii poetae Romani imitati sunt tum maxime Ennius in Annalibus <sup>4)</sup>, nisi quod in somnio non se a *Musis*, ut apud Callimachum, sed ab *Homero* edoceri voluit <sup>5)</sup>,

Propertius quoque, ut expediret cur non 'reges et regum facta' caneret potius quam elegos, somnium Callimacheum in usum vocavit <sup>6)</sup>. Eodem modo gloriati sunt multi se per quietem vel ad Heliconem vel ad Parnassum translatos et divinam aquam a Musis ibi ministratam bibisse.

Plura suppeditant testimonia de genere exordiorum quod apud Alexandrinos usitatum pervulgatumque fuit scriptores Romani, qui se hos Graecos imitari confessi sunt. Ab his discere poteris per quos gradus interpositos hoc genus pervenerit ad illud quod apud Ennium inveniri diximus, ex quo poeta per quietem ab eo quem sit secuturus discit materiam. Hi per postremos ante rem publicam eversam annos et primos post principatum constitutum floruerunt. Hos scrutemur servato temporis ordine, primum Gallum, deinde Propertium.

---

1) De hac sententia v. Dilthey, l. l. p. 15, adn. 2. Eratosthenes quoque Hesiodum est secutus si nobis fragmentorum titulis diiudicare licet ex quibus uni nomen Hesiodus est. Eratosthenem Callimachi imitatoremonstrat Erat. Herm. fr. 14 cum Call. fr. 37 collatum. (Hic mihi dicendum est multos esse qui censeant hoc carmen ab eo ad quem refertur non conditum.)

2) Vide Meineke, *Analecta Alexandrina*, Berolini, 1843, pp. 219 sqq.

3) Cf. *Amor.* 3. 1—70, visionem in qua certamen Tragoediae et Elegeiae; *Fast.* 1. 99—282; 3. 167 sqq; 4. 193 sqq.; 6. 9; *Ex Ponto* 3. 3; 4. 4.

4) Vahlen, *Quaestiones Ennianae*, XX, 59; Dilthey, l. l. p. 15, adn. 4.

5) Vide *Annal.* 1. iv—xi, Vahlen; *Lucr.* 1. 112 sqq. Conferantur hic testimonia quae praebet Vahlen, p. 2.

6) *Propert.* 3. 3.

Diomedes grammaticus p. 484 dicit: „quod genus carminis (scilicet elegiacum) praecipue scripserunt apud Romanos Propertius et Tibullus et Gallus imitati Graecos Callimachum et *Euphoriana*”. Quod Cicero Tusc. Disp. 3. 19. 45 exclamat: „o poetam . . . . ab his cantoribus *Euphorionis* . . . .” testatur quoque huius apud Romanos auctoritatem plurimum valere. Quem proprie esse sectatum Gallum multa sunt indicia. Servius enim his ipsis verbis de eo asseverat ad Ver. Ec. 10. 1: „*Euphorionem* transtulit in latinum sermonem et amorum suorum de Cytheride scripsit libros quattuor”. Vergilii quoque Ec. 6. 72 ad imitationem apud Gallum *Euphorionis* carminum quibus fabulae de lucu et aede Apollinis Grynei sunt narratae spectare videtur <sup>1)</sup>. Quo de loco Servius scripsit <sup>2)</sup>: „hoc autem *Euphorionis* continent carmina, quae Gallus transtulit in sermonem latinum”. Iterum Verg. Ec. 10. 50 hunc cum Calchidico illo coniunxit <sup>3)</sup>. Hi loci efficiunt ut *Euphorionis* discipulum possis agnoscere.

Sed nondum est exhausta materies. Inter *Euphorionis* carmina exstitit epos Hesiodus inscriptum <sup>4)</sup>. Hoc opus, in Latinum versum, forsitan unum fuerit ex carminibus *Euphorionis* quae Servii et Vergilii locis laudatis certiores facti sumus latine reddidisse Gallum. Si huic coniecturae additur fides, Vergilii versus <sup>6)</sup> in quibus Linus Gallum ab una ex Musis allatum ad Heliconem est allocutus:

‘hos tibi dant calamos, en accipe, Musae,  
*Ascraco* quos ante seni, quibus ille solebat  
 cantando rigidas deducere montibus ornos.  
 his tibi Grynei nemoris dicatur origo,  
 ne quis sit lucus, quo se plus iactet Apollo’.

1) Cf. editores Vergilii omnes ad loc.

2) Serv. ad Ver. Ec. 6. 72.

3) Licet conferri quod Servius ad versum dicit: „Hi autem omnes versus xxxi Galli sunt de ipsius translati carminibus”. Probus ad Ver. Ec. 10. 53, „*Euphorion*” ait „elegiarum scriptor Chalcidensis fuit cuius in scribendo colorem sequutus videtur Cornelius Gallus”.

4) Utor Suidae lex. loco notissimo in *Εὐφορίων*, in quo ei tribuantur opera: βιβλία δὲ αὐτοῦ ἐπικὰ ταῦτα: Ἡσιόδου, κτλ. Cf. Meineke, l. l. p. 12 sqq.; Heynii-Wagneri excursus ad Ver. Ec. 3, p. 256.

5) Ut supra Ec. 10 et 6.

6) Ec. 6. 64—73.

facile quid valeant intellegi potest: quod Gallo dant Musae eos calamos, 'Asraeo quos ante seni' optime significet carmen Euphorionis cui titulus erat Hesiodus ab hoc latine redditum.

Quo posito atque concesso, optimo iure colligi posse videtur somnium ad exordium adhibitum — vel artificium aliquod huic simillimum — tempore Alexandrino exstitisse, dummodo haec forma et apud Hesiodum et apud Gallum reperiatur. De illo autem supra disserui <sup>1)</sup>. Potestne confirmari tali prooemio Gallum esse usum? Quam quaestionem egregie excussit vir doctissimus, Fredericus Skutschius, qui mihi quidem vestigia Galli carminum abundare in Ver. Ecl. 6 et 10 persuasit <sup>2)</sup>. Ratiocinatur autem ille Ec. 10. 31—69 imprimis esse excerpta Galliana atque Ec. 6 per carmen Sileni indicem praebere carminum Gallianorum <sup>3)</sup>. Quibus ratiocinationibus assentiuntur omnes fere docti. Res cum ita se habeat, Ec. 6. 64—73 ad hanc investigationem maximi momenti sunt, quos ex Galli carmine aliquo paene ad verbum translatos esse creditur. His versibus Silenus canit ut una Musarum Gallum, dum errat ad Permessi flumina, in montem Heliconem duxerit, ut poetae omnes adsurrexerint Musae, ut Linus dixerit acciperet ille calamos quos Musae darent, quos olim Hesiodo dedissent quibus de montibus ornos deducere solebat, eqs. Servius, postquam ad loc. fabulam de Apollinis Grynei posita aede narravit et quomodo Calchas contra Mopsium <sup>4)</sup> cantu contenderit, ad extremum dicit: „hoc autem *Euphorionis* continent carmina, quae Gallus transtulit in sermonem latinum”. Haec significare videntur Gallum in suis carminibus *Euphorionem* esse imitatum quem licet fortasse conicere *Hesiodum* esse

1) Vide p. 2 huius disputationis.

2) Cf. Skutsch, *Aus Vergils Fruehzeit*, Lips. 1901, *Gallus und Vergil*, 1906; Leo, *Hermes*, 37, p. 14 sqq., ubi Skutschii argumentum recenset; Jahn, *Hermes*, 37, p. 161 sqq.; *Aus Vergils Fruehzeit*, commentationes de Skutschii sententiis; R. Buerger, *Hermes* 38, 1903.

3) „In der zehnten Ekloge sind besonders die Verse 31—69 im wesentlichen eine Bluethenlese aus Gallus, der Gesang des Silen in der sechsten Ekloge katalogisirt gleichsam die Dichtungen des Gallus”, *Hermes* 37, p. 161. Non accipit Iahnus omnia quae Skutschius profert de Gallo.

4) Strabo XIV, p. 642 (Rzach, *Hesiodi Car. fr.* 160) tradidit Hesiodum in Melampodia Calchantis et Mopsi certamen explicasse. Iam hic locus porro Hesiodum et Alexandrinos neccit.

secutum. Ex quo magna cum veri similitudine demonstratur hunc poetam Alexandrinum carminum initium fecisse a visu, haud secus atque imitator eius Romanus. Utrum hoc visum vigilantis an somniantis poetae fuerit neque affirmari potest neque, ut iam supra vidimus, necesse est affirmare. Hoc loco notandum est ab Hesiodo materiam et de aede Grynea et de aliis sumpsisse Euphorionem. Ita fit ut digitum supra poetam Alexandrinum ad veterem poetam illum intendat Gallus.

Operae quoque pretium est ad Callimachum iterum animum attendere atque carmina Propertii, qui imprimis elegiacorum Romanorum Alexandrinos est secutus <sup>1)</sup>, amplius illustrare perscrutando epigrammate anth. Pal. 7. 42 quod somnium in Callimachi poesi, in quo eius defensio scribendi est, narrat. Propertius se Romanum esse Callimachum glorians illum ac Philetan magistros <sup>2)</sup> profitetur: „Philetæis” inquit „corymbis certent sarta Romana” et „urna ministret aquas Callimachias” <sup>3)</sup>. Propertio gloriae sat erit illius in partem famae venire <sup>4)</sup>. Sed versus, quos quod ad Aetia Callimachi planissime, ut mihi videtur, sunt, referendi hic maximi existimo, sunt ei quibus Callimachus iterum cum Phileta est coniunctus <sup>5)</sup>. Propertius enim <sup>6)</sup> cum conatus est amicus quidam, Lynceus nomine, ipsi Cyntiam eripere, illi senectutem et sapientiam Socraticam exprobrat: neque haec neque Erecthei carmina, inquit, illi proderunt; memorem lusum satius Philetan imitetur et ‘non inflati’ (quibus vocabulis magistrum veterem contra eos detrectatores defendit qui eum quandam adhibuisse in dicendo speciem atque pompam

1) Vide E. Maass, Untersuchungen zu Propertius und seinen griech. Vorbildern, Hermes 31, 375—434.

2) (Ex textu Caroli Hosii, Lips. 1911, locos laudabo, retinens autem Philetas). Prop. 4. 1. 64, Umbria Romani patria Callimachi; 3. 1. 1, Callimachi manes et Coi sacra Philetæ, In vestrum, quaeso, me sinite ire nemus.

3) 4. 6. 3—4, Serta Philetæis certent Romana corymbis Et Cyrenaeas urna ministret aquas.

4) 3. 9. 43—44, Inter Callimachi sat erit placuisse libellos Et cecinisse modis, clare Philetæ, tuis.

5) 2. 34. 31—32, Tu satius memorem Musis imitere Philetan Et non inflati somnia Callimachi.

6) 2. 84. 25 sqq.

accusaverunt) 'somnia Callimachi'. Itaque haec verba, somnia Callimachi, inter omnes qui Callimachum ediderunt convenit eo pertinere ut ille in Aetion exordio collocarit somnium <sup>1)</sup>).

Si igitur Propertius quantum Callimacho debeat adeo valde confirmat, haud scio an ex huius somnii exemplo quod infra sum adumbraturus plus luminis quam supra afferre possimus quo modo Callimachus somnio (somnia id esse ex epigrammate laudato intellegimus) sit usus. Hoc spectantes perpendamus ubi similem somnii speciem apud Propertium inveniamus. Elegia cuius admonere legentes volo est 3. 3: „Visus eram molli recubans Heliconis in umbra” eqs. In somnio somniavit poeta noster se, dum Heliconis in umbra recubat, ex fontibus quibus ante bibisset Ennius bibere esse conatum, cum repente ipsum carmina epica meditantem perspexisset Apollo et ad regiones elegiacis poetis aptiores ire iussisset. Quibus regionibus una e Musis, „ut reor a facie Calliopea fuit” (38), ipsi suasit ut teneris amoribus contentus esset. Cum porro rebus gravioribus quam quas illius vires tenues exprimerent ordine narratis prata indicavisset parvis poetae terenda rotis, tum Calliope ora Propertii rigavit aqua quam *Philetas* biberat ex fontibus sacris sumpta. Hic *Philetas* primus erat Alexandrinorum qui dicuntur <sup>2)</sup>). Si eum hoc quoque loco imitatur Propertius, duo sane veri similia, hoc carmine cum anth. Pal. 7. 42 collato, colligi posse videntur: primum, cum apud Propertium hic quidem scribentem maxime valeant et *Philetas* et *Callimachus*, si hoc somnium sit sumptum ex *Phileta* praecipue, somnium in exordio adhibitum vel ad hunc antiquissimum Alexandrinorum esse persequendum; *deinde veterem vatem recentioris poetae magistrum neque hic adesse neque eum designare qui in suum locum sit successurus*. Hoc igitur consilium successoris per somnium in prooemio designandi non commentus est *Callimachus*. Nam cognovimus quantus auctor *Callimachus* in carminibus Propertii fuerit: qua ex re si ille somnium tale in exordio abhibuisset hic illum esset secutus. Ergo tibi concludere licet *Callimachum* hunc morem vatis veteris inducendi non invenisse.

1) Cf. editores omnes ad loc.

2) Cf. Christ, l.l. p. 434.

Origo igitur, quantum quidem confirmari testimoniis potest, atque progressio probabilis somnii talis quale apud Ennium repperi in prooemio usurpati esse videtur haec. Primum Musas ut carmen canerent simpliciter invocavit Homerus. Deinde longius progressus Hesiodus, sive discipulus eius, sive rhapsodus quisquis Theogoniae praefationem fecit, visionem Musarum (*ἄρα* incertum est an *ἄρα* — sed vide supra) per quam illae poetam cohortatae sunt ut carmina conderet ascivit. Tantum de poetis ante aevum Alexandrinum natis.

Nunc pergimus ad eos qui hac aetate carmina composuerunt. Quorum poetarum si non Philetas, ut mihi secundum locum Propertianum supra excussum satis probabile videtur, at certe Callimachus visionem Hesiodeam in carmen recepit atque ea est usus. Licet autem apud Hesiodum pro certo dici non possit utrum somniantis an vigilantis visum fuerit, apud *Callimachum tamen sine dubio somnium est* in quo Musae apparent. Deinde Euphorion, apud quem auctoritas Hesiodi atque eorum poetarum Alexandrinorum quibus proxime ipse successit maxime valebat <sup>1)</sup>, cum carmina sua meditaretur, ex Hesiodi exemplo visum in prooemio collocavit, horum exemplo usus hoc visum somnium fecit. Sed dum hi in somniis Musas tantum loquentes et docentes fingunt, Euphorion naturam visionis nonnihil mutavit. *Linum* enim (Verg. Ec. 6. 6) — vel quisquis erat vates vetus in eis carminibus quibus Gallus usus est — introduxit Euphorion *poetae recentioris temporis suam cantandi facultatem tradentem*. Hoc artificium non apud priores poetas invenitur, sed primum hic exstat.

Hoc additamentum Euphorionis maximi est momenti et ponderis: Ennius enim poeta Romanus, qui paucis annis post illum vixit <sup>2)</sup>, artificia quaevis sine dubio ab eis mutuatus qui ante eum vel visis vel somniis erant usi et ab *Euphorione* potissimum, somnium transtulit ad Annalium principium et Homerum sibi in somniis adfuisse et rerum naturam docuisse depinxit <sup>3)</sup>.

1) Meineke, l.l. p. 11 sqq.

2) Euphorion natus est anno 276 ante Chr. n., Susemihl, l.l., vol. I, p. 393; Ennius 239, cf. Cic. Brut. 18. 72; Vahlen, p. v.

3) Lucr. l. 112 sqq. Fronto de Eloq. p. 146 Nab., „magistra Homeri Calliopa, magister Enni Homerus et Somnus”.

Si igitur somnium ad exordium adhibitum per illam semitam, quam supra exaravi, ad Ennium est traditum, id quod tam saepe asseveratur<sup>1)</sup>, Ennium cum somnium in principio Annalium usurparet Callimachi fuisse imitatore, prave et falso dicitur. Maiore autem cum veri specie ex Euphorionis carminibus manasse ad eum videtur hoc consilium somnii in principium poematis inducendi. (Ne huic sententiae diffidas hic mihi licet dicere tot annos inter Euphorionem et Ennium interesse quot inter Posidippum et Plautum<sup>2)</sup>: hunc autem in fabulis Menaechmis et Aulularia<sup>3)</sup> Posidippum auctorem esse secutum multi contenderunt neque quisquam eis parvum quod inter eos intersit temporis spatium obiecerit). Euphorion in somnium, quod in versibus vel Philetae vel Callimachi invenerat, vatem veterem curavit introducendum qui recentiori poetae suam canendi facultatem mandaret. Hoc Ennius cum se ad Annales contulisset scribendos primo in carminum limine posuit.

Si igitur potius Euphorion est quam Callimachus ad quem respicit Ennii somnium, Cicero cum in Tusc. Disp. 3. 19. 45 diceret: „o poetam egregium! quamquam ab *his* cantoribus<sup>4)</sup> Euphorionis contemnitur” — in quibus de Ennio loquebatur — quid sibi voluerit, maxime discrepat, nisi me fallit opinio, ab ea explicatione quam secuti sunt paene omnes qui hos libros recognorunt<sup>5)</sup>. Sunt enim plerique in eam opinionem proniores ut credant Ciceronem his verbis poetarum Romanorum, quippe qui Alexandrinos imitarentur, detrectatorem existisse et eos iniquo contulisse animo cum antiquiore poeta Ennio, qui, ut quodammodo tacite dicere videtur Cicero, Alexandrinos *non* imi-

1) Ita J. B. Carter: Roman Elegiac Poets, New York, 1900, XII, adn. sub 3: „Ennius at the very opening of his Annales borrows a motif from him” (Callimachum).

2) De annis natalibus Euphor. et Enn. vide supra p. 8, adn. sub. Posidippus eo anno 297 a. C. n. ostendit ex Suidae testimonio: Ποσειδιππος . . . τρίτῳ ἔτει μετὰ τὸ τελευτῆσαι τὸν Μένανδρον διδάξας; Plautus anno 254 (c).

3) Hoc credebat Ribbeck, Alazon, Lips. 1882, p. 25; quem in suis praefationibus ad has fabulas sunt secuti omnes fere editores.

4) Hoc anno Gratiae nullo modo erit demonstrandum eos non dici a Cicerone qui graeca eius carmina cantarent, quae Salmasii et Casauboni fuit sententia! Vide Meiske, II. p. 25.

5) Cf. Skutsch, Euphorion, Pauly-Wiss. 1177.

tatus esset. Quae interpretatio a L. Muellero <sup>1)</sup> in narratione de vita Horatii et ab aliis saepenumero est defensa <sup>2)</sup>. Magnum inde accedere huic suae opinioni pondus opinantur quod Horatius et Vergilius maxime restiterint cum aliis Romanis, qui Alexandrinorum studiosissimi essent, tum maxime Catullo. Hoc saltem sine dubio dandum est: poetas 'Alexandrinus', ut nos quidem hoc nomine utimur, semper exstitisse neque umquam ab eis qui aliquid de ingeniis poterant iudicare permagni esse habitos nec vehementer cultos. Constat ergo eo quoque tempore hoc genus scribendi cognitione dignum non esse existimatum neque praecipuo honore a vaticibus Augusti temporis habitos poetulas quamcumque amplexi essent artem. Quae autem Cicero et illi de hac re cogitabant, ab huius nostrae aetatis interpretibus ita amplificata sunt ut umbrarum instar maleficarum libros de Romanis litteris scriptos frequentent <sup>3)</sup>.

Qua ex re orta est haec falsa opinio, hodie primum comprobata, secundum quam ad verba Ciceronis supra allata vis est adhibita contra naturam et rationem. Nam nihil omnino in huius saltem loci Tusculanarum argumento est ex quo scriptor quisquam detrectatus videatur quod poetam nescioquem aetatis Alexandrinae imitaretur. Apud Ciceronem enimvero et eius aequales hoc verbum, 'Alexandrinum', nemini reprehensionem attulisse declarant eius opera ex eiusdem aevi scriptorum libris conversa et aliorum multorum. Ex Alexandrini cuiusdam Arati operibus quorum fragmenta una cum Theocrito, Lycophrone, Callimacho, Apollonio sunt hoc ex tempore maxima, Cicero adolescens Phaenomena, postea Prognostica transtulit. Se Alexandrinos esse secutum atque imitatum testatur ipse ubique.

Idem fecerunt illi clari successores, Vergilius Horatiusque, quos ut credamus Alexandrinis fuisse infestos contendunt nonnulli quos iam commemoravimus. Hi re vera minime erant aversi ab illis qui quidem scholae Alexandrinae essent. Quid

1) L. Mueller, *Quintus Horatius Flaccus, eine literarhistorische Biographie*, 1880.

2) Cf. E. K. Rand, *Harvard Studies in Class. Phil.* XVII, „Catullus and the Augustans”, apud quem invenire poteris eos qui cum Muellero sententiam communicant.

3) Cf. adn. 32 quoque; Schanz, *l. l.*, vol. I, 174; Susemihl, vol. I, 393.



enim haec schola sibi vellet, qui tam paucis annis post vixerunt neque rem universam contemplari nec acerrime iudicare poterant. Ut hodie qui historias Anglicarum litterarum Cantabrigienses tractant difficultatem recte decernendi quorsum tendant cursus et impetus harum litterarum crescere inveniunt pro ut propius accedunt ad hoc nostrum saeculum, sic tum Romani 'Alexandrinismus' — si hoc mihi vocabulum permittitur — quid ad litteras, quid ad mores, quid ad instituta, quae si non dilabebantur at certe mutabantur omnia, conferret cernere non poterant. Post multa saecula primum, cum poterant homines tempora haec praeterita sapientius expendere, quae credimus nos de hac aetate sunt excogitata.

Nullus ecclesiasticus studiosissimus vehementissimusque plus e fontibus sanctae scripturae haurit quam quidam e verbis quae quamvis obscura ad novos poetas vel temporis Ciceroniani vel Augustae aetatis pertinere videntur! Ut quid mihi sit in animo percipiatis: si poetas quosdam suae aetatis τῶς νεωτέρους <sup>1)</sup> nominavit Cicero, non sequitur ut his verbis illi exagitati sint quod Alexandrinos imitarentur. Ostendi enim supra eos hoc nomine non fuisse accusaturum Ciceronem. Sed tamen, quamvis mediocria carmina fecisset ipse, bonorum existimatorem doctum et intellegendum fuisse docent libri eius oratione soluta scripti.

Ponamus potius Ciceronem eos qui scribentes se nimis dederent argutiis fastidioque agnoscere ubicumque inveniret potuisse. Quam ob rem credibile est hos νεωτέρους nihil fuisse nisi poetas malos — sive 'Alexandrinos' sive non, apud eum nil retulit — quorum *ars* imbecilla multum differret a virili *ingenio* illorum poetarum priscorum quos admirabatur Cicero.

Quae si talia sunt ut eis fides habenda sit, ad vocabula „o poetam egregium! quamquam ab *his* cantoribus Euphorionis contemnitur” redeamus, quaerendum est quo modo verba Ciceronis interpretanda sint. Nam, ut iam significavi, voces „cantores Euphorionis” non necessario contemptim ab hoc sunt dicta, propterea quod si quis scriptorem Alexandrinum, sive

---

1) Cic. Att. 7. 2. 1.

Euphorionem sive alium, aemulatus erat, dummodo perite id fecisset, non a Cicerone improbatur. Verbum quod in se habet invidiam est *his*. Erant imitatores Euphorionis qui tunc vivebant quos irridebat et spernebat Cicero. „Quantum interest”, mihi eum dixisse persuasi, „inter hos qui *hodie* Euphorionem imitantur et illos qui *olim* sequebantur!” Nam Cicero, laudator temporis acti ille, ut saecula aurea cum rei publicae tum litterarum exstitisse posuit pristinis annis quibus gerebantur bella Punica, quibus vivebant scribebantque Scipiones illi, Laelius, Ennius, sic omnes sui temporis qui et in re publica et in literis versabantur nequam deterioresque habuit. Luxit igitur hac sententia occasum sui temporis, id quod quovis solebat fieri tempore interitumque litterarum, sed haudquaquam scholam Alexandrinam perstrinxit.

Ut hoc credam, accedunt quae supra agebantur de Ennio in primo Annalium limine *Euphorionis* interprete; quibus de hic potissimum uti volo omnium verborum ponderibus. Nam Cicero sic carminibus Ennii studuerat atque memoria ea tenebat ut nemo alius huius aetatis. Quid ergo veri similis videtur quam scivisse eum ex Euphorionis operum fontibus ab Ennio haustum somnium illud ad exordium adhibitum? Ciceroni quae dum debita illa animo volutat Ennium quo modo alias habere licuit vel Euripidis interpretem vel Homeri, eodem alias eum poterat ducere, omni cum reverentia, omni cum honore quod exemplaria graeca bene esset imitatus, cantorem Euphorionis. Iis igitur verbis patrem litterarum Romanarum minime reprehendere voluit. Nonne consul ille qui servaverat rem publicam cantor fuit Alexandrini cuiusdam Arati? De poetis autem suae memoriae cum diceret haud scio an clamaverit: „Cantores Euphorionis hi? Sane. Sed quantum differunt ab eo magno cantore qui temporibus illis cum erat iucundus Scipioni illi Africano Euphorionem est aemulatus!” Euphorioni enim debere Ennium somnium quale supra adumbravi Ciceronem fallere non potuit.

Ut ergo in paucissima verba rem conferam, haec voces, „o poetam” eqs. probabili coniectura sunt ad poetas quosdam mediocres referendae, quos non ideo vituperavit Cicero quod Alexandrinos essent secuti, sed quos contempsit prae Ennio illo cui semper uni plurimum tribuit. Quod autem Euphorionis

mentionem fecit spectat quasi praeteriens ad Ennii ipsius fontes <sup>1)</sup>).

1) Id quod Cicero, de Div. 2. 64 132, dicit de Euphorione, „nimis obscuro poeta”, huic meae rationi non repugnat: omnes qui hodie ad Shakespearii nostri fabulam c. t. e. Hamlet, adnotationes scribunt Thomasum Kyd, qui hoc tali argumento in The Spanish Tragedy est usus, auctorem eius esse fatentur, nec tamen se in eo quidquam reprehendere putant quod hunc pessimum poetam secutus sit! Sic Cicero Accedit quod hic locus, cum totus est allatus, laudem Euphorionis non tantum imminuit. Hic cum Homero confertur: „Quid? poeta nemo, nemo physicus obscurus? Ille vero nimis etiam obscurus Euphorion; at non Homerus. Uter igitur melior?” Alii quoque loci de Euphorione non adversantur.

AD STATII SILV. L. V, 4, 1.

*Crimine quo merui, iuvenis placidissime divum.*

Sic in pulcherrimi huius poematii initio poeta Somnum alloquitur, certe sic etiam nunc loquens inducitur et in Klotziana et in Postgariana. At ego rogo sitne *iuvenis* Somnus. Ridebunt me, sat scio, archaeologi et e scriniis suis pulchras illas et vulgo notas proferent imagines *Ἰπνου καὶ θανάτου*. Nunquam tamen mihi persuadebunt in lecythis Graecis versatiorem fuisse Statium quam in Ovidii Metamorphosesin, ubi Somnus *populi mille natorum* pater est. Et (nam hoc multo gravius) quae ista est Latinitas: „*iuvenis placidissime divum*” quod nihil aliud potest significare quam aut: „o *iuvenis* qui inter deos es *placidissimus*” aut, quod etiam absurdius: „o tu qui inter deos es *iuvenis placidissimus*”? Sed transpone virgulam ut sic legatur: „*crimine quo merui iuvenis*” et vide quam praeclara subito fiant omnia: durum est insomniis torqueri, durius *iuvenem*, nam senum est morbus iste, et redditur poetae pulcherrima illa aequabilitas:

*crimine quo merui iuvenis, placidissime divum  
quove errore miser, donis ut solus egerem  
Somne tuis?*

J. J. H.

# NOVA PHAEDRIANA.

SCRIPSIT

L. RANK.



## I.

### DE QUARTI LIBRI PROLOGO.

Quam misere corruptus et laceratus sit brevis hic prologus, quem emendare et ego nequeo, explicare quadamtenus cupio, lippis tonsoribusque notum est.

Haec nobis exhibent libri:

- Cum destinassem terminum operis *habere*  
In hoc ut aliis esset materiae satis,  
Consilium tacito corde damnavi . . . . .  
Nam si quis talis etiam tituli est . . . . .
- 5 Quo pacto DAMNABIT quidnam omiserim,  
Ut *illum* ipsum *cupiam* famae tradere,  
Sua cuique cum sit animi cogitatio  
Calorque *prior*. Ergo non levitas mihi  
Sed certa ratio causam scribendi dedit.
- 10 Quare Particulo, quoniam caperis *fabulae*,
- 14 Quartum libellum dum *varie* perleges  
e. q. s.

Haec sufficiunt. De scriptoris manu restituenda desperandum est. Vel sic tamen haud inutilis, opinor, quidnam sibi voluerit poeta explicandi sit labor. Variorum variis hic sane conaminibus commentisque scatent atque affluunt commentarii, quorum ut notissimum et praestantissimum quidque sive probando sive refutando retractem cum ipsa res fert tum exoptat animus meus.

Arida fortasse satis, lector benevole, si ad finem usque perveneris disputatiunculae videbitur seges, sed fortasse ipsum agri colendi opus, spinosas dum vepres remove, grana studiose colligere atque inserere conatur agricola philologus haud plane tibi displicebit.

Sed omni disceptatione omissa fragmenti nostri initium et finem sic cum plerisque exhibeamus:

- 1 Cum destinassem terminum operi *statuere*
- 2 In hoc ut aliis esset materiae satis,
- 3 Consilium tacito corde damnavi *<meum>*.

- 8 Ergo non levitas mihi
- 9 Sed certa ratio causam scribendi dedit.
- 10 Quare, Particulo, quoniam caperis fabulis,
- 14 Quartum libellum, *cum vacabit*, perleges.

Nam vel iis, qui in lectione tradita sive temere sive caute mutare quicquam reformident, verborum sensus perspicuus est: Operi suo finem impositurus erat Phaedrus sed mutato consilio quartum fabellarum librum conscripsit eumque Particuloni cui-dam dedicavit. Mutati consilii causa *vera* quae fuerit, neminem opinor unquam fugit. Gloriolae suae appetentissimus poeta tacere nec voluit nec potuit. Sed eo magis cognoscere cupimus causam fictam, quam ipse poeta lucide, opinor, lectoribus suis exposuit olim, nunc vero corruptelis misere obrutam philologis posteris divinandam reliquit tempus edax rerum, socordia librariorum, sciolorum fortasse explicandi atque emendandi furor.

Iam in medias res veniamus. Quartum senarium in fine mutilatum post Freinshemium sic vulgo restituunt:

Nam siquis talis etiam tituli est *<appetens>*.

In re incertissima id, quo melius vix quicquam excogitari possit, boni consulamus censeo. Quod non hac mente dico, quasi mihi ambiguus vel obscurus sit versiculi *sensus*. Conferatur modo initium libri tertii epilogi:

Supersunt mihi quae scribam, sed parco sciens,

Primum ne e. q. s.

Dein *siquis eadem forte conari velit*,

Habere ut possit aliquid operis residui.

Haec verba qui accurate perpenderit simulque ad senarii

nostri voculam *etiam* animum attenderit, vix opinor de poetae *mente* dubitabit supplementumque Freinshemianum boni consulet <sup>1)</sup>. Nunc pergamus:

Quo pacto DAMNABIT quidnam omiserim e. q. s.

Nocte obscuriora haec et vix usquam magis fatali corruptela simplicis versiculi interit sententia procul dubio simplicissima. Sed ad tempus ea mittamus una cum senario proxime insequenti, qui artissimo cogitationis vinculo cum priore cohaerere videtur, ad hunc prologi corrupti cardinem corruptissimum mox reversuri. Sequuntur haec:

Sua cuique cum sit animi cogitatio

Colorque *prior*.

Lenissima correctione cum Rittershusio pro colorque *prior* legamus colorque *proprius* <sup>2)</sup>.

Iam habemus *κοῦ στᾶμεν*. Dicit poeta: sua cuique artifici vero sunt inventa et proprio stilo ea condit, enuntiat, colorat <sup>3)</sup>.

Sed incredibilia, si dicere fas est, ad hunc locum scripsit Bentleius. Haec annotat vir summus ad lectionem traditam:

„Mendosissima haec sunt. Quid est enim *animi cogitatio*? quid *animi color*? quidve *cuique color proprius*? Apage istas labe ab opere elegantissimo.

Repono:

Sua cuique cum sit animi *conscientia*

*Dolorque* proprius.

Rationem reddit, cur alius quivis, qui post eum fabulas scribere velit, non in eadem incidet, quas ipse in animo habebat. Quia auctor sua *animi conscientia*, proprio dolore motus, ad fabulas scribendas accessit.

Sic III, Prol. Aesopus

*Affectus proprios* in fabellas transtulit.

1) Fasius aliquanto de re simplici disserui ideo praesertim quod in alia omnia hic abiit vir summus Franciscus Buechelerus, cuius opinionem infra tractabo.

2) Alii *prius* vel *privos* malunt. Quam ridicule et misere identidem in manu scriptis libris deformata sint vocabula a *pro*, *per*, *prae*, *pri* similibus incipientia, vulgo notum est. — Nec non defuere, qui pro *color calor* scribere maluerunt. Cum quibus disputare supersedeo, siquidem et illis senarii sententia haec constat: proprii ingenii dotibus stat verus artifex.

3) Sic iam olim Schefferus: „sensus: habet quisque suam indolem, suum ingenium, suam scribendi rationem, nec bene supplet, quae alii omiserunt (in editione Burmanniana).

Phaedrus quoque de se idem profitetur:

In calamitatem deligens quaedam meam  
et mox

Nec his *dolorem* delenirem remediis.

Cum igitur sua cuique mens sit, suus cuique dolor, sua calamitatis sors, duo homines nunquam easdem fabulas scribendas sibi deligent." Hactenus vir summus.

Iam quid significet *animi cogitatio* apud eum, qui scripsit:

Sic lusus *animo* debent aliquando dari

Ad *cogitandum* melior ut redeat tibi (III. 14. 12 sq.) id mihi sat perspicuum est, nec verborum copulatione offendor equidem, sed alii viderint. Quid sit *animi color* haud facile salva latinitate explicaverit aliquis sed hac copulatione opus non est. Optime contra intellego, quid sibi velint haec: color unicuique artificio proprius est. Sed iterum dico: doctiores viderint. Fac tamen haec omnia barbaramente dicta esse, fac locum misere corruptum nobis esse traditum, quid obsecro de medela Bentleiana cogitandum, qua, si quid sentio, monemur ut credamus, *sine dolore fabulas conscribi non posse?* Quam vere iam olim Hartmanus observaverit, prave luxurianti potius quam sedato mentis acumine summum criticum in suis commentationibus Phaedrianis versatum esse, id vix ullo opinor alio loco allato aptius demonstraveris <sup>1)</sup>. Nunc ad gravissimam corruptelam redeamus. Sed antequam versiculos meo modo explicem, quid in saxo nostro volvendo sudaverint viri docti cognoscamus. Nam aut ego egregie fallor aut nunquam fortasse alibi mira magis et incredibilia sunt excogitata.

Notissima est Rigaltii mutatio, *divinabit* pro *damnabit* legentis. Perplacuit multis haec emendatio, quam Bentleius recepit ne verbo quidem addito quamque inter recentiores editores haud cunctanter in textum inseruerunt Havetus et Speyerus.

Sed vel sic mecum rogabit fortasse quispiam: Quid nunc

---

1) Unum bonum in transitu hic deprendo. Nam et Bentleius versum notissimum (III. Prolog. 40): *in calamitatem deligens quaedam meam* ita intellexisse videtur, ut ei significaverit: nonnulla deligens, quibus proprium infortunium illustrarem. Fusius olim de hac re egi in Annotatiunculis meis (Mnem. 1911. p. 51 sqq.) et adhuc interpretationem hanc Hartmanianam unice veram puto.

lucramur? Explicatione hic opus esse etiam Havetus sensit, qui in medio suo apparatu critico fuse haec disserit: „Omissa posset alius investigare et reperire, si nihil Phaeder praeter Aesopi fabulas soleret famae tradere, at quae aliunde hausit, ut narrationes de Aesopo, de scurra et rustico, item quae ipse repperit, ea si omisisset, ommissa esse divinaturus erat nemo.” At, di boni, quid hac veritate lucramur? Nonne sic ad absurdissimam hanc conclusionem quasi furca protrudimur: Perlectis tribus Phaedianarum fabularum libris *divinare* nemo poterit, quaenam a poeta ommissa sint, verum duos libros si addiderit simulque declaraverit „ecce iam finis adest” tunc demum suo iure aemulo nescio cui *divinare* licebit, quidnam omiserit? Sed haec sagacioribus diiudicanda relinquo. Ego potius ex ipso illo verbo *omiserit* hoc efficiam, de fabularum materia cuivis adeundi cupido in promptu iacenti hic sermonem fieri.

„Et copiosa rerum abundat varietas”

ipse poeta in epilogo *huius libri quarti* declarat. Haec autem verba si non significant: in promptu adhuc cuivis est ampla materia nondum elaborata, quid demum valeant, scire equidem pervelim.

*Nullus, si quid sapio, hic locus verbo divinandi.* Sed graviora restant. Fac enim aemulum aliquem hic *divinare* quam indagare, examinare, investigare maluisse, quaenam concinnitas logica inest in hoc Phaetri sermone: Nemo *divinare poterit*, quidnam omiserim (praesertim numquam *divinabit*, quae ipse numquam excogitavero!) *cum* unusquisque poeta artifex suum sibi habeat ingenium? Neque id fugit Havetum, opinor, qui confidenter more suo ita refinxit senarium proxime insequentem:

*An alii it ipsum cupiant famae tradere,*

ut hic saltem versiculus logico nexu cum sequentibus cohaereret. Sed de eiusmodi correctionibus temerariis tacere satius est <sup>1)</sup>.

Atque haec de Rigaltii commento sat superque disputata videntur. Nunc ad recentiores veniamus. Iam quomodo Franciscus Buechelerus, recentiorum philologorum Latinorum decus, poetam nostrum hic emendasse sibi visus sit cognoscamus. Scripsit ille <sup>2)</sup>:

1) Correctionem audacem silentio pressit Speyerus.

2) Rheinisches Museum für Philologie XXXVII (1882) pp. 334 sq.



„quinti versus sententiam Orellius recte indicavit: quantopere aemulus meus sese iactabit in demonstrandis eis quae a me sint omissa. Adscribam versus emendatos” (sic!):

4 nam siquis talis etiam est tituli *mi invidus*,  
 quo pacto *clamitabit*, quidnam omiserim:  
 ut illud *ipse* cupiam famae tradere,  
 sua cuique cum sit animi cogitatio  
 colorque proprius.

Prorsus reicio egregii viri commentum. De novo versu quarto, cuius in nova sententia nihil iam significat quin etiam molestissime supervacanea est vox: *etiam* disserere supersedeo <sup>1)</sup>. Nam totum Buecheleri commentum, nisi omnia me fallunt, prorsus eadem ruit inconcinnitate logica, de qua mentionem iam feci. Quenam obsecro vis logica, quae *πειθανάγκη* inest in hac rationatione: Ita ipse ego cupio famae tradere fabularum materiam, qua adhuc usus non sum, sua cuique artificio poetae *cum* sit inventio stilusque suus cuique proprius? Vix ulla opinor.

Denique audiamus virum de Phaedro vel optime meritum. Lucianum Muellerum volo. Primo hac mutatione contentus fuit:

Quo *non* pacto *indagabit*, quidnam omiserim.

Sed re perpensa deinde in hunc modum poetae verba supplere et refingere maluit:

Quo pacto [*mihi petita est materia undique  
 iam sedulo in*] *dagabit*, quidnam omiserim.

Haud iniuria de priore conamine dixeris: Adhuc obscura mihi manet sententia. Altero vero conamine perpenso roget fortasse mecum quispiam: Quid lucratur versiculo addito, si idem manet verborum sensus? Et suo iure iam olim rogavit Hartmanus, quidnam haec sibi vellent. Respondit Muellerus: „Die Herrn H. „ziemlich dunkel” scheinende Ergänzung . . . ist so zu verstehen: Sollte auch nach mir jemand äsopische Fabeln schreiben wollen, so möge er eben so eifrig sich nach neuem Stoff umsehen, als ich solchen von allen Seiten zusammengesucht habe” <sup>2)</sup>. Sed hac explicatione etiam atque etiam perpensa magis magisque molestiis implicari mihi videbar. Num aemulo

1) V. s. p. 95 Ann. 1.

2) Berl. Phil. Woch. 1890 sp. 1304.

futuro interdictum erit, quominus e *vetere* materia novi aliquid suapte ingenio efficiat ac proprio stilo conditum id famae tradat? Et quidnam nobis est cogitandum de hac comparatione: Aemulus meus, sicut ego Aesopi reliquias polivi et de meo nova addidi, sedulo indagabit, *quidnam* ego omiserim? Qui porro hic est ratiocinandi modus: Sua cuique artifice *cum* sit animi cogitatio, aemulus ille futurus sedulo indagabit, *quidnam* ego omiserim? Iam rogare desino et Muelleri quoque commentum, utpote nimis audacter et imprudenter excogitatum, mitto.

Nunc cum ipso Phaedro dicere possum:

Adhuc supersunt multa, quae possim loqui

Et copiosa abundat rerum varietas <sup>1)</sup>,

Sed temperatae suaves sunt argutiae,

Immodicae offendunt.

Luculentis, opinor, testimoniis tribus demonstravi, quam frustra in nostra quaestiuncula enucleanda torserint spiritum viri ingeniosissimi.

Sed iam „heus tu” me rogabit unus alterve toleranter quoad potuit me secutus: „heus tu alienorum commentorum censor severe, quid nunc ipse proferes? Tune emendaturus es locum, a viris *λατρίκωτάτοις* vexatum te iudice potius quam sanatum?

Immedicabile vulnus sanare et ego nequeo. Vel sic tamen, quid Phaedrus dicere voluerit intellegere mihi videor. Id igitur aliis exponere cupio, etsi probare fortasse non potero. Sed pauca de ipsius corruptelae origine praemonenda videntur. Nam miserum istud *damnabit* quin e voce *damnavi* proxime praecedenti (vs. 3) ortum sit infeliciter aberrante librarii oculo, nemo opinor dubitabit. Unde me quidem iudice sequitur, ut hic emendandi cupido vix ullum praesidium sit in disciplinae „palaeographicae” artibus subtilissimis. Fieri enim *potest* ut in corrupti vocabuli literis apicibusque nullum genuinae lectionis vestigium remanserit. Quod si quis audacius dictum putet, mecum inspiciat velim alterum locum Phaedrianum, prorsus eodem modo inquinatum, coniecturarum mole obrutum, tandem felici admodum

1) Vide Haveti apparatus criticum.

casu probabiliter emendatum. In tertii libri fabula decima hos senarios exhibet optimus codex Pithoanus:

Miserandam potius quam *damnandam* existimo.

Quodsi *damnanda* perscrutatus crimina e. q. s.

Posterius illud *damnanda* quin e priore vocabulo *damnandam* infeliciter esset repetitum nemo dubitavit. De variis coniecturis, inter quas non desunt quae alga viliores sunt, disserere minime opus est. Sed quis editor unquam in textum recepisset „emendationem” quam circa annum 1700 proposuit Hoadleius: *delata* <sup>1)</sup>, nisi postea id ipsum repertum esset in codicibus Neapolitano et Vaticano? Nemo opinor.

Quae cum ita sint, quis nostro loco vel Rigaltii *divinabit* vel Buecheleri: *clamitabit*, vel Orellii *demonstrabit* vel denique Bursiani *examinabit* ideo commendare ausit, quod ad corrupti vocabuli literarum ductum vel prope vel propius vel proxime accedat? Equidem vix ausim.

Havetum unum si excipias, communis error omnium quotquot in senario nostro emendando sudaverunt, hic esse mihi videtur, quod ad totius Phaedrianae cogitationis tenorem concinnitatemque logicam parum attenderunt animum. Unde, me quidem iudice, factum est, ut deficiente fundamento sat stabili, omnis coniectandi sagacitas frustra fuerit.

Restituamus igitur boni Phaedri argumentationem et speciosam et simulatam, qua propriae laudis studium ardens sat callide sed frustra obtegere conatus est. Atque ita in promptu esse mihi certe videtur „certa haec ratio” ut sat mirari non possim nullum adhuc, quod sciam, conceptis eam enuntiasse verbis.

Brevem igitur praemittamus *ἀνακεΦαλαίωσιν*, qua inverso poetae ratiocinationis ordine iterum ad quaestiunculae nostrae saxum vere medium recurramus: En quartum fabellarum librum tibi, mi Particulo, dedico. Cogitationes enim posteriores effecerunt, ut consilium meum mutaverim. Non opus est, me de materia mea aliquid aliis elaborandum relinquere. Quid enim? Fac alium eandem gloriam appetere, quam ego iam assecutus

1) Vide Haveti apparatus criticum.

sum. Iam procul dubio aemulus ille, utpote artifex suis ingenii dotibus fretus, suas etiam res aget. Nauci ergo non faciet, utrum a me relicta fuerint nonnulla necne, minus etiam hoc fiet, ut ante omnia id adamet, quod ipse praetermiserim quin etiam aspernatus fuerim fortasse. Haec si recte et vere disputavi (neque hercle video, quo quis alio modo hinc se explicet) iam sequitur ut conclamati senarii cum proxime insequentis hic sit sensus: *Prorsus fieri non poterit, ut ille futurus aemulus velit examinare, investigare, indagare, rimari, quidnam omiserim ego, ut id ipsum semel repertum ante omnia curet, tractet, famae denique tradat.* Iam porro quis est, quin explicandi consilium meum mente praecipiat? Exempli igitur gratia ad tempus accipiamus Bursiani illud: *examinabit*:

*Quo pacto examinabit* quidnam omiserim,

Ut illud ipsum cupiat famae tradere

iamque confidenter autumemus locutionem: *quo pacto examinabit* ita intellegendam esse, ut rhetorice et ironice interrogantis sit prorsusque idem significet quod: *nullo pacto examinabit* i. e. *omnino examinare nolet*. Num iusto magis quaesita, putida, praegnans (ut dicitur) haec explicatio videtur? Vix opinor. Nam eiusmodi exclamationibus et interrogationibus rhetoricis affluit bonus Phaedrus. Praeterea unum certe poetae nostri locum allegare possum, qui quadamtenus explicationem meam possit firmare: In fabula de testamento obscuro (IV. 5) haec legimus:

..... Mater sedula

Iuris peritos consulit. Nemo expedit,

*Quo pacto* non possideant, quod fuerit datum

Fructumve capiant; deinde quae tulerint nihil

*Quanam ratione* conferant pecuniam.

Sic ut iuris periti isti secum cogitabant: nonne absurdissimae hae sunt testamenti condiciones, ita nostro loco, opinor, poeta secum quasi disputat: nonne absurdum sit putare, futurum meum aemulum ante omnia id indagaturum esse, quidnam ego omiserim?

*Hunc esse sensum loci corrupti admodum mihi est persuasum.* Ceterum de manu poetae restituenda desperandum mihi videtur et Bursiani commentum non nisi illustrandi gratia adhibui. Graviorem corruptelam sub illo DAMNABIT latere, suspicari

ausim<sup>1)</sup>. Interiit fortasse interrogatio rhetorica huius generis: *Quo pacto scire (nosse, discere) amabit vel aliquid eiusdem similisve farinae. Sed inanibus suspicionibus indulgendo quid lucrabimur?*

Ideo praesertim uberius de loco disputavi, quod re etiam etiamque perpensa pro certo mihi constabat et Rigaltium locum *non* emendasse et ipsum istud DIVINABIT tamquam *πρῶτον ψεῦδος* multos viros doctos a recta interpretandi via avocasse.

Haud deērunť, quibus *Σφιγγός* instar manebit locus quam tractavi, neque hercle me Oedipodem hic exstitisse autumare ausim, sed Davus certe pro virili cum monstro sum confabulatus.

---

1) Fortasse et hic sicut in senariis proxime praecedentibus lacuna fuit post *quo pacto*.

---

AD INSCRIPTIONEM ARGIVAM.

In inscriptione, quam Mnemos. vol. XLII p. 332 edidi, vs. 13, ubi supplevi [*τοῦ συντ*]δμου, nunc, collata tabula Heracleensi priore (passim), potius scribendum esse censeo: [*τοῦ ἀντ*]δμου.

G. V.

# DE LYGDAMO POËTA DEQUE EIUS SODALICIO.

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT H.F.



## I.

Longam seriem quaestionum corporis Tibulliani compositio movet, quae adhuc solutae non sunt quasque magna ex parte nunquam iam solutum iri verisimillimum est. Tamen ex re sit fortasse quaedam in medium proferre, quae ad unam alteramve tollendam difficultatem nonnihil saltem afferant.

Post duos elegiarum libros Tibulli sex carmina sequuntur, iniuria olim Albio poëtae tersissimo tributa, quorum auctor semel vocatur Lygdamus quaeque praeter unum quintum de poëtae amore erga puellam nomine Neaeram agunt. Deinde habemus primum carmen quarti qui dicitur libri, Panegyricum Messalae; tum undecim carmina quae Sulpiciae Cerinthique amorem celebrant; postremo duo epigrammata sequuntur. Quae epigrammata sicut et Panegyricus ille disputationis meae ratione non continentur; contra iam iamque agendum erit de carminum cyclo — immo cyclis, qui in Sulpiciae amore versantur. Qui factum sit, ut temporum serie tot filiolos tamque sui dissimiles sibi adsciscere Tibullum coegerint, pro certo affirmari non potest; tamen illa coniectura probabilitatis prae se fert speciem, totum corpus inventum esse in Messalae, vel potius Messalini filii hereditate, cum omnia haec carmina, ut infra demonstraturi sumus, aliqua certe ratione cum Valeriis Messalis cohaereant,

ac deinde propter extraneam quandam similitudinem Tibullo esse attributum. Quin et vehementer allicior coniectura iam pridem in medium prolata a viro docto cuius nomen me fefellit neque indagare iam potui, *Culicem* quoque et *Cirin* fuisse in hereditate illa, fortasse cum aliis etiam carminibus ex appendice Vergiliano, et ab eodem editore Vergilio adscripta esse.

Quod Lygdami elegiae cum familia Valeriorum Messalarum aliquo modo cohaerent, argumentis revera adhuc nondum demonstratum est; commonefieri solet, Lygdamum Tibulli imitorem esse atque asseclam, et porro satis fere habetur quaerere, quam alia ratione illae elegiae huc devenire potuissent; quo facto demonstrandi onus alterius dorsum premere perhibetur.

Tamen me quidem iudice exstat indicium, cui ut non ipsa documenti vis, ita aliquantum momenti inesse videtur. Quinta scilicet Lygdami elegia non ad Neeram, sed ad amicos scripta est:

vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda,  
 unda sub aestivum non adeunda Canem,  
 nunc autem sacris Baiarum proxima lymphis,  
 cum se purpureo vere remittit humus.

Et in fine, vs. 29 sq.:

at vobis Tuscae celebrantur numina lymphae  
 et facilis lenta pellitur unda manu.

Equi sunt amici illi, vere ineunte in flumine Tusco natantes, ubi flagrante Canicula caelum parum tractabile est, verno autem tempore suavior est mora quam in aquis Baianis? Non possum equidem facere quin de Messala cogitem, quem ipsa Sulpicia neptis commemorat Arretii fundum possedisse ad Arnum flumen situm, ubi aliquod temporis degere cogitur, dum Cerinthus ei carissimus mox Romae diem anniversarium celebraturus est; nec mirum haec eam scripsisse:

dulcius urbe quid est? an villa sit apta puellae  
 atque Arretino frigidus amnis agro? 1)

Haec verba Huschkus in dubium vocavit, et pro 'Arretino agro' legendum proposuit 'Reatino agro', sed nihil est quod traditam lectionem mutemus; immo vero ubi Vergilius Valerum

1) Sulp. 2. 3 sq.

quendam laudat 'haud expertem virtutis avitae' (Aen. X 751), gentem Valeriam respicere mihi videtur atque maiorum laudibus ei gratum facere velle; siquidem Valerius ille vir est Etruscus, gens autem Valeria heröem suum eponymum ex Samnio venientem faciebat, patria Valeriorum villa in Etruria existens hanc controversiam tollit.

Itaque verisimile puto, quintam elegiam a Lygdamo ad Messalam scriptam esse, qui in villam suam Arretinam deverterat eoque et alios amicos et Lygdamum invitaverat. Qui gravi morbo implicitus ('languent ter quinos sed mea membra dies') Romae remanere coactus erat, unde summo maerori obnoxius atque animo quam deiectissimo litteras dat ad amicum suum fautoremque.

Mecum facis fortasse, sed quaeris: Messala ille quis est? Utrum pater orator ille clarissimus, natus anno 64, mortuus anno 8 a. C. n., an filius eius maior natu Messalinus, qui anno fere 43 a. C. n. natus est? Illum alii, alii hunc cogitant, pro diversa interpretatione versuum 15—20, quorum quattuor cum Ovidii versibus ad verbum vel prope ad verbum congruunt. Ibi enim legimus:

et nondum cani nigros laesere capillos,  
nec venit tardo curva senecta pede.  
natalem primo nostrum videre parentes  
cum cecidit fato consul uterque pari.  
quid fraudare iuvat vitem crescentibus uvis  
et modo nata mala vellere poma manu?

Ovidius autem, *Ars amat.* II. 670, habet: 'iam veniet tacito curva senecta pede'; *trist.* IV. 10. 6: cum cecidit fato consul uterque pari'; *amor.* II. 14. 23: 'quid plenam frandas vitem crescentibus uvis | pomaque crudeli vellis acerba manu'. Ergo quaestio oritur, uter fuerit graculus gloriosus, pavonis pennas ut suas ostentans. Simplex haec quaestio esse videtur atque per se revera simplex est: quicumque et Ovidium et Lygdamum summam saltem novit, ac praeterea sententiarum nexum apud utrumque dispexit, dubitare non potest, quin Lygdamus Ovidium expresserit. Tamen multi viri docti summa ope enisi sunt ut alteram causam agerent, eo adducti versu sexto eiusdem elegiae,



ubi poëta summa formidine motus tristem mortem animo præcipit et Persephonen ita implorat: 'immerito *iuveni* parce nocere, dea'. Ecce nodus haud facilis ad expediendum! Si enim Lygdamus eodem anno natus est atque Ovidius, nempe anno 43 a. C. n., et in hoc carmine ex quarto Tristium libro versum mutuatus est, qui ante annum 11 p. C. n. edi non potuit, ipse tum non minus quinquaginta quattuor annos natus fuerit necesse est; quomodo igitur fieri potuit, ut iuvenem se pronuntiaret? Schanzius haec respondet: 'dass er in den fünfziger Jahren noch jung sein will, ist ein Scherz, den er seinen Freunden bereitet', sed concedas oportet de ioco hic agi minime nobis perspicuo, quemque in poëmate tam tristi, tam lugubri, procul dubio non expectemus.

Huc cum venimus disputantes, venia nobis petenda est ut parvam digressionem facere liceat. Alterum scilicet exstat carmen, eodem fere tempore atque mea quidem opinione in eodem poëtarum circulo ortum, ubi vox 'iuvenis' partes quasdam agit in quæstione de tempore quo scriptum est: *Cirin* dico Vergilio immerito attributam; quod paucis exponere velim.

## II.

Opus profecto non erit in memoriam revocare certamen ante hos decem annos in Germania acerrime consertum, cuius signum Skutschius cecinerat libris suis quibus titulus 'Aus Vergils Frühzeit' et 'Gallus und Vergil', cum Skutschius omnibus intentis viribus affirmabat, Vergilium in Eclogis et Georgicis passim hausisse ex carmine quod *Ciris* inscriptum est, quod compositum esset a Cornelio Gallo, alii autem, imprimis Leo, pie memoriae, pro Vergilii fide propugnabant ingeniumque eius integrum tuebantur. Quamvis raro tales disceptationes omnibus numeris resolvantur, Leo luculenter mihi videtur litem obtinuisse: haud dubie poëta qui *Cirin* scripsit Vergilium imitatus est, nec modo opera eius iuvenilia, sed etiam Aeneïdem. Deinde autem Leo sic ratiocinatur: Vergilius a. d. XI. Kal. Oct. anni 19 mortuus est; haud ita multo post Varius Aeneïdem ediderit: ergo *Ciris* anno 18 a. C. n. scribi potuit.

Et usque virum clarissimum ne sequamur plura vetare videntur. Primo in Ciri carmine poeta Vergilius vituperat, quod Scyllam Homericam, Crataeidis filiam, ἡ μιν τέκε πῆμα βροτοῦσιν<sup>1)</sup>, errore adductus cum Megarica Scylla, regis Nisi filia permutaverit, quae amore incensa Minois, patris sui hostis, comam purpuream de Nisi capite desecabat, quae invictum ipsum redderet, propter quod facinus in cirin avem mutata est. Fac autem, Cirin anno 18 a. C. n. scriptam esse, ut voluit Leo, quomodo intellegamus, et Propertium libro quinto elegiarum, et Ovidium in Amoribus et in Arte amatoria utriusque Scyllae formam adhuc confundere?

Apud Prop. V. 4 sq. legimus:

quid mirum, in patrios Scyllam saevisse capillos,  
candidaque in saevos inguina versa canes?

Liber ille quintus Propertii ante annum 16 a. C. n. edi non potuit. Deinde habemus Ovid. Amor. III. 12. 21 sq.:

per nos Scylla patri canos furata capillos  
pube premit rabidos inguinibusque canes.

Non videtur mihi probabile esse, ne Ovidium quidem hunc errorem observatum fuisse, si Ciris carmen ipsi innotuisset. Nihilo vero probabilius est, eum qui intimus Messalarum amicus fuerit, persaepe eorum domi versatus sit<sup>2)</sup>, sociusque fuerit acceptissimus eorum circuli poetici, non cito cognovisse carmen, quod Messalae deditum erat — sive recitatione habita sive perlecto poemate manu scripto — etiamsi non continuo fortasse in lucem editum est. Ovidii autem Amores ante annum 15, quin Ars amatoria ante annum 1 a. C. n. edi non potuit; unde plane elucere mihi videtur, Cirin quoque vix ante Christum natum scribi potuisse.

Accedunt etiam plura. Iam anno 1894 Ganzemüller in Annalium Supplemento longam locorum seriem conscripsit indicantium, ex contrario potius Ciris auctori Ovidii opera comprehensivae Metamorphoseon libris nota fuisse; quod ubi patefecit, Cirin inter annos 19 et 23 p. C. n. ortam esse statuit. Haec quidem conclusio parum videtur constabilita; ceteroquin autem partes

1) Od. XII. 125.

2) cfr. Ex Ponto II. 3. 69 sqq.

eius sequi non dubito. Atque iam velim unum locum commemorare, cuius propria vis — quamquam obiter eum tetigit — virum doctum fefellit. Locum dico conclamatum (Cir. 54—61), ubi auctor nonnulla sibi decerpit ex Vergilii Eclogis (IV. 74 sqq.):

- complures illam et magni, Messala, poëtae  
 55 (nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum)  
 longe alia perhibent mutatam membra figura  
 Scyllaeum monstro saxum infestare voraci;  
 illam esse, aerumnis quam saepe legamus Ulixi,  
 candida succinctam latrantibus inguina monstribus,  
 60 Dulichias vexasse rates et gurgite in alto  
 deprensos nautas canibus lacerasse marinis.

Horum versuum ultimi tres ad verbum usque ex Vergilio sumpti sunt, praeterquam quod ille versus 61 initio scripserat 'ah timidos nautas!' Proinde Leo acu rem tangit, cum Vergilium in numero 'complurium' illorum 'et magnorum poëtarum' habet. Quaeras autem, quinam fuerint ceteri a poëta nostro tali laude ornati, quique eiusdem confusionis crimen contraxerunt. Quae quaestio cum altera arte cohaerere mihi videtur, hac scilicet, nonne sit veri simile, proximum quoque versum certi poëtae verba spectare: 'Scyllaeum monstro saxum infestare voraci'. Quippe qui prorsus omitti potuerit: 'complures illam et magni, Messala, poëtae | longe alia perhibent mutatam membra figura' (sc. esse). Ita rem se habere ipsa quoque verba indicare videntur: complures poëtae perhibent, *primo* illam Scyllaeum saxum infestare voraci monstro, *deinde* illam esse, quam legamus e. q. s.

- Ovidius autem, *Metam.* XIII. 730 sqq., haec pronuntiat:  
 Scylla latus dextrum, laevum inrequieta Charybdis  
*infestat. vorat* haec raptas revomitque carinas,  
 illa feris atram canibus succingitur alvum.

Nonne auctor noster loco laudato Ovidium quoque in magnorum illorum poëtarum numero habere videtur, quos erroris atque permutationis convincere conatur? Nonne necesse est, ultimos quoque *Metamorphoseon* libros eum notos habuisse?

Scimus Ovidium, cum in exsilium iret, *Metamorphoses* ad finem usque perfectas habuisse, 'quamvis manus ultima coepto |

defuit' <sup>1)</sup>. Ergo editae quidem nondum erant, sed saepius eas amicis legendas praebuerat, et nescio ipso poëta iam iamque descriptae erant: 'pluribus exemplis scripta fuisse reor' <sup>2)</sup>. Fieri vix potest quin unum vel plura horum exemplarium Messalae collegium poëticum possederit, neque igitur alienum est credere, etiam Ciris poëtam anno fere octavo p. C. n. *Metamorphoses* inspicere potuisse atque carmen suum composuisse circiter anno 9 p. C. n. Una est autem res, quae rationi nostrae obstare videtur. Etenim carmen deditum est Messalae, quem omnes fere consentiunt fuisse M. Valerium Messalam Messalinum, magni oratoris filium, Nasonis amicum atque aequalem: anno 43 vel 42 a. C. n. natus est. At eiusdem carminis versu 36 poëta Messalam his verbis adloquitur: '*iuvenum doctissime*', cum tamen — si recte disputavimus — anno nono p. C. n. circiter quinquaginta duo annos natus fuerit. Quid ergo? Necesse erit cum v. d. Ganzenmüller statuere, non de Messalino sed de filio eius hic cogitandum esse, de quo nihil aliud novimus nisi quod auctore Tacito anno vicesimo p. C. n. consul fuit? Haud valde probabilis haec coniectura mihi quidem videtur.

Aliter mea opinione res se habet, et Ovidius nodum solvit. Quippe qui *Trist.* II. 543 sqq. scripserit:

ergo quae *iuveni* mihi non nocitura putavi  
scripta parum prudens, nunc nocuere *seni*.

Ecce ἀπορία prorsus contraria! Quid? *Tristium* liber secundus anno 9 p. C. n. scriptus est; ergo Ovidius quinquaginta duo annos natus erat; quomodo igitur *scnem* se dicere potuit? Respondet ipse poëta, *Trist.* IV. 8. 1 sq.:

iam mea cyneas imitantur tempora plumas  
inficit et nigras *alba senecta* comas.

Nisi omnia me fallunt, et apud Ovidium et apud Ciris auctorem et apud Lygdamum iuventus in senectutem sensim transire putatur, neque id quidem certo aliquo momento vel temporis spatio, sed tum cum *alba senecta nigras comas* inficit, cum canities venit <sup>3)</sup>. Ita si rem accipimus, revera Lyg-

1) *Trist.* II. 555 sq.

2) *Trist.* I. 7. 24.

3) Cfr. *Sen.* Ep. 12. 6.

damo quoque licebat *iuvenis* nomine adhuc se ornare, utpote qui ipse V. 15 affirmet: 'et nondum cani nigros laesere capillos'.

## III.

Ad Lygdamum revertamur. De quo nihil certi traditum est nisi quae de se ipse nobis narrat perpauca. Leo <sup>1)</sup> hanc eius imaginem depinxit: 'die trocken Nachahmung und Ueberspannung der Verstechnik', neque profecto multo meliora noster est meritis. Complures iam commentatores demonstrarunt, persaepe eum Tibullum atque Ovidium imitatum esse, nec difficile sit plura exempla e Catullo imprimis addere. Unum autem locum praetermittere nequeo, cuius proprium momentum nemo quod sciam adhuc perspexit.

'Martis Romani festae venere Kalendae' — ita incipit Elegia prima, et Lygdamus quoque dominam suam Neeram pretioso aliquo munusculo sibi devincire in animo habet. Iam Musas consulit, quidnam carae puellae gratissimum sit futurum (vs. 5):

dicite Pierides, quonam donetur honore  
seu mea seu, fallor, cara Neera tamen.

Sequuntur haec:

carmine formoso (pretio capiuntur avarae!)  
gaudeat, ut digna est versibus illa meis.

Obiter cum insimulatione illa puellis formosis haud ita blanda ('pretio capiuntur avarae') conferatur Tib. II. 4. 14: 'illa cava pretium flagitat usque manu', et vs. 33 sqq.:

sed, *pretium* si grande feras, custodia victa est:  
nec prohibent claves et canis ipse tacet.

heu quicumque dedit *formam* caelestis *avarae*,  
quale bonum multis attulit ille malis!

Optimum donum carmina esse statuit, in pulchrum libellum collata atque extrinsecus egregie ornata. Cuius libelli descriptio uno loco perspicuitate non excellit; vs. 13 enim legimus: 'atque inter geminas pingantur cornua frontes'. Quemadmodum hoc

1) Hermes XXXVII p. 43.

factum iri poëta sibi fluxerit, sane non pellucidum est. Voluminum *cornua* apud scriptores Latinos ter tantum occurrunt: Ov. Trist. I. 1. 7 'nec titulus minio, nec cedro carta notetur, | candida nec nigra cornua fronte ferat'; ubi iocose scilicet vox ista adhibetur. Sed etiam *geminas frontes* Ovidius praebet (vs. 11): 'nec fragili geminae poliantur pumice frontes'. Porro cornua nominantur apud Martialem XI. 107. 1 sq.:

Explicitum nobis usque ad sua *cornua* librum,  
et quasi perfectum, Septiciane, refers.

Denique apud Lygdamum haec vox invenitur. Iam vero quid significat? Vulgo interpretantur cornua esse partes extremas latiores bacillorum quibus antiqui utebantur ad libros evolvendos, ita ut cornua praecipue adhiberentur ad prohibendum omne detrimentum. Birt autem in libro suo 'Das antike Buchwesen' aliam sententiam protulit, et cornua accipere vult extremas partes ipsius codicis evoluti, sed nuper Blümner <sup>1)</sup> in disputatione c. t. 'Umbilicus und cornua' rectissime si quid video hanc interpretationem refutavit. Unde non posse nos non decernere perhibet, ipsius Lygdami verba parum exacta fuisse aut prave nobis tradita esse: tum enim cornua non inter geminas frontes esse, sed frontes inter gemina cornua. Quidquid id est — nam vereor ut viri docti verum hic viderint, sed alibi ea de re agere mihi proposui — etiamsi poëta hanc vocem male adhibuit, fieri potuit ut ipse verborum sonus in tales ambages eum deduceret. Versus enim 13—17 hi sunt:

atque inter geminas pingantur *cornua frontes*:  
sic etenim comptum mittere oportet opus.  
per vos, *auctores huius mihi carminis*, oro  
*Castaliamque umbram Pieriosque lacus*,  
*ite domum, cultumque illi donate libellum.*

Iam iuxta ponamus atque comparemus Culicis exordium, vs. 11—19:

Latonae magnique Iovis decus, aurea proles,  
Phoebus erit nostri princeps et *carminis auctor*  
et recinente lyra fautor, sive educat illum  
Arna Chimaereo Xanthi perfusa liquore,

1) Philol. LXXIII. 3 p. 428 sqq.

seu decus Asteriae seu qua Parnasia rupes  
 hinc atque hinc patula praepandit *cornua fronte*,  
*Castaliaeque* sonans liquido pede labitur *unda*.  
 quare, *Pierii laticis* decus, *ite* sorores  
 naides, et celebrate deum ludente chorea.

Hi loci inter se collati sine dubio plura inter se communia habent quam ut seorsim atque sine ullo nexu orti sint, praesertim cum uterque desumptus sit e carminis dedicatione, qua re gravior suspicio fit, hanc similitudinem non fortuito exstitisse. Primo in Culice habemus *Castaliam undam* et *Pierium laticem*, apud Lygdamum *Castaliam umbram* et *Pierios lacus*. Uterque Musas adloquitur (nam in Culice 'sorores Naides' Musarum vicibus fungi apparet); uterque habet quod iis mandet; Culex: '*ite*, et celebrate deum ludente chorea; Lygdamus: '*ite* domum, cultumque illi donate libellum'. Accedit quod Lygdamus Musas obtestatur: 'per vos *auctores* huius mihi *carminis*', perinde atque Culicis auctor profitetur: 'Phoebus erit nostri princeps et *carminis auctor*'. Postremo habemus versus in '*cornua frontes*' et '*cornua fronte*' exeuntes, atque haec quidem omnia intra breve spatium quinque et septem versuum. Iam vero quaestio oboritur, uter suum ingenium expresserit, uter alteri imperaverit. An ambo idem exemplum imitati sunt? An denique uni eidemque auctori et Culex et elegiae nostrae tribuendae sunt?

Ultimae huic quaestioni facile respondetur. Quamquam hic si et alibi species fallere potest. Nam quae Lygdamus cum Culice communia habet profecto non tantum pars illa exordii est. Neque tantum series quaedam elocutionum, velut Lygd. 5. 1 '*vos tenet, Etruscis manat quae fontibus unda*', quocum conferas Cul. 146 '*his suberat gelidis manans e fontibus unda*'. Dignissimum autem notatu est quod Lygdamus, qui et aliis rebus a Tibullo differt et doctrinae ostentatione, omnem fere hanc doctrinam e Culice haurire potuit. De Castalia deque Pierio lacu sermo iam fuit. Porro inter se conferantur Lygd. 2. 20 (poeta precatur ut post mortem suam Neera cum matre ad rogam veniant fleturae tusque laturae): '*quas mittit dives Panchaia merces*'. Culex 87 habet '*Panchaia tura*'. Lygd. 4. 87 Cerberus inducitur: '*canis anguinea redimitus terga caterva*', cum Cul. 220 scribitur: '*anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis*'.

Ubi in elegia quinta de inferis agit noster, legimus de *pallentibus* undis (21), de rate *Lethaea* deque lacubus *Cimmeriis* (24); in Culice de *pallentibus* lacubus (333), de undis *Lethaeis* (215) deque lucis *Cimmeriis* (232). Quodque vel maxime observatu dignum est: Agaves fabula apud utrumque occurrit; Lygdamus 6. 23 sq. postquam monuit quales poenas Bacchus sumere soleat ab iis, qui ipsum honore debito non afficiant, hoc exemplum affert:

quales his *poenas* qualis quantusque minetur,  
*Cadmeae matris praeda cruenta docet.*

In Culice autem, vs. 111 sqq., legitur:

. . . . . *Cadmeis Agave,*  
 infandas scelerata manus e caede *cruenta,*  
 quae gelidis bacchata iugis requievit in antro,  
 posterius *poenam* nati de morte datura.

Itaque Lygdami carmina et Culex artissime inter se cohaerent. Sed quod non eiusdem stilo exarata sunt et verborum copia coarguit et res metrica. Lygdamo enim multo minus verborum praesto sunt quam Culicis auctori. Ut unum saltem exemplum afferam: nihil apud eum non *niveum* est: ipsius libellus est *niveus* (1. 9); lac *niveum* erit, quo ei mortuo inferiae afferentur (2. 20); *niveus* est dies qui olim Neaeram in eius amplexus reducet ('niveam lucem' 3. 25); Apollinis corpus est *niveum* (4. 30); Admeti iuvencae *niveae* erant (4. 67); iterum agitur de *niveo* lacte (5. 34); postremo cycni *nivei* laudantur (6. 9). Contra in Culice vox 'niveus' ne semel quidem invenitur.

Alterum argumentum res metrica est. Nemini ignotum est, quam rigidis normis Culicis auctor se astrinxerit quod attinet ad rem metricam prosodiamque; qui exempli gratia enisis sit ut omnem elisionem evitaret. Quam rationem Lygdamus non secutus est. Accedit quod Culex cum Nasonis operibus inter ea carmina habendus est, ubi in primis quattuor hexametri pedibus dactylorum numerus maior est quam spondaeorum. Non est ita apud Vergilium; quin et dactylorum numerus magis magisque apud eum minuitur; apud Lygdamum e centum pedibus nondum quadraginta dactyli sunt. Dubium igitur non est quin hic ut plurimis aliis locis Lygdamus alieno mundo se iactaverit. Quod si certo sciremus, quando hae elegiae scriptae sint (excepta



quinta quae posteriore aliquo tempore utique composita est et in qua Neera ne verbo quidem attingitur), certum indicium haberemus, ad quam aetatem Culex quoque referendus sit. Sed non certo scimus; quamquam infra probare conabor carmina nostra anno fere vicesimo a. C. n. scripta esse, videlicet cum Lygdamus viginti tres annos natus esset. Tamen iam nunc non nihil processimus. Si quidem conicere licet, hanc poësin amatorium non fluxisse ex ingenio viri plus triginta annos nati, inde necessario sequitur, cum Lygdamus anno 43 a. C. n. natus sit — ut ultimus compositionis terminus sit annus 13 a. C. n. Ergo mea quidem sententia *Culex ante annum 13 a. C. n. scriptus est* — quo lucrum factum esse apparet, si legimus apud Buechelerum <sup>1)</sup>: ‘Ovidio vix posterior quaesitae doctrinae specimen artificiosum edidit, suppositurus . . . . Vergilio aut vati alii qui hoc quasi ludo ante sexaginta annos adolescentem delectasset principem’; et apud v. cl. Leo: ‘non multo post Vergilii mortem carmen scriptum esse iudico et, si per exordium licet, ante mortem Augusti’ <sup>2)</sup>.

## IV.

Primae quattuor elegiae ei tempori tribuendae sunt, cum poëta timebat quidem, ne amatam suam Neeram, quae fidem mutaverat ipsumque valere iusserat, in perpetuum amisisset, attamen nondum omnino sperare desinebat fore ut ipsam recuperaret. Fieri ergo potest ut haec sint ea carmina, quae Kalendis Martiis ei dono misit. Sane carmen secundum ceteris etiam tristius est, sed tamen poëta nondum plane sperare destitit, fore ut se ipso maerore luctuque mortuo Neera cum matre fletum venturae sint ad bustum suum. Carm. 3. 23 sqq. adhuc haec vota ei nuncupat:

sit mihi paupertas tecum iocunda, Neera,  
 at sine te regum munera nulla volo.  
 o niveam quae te poterit mihi reddere lucem!  
 o mihi felicem terque quaterque diem!

1) Rhein. Mus. 45 (1890) p. 324.

2) Edit. p. 16.

Denique carmine quarto Lygdamus narrat, ut Phoebus Apollo in somnio sibi visus sit suaseritque ut in amore perstaret. Quippe verum quidem est: 'carminibus celebrata tuis formosa Neaera | alterius mavult esse puella viri', attamen: 'vincuntur molli pectora dura prece'. Carmen sextum non nisi laxiore quodam vinculo cum ceteris coniunctum est: omnis spes cæssisse videtur; vs. 29 amator destitutus queritur: 'nulla mei superest tibi cura, Neaera'. Inde elegia quinta sequitur quam supra iam vidimus multo post scriptam esse neque Neaerae nomen iam continere.

Ecquis autem hic Lygdamus fuit? Estne hoc nomen ficticiū? Saeculo iam diutius haec quaestio multos occupavit, atque in utramque sententiam totidem fortasse discesserunt. Longum est enumerare quaecumque hac de re scripta sunt; ceterum usque ad annum 1906 omnia recensere licet apud A. Cartault, 'A propos du Corpus Tibullianum; un siècle de philologie Latine classique'. Qui 'Lygdamum' nomen ficticiū putant, pro argumento afferunt, hoc *nomen servile* fuisse Romae usitatissimum, cum praeterea ipse poëta Romano genere gloriatur, ubi primi carminis initio dicit:

Martis Romani festae venere Kalendae  
(exoriens nostris hinc fuit annus avis.)

Contra adversarii: cum nihil fuisse inveniamus, quod Lygdamus falsum nomen carminibus suis praetenderet, sequitur ut libertus fuerit e Graecia oriundus. Quodque attinet ad verba illa *nostris avis* — sane nil simplicius! Iuvenis noster, quem ut plurimos sui ordinis ditem factum esse veri est simillimum, Graecam originem quam plurimum potest obvelare et infitari vult, verusque homo Romanus videri. Mihi haec sententia non satis fulciri sed infirmis fundamentis niti videtur. Immo vero si ita res se habuisset, procul dubio Lygdamus nomine ficto usus esset, nam ipsum nomen ilico eum proderet peregrinum. Lygdamus enim servile nomen vulgare erat; Corpus Inscriptionum magnam praebet exemplorum vim, et apud Propertium, libris III et IV, quorum priorem nostris elegiis superiorem fuisse vix dubium est, fidelissimo auctoris famulo idem est nomen. Itaque pro certo affirmare possumus, Lygdamum suum nomen nos celasse, ac quam ob rem verum nomen aperire fugerit, tum

demum in quaestionem vocare poterimus, cum plura de eo nobis nota erunt.

Iam vero equidem suspicionem missam facere non potui, praeter Tibulli de amore Sulpiciae et Cerinthi carmina praeterque epistulas amatorias ab ipsa Sulpicia ad Cerinthum datas nostris poematis tertium cyclum ad Sulpiciam pertinentem contineri, ubi sub nomine Lygdamo latens amator spretus et repudiatus Sulpiciam denuo sibi placare atque e Cerinthi amplexu abducere conatur. Primo igitur existimo, Sulpiciam esse, quae Neaerae persona donata sit. Confestim mihi obicias, talia ficticia nomina cum veris metricae concinere solere, ita ut semper et ubique alterum pro altero substitui possit. Quod non omnibus numeris rectum est: apud Propertium e. g. crebro Cynthiae nominis loco Hostia scribi non potest. Insuper autem singularem opinor exstitisse causam, cur Lygdamus hic Neaerae nomen elegerit. Vergilii Eclogas probe notas ei fuisse supra iam animadvertimus, atque etiam apparet si el. 4. 65 sq.:

saevus Amor docuit validos tentare labores,  
saevus Amor docuit verbera posse pati

confers cum Ecl. VIII. 47 sq.: 'saevus Amor docuit natorum sanguine matrem | commaculare manus'. Proinde me quidem iudice statuere licet, consulto nomen Neaerae sumptum esse e tertiae Eclogae principio, ubi Menalcas Aegonem reprehendit, quod armenta temere aliis curanda permittat, 'ipse *Neaeram* dum fovet, ac, *ne me sibi praeferat illa, veretur*'. Ita apposite Neaerae nomine in scenam producitur puella amata, cuius fides desperatur, Lygdami rebus quam congruentissime.

Animo autem rem volutantibus protinus nobis venit in mentem, quam similes partes et in Sulpiciae et in Neaerae casibus puellae mater agat. Hauptius iure enucleavit, hanc Sulpiciam filiam esse Ser. Sulpicii Rufi, filii clarissimi illius iurisconsulti eiusdem nominis, atque Valeriae, sororis M. Valerii Messalae Corvini oratoris. Ergo Messalini et Cottae, fratris eius minoris natu, consobrina erat. De Valeria illa, Sulpiciae matre, Hieronymus <sup>1)</sup> memorabile testimonium nobis servavit: 'Valeria, Messalarum soror, amisso Servio viro, nulli volebat nubere. Quae

1) Adv. Iovinianum I p. 46 Vall.

interrogata cur faceret, ait sibi semper maritum Servium vivere'. Sulpicius igitur immaturae morti succubuisse et Messala avunculus cum ipsa Valeria puellae educationi consuluisse videtur. Quod e secunda Sulpiciae epistula patefit, ubi his verbis eum adloquitur: 'Messala mei studiose', sicuti Valeria apud Tibullum in Sulpiciae cycli quinto carmine 'mater studiosa' audit, ubi commemorat, quomodo die natali Sulpicia Iunoni sacrificetur, quo facto (vs. 15 sq.):

praecipit en natae mater studiosa quod optat;  
illa *aliud* tacita, iam sua, mente rogat.

Itaque Valeria mater filiae cum Cerintho matrimonio haudquaquam favet, nempe qui humiliore loco natus sit: sic enim recte accipi mihi videntur Tibulli verba in quarto de Sulpicia carmine:

optat idem iuvenis quod nos, sed tectius optat:  
nam pudet haec illum dicere verba palam.

Quae interpretatio in dubium vocata est, quoniam ex eiusdem cycli carmine tertio apparet, Cerinthum aequae ac patrem eius venationi operam dare solitum esse, unde sequeretur ut iuvenis esset nobili genere ortus. Primo autem ad divitias, non ad genus haec pertinent; at deinde venatio Romanis omnino non inter studia honestissima habebatur. Quin etiam Sallustius eam una cum agricultura inter 'servilia officia' numerat. Immo — iam pridem Valeria optimum maritum filiae suae exquisivit: Sulpiciae sacra anniversaria celebranti et vota facienti Iunoni mater nomen amabilissimi iuvenis summo loco nati pronuntiantum commendat . . . . .

'illa aliud tacita, iam sua, mente rogat'.

Officiosa puella matris dicto specie obsequitur, silentio autem nomen mutat et precatur: da mihi Cerinthum!

Prorsus autem eadem ratio condicioque nisi fallor apud Lygdamum revertitur. Mirum quantum captus sit amore erga socrum — vel potius eius quam socrum suam aliquando fore vehementer optat. 'Unde tanta crudelitas?' — ita fere exclamat ad Neeram (4. 83 sq.), et verbis utitur quae singularem praebent similitudinem cum versu illo modo laudato:

nec tibi crediderim *volis contraria vota*  
nec tantum crimen pectore inesse tuo.

Etenim — ita pergit — non e monstro nata es nescio quo, ut e Chimaera, e Cerbero, e Scylla vel e leaena; nam parentes tui sunt;

..... longe ante alios mitissima mater  
isque pater, quo non alter amabilior.

Videsne? Mater praecedit, et superlativus abundantissimus adhibetur ut laudibus ad caelum feratur, sicut apud Ciris auctorem Delos insula 'ante alias longe gratissima' dicitur (vs. 473) <sup>1</sup>). Sed plura sunt etiam. 'Cum mors me abripuerit' — ita dicit 2. 11 sqq.:

ante meum veniat longos incompta capillos  
et fleat ante meum maesta Neaera rogam.  
sed veniat carae matris comitata dolore:  
maereat haec genero, maereat illa viro.

Sine dubio, modo ex matre res penderet, de nuptiis Lygdamus securior esse posset: summa in gratia eius versatur.

Sed gravius etiam puto exstare indicium, Neaeram fictum nomen esse pro Sulpicia et ipsum Lygdamum intellegendum esse iuvenem illum nobili loco natum, qui a Sulpicia tam ignominiose recusatus est.

Sulpiciae epistolia, quae nobis servata sunt, propter veram subtilitatem teneramque simplicitatem iure laudantur. Unum autem exstat, quod a ceteris quinque quam maxime abhorret: quartum dico. Typis imprimendum curavi ut vulgo hodie editur; creberrimas autem quaestiones criticas, quippe quas solvere nostra nunc non intersit, plane omitto:

gratum est, securus multum quod iam tibi de me  
permittis, subito ne male inepta cadam.  
sit tibi cura togae potior pressumque quasillo  
scortum quam Servi filia Sulpicia:  
solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris  
ne cedam ignoto maxima causa toro.

Miros versus, ut inter ceteras epistulas amatorias inveniuntur, nam in sequentibus rursus idem amoris hymnus auditur. Quin aenigma ethicum! Sulpicia certior facta esse fingitur de Cerinthi perfidia. Si quae in prioribus carminibus scripserat genuina

1) Cfr. etiam Verg. Aen. VII. 55.

sunt — quod vix dubitare possumus — hoc momento puellae vita infracta est. Iam vero de tali re sex versuum poëma condit! At etiam maioribus in ambagibus versamur! Vidimus, nec non aliis locis pellucidum fit, eos qui Sulpiciae cognatione proximi essent, ‘matrem studiosam’ et Messalam avunculum ‘nimium studiosum’ puellae cum Cerintho nuptiis omnino ad-versatos esse. Iam vero eos Cerinthi perfidia affictos esse atque percussos crediderim? Non ita hercle! Probant, plaudunt! Perge, inquit, ita facere: tum celerrime de fastidiosa ea re actum erit! Et Sulpiciae: videsne? beatam te quod in tempore a nobis es monita! cito fac finem istius consuetudinis, atque alteri illi fave iuveni honestissimo scilicet nobisque probatissimo.

Recta interpretatio aliunde petenda esse mihi videtur, quo viam nobis monstrant ultimi duo versus huius carminis:

*solliciti sunt pro nobis, quibus illa doloris  
ne cedam ignoto maxima causa toro,*

collati cum his Lygdami verbis ex ultima elegia ad Neeram data (6. 59—61):

*non ego, si fugiat nostrae convivium mensae  
ignotum cupiens vana puella torum,  
sollicitus repetam tota suspiria nocte.*

Lygdamus multum denuo querelarum habuit: ‘quam vellem tecum longas requiescere noctes | et tecum longos pervigilare dies’. Denique praetexta aequanimitate vociferatur: ‘si mehercule puella ista morosa mensam meam despicit, quoniam nescio quem nescio unde oriundum (*ignotum torum*) mihi praefert, equidem non totam noctem gemitus de pectore ducturus sum.’ Utrum hoc carmen ad Sulpiciam miserit an per amicos quid cecinisset puella audiverit, ignoramus; sed breviter ac fortiter respondit: ‘revera de me securus esse videris, nam meretrice te uti rumor est. Sed ego, Sulpicia Servii filia valere te iubeo! Quod si tu non es sollicitus, alii sunt, atque id quidem praecipue, cum mihi cedendum esset *ignoto tuo toro!*’

Si, quod suspicor, Sulpiciae quartum epistolium ad Lygdamum, non ad Cerinthum datum esse, verum est, etiam amplius quid de eo novisse nos probabile est. In prima elegia a Musis petit ut libellum suum ad Neeram perferant eique haec dicant (vs. 23—28):

haec tibi vir quondam, nunc frater, casta Neaera,  
 mittit et accipias munera parva rogat,  
 25 teque suis iurat caram magis esse medullis,  
 sive sibi coniunx sive futura soror.  
 sed potius coniunx: huius spem nominis illi  
 auferet extincto pallida Ditis aqua.

Fuerunt qui suspicarentur, hoc loco fratrem et sororem patru-  
 lem indicari; quibus contra obiectum est quaestionem hunc in  
 modum solvi non posse quia tum Lygdamus dicere non potuisset:  
 'vir quondam, nunc frater'; etenim antea etiam eius consobrinus  
 fuerat. Quam controversiam tollere vix necessarium est; ita  
 enim disserentibus ipsi hi versus contradictionem nobis praebent  
 insuperabilem: nam si Lygdamus iam nunc eius *frater* est —  
 quicquid hoc significat — fieri non potest quin Neaera iam  
 nunc quoque eius *soror* sit neque ergo eam adfari posset: 'sive  
 coniunx, sive *futura* soror'. Itaque vertendum esse arbitror:  
 'Hoc munus, casta Neaera, ab eo tibi mittitur, qui olim mari-  
 tum tuum se fore sperabat, nunc non nisi consobrinus est . . . .  
 sive in animo habes uxor eius esse sive consobrina tantum.'  
 Quod optime quadrat in Sulpiciae verba: 'tandem venit amor,  
 qualem texisse pudore, | quam nudasse alicui sit mihi fama  
 minor' (7. 1 sq.), unde plane emanare mihi videtur, hunc erga  
 Cerinthum amorem non primum fuisse, quamquam prior ille  
 (sive priores) huic nequaquam par erat.

Grave periculum facere mihi videor, ab altera coniectura ad  
 alteram procedens; atque dubito commonefacere, hac ratione  
 verum Lygdami nomen fortasse investigari posse. Cum autem  
 omnia fere quae de Lygdamo deque eius circulo iam scripta  
 sunt coniecturis debeantur, ac proinde exquirendum sit tantum,  
 quid magis minusve sit probabile, agedum periclitari volo.  
 Nempè Servius quidam Sulpicius nobis notus est, quem con-  
 stat aut fratrem aut consobrinum fuisse Sulpiciae (vide Schan-  
 zium II § 319), atque carmina composuisse amatoria. De quo  
 Ovidius (Trist. 2. 441): 'nec sunt minus improba Servi carmina'.  
 Porro si reputamus, cuique Romano Lygdamum *nomen servi*  
 fuisse, concedendum erit, pulchrum hoc nomen ficticium fuisse  
*Servi(i)* Sulpicii, cum praeterea metrica nomina concinant. Acce-  
 dit, quod egregie hoc pacto locus illustraretur quem saepe male

intellectum esse duco. In tertio de Sulpicia carmine Tibullus Cerinthum consolatur de puellae valetudine. Apollo veniet eique medebitur, et ipsa fida manebit. Tum, vs. 17 sq. haec legimus:

at nunc tota tua est, te solum candida secum  
cogitat, et frustra credula turba sedet.

Vulgo credula illa turba competitorum esse putatur; nuper e. g. in Florilegio suo Elegiaco, v. d. Enk adnotavit: 'sc. amatorum amari se putantium', et ad 'sedet': 'aan het ziekbed' (i. e. ad aegrotae puellae lectum). Mirificam hercle Valeriae matris liberalitatem, quae omnes amatores (quorum numerus haud ita parvus fuisse videtur!) ad filiae lectum invitaverit! Immo vero credula turba sunt propinqui, qui semper adhuc sperant fore ut Sulpicia ipsis obtemperet; inter quos Messala est et ipsa Valeria scilicet, quae 'praecipit natae quod optat': matrimonium iuvenis nobili loco nati. Quod si iuvenis ille eius consobrinus fuit — sive Servius Sulpicius sive alius quispiam, is quoque unus fuerit — et primus quidem — e turba illa credula.

\* \* \*

Quae disputavi recognoscens, ostendere conatus sum quintam Lygdami elegiam multo post ceteras scriptam esse, anno fere duodecimo p. C. n. Impedimento non est, quod poeta iuvenem se dicit, quoniam his temporibus iuvenis dicitur, cuius capilli nondum canescunt, quando senectus inire putatur. Ita apud Ovidium rem se habere invenimus atque etiam apud auctorem carminis iniuria Vergilio olim tributi, cui Ciris titulus, quodque anno fere 9 p. C. n. scriptum est. Quinque elegiae ad Neeram datae — si recte coniecimus, sub Neerae persona Sulpiciam latere — anno fere 21 vel 20 a. C. n. compositae esse debent. Quippe cum Tibullus, qui omnium prope consensu primum Sulpiciae cyclum qui dicitur condidit, anno 19 a. C. n. vita defunctus sit, hae res postea accidere non potuerunt: quod eximie quadrat in Lygdami aetatem, qui tunc viginti duo vel viginti tres annos natus erat.

Cum Lygdamum Culicem notum habuisse in aperto sit, hoc carmen ad tempus superius referendum est quam vulgo fit: utique ante annum 13 a. C. n., et — rursus si recte coniecimus — ante annum 20 a. C. n.



Ceterum quod ad poetam nostrum attinet — demonstrasse mihi videor quam inops sit verborum quamque egenus proprii ingenii. Veri simillimum est, eum fuisse inter Messalini sodales; fieri potest ut Neaera fictum nomen sit pro Sulpicia et ut Lygdamus, frater eius patruelis, maritus ille fuerit a matre ei destinatus, qui epistolio parvulo sed fervoris pleno repulsam ferebat turpissimam. Fortasse — nomen ei erat Servius Sulpicius.

---

AD LUCIANI RHETORUM PRAECEPTOREM § 22.

Eloquentiae doctor, ut nunc est istud hominum genus, homo levis, arrogans, impudens (et quo ille caret vitio?) postquam a Luciano in scenam inductus multos iam dolos multasque fraudes adolescenti laudis cupido subministravit, hunc quasi cumulum addit:

*ἀπάντων καταγέλα τῶν λεγόντων· καὶ ἦν μὲν τις καλῶς εἶπη, ἀλλότρια καὶ οὐχ ἑαυτοῦ [δεικνύειν] δοκείτω· ἦν δὲ [μετρίως] ἐνεχθῆ πάντα ἔστω ἐπιλήψιμα.*

Sic edidit Sommerbrodtius, iusto, ut opinor, festinantius. Verbum enim *δεικνύειν*, quamvis et mihi parum placeat, in textu retinere praestat quam eo eiecto exhibere aliquid quod sit soloecum; *ἀλλότρια δοκείτω* (sc. τὰ λεγόμενα): non improbo hanc breviloquentiam, sed *οὐχ ἑαυτοῦ δοκείτω τὰ λεγόμενα* haud ferendum videtur. In iis quae sequuntur non scalpello erat utendum sed medicamento eoque lenissimo. Nam *ἦν δὲ μετρίως* (sc. εἶπη) ab hoc loco est alienum, quoniam *μετρίως λέγει* is qui in dicendo modum tenet, quae haud spernenda laus est. Neque tamen *ἐνεχθῆ* ullo modo defendi potest: *μετρίως φέρει* aliquis adversam fortunam non vero oratorem quamvis malum. Sed certam, ut equidem opinor, emendationem nobis monstrat cod. 436 qui *ἐν ἔθει* habet. Legendum enim censeo *ἐπαινεθῆ*. Cf. Apol. 15: (severi censorum) *οὐ σοφῶ ὄντι μοι ἐπιτιμήσουσιν ἀλλὰ τῶν ἐκ τοῦ πολλοῦ δήμου (τινι inseratur) λόγους μὲν ἀσκήσαντι καὶ τὰ μέτρια ἐπαινουμένῳ ἐπ' αὐτοῖς*, non vero ei qui perfectus orator sibi videatur.

J. J. H.

# DE VERSU E MARCI EVANGELIO 40 CAPITIS IX <sup>1)</sup>.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



*Ὅς γὰρ οὐκ ἔστιν καθ' ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐστίν.*

In ore etiam nunc hominum, ceteroquin in libris sacris hospitum, esse haec sententia solet, nisi quod plerumque prave sic eam afferunt tamquam si *ἐμοῦ* legeretur, non *ἡμῶν*. Nam quod et altera exstat lectio *ὑμῶν*, quam sequitur Vulgata, parva ea est discrepantia.

Videamus quis recte, apte, ipsi rei de qua agitur convenienter illis utatur verbis. Ut opinor, nemo praeter eum qui magnum adit certamen, sed laetus lubensque, quia et socios se habere neque paucos neque dubiae fidei sibi habet persuasissimum et eos quoque in sua transituros castra sperat atque tantum non pro certo novit, qui hactenus neutris se addixerunt partibus. Quid quod qui palam eiusmodi pronuntiat sententiam, id eo consilio facit ut dubitantibus illis omnem demat metum eosque ad suam pertrahat militiam.

---

1) Haec dum prelo parantur, ab amico quodam inter theologos certior fio de eodem argumento his annis scripsisse viros doctos

Nestleum (Zeitschr. f. Neutest. Wissensch. 1912 p. 84—88.

Friedrichsenium (ibidem p. 273—280).

Quorum disputationibus legendis cum non vacaverim, vehementer metuo ne hacce in lucem edenda operam perdidierim. Sed spes quaedam me tenet fieri posse ut mea qualiscumque opella aut ambabus illis aut alterutri earum aliquid praebeat firmamenti. Accedit quod ego potissimum loco ex historia Romana illustrando dedi operam, illos theologorum magis esse functos munere consentaneum est.

Opus ergo est bello aliquo, opus est duobus adversariis, sed prae ceteris opus est hominibus utrum horum sequantur incertis etiam.

Totum nunc Marci locum paulo accuratius examinemus:

38 ἔφη αὐτῷ ὁ Ἰωάννης· διδάσκαλε, εἶδομέν τινα ἐν τῷ ὄνματι σου ἐκβάλλοντα δαιμόνια, ὃς οὐκ ἀκολουθεῖ ἡμῖν, καὶ ἐκωλύομεν αὐτὸν ὅτι οὐκ ἠκολούθει ἡμῖν.

39 ὁ δὲ Ἰησοῦς εἶπεν· μὴ κωλύετε αὐτόν· οὐδεὶς γὰρ ἐστὶν ὃς ποιήσει δύναμιν ἐπὶ τῷ ὄνματι μου καὶ δυνήσεται ταχὺ κακολογῆσαι με.

40 ὃς γὰρ οὐκ ἐστὶν καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστίν. (Similiter Lucas IX, 49 sq.).

Quodnam hic bellum Dominus noster inchoat? An iamiam Hierosolyma est profecturus aut nunc demum ad Iudaeos verba facere incipit? Nihil horum.

„At enim de Christo ubi legimus, statim de proelio aliquo cogitamus: semper et ubique bellum gerit Ille, cum vitiis hominum, cum falsis de Deo opinionibus, cum superstitione, cum impietate”.

Esto, sed sic cum loquimur metaphora utimur, Iesumque bellantem facimus cum exteris. In eiusmodi autem bello nullus est locus hominibus qui a neutris stent partibus. An cum patriae salus agitur vel agi dicitur, quisquam civium vel potest dubitare utrum cum patria faciat an cum hostibus?

Scin in quonam bello eiusmodi homines inveniāntur neque possint non inveniri? In bello, ut opinor, civili.

Et thaumaturgus iste de quo hic agitur num dubius haeret? Num ullo modo iis adnumerari potest hominibus quos nos „neutrales in bello” dicimus? Num haec in eum convenit imago? Immo vero Christi se clamat militem, Christi sumit arma, Christus ei dux et auspex est. De una hac re dubitatur utrum in Christi sit admittendus castra an non sit: ait Christus ipse, negant discipuli, idque admodum levi argumento.

Denique quo accuratius omnia perpendis, eo magis apparet quam sit ab hac narratione alienum totum illud ὃς γὰρ οὐκ ἐστὶν καθ' ἡμῶν, ὑπὲρ ἡμῶν ἐστίν.

Num ergo sanctus evangelista nugari mihi videtur et quid deceat quid non iuxta cum stolidissimis ignorare?

ἱεροῦ κατ' ἀνδρὸς οὐκ ἐπιγλωττίζομαι  
τοιούτον οὐδὲν μὴδ' ὑπονόησας σύ μοι.

Non enim continuo insanire dicendus est si quis sui temporis morem secutus trito aliquo et decantato proverbio ita utitur ut ceteri aequales omnes orationem eius probent laudentque, soli illi aliquid deprehendere possint vitii qui omnia ad amussim examinare consueverint.

Cum sancto enim Marco conferamus ... quem? Arpinatem oratorem.

„Iuncta vident ubi se, miratur nomen utrumque”.

Ligarii enim salutem his verbis Cicero a Caesare deprecatur (§ 33):

„valeat tua vox illa quae vicit: te enim dicere audiebamus nos (sc. Pompeianos) omnes adversarios putare, nisi qui nobiscum essent; te omnes, *qui contra te non essent, tuos*.

Hic simul omnia habemus quae modo requirebamus. Habemus bellum civile, Pompeianos se esse clamant alii, alii Caesarianos, sed multo maior pars civium exspectant etiam fortunam belli aut de toto negotio dubitant: quem fugiant habent, non habent quem sequantur. Et eodem modo in provinciis se rem habuisse res ipsa loquitur. Hos nunc omnes ad se Caesar vocat, omnem iis demere conatur dubitationem et „huc, huc” ait „venite, mea sequimini signa, in mea vos conferte castra; timere nolite ne propter dubitationem istam aut vos contemnam aut vobis succenseam: in eodem apud me eritis honore, in quo qui inde ab initio strenue pro mea causa depugnaverint. Iam nunc me vobis gratias habere quam maximas scitote, qui non feceritis cum adversario meo.” Neque suo sibi successu illa caruisse verba iure nostro ex iis quae praemittit orator „tua vox illa quae vicit” efficimus. Quae quid aliud significare possunt quam hoc: „vox illa tua cui victoriam tuam debes, vox quae ut adversarium tuum superare posses effecit”? An vim nunc facimus Ciceroni eiusque verba ad nostrum detorquemus arbitrium? Nonne verisimile est et privatos multos et totos populos placida illa lenique voce audita agmine facto ad Caesaris iam ante concucurisse signa quam quidquam de belli exitu constaret? Hac hac una voce se optimum sui temporis praestitit oratorem Caesar: eum oratorem dico qui non solum persuadere possit audientibus, sed praeterea omnes mortales sibi devincire eosque sibi reddere amicos.

Sed audiamus qua ratione omnino eam Caesaris vocem afferat Cicero. Nonne disertè declarat *παράδοξον* illud fuisse, numquam auditum antea, quod apud nullum legeretur scriptorem Latinum Graecumve, denique Caesaris, ipsius Caesaris, inventum?

Quid ergo? Num a Cicerone hunc sumpsit flosculum Marcus quo suam exornaret narrationem? Non opinor tam versatum eum in literis Latinis fuisse ut penitus sentiret orationem pro Ligario primum inter Ciceronis scripta tenere locum, praecclarum illud esse exemplum verae urbanitatis summaeque facundiae. Quodsi tamen illam legit, quid eum movere potuit ut pauca quaedam inde in suam orationem transferret verba? Quodnam illa pondus praebere Christi verbis videri ei poterant?

Aliter res se habet. Revera voce illa usus est Caesar<sup>1)</sup>; usus est, aio, nam permagnam inde percepit utilitatem. Primo adstupebant homines dicto mirabili et inaudito, deinde ei plaudebant et per totam illud spargebant Italiam. Ipsi hoc sponte faciebant et nil praeterea cogitantes. Sed Caesar probe intelligebat quantopere vox illa sibi posset prodesse et intelligebant omnes quotquot erant in provinciis Caesariani. Quisquis eorum aliquid habebat auctoritatis operam dabat ut illa tamquam Caesaris tessera recitaretur Graecis Asianisque, qui dudum iam causae Caesaris favebant, sed arma contra Pompeium sumere dubitabant etiam.

Finitum erat bellum civile, sed non erat emortua vox illa. Immo vero in ore omnium esse pergebat hominum, etiam cum de bello civili iam altum erat silentium. Et obtinuit vim „verbi volantis” (ut nunc dicimus) quo identidem homines utuntur de vera eius significatione atque historia parum solliciti. Quorum unus et Marcus evangelista fuit.

Atque, ut fit, ad eandem normam compositum est proverbium contrarium quod apud Matthaeum legitur (XII, 30 cf. Luc. XI, 23). Credo autem in communi Marci Matthaeique fonte<sup>2)</sup> utrumque proverbium lectum fuisse.

1) Testatur hoc etiam Suet. Caes. 75, disertius tamen testatur Cicero loco nostro.

2) V. v. d. Sande Bakhuizen, Nieuw Theologisch Tijdschrift. A. 1916.

# V A R I A.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.



## II.

### DE THEOPHRASTI EPITOME MONACENSI.

Optimo iure Hermannus Diels, vir doctissimus, in Theophrasti editione novissima haec scribit: „ergo firmiter tenendum est quod olim Cobetus edixerat: omne emendandi praesidium et fundamentum in capitibus XV prioribus esse in duobus codicibus Parisinis (AB); in posterioribus capitibus XV crisin pendere totam a codice Vaticano (V): reliquos autem libros ad unum omnes flocci non esse faciendos et criticam rem impedire tantum et quisquilliis nihil profuturis onerare.”

Non tamen facio cum eodem v. d., paullo infra contendente „Monacensem quoque epitomen — ex ABV ortam esse probabile existimo.”

Iam prius videamus locos, quos Diels recenset:

IX 3 *εὐωχοῦ, τίμιε* B, *τιμιώτατε* A, (quam lectionem mirabilem recepit Jebb-Sandys vertens: „Feast, most worshipful”), *τίβιε* Epitome Monacensis, quod ducit ad veram lectionem *Τίβειε* (cf. Menand. Her. 21 *ποιμὴν γὰρ ἦν Τίβειος οἰκῶν ἐνθαδί*).

Sine codicis melioris auxilio hanc emendationem reperiri potuisse, coll. scholio *δουλικὸν ὄνομα ὡς καὶ Δρῶμων καὶ Γέτας καὶ τὰ τοιαῦτα* facile Dielsio concedimus: paullo post eodem modo locum correxit Salmasius.

IV 11 καὶ εἰ τὸ ἄροτρον ἐχρησεν ἢ κόφινον ἢ δρέπανον ἢ θύλακον κτέ.

εἰ τὸ A: τὸ B: εἶ τι M.

Hoc loco Diels cum Needhamio εἶ τῷ legit, recte quidem varia lectione Epitomes εἶ τι spreta: verum tamen videtur εἰ τὸ, nam rusticus noster *unum tantum aratrum* habet, complures vero corbes, falces, saccos, unde sequitur articulum recte se habere nec Needhamio obtemperandum esse.

XIV 6 καὶ λαβῶν <τι> καὶ ἀποθεῖς αὐτόσ, τοῦτο ζητεῖν καὶ μὴ δύνασθαι εὔρεῖν: iure M. (καὶ ἀποθεῖς τι οὐχ εὔρισκι) et Gesner addiderunt τι: facilis sed necessaria coniectura!

XII 1 ἢ μὲν οὖν ἀκαιρία ἐστὶν ἐπίτευξις λυποῦσα τοὺς ἐντυγχάνοντασ. Dubitari potest utrum lectio codicum ἐπίτευξις praeferenda sit an cum M. ἐντευξις sit legendum.

XIII 6 καὶ ἀτραποῦ ἠγήσασθαι, εἶτα μὴ δύνασθαι εὔρεῖν, οὐ πορεύεται. (cf. Hall, The Busie-bodie „This man will also thrust himself forward to be the guide of the way he knowes not”).

Iam venimus ad locum maioris aliquanto momenti: M. enim praebet καὶ ἀτραποῦ ἠγεῖσθαι τὴν ὁδὸν καταλιπόντα. Non dubito quin recte editores Lipsienses ex epitome post ἠγήσασθαι inseruerint <τὴν ὁδὸν καταλιπόν>. Haec lectio, quam contemnendam esse Diels declarat, vim comicam mihi mire augere videtur: relinquit περιεργος certam viam ut semitam incertam ingrediatur! Praeterea Theophrastus de proverbio cogitasse videtur ὁδοῦ παρούσης τὴν ἀτραπὸν ζητεῖσ (Phot. 315), quod editorem fugisse videtur.

Ennius „qui sibi *semitam* non sapiunt, alteri monstrant viam.”

Hymn. in Apoll. 227 οὐδ' ἄρα πῶ τότε γ' ἦσαν ἀταρπιτοὶ οὐδὲ κέλευθοι.

X 13 Hoc loco M. Atticam formam δλάσ servavit: AB οὐλάσ. „Ex Aristophane non minus quam ex lexicis discere poterat” addidit Diels.

VI 6 τὸ δεσμοκτήριον πλείω χρόνον οἰκεῖν ἢ τὴν αὐτοῦ οἰκίαν.

M. habet κέραμον οἰκεῖν πλεῖον ἢ οἰκίαν. Glossam Cypriorum esse ad Homericum vs. E 387 explicandum contendit Diels. (cf. Et. Magn. 98, 31, Hesych. s. v.).

Sed quis sanus glossam illam Cypriorum κέραμον pro lectione facillima δεσμοκτήριον in textum traditum induxerit? Quis credat apud Herodam V 32 ἄγ' αὐτὸν εἰς τὸ ζήτρειον πρὸς Ἑρμωνα vocabulum ζήτρειον (τὸ τῶν δούλων δεσμοκτήριον παρὰ Χίσις καὶ Ἀχαιοῖς) a scriba nescio quo insertum esse pro voce tradita δεσμοκτήριον; aut Herodotum III 145 ἐν γοργύρῃ (δεσμοκτήριον ὑπόγειον schol.) εἶδ' ἐδοτο re vera scripsisse ἐν δεσμοκτηρίῳ; aut corruptum esse alium locum Herodoti (IV 146) κατέβαλον ἐς ἐρκτήν? Corinthii, teste Hesychio, κῶσ vocabant τὸ δεσμοκτήριον: num quis usquam illud pro tradito δεσμοκτηρίῳ substituit?

Accedit, quod Theophrastus in vivida descriptione verbis uti solet iisdem, quibus ei, quos pingit, utuntur, cf. VIII 7 πολλὸν τὸν ζωμὸν γεγονέναι.

Haec Diels. Restant tamen loci nonnulli, quos editor doctissimus enumerare supersedet, ubi M. meliorem aut certe aliam lectionem praebere videtur.

In miserissimo illo prooemio legimus ἤδη μὲν καὶ πρότερον πολλάκις ἐπιστήσας τὴν διάνοιαν ἐθαύμασα, ἴσως δὲ οὐδὲ παύσομαι θαυμάζων, τί γὰρ δήποτε — συμβέβηκεν ἡμῖν οὐ τὴν αὐτὴν τάξιν τῶν τρόπων ἔχειν.

γὰρ AB: ἄρα Madvig: omisit M.

Particulam γὰρ h. l. molestam esse quisvis videt: itaque aut obtemperandum M. aut interpunctione mutata legendum erit ἴσως δὲ οὐδὲ παύσομαι θαυμάζων. τί γὰρ δήποτε — ἔχειν;

Sed hic locus parvi momenti est.

I 4 καὶ μηδὲν ὧν πράττει ὁμολογήσαι, ἀλλὰ Φῆσαι βουλευέσθαι.

βουλευέσθαι AB: βουλευέσεσθαι Cobet: <ἔτι> βουλευέσθαι M. quod unice verum est.

II 6 Adulator patroni liberos vocat χρηστοῦ πατρὸς νεοττία. M. habet καὶ μακαρίζει τὸν γεννήσαντα.

Qui autem τὸν πατέρα μακαρίζει non patris sed liberorum vir-



tutes laudat, cf. e. g. Herod. I 31, ubi historicus facto admirabili Bionis et Cleobis narrato pergīt αἰ δὲ Ἀργεῖται (ἐμακάριζον) τὴν μητέρα αὐτῶν, οἷων τέκνων ἐκύρησε.

Hinc sequitur in Epitomatoris codice scriptum fuisse aut <χρηστὰ> χρηστοῦ πατρὸς νεοττία aut quod fortiter et simpliciter enuntiatum erit [χρηστοῦ] πατρὸς νεοττία, cf. τοῦ πατρὸς τὸ παιδίον (fr. c. gr. III p. 528 K).

VI 3 ἀμέλει δυνατὸς καὶ ὀρχεῖσθαι νήφων τὸν κόρδακα κτέ.

Verba Epitomes οἷος καὶ νήφων ὀρχεῖσθαι τὸν κόρδακα ad veram lectionem ducunt ἀμέλει δυνατὸς καὶ νήφων ὀρχεῖσθαι τὸν κόρδακα; nam indecenter saltare homine ingenuo indignum est: qui autem vel sobrius (καὶ νήφων) obsceno modo saltat, is demum iure ἀπονενοημένος vocari potest. Cf. cpt. XII in fine, ubi de viro ἀκαίρῳ legimus καὶ ὀρχησόμενος ἄψασθαι ἐτέρου μηδέπω μεθύοντος.

Verba sequentia καὶ προσωπεῖον ἔχων ἐν κωμικῇ χορῷ non expedit: Edmonds lectione Epitomes motus legit κ. π. ἔ. ἐν κ. χ. <ἀνασευρμένος περιάγειν>. Intellegerem ὡς <τις> προσωπεῖον ἔχων ἐν κωμικῇ χορῷ „ut histrio in comoedia”.

VIII 6 Genuinam formam Πολυπέρχων M. et B. conservarunt.

IX 7 καὶ ταῦτα <τούς> χρήσαντας ἀναγκάσαι ἀποφέρειν πρὸς αὐτόν.

Necessarium vocabulum τούς quod omiserunt AB additum est ex M. τούς χρῶντας ἀναγκάζειν κομίζειν.

XVIII 1 ἔστιν ἀμέλει <ή> ἀπιστία κτέ.: articulum suppleverunt M. et Buecheler. Facilis coniectura!

XIX 4 ἐσθίων ἀπομύττεσθαι· θύων ἄμ' ἀδαξᾶσθαι· (e coniectura Dielsii) προσλαλῶν ἀπορρίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος· ἄμᾳ πῖων προσερυγάνειν.

M. habet πῖων (sic!), quod ducit ad lectionem unice veram ἄμα πίνων, cf. e. g. XX 6 καὶ ἐσθίων δὲ ἄμα διηγείσθαι κτέ.

Epitome Monacensis igitur septem locis sine dubio meliorem

lectionem praebet (IX 3, XIII 6, VI 6, I 4, VI 3, IX 7, XVIII 1), duobus locis (XIV 6, XIX 4) ad veram lectionem ducit, uno loco (X 13) sola formam Atticam servavit.

Haud ignoro hic illic dubitari posse utrum casu an consulto vera lectio in Epitome conservata sit; quid porro vir doctus saeculi XV<sup>i</sup> sagaci coniectura assequi potuerit nemo facile diiudicabit: attamen omnibus locis diligenter perpensis Dielsium calidius — dixerim pace viri summi — auctoritatem Epitomes Monacensis repudiasse persuasum mihi est.

IX 2 Vir impudens dicitur *θύσας τοῖς θεοῖς αὐτὸς μὲν δειπνεῖν παρ' ἐτέρῳ*: locum optime illustrat Xen. Hell. III 1, 24, ubi Agesilaus a Midia ad cenam invitatus non sine dissimulatione respondet *οὐ μὰ Δι', ἔφη, ἐπεὶ αἰσχρὸν ἐμὲ τεθυκῶτα ξενίζεσθαι ὑπὸ σοῦ, ἀλλὰ μὴ ξενίζειν σέ.*

XV 6 *καὶ οὐκ ἔχειν συγγνώμην οὔτε τῷ ἀπώσαντι αὐτὸν ἀκουσίως οὔτε τῷ ὄσαντι οὔτε τῷ ἐμβάντι.*

Plerique editores pro *ἀπώσαντι* cum Laurentiano 86, 3 *ῥυπώσαντι* legunt, oblitī post Homerum neminem *ῥυποῦν* verbo usum esse „nisi nonnullos Byzantinos Gregorii Nazianzeni auctoritate confisos” (Diels). Iure Diels *ἀπαθεῖν* interpretatur „de crepidine depellere”; non tamen credo verba *οὔτε τῷ ὄσαντι* excludenda esse, quod librarii pro *ἀπώσαντι* coniecturam *ὄσαντι* in margine protulerunt, quae postea corpori verborum ipsi inserta sit, ut explicat idem.

Similiter enim Seneca de benef. VI 9, 1 „num quid est iniquus homine qui eum odit a quo in turba calcatus aut *respersus* aut quo nollet impulsus est.” Participium „impulsus” cum *τῷ ἀπώσαντι*, „calcatus” cum *τῷ ἐμβάντι* conspirat: restat participium „respersus”, cui respondet *τῷ ἄρσαντι*, cf. Theocr. XV 31 *δύστανε, τί μιν τὸ χιτῶνιον ἄρδεις;*

[Ingéniose Vollgraffius legendum esse mihi suggestit *τῷ <σπιλ>ώσαντι*, iure tamen dubitans num. Theophrasti temporibus hoc verbo usi sint Athenienses.]

Paullo infra sequuntur verba *ὑστερον ἤκειν Φέρειν (τὸν ἔρανον) καὶ λέγειν, ἦτι ἀπόλλυσι καὶ τοῦτο τὸ ἀργύριον*, cf. Theocr. X 45: *σικίνοι ἄνδρες, ἀπώλετο χούτος δ μισθός.*

XVIII 9 καὶ τοῖς εἰληφόσι τι παρ' αὐτοῦ καὶ λέγουσι· 'πόσου, κατάθου· οὐ γὰρ σχολάζω πω πέμπειν'. "μηδὲν πραγματεύου· ἐγὼ γὰρ, <ἔωσ> ἂν σὺ σχολάσῃς, συνακολουθήσω."

Locus difficillimus: coniecturis tamen vix opus est, dummodo interpungamus: 'πόσου, κατάθου· οὐ γὰρ σχολάζω πω'. "πέμπειν μηδὲν πραγματεύου· ἐγὼ γὰρ ἂν σὺ σχολάσῃς, συνακολουθήσω".

Vertendum: 'Consumma omnia et refer in tabulas, nam ego nondum vaco.'

Tum alter: "Noli curare, ut domum meam mittas (pecuniam), ipse te comitabor domum tuam, si vacaveris."

Fortasse post πραγματεύου verbum q. e. εἰπεῖν excidit.

XXIV 8 Superbus homo τοῖσδε τις, οἶος — ἐν ταῖς ὁδοῖς πορεύμενος μὴ λαλεῖν τοῖς ἐντυχάνουσι. Quanto melius se gerebat iuvenis ille κοσμιώτατος καὶ ἐπεικῆς καὶ σώφρων apud Ach. Tatium p. 211 Hercher, qui ἐπεμελεῖτο φθάνειν προσαγορεύειν τοὺς ἐντυχάνοντασ!

XXVIII 3 Vir maledicus 'αὐται αἱ γυναῖκες ἐκ τῆς ὁδοῦ τοὺς παρόντας συναρπάζουσι — τὸ ὄλον ἀνδρόλαοί τινες.'

Diels adnotat: ἀνδρόλαοι V: ἀνδρόλαβοι Foss: ἀνδρόλαγνοι Schneider: ἀνδροφάγοι Ast: ἀνδρόλαμοι Unger: ἀνδροβόροι Fränkel-Groeneboorn (= idem fere quod Groeneboom).

Theophrastus fortasse scripsit ἀνδρο<κό>βαλοι, cf. Photius (Reitz.) s. v. ἀνδροκόβαλος· κακοῦργος, πανοῦργος. Suid. Hes. (fr. com. III 567 K.).

## DE VOCE OSCA "TADAIT".

SCRIPSIT

F. MULLER JAC.FIL.

In tabula Bantina (II, 10) haec verba occurrunt: *factud pous touto deivatuns tanginom deicans, siom dat eizasc idic tangineis deicum, pod valaemom touticom tadait ezum* „facito (sc. magistratus), ut populus iurati sententiam dicant, se de iis id sententiae dicere, quod optimum publicum censeat esse”. Ita vulgo interpretantur, *tadait* verbo “censeat” reddentes; at nescio an melius huc quadret versio “videatur”, graece ὄ,τι ἂν δοκῆ βέλτιστον εἶναι τῆ πόλει. Certe non invenimus, cur hanc ipsam censendi notionem ibi latere suspicemur et numerus singularis, verbi *deivatuns* plurali numero oppositus, nostrae opinioni favet. Verbum enim hucusque undique caret, quo referatur. Adeone revera fluctuat neque habet, quod eius declaret originem?

Itaque sive “videri”, sive „censere, putare” eius significationem primam fuisse ponimus — parvi hercle momenti hanc distinctionem esse ipsum verbum *δοκεῖν* èt “putare” èt “videri” reddens demonstrat — in lingua persica veteri verbi formae inveniuntur, quae forsitan affinitatem cum verbo *tadait* prae se ferant. In inscriptione persica quae in saxo Behistun inventa est (IV, 8) legitur: *mā — — paruv Sadayū(h) tya manū kartam* “ne — nimium videatur quod a me (revera: mei) factum (sc. est)”: de hac forma cf. quae dixit Meillet in grammatica veteris linguae persicae (Parisiis 1915), p. 122. Haud ignoro istud verbum vulgo referri ad radicem \**skend* “splendere, candere”, unde in lingua sanscritica originem duxerunt vocabula

haec: *chúndati*, *chadíyati* "videtur, placet", in lingua avestica *sand-* "apparere, videri"; nuper de his verbis egit H. Güntert in libro cui titulus *Über Reimwortbildungen im Arischen und Altgriechischen* p. 57; plura apud Bartholemae Altiran. Wörterbuch 1559.

Cum autem in lingua persica vetere *Ḥ* (= *h*) non nisi ex indogermanicis sonis *k̄* aut *th* explicari possit, ad radicem confugiamus necesse est, cuius aut utrobique aut in sola Perside *th*-prima fuerit littera, \**thad-*: indog. *th* in lingua latina *t* genuisse mihi videor demonstrasse in *Mnemosynae* vol. 43 p. 334 sqq.; ut tamen in linguis italicae *t*, non *th* primitus huic vocabulo propriam fuisse litteram putarem, me movit graecum vocabulum *ἐπιτηδῆς* "cura singulari, consulto" et *ἐπιτηδεῖος* "idoneus, necessarius" (nomen proprium *Ἐπιτάδης*); haec enim vocabula iam Bechtel in *Lexilogo Homérico* p. 134 optime cum verbo osco *tadait* coniunxit. Neque me latet hanc, quam vobis proposui, interpretationem nullo modo ab omni parte stabilem certamque videri; nihilominus operae pretium duxi ad vocabulum oscum *tadait* lectoris animum revocare.

---

#### AD LUCIANI CONVIVIVM § 5.

Rogavit Lycinum Philo qui potuisset filiam suam Aristaenetus in matrimonium dare Eucriti filio, paene puero, responditque ille patris opulenti unicum eum esse filium. Tum Philo exclamat: *οὐ μικρὰν λέγεις αἰτίαν [τὸ πλουτεῖν τὸν Εὐκρίτον]*.

Dele insulsum additamentum, quo quod lepide dictum est fit languidissimum.

J. J. H.

# FULMEN.

SCRIPSIT

JACOBUS VAN WAGENINGEN.



In editione mea Manilii Astronomicon, a<sup>o</sup> MCMXV foras data, libri secundi versus 891—892 cum codicibus sic edidi:

*huic in perversum similis deiecta sub orbe* (sc. sors, sedes)  
*imaeque submersi contingens fulmina mundi,*<sup>1)</sup>

coniecturam, quam ipse Mnem. XLI (1913) 205 proposueram (*tangens fulcimina mundi*) spernens interpretationemque, quam Scaliger in Manilii editione a<sup>o</sup> 1600 (p. 195): *fulmina* = *fulmenta* = *ἐπεσφαιρα* dederat, probans. Scaliger enim primus coniecit in sermone Latino duo esse vocabula *fulmen*, quorum alterum a radice verbi fulgendi originem ducat, alterum cum verbo fulciendi cohaereat (\*fulgmen et \*fulcmen), sed lexica hanc duplicem significationem non commemorant et ipse Waldius in lexico etymologico linguae Latinae Scaligeri sententiam ne dignam quidem iudicavit, cuius mentionem faceret. Tribus autem saeculis post Scaligerum Axel Nelson, vir Suecus, alterum locum attulit (Eran. XII, 1912 p. 201), ubi *fulmen* idem valere suspicatur atque fulmentum, sc. Cic. pro Balbo § 34: „duris enim quondam temporibus rei publicae nostrae, cum praepotens terra marique Carthago nixa duabus Hispaniis huic imperio immineret, et cum *duo fulmina*<sup>2)</sup> nostri imperii subito in Hispania, Cn. et P. Scipiones extincti occidissent, L. Mar-

1) Conferatur versionis Belgicae Manilii (in aedibus Brillii, a<sup>o</sup> MCMXIV) p. 66.

2) Ernesti *lumina* coniecit, Georges vocem interpretatur per: 'heroës'.

cius, primi pili centurio, cum Gaditanis foedus icisse dicitur". Iure autem optimo Nelsonus contendit, si vocabulum *fulmina* Ciceronis loco eandem vim habeat atque *fulmenta* („Stütze"), egregiam existere oppositionem inter verba ‘Cathago nixa duabus Hispaniis’ et *duo fulmina nostri imperii*; deinde quod ad rationem morphologicam attineat, nihil huic etymo ob stare (cf. *fulcimen*, *fulcimentum*, *fulmentum*, *fulcrum*); tum Ciceronem saepius dixisse *fulcire rem publicam*, *fulcire imperium*, neque mirum esse, si e duobus vocabulis „*fulmen*” alterum cum verbo fulciendi cohaerens vitatum atque pro eo alia forma, ne ambiguitas oriretur, *fulmentum* substituta sit.

At Cicero non ipse locutionem illam *fulmina nostri imperii* ad Scipiones indicandos excogitasse mihi videtur, quippe quae iam ab Ennio adhibita sit, a quo praeter Ciceronem Lucretius <sup>1)</sup> et Vergilius <sup>2)</sup> hanc metaphoram mutuati sunt. Ennius autem, si re vera Ciceroni exemplo fuit, non dixit *duo fulmina imperii* èt de Scipione Africano maiore èt de Cn. et P. Scipionibus, quae opinio est Nordeni, sed de his solis fratribus, qui una pugnarunt una ceciderunt, Lucretius tamen, cuius carmen de natura rerum eodem fere anno emissum est quo Ciceronis pro Balbo oratio est edita <sup>3)</sup>, metaphoram transtulit ad unum Africanum maiorem designandum idemque vocabulo, quod Ennius ad viros, qui imperium fulserant, significandos usurpaverat, alteram vim sensumque fulguris tribuebat. Recte enim Munro animadvertit de loco Lucretii infra laudato agens: „Gnaeus and Publius were great generals, but still when they met so disastrous an end, it is strange that Cicero should call them the two thunderbolts of the empire” <sup>4)</sup>. Verissime, sed si Cicero eos appellavit imperii fulmenta, metaphora optime in fratres quadrat.

Verum tamen interpretatio vocabuli *fulmen* = *fulmentum* dubia manebit, nisi alia exempla ad hunc usum probandum afferri

1) Lucr. III 1034 (Munro p. 512, Heinze p. 194): „Scipiadas, belli *fulmen*”.

2) Verg. Aen. VI 842 (Norden p. 333).

3) Oratio pro Balbo habita est a° 56, Lucretii carmen editum a° 54 (Schanz RLG I 2 p. 41, 265).

4) Reliquae argumentationi Munronis, Scipiones nomen suum non ad scipionem (*σκῆπτρον*) sed ad *σκῆπτῶν* rettulisse existimantis, assentiri nequeo.

poterunt. Quam ob causam cum Thesaurus linguae Latinae nondum hanc vocem contineat, Lommatzschium, virum doctissimum, unum ex iis, qui Thesauro conficiendo praesunt, per litteras adii, essentne in schedulis Thesauri, ad vocabulum *fulmen* pertinentibus, vestigia, quae nos ad duplicem eius vim statuendam ducerent. Quoniam tamen illo sagato in castris versante belli causa G. D. Dittman, vir doctissimus idemque benevolentissimus, per litteras me certiore[m] fecit schedulas illas nondum excussas atque ordinatas esse, operae pretium esse iudicavi duos locos Ovidianos, in quos nuper incidi, cum Mnemosynae lectoribus communicare, qui Scaligeri et Nelsoni sententiam corroborare mihi videntur.

Ovidius autem (Am. I 6, 13—16) ianitorem inexorabilem domus amicae compellans amore ipso se audacior[m] factum esse fatetur neque iam noctis pericula per vicos errantem, sed unum ianitorem timere testatur:

*nec mora, venit amor: non umbras nocte volantis,  
non timeo strictas in mea fata manus;  
te nimium lentum timeo, tibi blandior uni:  
tu, me quo possis perdere, fulmen habes.*

Quale est illud *fulmen*, quod ianitor habet, quo Ovidium amicae aedes intrare conantem potest perdere? Estne aliquod telum, Iovis fulmini simile, quod tanquam muneris sui insigne gestat, quo terret amatores? An baculum, quod minatur? Tacent interpretes.

Exstat alter locus, ubi non ianitor, sed mirum in modum ipsa ianua ab Ovidio dicitur *fulmen* habere. Poeta enim *caelestia bella* (Am. II 1, 11), quae di cum gigantibus gesserunt, dicere ausum se esse narrat, sed eo conatu destitisse, quod talibus versibus amicae favorem sibi conciliare non potuerit. Audi eum ipsum (Am. II 1, 15—20):

*in manibus nimbos et cum Iove fulmen habebam,  
quod bene pro caelo mitteret ille suo;  
clausit amica fores: ego cum Iove fulmen omisi;  
excidit ingenio Iuppiter ipse meo.  
Iuppiter, ignoscas: nil me tua tela iuvabant,  
clausa tuo manus ianua fulmen habet.*



Iterum interpretes tacent, nisi quod Nemetheius nos iubet Ov. Am. I 6, 16 cum hoc loco comparare, et Heinsius duobus codicibus fretus lectionem *fulmen erat* (20) commendat. Sed quale est, quaeso, illud *fulmen*, quod ianua habet, quod ipso Iovis fulmine *maius* appellatur? Estne aliquod fulmen, in ianua pictum, quo fures grassatores amatores absterreantur? Nihil tale traditum est, quantum scio, et versus Ovidianus, sic illustratus et acceptus, admodum langueret putidusque iure haberetur. Contra iocus quidam et lusus in utroque loco Ovidiano inest (quamvis fortasse a nostro iudicio nostrisque sensibus abhorrens, sed a Romanis haud spretus, ut Ciceronis de oratore liber secundus abunde docet), si vocabulum *fulmen* duas habuit significationes, e quibus poeta in utroque versu (Am. I 6, 16 et II 1, 20) alteram, antiquiorem dico (= fulmentum), in animo habuisse videtur.

Nunc vero alia quaestio oritur, qualis fuerit usus fulmentorum in aedibus Romanis. Credo nos eam difficultatem tollere posse. Nempe apud Vitruvium vel apud eius interpolatorem, basilicarum constructionem describentem, haec legimus (de arch. V 2, 9, Krohn p. 98, 9): „supra traves contra capitula *ex fulmentis* dispositae pilae sunt conlocatae”. Quaeritur, quid hoc loco significet illud „*ex fulmentis*”. Schneider in commentario recte statuit fulmenta non esse fulcra („stutten”), nam si hoc Vitruvius voluisset, eum scripturum fuisse *pro fulmentis*, sed esse quoddam genus caementorum, e quibus pilae illae struantur (= ‘blokken’, ‘moppen’). Marte suo ad eandem pervenit sententiam loco Vitruvii examinato Guilielmus Vollgraffius, collega carissimus, eiusmodi rerum peritissimus, qui me monet talia saxa saepe adhibita esse fulciendi causa in laterum lignique constructionibus. Accedit alius locus, ubi Cato (de agricultura XIV 1) inter partes et materiam villae aedificandae haec enumerat; „limina postes iugumenta asseres *fulmentae* (= fulmenta)”. Iam ex ordine verborum apparet Romanos fulmentis illis usos esse in ianua fabricanda, nam iuxta limina postesque commemorantur. Itaque si quid video, Romani metuentes, ne claves et serae se parum defenderent ab iis qui nimis audacter in aedes introrumpere studerent, praesertim ab iis qui nonnumquam armati „funalibus et vectibus”, ut Horatius dicit (C. III 26, 7),

in fores impetum facerent, ianuam fulserunt<sup>1)</sup> et obstruxerunt magnis lapidibus, quae fulmenta appellantur, ita limina fulcientibus, ut ianua efringi non posset. Nunc demum intellegimus, quale sit *fulmen*, quod ianua, quod ianitor habere dicitur, quo ille Ovidium *perdere* possit! Non est Iovis telum neque quidquam ei simile, sed saxum quadratum, quo melius ianua clauditur:

*clausa tuo maius ianua fulmen habet.*

1) Cf. Ov. a. a. II 244.

AD LUCIANI DE MORTE PEREGRINI § 32.

Παρελθὼν αὐτὸς ὁ Πρωτεύς μυρίῳ τῶ πλήθει παραπεμπόμενος, κατόπιν τοῦ τῶν κηρύκων ἀγῶνος, λόγους τινὰς διεξῆλθε κτέ.

Quodnam sit illud κηρύκων certamen frustra mecum et alios quaerere opinor. Neque quidquam proficimus si hic ἀγῶνα Homericō usu ἀγορᾶς sensum habere sumimus. Talis enim ἀγῶν non currit sed stat sedetve et est multorum hominum, at κήρυκας qui ante Peregrinum incedunt haud plus duos fuisse res ipsa fert. Scin quid huic loco accidisse censeam? Ut appareret de certaminis Olympici apparitoribus sermonem hic esse, in margine annotavit aliquis τοῦ ἀγῶνος, sic fere:

κατόπιν

τῶν κηρύκων . . . . . τοῦ  
ἀγῶνος

eaque annotatio bipartito divisa recepta est in textum.

J. J. H.

# AD PLINII EPISTOLAM L. VI<sup>1</sup> 8<sup>AM</sup>.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



A Prisco petit Plinius det operam ut Maximus Crescenti reddat pecuniam, quam mutuam ab eo accepit Varus, cuius heres Maximus. Et aliis argumentis Plinius utitur et hoc (§ 8)

„quam vim habeat (Crescens) offensus crede ei quam in amore habet”.

Scio quo modo haec accipi defendique soleant. „Ei rei crede” aiunt „est fere *ex ea re effice*”, afferuntque duos locos qui nihil huc faciunt:

Luc. VII, 709 *fatorum crede favori*, ubi „fatorum favor” *hominis* instar est, et Plin. VI, 31, 5: *quam reverenter quam fideliter amicos colat multorum supremis iudiciis credere potes*, ubi eandem quidem quam hic habes structuram: *quam . . . crede-sed multorum s. i.* nihil aliud est quam: „multis qui eum heredem scripserunt” atque tertium hunc (X, 2, 2) *liberos concupisco . . . sicut potes duobus meis matrimonii credere*, in quo et ipso quaedam cernitur „personificatio”, non offendit durissimum istud: quam vim habeat offensus, crede ei (vehementiae) e. q. s.”.

Sed multo magis eo nomine lectionem traditam improbo, quod ibi *amorem* habemus pro *amicitia*. ‘Quidni habeamus?’ dixeris. „Nonne enim in ipso huius epistolae initio vocabula *amat, amas, amor* eodem modo sunt adhibita?” Respondeo: putasne notum illud Terentianum:

in amore haec omnia insunt vitia: iniuriae,  
bellum, pax rursum

etiam tum recte locum suum obtinere cum de *amicitia* agatur? Haud opinor: sed *certorum* hominum *amicitia* et „amor” potest appellari, non vero „in universum” *amor* unquam pro *amicitia* ponitur, quod non minus foret absurdum quam si quis Graece τὴν Φιλίαν cogitans, τὸν ἔρωτα scriberet. Denique aut servasse aut restituisse Plinii manum editio princeps videtur: *crede ei quem in amore habet*: „ego scio, et tu quoque scis, quam vim Crescens habeat offensus, licet neuter nostrum eum gravius offenderit. Idonei sumus de hac re testes, eam ipsam ob causam quod nostra *amicitia* numquam ulla graviore iniuria est concussa”. Nunc illud *quam* e. q. s. nullam habet offensionem et multo rectius quam in vulgata, ubi oppositio *illi* flagitat, *ei* legitur.

# OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(Continuantur ex p. 20).

## CVIII.

### DE DOMINIORUM INCERTO TOLLENDO.

Vetus est disquisitio philosophorum <sup>1)</sup> legumlatorum <sup>2)</sup> agrimensorum <sup>3)</sup> iuriconsultorum, tolli quomodo possit dominiorum quod dicitur <sup>4)</sup> incertum <sup>5)</sup>. In qua ante omnia tenendum est, non id eius causa qui possideat, sed eius causa quaeri, quaerendum saltem esse, cui a possessore veneat, ut possit scire, utrum

1) Audiatur Plato, qui praeterea quod κλήρων poni iubet ἐν τοῖς ἱεροῖς . . . κυ-  
παριττίας μνήμας (Leg. V 11 [p. 741]) sic edicit: ἡ δὲ κτήσις χωρὶς τοῦ κλήρου  
πάντων πᾶσα ἐν τῷ φανερῷ γεγράφω . . . ὅπως ἂν αἱ δίκαι . . . ἕκδιαι τε ὄσι  
καὶ σφόδρα σαφεῖς (Leg. V 13 (i. f.) [p. 745]).

2) Est exemplum Antisthenis Nicandri, qui tulit ψήφισμα, ὅπως ἂν Ἐραχθεΐδαι  
εἰδῶσιν ἅπαντες τὰ ἑαυτῶν κτήματα (Michel no. 139 lin. 6/7). Possidebant Erechthi-  
dae, ut ceterae tribus terrae Atticae decimam partem ἐν τρισὶ σφραγίσιν, ut loquun-  
tur Papyri (Aristot., resp. Athen. 21 § 4; cf. Lécrivain in: *Dictionnaire des antiquités*  
IV I p. 452: „les dèmes de chaque tribu formaient ainsi, sauf quelques exceptions  
trois groupes compacts”) cum, qui solvissent τὸ ἐγκτητικόν, non demotis (Michel  
no. 145 lin. 27/8; Lipsius, *das Att. Recht* II (1912) p. 677).

3) Gromat. p. 121 lin. 7-24 (Thulin p. 84, 8-26).

4) Cf. Gai. II § 44; l. 1 D. 41. 3.

5) Dominiorum incertum optime illustrat Dio Chrysostomus XV § 24, 25. Ceterum  
ipsam disquisitionem, quo modo id possit tolli, de medio tollit quodammodo Graden-  
witz, *Einführung in die Papyrusk.* I (1900) p. 105 vv.: „die der menschlichen Un-  
vollkommenheit unmögliche Sicherstellung eines absoluten dinglichen Rechtes”. Quod  
statim refellit ipse („Wenn nun etc.”).

a domino emat nec metuenda sibi sit evictio. Requiritur igitur, verbis ut utar Constantini <sup>1)</sup>, *pro quiete totius successionis*, quod aut dominum faciat auctorem aut penitus tollat evictionis potestatem. Qualis fuit apud Athenienses <sup>2)</sup> quinquennii praescriptio, quae tuebatur non singularum rerum tantum, sed etiam hereditatis possessorem, adiudicatarii heredem <sup>3)</sup>. Itaque qui a privato comparasset, securus erat, si auctor quinquennium possederat, salva hereditatis controversia, quum hereditatem possedisset, aut si adiudicatam possedisset quinquennium adiudicatarii heres. Sin ab aerario emisset, utique tutus erat: *ἂ μὲν γὰρ τὸ δημόσιον πέπρακεν*, nullam admittunt quaestionem, *ὡς ἀδίκως οὐ προσήκοντα πέπρακεν* <sup>4)</sup>. Unde fiebat, ut, qui metuerent evictionem, suas res vel potius invictum titulum <sup>5)</sup> ab aerario emerent, quae res Ulricum Wilcken aliquando conturbavit <sup>6)</sup>. Apud Romanos sufficere visa est usucapio, quae tamen non omnem tollebat evictionis potestatem, quia usu nec capit peregrinus nec capitur hereditas <sup>7)</sup> nec praesidi donatum <sup>8)</sup> aut vi possessum aut a peregrino <sup>9)</sup> aut a populo <sup>10)</sup> vel fisco <sup>11)</sup> aut a civitatibus <sup>12)</sup> aut a diis <sup>13)</sup> aut ab eo qui alienare prohibetur <sup>14)</sup> aut citra

1) Vat. fr. 35. 6.

2) De iure *προθεσμιῶν* Atheniensi et, quod coniunctum est, Aegyptio diximus cap. harum observ. CVI.

3) Isac. III § 58: *ὁ νόμος πέντε ἐτῶν κελεύει δικάσασθαι τοῦ κλήρου, ἐπειδὴν τελευτήσῃ ὁ κληρόνομος* (i. e. adiudicatarius: VI § 4). Maiorem, quam directa adiudicatio, vim habet *ὄρφανοῦ οἴκου μίσθωσις*, si quidem post eam nulla permittitur *ἀμφισβήτησις*. Quod demonstravimus cap. harum observ. LXXXIV (ex Isac. VI § 45).

4) Diximus cap. CVI.

5) *Ἐκ βασιλικῆς διαγραφῆς*. Locos dedimus in observ. ad papyros § 19.

6) *Actenstücke* (1886) p. 31.

7) Senec., de Benef. VI 5 § 3; Gai. II § 54. — Usucapiunt sane, qui ab hereditatis possessore emerint: l. 17 pr. D. 4. 6; l. 25 § 17 D. 5. 3; l. 36 § 1 D. 41. 3.

8) L. 48 pr. D. 41. 1; l. 8 D. 48. 11.

9) Tab. III § 7 (ia. Gai. II § 65): peregrinus quia usu non perdit, ideo adversus hunc dominum *aeterna* debetur *auctoritas*.

10) L. 48 pr. D. 41. 1 (cf. Windsch. (1891) § 182 not. 11); Gromat. p. 50 lin. 15-18 (Thulin p. 42/3); Senec., epist. 79 (*iusrisconsulti negant quidquam publicum usucapi*).

11) Windscheid (1891) § 182<sup>a</sup>.

12) L. 9 D. 41. 3 (cf. quidem Windscheid (1891) § 182 not. 5).

13) Cf. Cicero de harusp. resp. 14 § 32.

14) L. 28 pr. D. 50. 16; l. 16 D. 23. 5 (cf. Iustin. c. 30 § 2 C. 5. 12).

iustum initium salva etiamtum pignoris <sup>1)</sup> causa et ususfructus <sup>2)</sup>, nisi non utendo amittatur <sup>3)</sup>, et condicionalis legati <sup>4)</sup> et restitutionis in integrum <sup>5)</sup> propter aut absentiam aut aetatem <sup>6)</sup>. Iam longi temporis praescriptio ipso iure non currit, ubi adversus usucapionem in integrum restituitur <sup>7)</sup>, et habet suum vitium: interruptionem per interpellationem <sup>8)</sup>, nam usucipientis conventio, dum perpetuat in rem actionem <sup>9)</sup>, ipsi soli nocet <sup>10)</sup>. In eo sane praescriptionis causa melior est, quod etiam *adversus rem publicam prodest* <sup>11)</sup>, et quod hypothecariae actioni rectissime obicitur, modo non debitor possederit <sup>12)</sup>. Quia vel sic multa restant, in quibus evictio locum habet — addidit Iustinianus <sup>13)</sup> evictionem ab eo, qui a mala fide possidente ipse bona fide emerit, quum id dominus ignoraret — ideo laude dignus est, qui tricennali praescriptione introducta *humano generi profunda quiete prospexit* <sup>14)</sup>, vel maiore dignus futurus, nisi sanxisset, adversus pupillum praescriptio ut cessaret <sup>15)</sup>. Excipiebatur hinc

1) L. 1 § 2 D. 20. 1; l. 44 § 1 D. 39. 2; l. 44 § 5 D. 41. 3; l. 2 pr. D. 41. 5; c. 7 C. 8. 13 (14).

2) L. 17 § 2 D. 7. 1; l. 44 § 5 D. 41. 3.

3) Paul. III 6 § 30.

4) Cf. Iustin. c. 3 § 3a C. 6. 43.

5) Hinc venit rescissoria Publiciana: l. 35 pr. D. 44. 7; cf. l. 26 § 7, l. 30 pr. D. 4. 6; l. 57 D. 17. 1; l. 82 § 1 D. 30; c. un. C. 2. 35 (36); c. 3 C. 2. 50 (51); c. 3 C. 2. 52 (53); c. 5 C. 2. 53 (54); c. 24 C. 3. 32; c. 18 C. 8. 50 (51).

6) Metum passi diversa causa est: Bas. 10. 2. 26 (= c. 3 C. 2. 19 [20]).

7) c. 7 C. 7. 35.

8) Paul. V 2 § 4, § 5; c. 1 pr., § 1 C. 7. 33; Pap. Berol. (BGU) 267 = Argentinor. 22 (Chrestom. II 374).

9) Vetus illa civilis interruptio, quae fiebat *surculo defringendo* (Cic. de Orat. III 28 § 110), ipsam usucapionem interpellabat, sed ita, si dominus usurpasset (cf. l. 5 D. 41. 3).

10) Gai. l. 18, l. 20 D. 6. 1; cf. Ulp. l. 5 § 5 D. 7. 6.

11) Paul. V 2 § 4; c. 1 § 2 C. 7. 33.

12) L. 21 § 1 D. 20. 1 (cf. Dernbg, *Ffdr.* I p. 224/5; l. 5 § 1, l. 12 D. 44. 3; c. 7 § 1, c. 14 C. 4. 10; c. 1, c. 2 C. 7. 36; c. 19 C. 8. 44 (45); Iustin. c. 12 § 1 C. 7. 33; c. 8 pr. C. 7. 39. — Exigit praeterea Windscheid (1891) § 248 \*\*, ut possessor hypothecam ignoraverit.

13) Nov. 119 c. 7.

14) Nov. Valent. tit. XXVII (Haenel XXVI c. 1) § 3.

15) Iege quidem Anglica cautum est, ne post tricennium vel pupillus vindicet. Cf. Digby, *History of the law of real property* (1897) p. 427/8; Kerr, *the student's Blackstone* (1887) p. 155/6; Pollock, *the land laws* (1887) p. 173/4; *Stephen's commentaries* III (1899) p. 489.

quoque debitor pignoris possessor, donec *immortali timore* hunc liberavit Iustinus <sup>1)</sup> per quadragenariam praescriptionem. Sed videndum est an ipse Iustinus <sup>2)</sup> Constantinianae legis <sup>3)</sup> exemplo rursus hinc exceperit *conductor(em) seu procurator(em) rerum alienarum*, proinde tales personae et earum heredes in rem actionibus conveniri posse nunquam desinant, quod visum glossatoribus <sup>4)</sup> et commentatoribus <sup>5)</sup>, nisi qui possessione dominum interverterit <sup>6)</sup> non admittendo venientem <sup>7)</sup>, Cuiacio <sup>8)</sup> placuit et Molinaeo Argentraeque, transiit denique in eius gentis legem <sup>9)</sup> cum hoc tamen, ut post contradictionem iam nihil obstet praescriptioni <sup>10)</sup>. Diversa sedit Germanis interpretatio post Fridericum Carolum, qui tamdiu putat <sup>11)</sup> non praescribi, quamdiu conductor vel procurator alieno nomine possideant, id est conductorem vel procuratorem se profiteantur. Ex diverso Windscheid <sup>12)</sup> post completa conductionis tempora iam nihil obstare putat praescriptioni. Quando igitur

1) c. 7 pr., § 1 C. 7. 39.

2) c. 7 cit. § 7.

3) c. 2 C. 7. 39. Pertinere videtur Cuiacio (Obs. XVIII c. 27) ad *sexaginta annorum praescriptionem* (cf. c. 3 C. 7. 22).

4) Gl. v. *debeant* c. 2 C. 7. 39: *nota colonum non praescribere triginta annis, licet nihil solvat.*

5) Summar. c. 2 C. 7. 39 (ex Baldo Bartoloque); summar. c. 7 § 7 eod. (ex Baldo); summar. c. 1 C. 7. 30 (ex Baldo).

6) Summar. c. 7 § 7 C. 7. 39 (e Saliceto). E diverso gl. v. *domino* c. 1 C. 7. 30 negatur colonum posse intervertere.

7) gl. v. *usurpet* c. 2 C. 7. 39; v. *conductor* c. 7 § 7 C. 7. 39; v. *propter iustam causam* l. 12 D. 43. 16. — Add. gl. v. *neque enim* l. 18 D. 43. 16: *non ergo solus animus coloni dominum privat.*

8) Paris. IX 1075 B, 1085 A/B.

9) *Code civ.* art. 2236. Cf. Baudry-Lacantinerie, *Traité de droit civil XXVIII* (1905) p. 245-262 (*Prescription* nis. 314, 315, 317, 322), legem qui reprehendit p. 253/4 (no. 324).

10) *Code civ.* art. 2238. Cf. Baudry-Lacant., op. cit. p. 259/60 (no. 333). Rebelint Cornil, *Possession* p. 162: *«il paraît inadmissible qu'une simple contradiction . . . puisse opérer interversion»*. Legislatori praeiverat Dunod, *Prescriptions* (1786) p. 40: *«ceux qui ont la possession d'autrui, changent leur possession lorsqu'ils le veulent et qu'ils le déclarent par des faits et des actes extérieurs»*, sed p. 39 idem auctor docet, hoc ita fieri, si conductor ab extraneo rem comparaverit, *«s'il refuse après cela de faire part des fruits à son maître, s'il déclare qu'il ne veut plus tenir de lui etc.»*. Quorum hodie utrumlibet lege sufficit (art. 2238 cit.).

11) *System* V § 239 (p. 284/5).

12) *Lehrbuch* (1891) § 107\*.

non praescribet *procurator rerum alienarum*? Dixerit: numquam, reclamabit constitutionis auctor. Dixerit: semper, se refellet ipse, quod quia peius odit, dicit: numquam. Possessoris iura, non securitatem eius, auxit Iustinianus <sup>1)</sup> bona fide adepto possessionem post triginta annos quasi domino facto tribuendo *actionem ad vindicand(um)*. A populo qui comparasset proprio iure usum, opinio est Ottonis Karlowa <sup>2)</sup>; a fisco emptor apud Romanos ante Marcum Aurelium proprio iure usus non est. Hic demum princeps statuit, ut haberet adversus dominum rei, non etiam adversus *libertatem* <sup>3)</sup>, emptor a fisco quinquennii praescriptionem salva tamen causa in integrum restitutionis quum minori tum absentis <sup>4)</sup>; accessit Constantini <sup>5)</sup> et Zenonis constitutionibus, ut *statim* <sup>6)</sup> securus fieret etiam adversus actionem hypothecariam <sup>7)</sup>. Quod Graecorum institutis convenit, de quibus supra disputavimus, et Ripuariorum <sup>8)</sup>, quibus adeo ratum est omne *testamentum regi(um)*, id est, *ἐκ βασιλικῶν διαγραφῆ*, ut etiam *de vita compon(ere)* iubeatur, id qui *fals(um) clamaverit*, id est, impugnaverit. Atqui singulare prorsus est, quod in formula quadam Salica <sup>9)</sup> post litem de terra *ad crucem* decisam sententia redditur *contra quemlibet*, nam Germanorum quoque consuetudine pronuntiatio, rem actoris esse, soli victo solet esse damnosa <sup>10)</sup>. Quod de iure Anglico nominatim testantur Pollock et Maitland <sup>11)</sup> salva nihilominus exceptione *ex taciturnitate* <sup>12)</sup>, quae competit

1) c. 8 § 1 C. 7. 39.

2) *Rechtsgesch.* I p. 243<sup>1</sup>, II p. 10, p. 29.

3) c. 5 pr. C. 7. 16 cum sch. *Τοῦ αὐτοῦ* (ad Bas. 48. 20. 5).

4) § 14 Inst. II 6; c. 3 C. 2. 36 (37); add. c. 5 C. 2. 50 (51), ubi ad novam quadriennii praescriptionem per interpolationem hoc transfertur. Quod perspexit Wissembach.

5) c. 1 C. Th. 10. 1.

6) § 14 Inst. cit.

7) c. 2 pr. C. 7. 37. Huic iuri accommodandum fuit l. 5 pr. D. 49. 14, neque id Balduinum latuit. Aliud fortasse dicendum est de l. 13 § 9 D. 5. 3, quum pertineat ad *hereditat(is)* emptorem.

8) Tit. 60 § 6 (ia. § 7). Locum interpretati sumus cap. harum observ. CV.

9) Bignon. 13 (12) = Thévenin, *Textes* no. 39. Nihil aut hic adnotat aut adnotaverat Zeumer.

10) Ergo quaerendum est, quid ita in instrumento quodam Divionensi (*GU* 213) ecclesia possessionem sine adversario vindicet (anno 816)

11) *Hist. of english law* II (1895) p. 75 (post notam 2).

12) Bracton V (5) c. 29 § 1.



adversus praesentes absentes quibusdam personis exceptis <sup>1)</sup>, postquam magna <sup>2)</sup> assisa adiudicata fuerit vel duellum vadiatum vel iurata arramiata vel cyrographum factum in curia. Ergo qui horum cui clameum non opposuerit, is sibi praeiudicat nec postea rem utiliter vindicabit, quia allegare nemo pote(s)t ignorantiam eorum, quae palam geruntur in ipsa curia regis. Quocirca, qui invictum titulum cupiebant habere, ii cum adversario supposito in curia regis concordiam inibant. Quod sublatum est sub rege Eduardo III (anno 34), restitutum sub regibus Richardo III (1) et Henrico VII (4) rursus deinde sublatum sub Gulielmo IV (3 et 4) <sup>3)</sup> hodie non obtinet <sup>4)</sup>. At potest hodie <sup>5)</sup> a curia post investigationem et προγραφας impetrari auctoritatis instrumentum, quod proximo emptori plenam securitatem praestabit. Quo iure propter perplexissimam eius executionem nemo utitur <sup>6)</sup>, sed potius inscribit proprietatem suam προς τον επι ταϊς αναγραφαϊς <sup>7)</sup> idque et commodius ius et plenius est. Praestabat autem concordia securitatem, quo tempore Bracton scribebat, statim; paulo post placuit, ut post annum et diem securitas inde contingeret <sup>8)</sup>, quod sub Henrico VII factum est quinquennium <sup>9)</sup>. Et sufficiebat olim ad securitatem consequendam possedisse tempore concordiae ipsum vel auctorem <sup>10)</sup>, sed sub Henrico VII exigui coeperunt προκηρύξεις <sup>11)</sup>, quibus adiectis civile et proprium institutum gentium iuri quodammodo exaequatum est. Inventae sunt enim quum apud Graecos tum apud alios populos προγραφαί (παρά τῃ ἀρχῇ) et προκηρύξεις quibus admonerentur, qui ius in re haberent, adversus emptorem intra certum tempus ut consisterent, ne viderentur ius suum remisisse, veluti apud Athenienses intra

1) Velut pupillis, carcere detentis, trans mare absentibus (Bracton, l. i. § 3).

2) I. e., de proprietate.

3) Stephen, *New commentaries* I (1883) p. 568/9, p. 579.

4) Digby, *History of real property* (1897) p. 106; *Stephen's Commentaries* I (1899) p. 392.

5) *Declaration of title act* 1862.

6) *Stephen's Commentaries* I (1899) p. 560.

7) *Ibid.* p. 549/50.

8) Pollock et Maitland, *op. cit.* II p. 101\*.

9) Stephen, *op. cit.* I (1883) p. 569.

10) Stephen, *op. cit.* I p. 569/70; Pollock et Maitl. *op. cit.* II p. 100/1.

11) Stephen, *op. cit.* I p. 566.

sexaginta dies <sup>1)</sup>). Quamquam testi fidem abrogat Hitzig <sup>2)</sup> propterea quod Athenis privata venditio rata utique fuerit. Rata nimirum erat privata venditio <sup>3)</sup> sed periculosa, ex diverso προγραφαί tutae quidem sed emendae, ponenda enim erat una pretii centesima <sup>4)</sup>. Quod ius apud Romanos non invenitur praeterquam in venditionibus fisci, ubi pignoris iure is vendit; solent enim ab hoc venditore *programme* id est, edicto <sup>5)</sup>, creditores admoneri, ut aut de iure suo doceant aut in perpetuum quiescant <sup>6)</sup>. Apud novos quidem populos coepit hoc ius ad omnes pignorum venditiones, non fiscales tantum, pertinere, postquam placuit <sup>7)</sup> de rebus soli, iure pignoris semper ut venirent sub hasta, hastam utique praecederent προκηρύξεις <sup>8)</sup>. Statuerunt denique reges Galliae, quod soli pignus nemine contradicente post legitimas προκηρύξεις venisset sub hasta, in eo pignore non hypothecae tantum, sed omnia pristina iura, sicut in Anglia post *concordiam*, paucissimis exceptis ut haberentur pro extinctis <sup>9)</sup>,

1) Theophr. *περὶ συμβ.* (ediderunt cum commentario quum Hofmann, *Beitr. z. Gesch. des griech. und röm. Rechts* (1870) p. 76-79, tum Thalheim, *Rechtswörterhimer* (1895) p. 146-152) § 1. Mira res videtur Ernesto Rabel, *Verfügungsbeschr.* (1909) p. 20/1.

2) *Ztschr. der Sav.-St.* XVIII (1897) p. 177.

3) Demosth. XL § 58, 59; Aesch. I § 100. Provocat Hitzig ad Hyperid. V § 9. Qua de re cf. Bruck, *Habilitationschrift* (1909) p. 129<sup>2</sup> et ab altera parte Rabel, *Verfügungsbeschr.* p. 28/4.

4) (ὅπως) ὁ δίκαιος ἐωνυμένος φανερός ἢ τῶ τέλει, quod explicat Thalheim (1895) p. 146 not. 1 (adhibita Demosth. XXXII § 18), nec audiendus Rabel, *Verfügungsbeschr.* p. 21.

5) Ioseph. Antiq. XII § 145; Vit. § 370; Plutarch. Galb. 5; Dittenb. Syll. (1900) no. 935, 29; Pap. Berol. (*BGU*) 18, 1; Giss. 7, 14/5; Oxyrrh. 34 IV 5, 6; 1101, 16; 1155, 11; *Rev. laws* col. 37, 6; Tebt. 24, 28; 27. 62. 71. 107; 35, 8; c. 29 § 2 C. Th. 10. 10; c. 1 § 4 (1) C. 1. 49; c. 6 C. 7. 57; Sanct. pragm. pro pet. Vig. c. 11; Gibbon, *chapter* 49 not. 25 (ex Io. Damasc.). Itaque recte habet interpretatio Ernesti Rabel, *Verfügungsbeschr.* p. 21, non recte Henrici Dernburg, *Pfdr.* II p. 551/2, *Pandekten* I (1892) § 292 (p. 702/3).

6) c. 6, c. 8 C. 8. 25 (26). Non officit res nisi praesentibus (c. 6 cit.).

7) Dernburg, *Pfandr.* II p. 258: „nach einem allgemeinen germanischen Gewohnheitsrecht“.

8) Dernburg et Hinrichs, *das preussische Hypothekenrecht* I (1877) p. 306/7 (adnot.).

9) Pothier, *Introd. au tit. XXI* nis. 113—122; id., *Procéd. civ.* nis. 638-641; Loysel, *Instit. coutum.* (ed. 1846) nis. 903; 904; Argentræus, *Tit. XIV protheor.* § 1. Secundum hunc ipsa proprietas post adjudicationem salva est, sed docet Pothier *Introd. au tit. XXI* no. 11): salvam esse *possidenti*.

itaque hac lege lata pleraque sub hasta alienari coeperunt etiam extra causam pignoris dati vel capti creditore interposito fictitio <sup>1)</sup>, sicut illic adversario. Per Aremoricam quidem ambagibus remotis αὐταῖς ταῖς προκηρύξεσιν ea vis tributa est, quam per ceteras Gallias habebat, ut dictum est, hastae post προκηρύξεις solemnitas; quocirca poterat illic omnis emptor διὰ τῶν συνειθισμένων κηρυγμάτων <sup>2)</sup> evocare ius habentes, ut de iure suo docerent aut postea quiescerent <sup>3)</sup>. Erat sane hoc ius imperfectum, quia nec obtinebat contra absentes a provincia <sup>4)</sup> nec pro emptore, cuius auctor integrum annum nondum possedisset <sup>5)</sup>. Video etiam apud Transrhenanos aliquando ταῖς προκηρύξεσιν eam tributam esse vim, ut per se pristina iura excluderent <sup>6)</sup>. Quorum novis legibus obstant aut proprietario tantum, quum pro possessore interponuntur <sup>7)</sup>, aut iis, quorum iura non extent in monumentis <sup>8)</sup> et proprietatis domino <sup>9)</sup>, quum quid subhastabitur. Huic igitur, etiamsi in monumentis nomen extet, nocent <sup>10)</sup>, sed alio modo prospicitur <sup>11)</sup>, nisi pro possessore interponuntur. Interponuntur pro possessore, quum ipse triginta annos possederit et monumenta mortui vel diu absentis nomen detineant et triginta annos negotiis vacaverint <sup>12)</sup>. Diversum ius apud Batavos olim fuit, horum enim vetustissimis legibus in singulis oppidis constituta inveniuntur tri(n)a iudicia annualia . . . ad hoc . . .

1) Troplong, *Privil. et hypoth.* no. 563; Pothier, *Introd. au tit. XXI* nis. 166-175, id., *Procéd. civ.* nis. 666-674.

2) Cf. Nov. 119 cap. 6.

3) Cf. Planiol, *Nouv. rev. histor.* XIV (1890) p. 433-463 (*les appropriations par bannies dans l'ancienne province de Bretagne*).

4) Planiol, l. l. p. 451. Minores indefensos de suo, ut videtur, addit Besson, *Livres fonciers* (1891) p. 65<sup>1</sup>,

5) Planiol, l. l. p. 442.

6) Dernburg et Hinrichs, *das preuss. Hypothekenrecht* I (1877) p. 306 (§ 25. 1).

7) *B.G.-B.* § 927.

8) Dernburg et Hinrichs, op. cit. I p. 315; *preuss. Ges. betr. die Zwangsvollstr.* (1883) § 40 Nr. 8; *Reichsges. üb. die Zwangsversteig.* (1897) § 37 Nr. 4.

9) Dernburg et Hinrichs, op. cit. I p. 315; *preuss. Ges.* § 40 Nr. 9; *Reichsges.* § 37 Nr. 5; cf. *Entw. betr. die Zwangsvollstr.* (1889) p. 151/2.

10) *Entw.* cit. p. 152.

11) Dernburg et Hinrichs, op. cit. I p. 317; *preuss. Ges.* § 47. I (ia. § 21 Nr. 3); *Reichsges.* § 17. I.

12) *B.G.-B.* § 927.

ut quilibet oppidanus existens in possessione alicuius hereditatis <sup>1)</sup> in quolibet pr(a)edictorum iudiciorum compareat et ibidem super hereditate, si sit qui impetat, conveniatur; si vero non conveniatur, ipse postmodum iuxta sententiam scabinorum quiete hereditatem suam possideat <sup>2)</sup>. Erat igitur προκηρύξεις loco defensionis oblatio in iudicio annuali; quemadmodum sunt, quibus videatur Romanorum in iure cessio instar habere προκηρύξεις <sup>3)</sup>, qui facilius rem obtinebunt, si passi erunt persuaderi sibi ab Ernesto Abgarowicz <sup>4)</sup>, in vindicatione legitima priorem vindicare eum, qui possideat; eveniet enim ut in iure cessio existat oblatio iudicii ut in superiore specie. Longe alio modo praediorum emptoribus prospectum voluit Theophrastus <sup>5)</sup>, cui videbatur aliquid iuri scripto deesse <sup>6)</sup>, apud quos non esset ἀναγραφὴ τῶν κτημάτων... καὶ τῶν συμβολαίων, ἐξ (ᾧν) ἐστὶ μαθεῖν, εἰ ἐλεύθερα καὶ ἀνέπαφα καὶ τὰ αὐτοῦ πωλεῖ (τις) δικαίως· εὐθὺς γὰρ καὶ μετεγγράφει ἢ ἀρχὴ τὸν ἐωνημένον. Quod ita procedit, si illa κτημάτων ἀναγραφὴ non sit mere censualis possessionum descriptio, quam sequatur tributorum distributor, sed dominiorum publica adsignatio, quae in proprietatis iudicio fidem faciat; alioquin nullo modo possunt ἀναγραφῆς ope lites extirpari, si praedia recenseantur *finibus suis*, id est, incertis <sup>7)</sup>. Similiter, ut constat, qui deinceps in rem successerint, non qualiscumque συμβολαίων sufficit ἀναγραφὴ, sed, qualem nunc habent Transrhenani, quae dominium praestet τῷ μετεγγραφέντι. Nam, si talis sit, qualem Galli habent vel nos habemus, quae tantum perficiat alienationem a iusto auctore, nihil praeterea testificari poterunt, penes quos monumenta habentur, quam e. g. hoc: οὐ γέγονεν ἐφ' ἡμῶν ὠνὴ κατὰ τῆς σῆς

1) I. e., praedii.

2) *Bijdr. voor vaderl. Gesch.* IV (1888) p. 100. Additur: *et dicta iudicia in ecclesia sunt indicenda.*

3) Eisele, *Beitr.* (1896) p. 258, p. 260; Gradenwitz, *Einführung* (1900) p. 101/2. Denuntiat uterque testimonium Augusto Bechmann.

4) *Essai sur la preuve dans la R.V.* (1912) p. 38 sqq.

5) Περὶ συμβολαίων § 2.

6) Αἱ προγραφαὶ καὶ αἱ προκηρύξεις ... δι' ἑλλειψιν ἐτέρου νόμου ... τῖθενται.

7) Massigli in: *Commission (française) extraparlamentaire du cadastre*, fasc. 5 (1894) p. 430: "l'immeuble ainsi immatriculé serait dans un état d'instabilité juridique; ... l'esprit du système du livre foncier se trouverait faussé". Rem latius executi sumus cap. harum observ. LXXIII.

*οικίας* <sup>1)</sup>. Ut praeterea constet, ἀνέπαφα vendi, constitui necesse est, neque id Transrhenani omiserunt, in hypothecaria quoque actione ut monumentorum fide stetur, ne vel sit hypotheca libris incognita, vel e contrario libris cognita non teneat. Excipiendae utique erunt, quae ex publica causa descendant, hypothecae, veluti tributorum nomine, et propter aequitatem eius, qui in rem impenderit, quo de pignore fuit observatiuncula nostra VIII. Praeterea creditoribus hereditariis relinquenda est tacita hypotheca <sup>2)</sup>, etsi negat Dernburg <sup>3)</sup>: oportet enim bona defuncti imprimis proficere creditoribus eius, quod non potest contingere, nisi tacitae hypothecae ratione, aut si omnis hereditas ad solutionem sequestrabitur. Tantum potest exigi non iniuste, ut intra certum tempus vel talis hypotheca monumentis inscribatur (*Code civ.* art. 2111) interim occulta futura. Quo de pignorum genere proprio commentario plenius egi <sup>4)</sup>. Debet autem ἡ τῶν κτημάτων ἀναγραφή ita fieri, ut suo quisque domino fundus adscribatur, quam in rem sufficere potest significans descriptio, si nec particulatim, id est, in frustulis ager, quo de agitur, possidebitur, nec eiusmodi fines sint, ut facile confundantur <sup>5)</sup>. Praestat utique mensuralis obligatio non sine terminatione <sup>6)</sup>; nam terminandum est, ne quotidie ad formam litigetur <sup>7)</sup>; est praeterea, ne cuivis operi rustico impedimento sit

1) P. Taur. 12 (quem longe aliter interpretatur Revillout, *Précis* (1903) p. 1085 not.). — Huius usus praepositionis KATA exempla dedimus ad cap. XC.

2) *Cour de cass.* apud Fenet II p. 640: „ce droit est de la plus souveraine justice et ne peut être altéré“.

3) *Pandekten* III (1892) § 170<sup>10</sup> („ist mit dem heutigen Pfandrechte nicht vereinbar“).

4) *Weekbl. v. h. Notariaat* 1914/5 („Het goed recht der stilzwijgende zaakverbanden“).

5) Omnino requirebant mensuralem obligationem rogatores codicis civilis Teutonici (*Motives* III p. 56: „der Entwurf kann . . . nur mit einem Grundbuche rechnen, welches in der Bestimmung des Gegenstandes . . . sich nach . . . der Beurkundung der Landesvermessung richtet“). Remissius agebant rogatores eius, quae data est libris praediorum, legis (*Entw. eines Grundbuchordn.* p. 84/5: „nicht bei allen Grundstücken ist das Bedürfnis der Kartirung das Gleiche“). In summa cf. Steppes, *das Grundbuch im Entw.* (1892) p. 20/1.

6) Modo terminatio commode fieri possit. Esse enim, ubi loci natura impedimento sit, docet I. Boer Hz. in nostro *Oeconomista* 1881 p. 718.

7) Schneider in: *Schmoller's Jahrb. f. Gesetzgeb.* XIV (1889) p. 465, 467; Koppers, *die Verbindung des Grundbuches mit der Katasterkarte* (1892) p. 58.

circa lineam finitimam error <sup>1)</sup>. Plane, quod rescriptum est publicis Borussiae mensoribus <sup>2)</sup>: terminandum esse, ut possit ad formam recurri <sup>3)</sup>, id aut iuris vitium tegit <sup>4)</sup> aut mensurarum <sup>5)</sup>, quas oportet ita comparatas esse, ut duobus vel tribus signis manentibus semper ad formam possint redintegrari fines <sup>6)</sup>. Quamquam docet Harksen <sup>7)</sup> nullam artem hoc praestare posse <sup>8)</sup>, cui foret consequens artem ad suam maturitatem nondum pervenisse. Possunt autem praedia ἀναγράφεσθαι aut singula prout in libros venient, quod in terra Australia sufficere visum est et item nunc in Anglia usu venit <sup>9)</sup>, vel ab initio universa, quod melius est, ne aliter observantibus bis idem veniat <sup>10)</sup>. Quocirca cavetur lege Australica <sup>11)</sup>, ut prior ἀναγραφή praevaleat. Nisi recte docet Lyons <sup>12)</sup>, ne quid soli bis veniat, solam praestare posse formam mensuralem, proinde vitium in eo potius consistit, quod non subest forma. Quam componi quidam iubent ex formis mensuralibus singulorum praediorum τῶν ἀναγραφόμενων, ne sit necesse universa simul sub mensuram vocare, et fit hoc modo

1) Lallemand, *Commis. (française) extraparlem. du cad.* fasc. 4 (1893) p. 462: „les besoins journaliers de la culture exigent, que la ligne divisoire . . . soit indiquée sur le terrain-même”.

2) *Anweisung v. 25. X. 1881 für das Verfahren bei Erneuerung . . . des (K)atlasters* § 66.

3) „es ist für die Sicherstellung der Vermessungsergebnisse . . . von grosser Wichtigkeit, dass die Eigentums Grenzen . . . dauerhaft vermarktet werden”.

4) Cf. caput harum observat. LXXII (i. f.).

5) Cf. Boer, in nostro *Oeconomista* 1881 p. 720.

6) Michel, *Comm. (franç.) extraparl. du cadastre* fasc. 6 (1898) p. 55: „les instruments, procédés ou méthodes à employer dans les opérations cadastrales devront fournir les mesures nécessaires pour rétablir à toute époque les limites”. Transiit sententia in ipsam rogationem (fascic. 9 (1905) p. 820 art. 19).

7) *Das preuss. Kataster* (1896) p. 60.

8) „das beste Kartenwerk (kommt) erst dann zur vollen Geltung, wenn (dasselbe) sich dauernd auf die örtliche Fixierung (seiner) Angaben stützen (kann), und daher die Möglichkeit gegeben ist, etwa abhanden gekommene Punkte identisch wiederher(z-)stellen”. Ergo non sufficere superesse duo signa vel tria, sed necesse erit, plus duo tria ne desint.

9) *Stephen's commentaries* I (1899) p. 543, 548, 549/50.

10) *Entw. einer Grundbuchordn.* (1889) p. 34: „Sicherheit, dass das Grundbuch . . . nicht etwa einzelne Grundstücke doppelt enthält, kann nur durch die Aufnahme eines (allgemeinen) Verzeichnisses gewonnen werden”.

11) *South-Australia real property act* (1886) sect. 69 V.

12) *The cadastral survey of Egypt* (1908) p. 345 (cf. *ibid.* p. 8, 53, 78).

in Anglia<sup>1)</sup>; etsi negant harum periti rerum formam mensuralem alicuius territorii coalescere posse ex formis mensuralibus singulorum praediorum<sup>2)</sup>. Qui tamen fateantur necesse est, fieri posse, modo praecesserit ipsius territorii rigoribus obligatio, ad quos rigores singula referantur; itaque hoc tantum manet, quod res multo pluris constabit, quam constaret semel peracta mensura universitatis<sup>3)</sup>. Ne est quidem omnino necesse, ut huius rei causa nova ἀναγραφὴ vel forma fiat, si est ἀναγραφὴ vel forma censualis<sup>4)</sup>; sufficiet enim, veteri ἀναγραφῇ vel formae publicam fidem accommodare, si quem non deterrebit, quod hoc modo multis non dominis aliena largiturus sit. Illud praeterea constat: nec formis nec significantibus descriptionibus per se excludi posse iurgia, quod putabat Hyginus agrimensor<sup>5)</sup>, nam, nisi etiam constet τῇ τῶν συμβολαίων ἀναγραφῇ, qui deinceps successerint, omnis τῆς τῶν κτημάτων ἀναγραφῆς utilitas evanescet, ex quo desierit, quod desitutum est, per privata instrumenta successio demonstrari posse. Similiter ἡ τῶν συμβολαίων ἀναγραφὴ sua carebit utilitate, ni demonstretur τῇ τῶν κτημάτων ἀναγραφῇ, in quos fines deinceps sit successum<sup>6)</sup>. Illud plane legislator nullis monumentis efficere potest, ne sit post mortem

1) *Stephen's commentaries* I (1899) p. 549.

2) Decrevit anno 1888 conventus mensorum Galliae «qu'il serait impossible topographiquement parlant: 1° de constituer un nouveau cadastre par l'assemblage de plans levés isolément» (Boer, *Verkrijging van onroer. zaken* (1890) p. 86). Cf. Beson, *Livres fonciers* (1891) p. 412/3.

3) Boer, *Verkrijging* enz. p. 87.

4) Decernere pergebant mensores Galliae: «(qu'il serait impossible topographiquement): 2° d'appliquer en France l'Act Torrens avant la rénovation du cadastre sur de nouvelles bases». Egregie errabant honesti viri, quum putabant hanc quaestionem ad suum officium pertinere. Cuius erat provincia, Massigli, is tamen scribere non debebat (*comm. (franc.) extraparlem. du cadastre fascic. 9* (1905) p. 80): «les documents actuels sont dans un état trop défectueux pour qu'il soit possible de leur emprunter les indications sur les feuilles foncières», quum res ad summum sit inutilis (*inadmissible*). Nam fieri posse usus docuit, quum ad pristinam ἀναγραφὴν («la matrice cadastrale») etiam terminatae sint per territoria proprietates (*fascic. 4* (1893) p. 479; *Tdschr. v. kadaster XIII* (1897) p. 140), quod appellant «abornement général».

5) *Gromat.* p. 121 (*Thulin* p. 84).

6) Eo sensu verum est, quod scribit Steppes, *das Grundbuch im Entwurfe* (1892) p. 22: «ohne beweiskräftige Grundkarte (hat) das beweiskräftige Grundbuch nur einen recht beschränkten (i. zweifelhaften) Werth».

uniuscuiusque domini <sup>1)</sup> in incerto proprietatis, donec aut heres de iure suo probaverit aut publica auctoritate novo possessori τὸ ἀδέσποτον adsignetur, quem in usum conservavit Germanus legislator <sup>2)</sup> veteres illas προκηρύξεις; et graviter fallit Plato, qui, quum de civitate sua non tollit ius hereditarium <sup>3)</sup> tamen vult persuadere, (ὅτι) χωρίων μὲν οἰκήσεών τε τῆδ' οὐκ ἔστ' ἀμφοιβήτησις <sup>4)</sup>). Potest autem non iniuste <sup>5)</sup> ita tolli ius hereditarium, ut cuiusque hereditas iudici vel sequestri permittatur, hic respondeat iis, ad quos hereditario iure bona perventura essent. Quod ius habent Austria <sup>6)</sup>, Anglia <sup>7)</sup>, Australia hoc discrimine, quod in Anglia, Australia etiam creditoribus hereditariis sequester respondere debet et sequestratur ad solutionem <sup>8)</sup>, quod non similiter fit lege Austriaca <sup>9)</sup>. Videntur autem hanc provinciam suam facere voluisse Ptolemaei, qua de re disputavimus supra <sup>10)</sup>. Quaerendum superest, dominiorum et hypothecarum incerta rectiusne tollantur ope possessionis, unde oritur et usucapio et praescriptio et ipsum προκηρύξεων ius, ex quo ubique placuit τὰς προκηρύξεις ei tantum prodesse posse, qui possederit <sup>11)</sup>, adversus eum qui non possederit <sup>12)</sup>, an publicorum

1) Fieri potest, ut dominus numquam moriatur, si omnes deinceps ante mortem suam alienent.

2) *B.G.-B.* § 927 (mortuo adsimulatur, qui longo tempore afuerit). Nihil in eam rem sanxerat Borussicus legislator anno 1872 (cf. Dernburg et Hinrichs, *das preuss. Hypothekenrecht* I (1877) p. 311-314 = § 25. 2).

3) *Leg.* V 10 (p. 740).

4) *Leg.* XII 7 (p. 954). Fieri non posse docet Huebner, *Immobiliarproz.* (1893) p. 84: „mit der Entlohnung eines abgestuften Erbrechts (ist) der Streit über das nähere Recht gegeben“.

5) Commode fieri docet Bernhöft, *zur Reform des Erbrechts* (1894) p. 45.

6) *B.G.-B.* § 797.

7) Kerr, *the Student's Blackstone* (1887) p. 250-252. Excipiebantur tunc res soli, sed post 1897 includuntur (*Stephen's commentaries* (1899) I p. 275, 301, II p. 214) ad exemplum legis Australicae (*Return to the H. of C.* no. 211 = *Registration of title, British colonies* (1881) p. 6).

8) Kerr, op. cit. p. 253, 254.

9) § 811.

10) cap. LXXVI.

11) Cf. Planiol, *Nouv. rev. histor.* XIV 1890) p. 443 (§ 5); Dernburg et Hinrichs, *das preuss. Hypothekenrecht* I (1877) p. 307/8.

12) Cf. Pothier, *Introd. au tit. XXI* no. 11 („le décret, quoique je n'y aie pas formé opposition, ne me fera pas perdre ma propriété, pourvu que j'aie conservé la possession“); *Traité de la proc. civ. nis.* 658. 3; 667. Hoc in Germania nunc non



ope monumentorum. Sane, quod ad hypothecas attinet, ope possessionis posse statum earum fundari, proinde esse electionem, negabunt, quibus videatur hypotheca, quae quidem nuda conventionē fiat, ne possideri quidem<sup>1)</sup>; sed verius est ius hypothecae clam possideri, nisi apud quos lex est, ut monumentis inscribatur; ergo, si talis lex est, non erit absurdum, etiam hypothecam per continuationem possessionis acquiri posse, quod constituatur suadet Scialoja<sup>2)</sup>; vel quorundam Graecorum populorum exemplo, quorum fuerunt Cyziceni, etiam ἐπὶ ὑποθέσεων locum dare προκηρύξουσιν<sup>3)</sup>, quamquam apud recentiores populos creditoribus hypothecariis hoc modo consultum non est<sup>4)</sup> uno casu excepto<sup>5)</sup>. Ex diverso adversus hypothecariam actionem proprietatis domino iure Romano et Gallorum per longi temporis praescriptionem consulitur, apud Gallos etiam προκηρύξουσιν auxilio, quum praedium venit. Quod non possunt aut debent omnes imitari. Non enim simul domino adversus hypothecariam actionem per longi temporis praescriptionem consuli potest et hypothecarum status librorum testimonio fundari. Ignorabit enim, qui libros inspexerit, habiturusne sit hypothecariam actionem necne. At potest simul hypothecarum status librorum testimonio fundari, et, quamvis sit inutile, domino conservari adversus creditores ius προκηρύξεων, quia iussu iudicis eorum, qui non adfuerint, hypothecae διαγραφῆσονται, sicut fieri solet de exuberantibus<sup>6)</sup>. Erit autem propterea inutile, quia emptori sufficit, de hypotheca certum esse. Quia igitur solet vel hypothecarum tantum vel etiam dominiorum status libris fundari

---

obtinere, quum quid subhastatur; obtinebat ante 1869 (Dernburg et Hinrichs, *das preuss Hypothekenr.* I (1877) p. 315 ima).

1) E. g. Bruns, *Recht des Besitzes* (1848) p. 479; Windscheid (1891) § 229<sup>1</sup>; Baudry-Lacantinerie, *Traité de droit civil* XXVIII (1905) p. 163<sup>1</sup> (*Prescription* no. 200).

2) *Rivista di dir. civ.* 1909 p. 9 (*dell' estratto*).

3) Theophr., *περὶ συμβ.* § 1.

4) Cf. Besson, *Livres fonciers* p. 77.

5) Besson p. 120. Cf. Challamel, *Comm. (franç.) extrapar. du cadastre*, fasc. 7 (1900) p. 41. Quo hic pugnat argumento, ad omnes hypothecas ius ne porrigatur: *la purge est toujours une opération coûteuse*, id refellit Besson et ipsa ratio disputandi. Quare enim constare debet magno, quod quanti vult populus vendit?

6) Apud Transrhenanos, quum subhastatur; apud Gallos tunc etiam, quum ex contractu transcribitur.

vel neuter <sup>1)</sup>, quid praestet, videndum est. Qua de re iam pridem conscripsi libellum legislatorium <sup>2)</sup>, quo docebam: ideo praestare possessione niti, etiamsi, fateor, possessio minus firma sit <sup>3)</sup> et maxime in quibusdam agrorum generibus, veluti pascuis, dumis, silvis praecipue non caeduis <sup>4)</sup>, quia, si librorum fide de praediorum iure constabit, nihil inde sine iniuria transscribi poterit, nisi per inquisitionem ante constiterit de iure alienantis, quatenus libris ipsis de ea re non liqueat, id est, si iure hereditario ad eum pertineat <sup>5)</sup>. et nisi constiterit de fide negotii, id est, sitne is quem esse se intendit vel iustus vicarius, liceatne ei alienare adversario accipere <sup>6)</sup>, sitne praeterea iusta causa <sup>7)</sup>, metus error dolus num interveniat, fraudentur creditores iive, quibus legitima portio debebitur <sup>8)</sup>, quorum nihil impune praetermitti, sed, quod ultimum est, de portione legitima quid sit futurum, ne divinari quidem potest. Itaque condemnabam dominiorum confirmandorum modum, qui procedere non potest, nisi magistratus in omnibus privatorum negotiis interponat se. Sed ita condemnabam, nisi quis librorum fide auctoritatis instrumenta emittere vellet, quae mobilium rerum ritu per manus traderentur, fundorum vice fungerentur <sup>9)</sup>. Tantundem de hypothecis, sive solae venturae essent in libros publicos sive etiam dominia, et mirabar, cur, qui Borussiae anno 1872 leges scripsisset, is hypothecarum instrumenta emitti permisisset <sup>10)</sup>, auctoritatis vetuisset <sup>11)</sup>. Itaque admittebam publicorum librorum suffragationem ea lege, ut emitterentur quum auctoritatis instru-

1) Veluti neuter fundatus est apud Gallos; apud Transrhenanos uterque, solus hypothecarum status veteribus et Gallorum (*loi du 9 messidor an III*) et Borussorum (*Allgem. Landrecht*) legibus, sed Gallorum non plene (Besson, *Livres fonciers* p. 88; p. 90).

2) *Beginnelsen van Grondboekwetgeving* (1892).

3) Hoc arguet Boer, *Tdschr. v. kadaster III* (1897) p. 13.

4) Gromat. p. 44, 14/5. 21/2 (Thulin 34, 10/1. 18/9). Cf. Gombault, *Tdschr. v. kadaster X* (1894) p. 52.

5) Hoc tolli posse ope sequestrationis, praediximus.

6) Veluti, si corpori vel collegio alienabitur.

7) Vel saltem non iniusta.

8) Sola Anglia non habet portionem legitimam. Habet Paulianam.

9) Agitur de instrumentis, quae symbolorum vel tesserarum instar habeant, quae legislator Borussicus appellabat inepte „besondere Urkunden“ (*Grundbuchordnung* (1872) § 119), sed alibi (§ 91) rectius „beizubringende Urkunden“.

10) *Grundbuchordnung* § 122 (B.G.-B. § 1116; 1192).

11) *Grundbuchordnung* § 119.

menta tum hypothecarum; non exprimebam, expediretne eiusmodi instrumenta emitti, multo vero minus expediretne nominibus emitti, an ἐπιφέροντι. Quod supplevi altero commentario <sup>1)</sup>, quo probabam instrumentorum emissionem, -etiam ἐπιφέροντι, modo liberum esset non accipere, ne quis invitus cogeretur ius suum contra furta, contra incendia, custodire. Qui libellus, ut superior, valde contemptus iacuit. Postea inveni apud Henricum Brunner <sup>2)</sup>, quod sane est memorabile: apud Anglos et Saxones post primam adsignationem, quae quomodo facta sit ignoratur <sup>3)</sup>, est tamen credibile genealogiis <sup>4)</sup> adsignatum esse <sup>5)</sup>, cui sententiae ipsi passim agri <sup>6)</sup> et agrorum descriptiones formaeque haud ita veteres <sup>7)</sup> post bellum inter necivum, quod a potentioribus per aliquot saecula cum pristina agrorum constitutione gestum est <sup>8)</sup>, etiam nunc testimonium quodammodo dicunt, etsi prudenter monet Maitland <sup>9)</sup>, ne nimis confidamus stabilitate cuiusvis agrorum

1) *Beginselen van mobilisatie*. Prodiit in: *Weekblad voor Notarisambt* 23 (1892) nis. 1197 et 1198 et in *Tijdschrift voor kadaster* IX (1893) p. 1-22.

2) *Zur Rechtsgesch. der Urkunde* (1880) *Abth.* 2 (p. 151-208). Indidem habet Maitland, *Domesday and beyond* (1897) p. 316.

3) Gaupp, *die german. Ansiedl.* (1844) p. 545: „darüber fehlt es an [genauern] Nachrichten“. Factam esse certa lege („in a regular mode“), opinio est Eduardi Digby, *History of the law of real property* (1897) p. 3. Adsignatum enim esse (p. 3 sq.) centuriis, rursus (p. 7) centenas adsignavisse genealogiis (*families*), quae villas condiderint (*who formed villages or townships*), regi quoque et fortasse proceribus τεμῆνυ data esse (p. 10). Quorum pleraque debet Gulielmo Stubbs, *Constit. Hist.* I (1874) § 35 (p. 71-74). Eadem fere de centenis et de villis opinio est Ioannis Earle (*Handbook to the landcharters* (1889) p. XLIX-LIII), de villis et regis procerumque sortibus eadem Friderici Gulielmi Maitland, *Domesday and beyond* p. 351 (post notam 2).

4) Cf. I. Alamann. 81 (84).

5) Maitland, *Domesday and beyond* (1897) p. 349: „originally the men, who settle in a village, are likely to be kinsmen. Some phrases in the continental folk-laws and some perhaps of our English place-names point in this direction“. Cf. Earle, *Handbook* cit. p. 455.

6) Maitland, op. cit. p. 337/8: „strip-holding, that we find in the English fields, . . . was derived from a village, formed by men, who were free and equal“.

7) Laudat Earle, *Handbook* cit. p. LXII sq.: „modern agricultural Reports“, Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* II (1895) p. 108: „am Anfang unseres (damaligen) Jahrhunderts vom board of agriculture veranlass(e) Grafschaftsbeschreibungen“, Maitland, op. cit. p. 362: „map(s) . . . drawn in the eighteenth century“, planius Gray, *English field systems* (1915) p. 16: „enclosure (maps) of the 18<sup>th</sup> and 19<sup>th</sup> centuries“, p. 14: „and the tithe maps posterior to 1836“, datque (p. IX) specimina.

8) Cf. Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* II (1895) p. 106-108.

9) Op. cit. p. 362-367. Consentit Gray, op. cit. p. 16, sed addit: „yet there seems to be no other way“.

constitutionis, quum praeterita investigemus; ergo apud Anglos et Saxones, post primam adsignationem qui agri superfuerint <sup>1)</sup> atque publice donati, id est, ex publico iure in privatorum, quin etiam ipsius regis <sup>2)</sup>, dominium translati sint, quive agri olim adsignati postea a dominis <sup>3)</sup> vel dominorum iussu a potestate publica ipsis <sup>4)</sup>, quibusve petissent <sup>5)</sup>, ita donati sint <sup>6)</sup>, — non enim credo, credit Digby <sup>7)</sup>, credit Maitland <sup>8)</sup>, adsignatos agros indistincte donari iure <sup>9)</sup> potuisse; ideo non credo, quia non est donatum <sup>10)</sup>, ut illi putant, salvo possidentium iure (Digby: „*subject . . . to (actual) possessory rights*”), sed potuisse fateor dominorum iussu, quocirca recte docet Brunner <sup>11)</sup>, etiam adsignationem („*Ethel*”, quod definierat (p. 153) „*Familienstammgut*”) nova lege possessam, atqui temere scribit (p. 153) omnem transfusam („*vom Boclande völlig aufgesogen*”), quae sententia merito displicet Fridericis Pollock <sup>12)</sup> atque Gulielmo

1) Adsignationi superfuisse, unde donaretur, censet etiam Digby, *History* cit. p. 11, p. 17.

2) Kemble 260 (Digby, *Hist.* cit. p. 14 not. 2); 1019 (Maitland, op. cit. p. 247 not. 1); 1087.

3) Veluti Birch 562 (Earle p. 152/3). Ex hoc instrumento possessum esse, demonstrat subscriptio „*Eadgar eyning of his aegenra handa sealde thas boc Leofrice*”. Hinc apparet, non utique verum esse, quod scribit Vinogradoff, *Mél. Fitting* II (1908) p. 515: „*das (= jedes) Buch ist ein königliches Privileg*”. Non ad rem pertinet Kemble 85 (quod a Doroverniensis ecclesiae praesule et (a) rege haec cartula confirmata esse debuisse), quia agi videtur de terra publica vel fisci ut nis. 195; 1020.

4) Cf. Birch 248 (donatur cuidam, sicut pater (eius) . . . plenissime . . . possidebat; Kemble 773 (*C. arcebisceop gebohte (thæt land) æt H. tham thegene mit his aegenan sceatle and Athelulf cing hit gebocode C. arcebisceope on ece yrfe*); 898.

5) Cf. Kemble 71 (donant reges Baldredus et Ini abbati cuidam per petitionem *Sergherie*); 282; 296 (comparat utrobique privatus a privato, subscribitur, pro rege: *hanc meam donationem . . . roborabo*)

6) Ad petitionem dominorum interdum donatum esse, sensit Vinogradoff, *Mél. Fitting* II (1908) p. 507, eoque pertinere verba Alfredi leg. 41 (37): *thara manna . . . the hit on fruman gestrindon* (i. e. qui adsignatum possedissent, quod mox donatum est).

7) *History* cit. p. 15.

8) *Domesday and beyond* p. 257 (ia. (256).

9) „*of encroachments and irregular dealings we do not speak for the present*” (Pollock, *the land laws* (1887) p. 24).

10) Hoc demonstrabitur infra.

11) Op. cit. p. 169 lin. 9/10.

12) *The land laws* (1887) p. 197/8.

Maitland <sup>1)</sup> — eos agros ex instrumento possessos, id est, vindicari solitos <sup>2)</sup> et instrumenti <sup>3)</sup> traditione ipsos tradi vi-  
 sos, ut nihil defuerit immobilium, quam vocant, cum mo-  
 bilibus exaequationi. Quod genus instrumenta quia specie  
 non differunt a nudis traditionum instrumentis, idcirco nisi  
 ex accidentibus ab his discerni non possunt, veluti quum  
 subscribitur ipsum instrumentum vice fundi aliquando tradi-  
 tum esse <sup>4)</sup>, vel ex diverso in ipso instrumento aliud vice  
 fundi traditum commemoratur <sup>5)</sup>, vel quum aliunde constat <sup>6)</sup>.  
 Cuius utriusque generis plurima aetatem tulerunt, magnam  
 partem ad coenobia data, pauciora comitibus vel ministris, quae  
 res fortuita videtur Ioanni Earle <sup>7)</sup>, sed laudat apposite Mait-  
 land <sup>8)</sup> verba Bedae <sup>9)</sup> ad Egbertum: „*laici . . . data regibus  
 pecunia emunt sibi sub praetextu monasteriorum constru-  
 endorum territoria . . . et haec insuper in ius sibi hereditarium  
 edictis regalibus faciunt adscribi, ipsas quoque literas privilegiorum  
 suorum, quasi veraciter Deo dignas, pontificum abbatum et  
 potestatum saeculi obtinent subscriptione confirmari.*” Apparet igitur  
 non potuisse laicos nisi per obreptionem ex instrumento possi-  
 dere terram, opinor, publicam vel fiscalem. Quod praecipuum a  
 regibus ne contemneretur, apud Cantuarios etiam obtinuit, do-  
 nationi confirmandae opus esse non tantum regia sed inprimis

1) *Domesday and beyond* p. 256/7.

2) Plerumque tamen *salva manu* (Kemble 164), id est, salvo iureiurando, quod debetur non possidenti, alibi terram, hic cartam (Brunner, op. cit. p. 203-207; add. Kemble 1288). Videtur quidem semel (Kemble (898) vice sacramenti auctor dari, sed Hist. Eliens. (ed. Gale) I 35 auctor similiter datus ipse dat sacramentum.

3) Instrumentum solet appellari *hoc*, sed interdum plurali numero *hec*, veluti Kemble 220 (*this seondan . . . tha bec*); 281; 327; 328; 499; 1078.

4) E. g. Birch 562 (Earle p. 152/3) subscriptum est: „*Eadgar cyning of his aegene handa sealde thas boc Leofrice*”.

5) Sic Kemble 414 donat quis fundum *cum libro eiusdem terrae*.

6) Sic Kemble 518 non esse proprietatis sed nudum traditionis instrumentum, demonstratur no. 1258.

7) *Handbook* cit. p. LXXV: „*if we have . . . fewer grants made to comes or minister than . . . in favour of religious houses, this is . . . , because the latter . . . have had better chances of preservation*”. Cf. Brunner, *z. Rechtsgesch. der Urk.* I p. 167.

8) *Domesday and beyond* p. 243<sup>1</sup> (cf. *ibid.* p. 226, 229, 242/3).

9) Ed. Giles I p. 128.

archiepiscopali auctoritate <sup>1)</sup>. Continebatur autem singulis instrumentis agri nomen et in quo pago esset, deinde spatia ab accolis <sup>2)</sup> vel ab incolis <sup>3)</sup> aestimata, nisi quod semel iterumque <sup>4)</sup> mensura agitur per longitudinem et latitudinem <sup>5)</sup>, fines denique <sup>6)</sup> ab antiquis possessoribus constituti <sup>7)</sup> significanter descripti <sup>8)</sup> lingua plerumque vernacula, licet charta sit Latina. Qua re demonstratur chartae scriptorem et finium plerumque diversum esse; plane, sicut charta apud Anglos et Saxones non solet scriptorem suum manifestare <sup>9)</sup>, ita ne finium quidem descriptio <sup>10)</sup>. Ipsum hoc ius quem non delectet, sicut apud Romanos Moesicos (1914) leges de modo agri, in sua patria sub Normannis extinctum <sup>11)</sup>, ferme ad literam renatum esse apud Anglorum et Saxonum in terra Australia progeniem? Quod proprio commentario <sup>12)</sup> in Themide nostra (1893) illustravi. Quin coepit inde rursus parens populus hoc sibi adsciscere <sup>13)</sup>. Errat utique

1) Kemble 85 (quod a Doroverniensis ecclesiae praesule et (a) rege haec cartula confirmata esse debuisset).

2) Veluti Kemble 441; 525; 573; 577; 589; 590; 1156; 1164; 1220; 1260.

3) Veluti Kemble 730; 1031; 1309; 1310.

4) Veluti Kemble 217; 293; 296.

5) Quin aliquando (veluti Kemble 316) praeter longitudinem definitur latitudo in superiore parte et in inferiore loco separatim. Fit similiter no. 1087.

6) Atqui Kemble 16 alienatur: *iuxta notissimos terminos a me demonstratos et a praecuratoribus meis*. Rursus no. 47: *terminos . . . non ponimus, quia ab accolis undique certi sunt*. Item no. 1278: *rus namque praetaxatum manifestis undique terminis minus dividitur, quia iugera altrinsecus copulata adjacent* (cf. 503: *singulis iugeribus in communi rure huc illucque dispersis*; 1234; 1240; quaeque plura laudat Gray, *English field systems* p. 57/8). Sintne interdum fines non agri, qui donatur, sed totius pagi, quaerit post alios Gray, op. cit. p. 52-54.

7) Kemble 83. — Cf. II. XXI 405: (λίθον), τὸν δ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἕμμεναι οὖρον ἀρούρης.

8) Cf. Kemble, Cod. diplom. III p. vi sqq.

9) Branner, s. *Rechtsgesch. der Urk.* I p. 161 (et p. 162 not. 1).

10) Ne quem decipiat Kemble 399 (*uncer Brentinges*), est sensus *min and Brentinges* (Earle, *Handbook* cit. p. civ).

11) Pollock, *the land laws* (1887) p. 197<sup>1</sup>: *the name of bocland . . . survived a full century after the conquest*. Quin supervixisse eius iuris intelligentiam, demonstrat rubrica duodecimo saeculo veteri chartae (Birch no. 1082; Earle p. 201) addita: *carta Aedgari regis de Chertesworde cuidam Aefleade, quae per istam et per propriam cartam reddidit manerium sancto Eadmundo*. Non Brunner melius potuit describere.

12) *De theorie van het Torrens-stelsel*.

13) Cf. *Stephen's Commentaries* I (1899) p. 542-560.

Brunner, ubi scribit <sup>1)</sup>): apud solos Anglos et Saxones tesserarum instar obtinuisse auctoritatis praediorum instrumenta <sup>2)</sup>). Nam fuerit oportet apud Burgundiones idem ius de iis, quae non sortis titulo <sup>3)</sup> possiderent, quid enim aliud dici potest post legem Gundobadi <sup>4)</sup>): . . . *donationum nostrarum textus ostendant*, est enim tesserae instar textus ostendendus („*beizubringende Urkunde*”), sed apud Alamannos quoque iis de rebus, quae ad ecclesiam umquam pertinuissent <sup>5)</sup>). Nec minus videtur apud Ripuarios fuisse testamentum <sup>6)</sup> regis ostendendum, ut contrarium regis testamentum de eadem re <sup>7)</sup> *falsum clamare* liceret <sup>8)</sup> vel propter invasionem maiorem poenam exigere <sup>9)</sup>. Alioquin, ubi hoc deest, non recte dicitur quis *tene(re) per cartam* <sup>10)</sup>, licet *per (cartam)* vel cum carta res *ad eum perven(er)it* <sup>11)</sup>, carta enim, quam quis ostendere non cogitur, si habet alias probationes, non tesserae instar est, sed vel simplex testimonium vel negotium in scriptis habitum <sup>12)</sup>. Itaque, ubi lex exigit, ut in transferendo dominio *scriptura . . . emittatur*, erit quidem solemnitati satisfaciendum, sed, nisi praeterea quid constitutum sit, perinde erit, utrum extet scriptura, modo apud iudicem probari possit extitisse eam. Fuit autem talis lex iure Romano Theodosiano <sup>13)</sup>, et item de rebus, quas quis ecclesiae donaret,

1) *z. Gesch. der Urk.* I p. 167.

2) *-Diese Funktion der carta (findet) auf dem Continente kein Analogon*”. Postea quidem ἀνάλογόν τι apud Frisiones invenire sibi visus est (ibid. p. 300 sq.) falsa nominis specie deceptus. Cf. Fockema Andreae, *Rechtsgel. Mag.* VII (1888) p. 517-521.

3) Possidebatur apud Burgundiones vel sortis titulo et iure hospitalitatis vel donatione regia (l. Grundob. I § 1, § 3; l. IV § 1; l. V § 2, § 5).

4) I § 4.

5) L. Alamann. 18 (19). Cf. l. Rom. Cur. (C. Th.) II 29 (Stobbe, Diss. p. 22).

6) I. e. instrumentum.

7) L. Rip. 60 (62) § 7: *ex una rem*.

8) L. Rip. 60 (62) § 6.

9) L. Rip. 60 (62) § 3.

10) Videantur *extenta manerii* (= 4 Edu. I, stat. 1) apud Digby, *History* cit. (1897) p. 214 (lin. paenult.) ia. p. 145. Eadem videtur esse causa earum chartarum, per quas hodie tenere dicuntur customarii (*tenants by copy of court-roll*), cuiusmodi chartas olim Germania quoque habuit (Stobbe, *Handbuch* II (1876) § 182 not. 17). Cadit eadem observatio in form. Arvern. 1; Turon. 28; Imper. 23.

11) Cf. carta Senon. 38.

12) Cf. Brunner, *z. Rechtsgesch. der Urk.* p. 16/7.

13) c. 1 § 2 C. 4. 3 = c. 2 § 2 C. Th. 2. 29. Videtur ea lex quodammodo repraesentari P. Oxy. 67 (ann. 338) lin. 19, 20.

apud Alamannos <sup>1)</sup>, et item iure Anglico post alterum Carolum <sup>2)</sup> obtinuit, tacita denique apud omnes subest, qui praescribunt <sup>3)</sup>, ut adquisitio in publica monumenta transscribatur, quia transcribi non potest, nisi quod scriptum sit <sup>4)</sup>. Quamquam contrarium videtur, quod constituit Theodosius minor <sup>5)</sup>: *si sine scripto donatum qu(i)d fuerit, adhibitis aliis idoneis documentis, hoc quod geritur posse comprob(ari)*, quum scilicet donatio gestis alleganda sit. Sed pertinet nimirum constitutio ad eas donationes solas, *quas gestis non est necessarium allegari* <sup>6)</sup>. Illud valde scire velim, Angli et Saxones quomodo prospexerint, specie largitionis ne quid suo domino auferretur. Quo ne quis pertinere censeat legem Cnuti <sup>7)</sup>: *and se the land gewerod haebbe be scire gewitnesse* <sup>8)</sup> *haebbe he unbesacen* etc., quasi possit in iudicio comitatus defensione oblata <sup>9)</sup> terra ab omni vindicatione tuta fieri, quae videtur esse sententia Reginaldi Schmidt <sup>10)</sup>, additur (post *gewitnesse*) in cod. B: *on scyppfyrd and on landfyrd* <sup>11)</sup>, ut sensus hic sit: qui pro possessione militaverit vel tributum pependerit <sup>12)</sup>, eum proprietatem suam fecisse, modo comitatus ei testimonium dicat. Quod Cnuti institutum aliunde notum est <sup>13)</sup> et congruit

1) tit. I § 1. Sed adicitur, quo fit textus ostendendus: non posse ecclesiam filio donatoris, nisi *carta . . . praesens veniat*, iusiurandum tollere (§ 1), quod possessori competit.

2) *Statute of frauds* (= 29 Car. II cap. 3) apud Digby, op. cit. p. 145<sup>1</sup>, 413<sup>1</sup>.

3) Veluti Galli, Belgae, Batavi.

4) Laurent, *Principes de droit civil* XXIX (1878) p. 46/7 (no. 32). Locum scripsi in: *Beginnselen van Grondboekwetgeving* p. 123/4.

5) c. 29 C. 8. 53 (54).

6) cf. c. 81 § 1 eod.

7) II 79.

8) Hoc redit: Kemble 1818. Cf. praeterea Earle, *Handb.* p. 235/6; Kemble 789; 1334, ubi contrahitur *aet (aelforan) ealre scire*; Earle *Handb.* p. 257 (lin. 5), 262, 263, 264 (T. p. 687, 682, 636): *on ealles thaes hundredes gewitnesse*; Hist. Eliens. (ed. Gale) I 45 (Phillips, *Gesch. des Angels. Rechts* (1825) not. 469): *coram octo hundredis*, quas litigator mox *tra(h)it in testimonium*.

9) Adversus quemlibet petitozem.

10) In glossario v. *acquiescere* 2. Ne Phillips quidem verum vidit (op. cit. not. 380).

11) Clausula redit: Kemble 753.

12) Additur in cod. G iustissima clausula: *and se nolde oththe ne milte, the hit aer aehte*.

13) Thorpe, *Diplomat.* p. 462; Maitland, *Domesday and beyond* p. 55/6 (cui debeo legis hanc interpretationem huius). Laudat Hemingi cartularium I 278 et *Domesday book* I 2166, quorum mihi copia non est.



interpretatio usurpato verbi *werian* intellectu <sup>1)</sup>. Sic Lagidarum quoque legibus pleno iure, ut videtur, transferebatur proprietas ad eum, qui fiscalia exsolvisset <sup>2)</sup>. Quodsi adiectio displicet et brevior textus eligitur, potest vel sic explicari <sup>3)</sup>: eum, qui in iudicio comitatus pretium terrae numeraverit, adversus calumniam, venditoris utique, tutum fore <sup>4)</sup>. Quaestionem autem, quam proposui: Angli et Saxones quomodo prospexerint, specie largitionis ne quid suo domino auferretur, eam quodammodo tollit Digby, quum scribat <sup>5)</sup>: fieri largitionem salvo possidentium iure („*subject . . . to (actual) possessory rights*”), proinde <sup>6)</sup>, si domini sint, donatario nihil tribui praeter ius saltus <sup>7)</sup>. Hoc enim donationi utique inesse, èt ipse putat èt putabat Earle <sup>8)</sup>, putabant Pollock et Maitland <sup>9)</sup>, ex diverso proprietatem (*Privateigentum*) Sohm <sup>10)</sup>, Brunner <sup>11)</sup>, Vinogradoff <sup>12)</sup>. Nos non intercedimus, quo minus omnis charta tacite ius saltus continere videatur; atqui negamus salvo possidentium iure chartas emissas intelligendas esse, quia verba id non admittunt. Solet enim donari rus *cum omnibus fructibus, cum omnibus usi(bu)s, utensilibus,*

1) Kemble 583; 642; 797; 834; 836; 923; 1057 (Earle, *Handb.* p. 349/50 not. 2); 1323; Maitland, *op. cit.* p. 328 (= *Rect. sing. pers.* 3 § 4), p. 123. Consentit Liebermann, *Gesetze* I p. 366, p. 446.

2) Cf. P. Tebt. 61 (a), 9-18, quibus continetur (γραφῆ) τῶν μεταδιωκμένων . . . τοῖς ὑπογεγραμμένοις διὰ τὸ τετάχθαι τὸν στέφανον ὑπὲρ τῶν προγεγραμμένων. Apud Romanos hoc modo in pignus fisci succeditur aut ne succeditur quidem, quemadmodum videre est cap. harum observ. CII.

3) Eo ducit Kemble 1318: *Nu swutelath hit her thaet B. mit his scette awerede thaet land and forescet on calre scire gewitnyse.*

4) Quin tutus futurus sit, non dubito, licet *Histor. Eliens.* (ed. Gale) I 45 hoc tantum tradat de *secunda manu* (quam eius cap. partem non transcripsit Phillips, not. 469).

5) *History* cit. p. 15.

6) *Op. cit.* p. 24<sup>1</sup>.

7) Ordinarium (*usual*) hoc esse, docent Pollock et Maitland, *History of english law* I (1896) p. 37.

8) *Handbook* cit. p. XIX, XX, XXIV, LXXVIII, LXXXVIII („*the lands booked . . . are . . . manors*”).

9) *History* cit. p. 37: „*a grant of bookland . . . was a grant of lordship*”. Add. Maitland, *Domesday and beyond* (1897) p. 231/2.

10) *Fränk. Reichs- und Gerichtsverf.* I (1871) p. 31: „*Buchland ist Privateigentum*”.

11) *zur Gesch. der Urk.* p. 153.

12) *Mélanges Fitting* II (1908) p. 502-506 (sed cf. etiam p. 517).

*utilitatibus* <sup>1)</sup>; hominum si quando fit mentio, ita fit, ut ipsi quoque donationem praedii sequantur <sup>2)</sup>, terrae saltem ratione (*mid lande*) servituri <sup>3)</sup>. Qui adeo erant proprio iure destituti, ut possent, qui eorum liberi nati vel facti non essent, de sua possessione abalienari <sup>4)</sup> et ad aliam possessionem transscribi <sup>5)</sup>, manumitti denique sine terra <sup>6)</sup>. Quid, quod potest quis terram sibi defendere, quum homines <sup>7)</sup> ad alium pertineant <sup>8)</sup>, nonne id demonstrat, inter homines et terram nullum vinculum intercessisse? Quare, si qui forte in terra testamentali (*bockland*) vere *tributario iure tene(n)tes* <sup>9)</sup> inveniuntur vel suum <sup>10)</sup>, intelligendi sunt post instrumentum emissum ab eo, qui ex instrumento possideret, legato <sup>11)</sup> vel donatione <sup>12)</sup> vel emptionis genere hoc

1) Dnt 25 exempla Kemble, Cod. diplom. I p. xxxviii-xl.

2) Kemble 305 (*thaet . . . lond and tha ceorlas*); 310; 628; 685; 694; 745; 768; 778; 822; 961; 978; 1334; 1337; 1346; 1349 (*mit mete and mit mannum*. Cf. Napier et Stevenson, Anal. Oxon. IV 7 p. 126/7 et Kemble 660: *hominum vel . . . ciborum*); 1097 (*mit mannum and mit allum*); 815 (*cum hominibus ad illam villam pertinentibus*); 915; 938 (*cum victu et hominibus*); 1077 (*cum omnibus hominibus*); 1290 (p. 131 lin. 10): *buton tham freodmannum*. Histor. Eliens. (ed. Gale) I 35 datur aliquid *insuper pro hominibus et pro pecunia et pro frumento*.

3) Kemble no. 845. Hoc modo quidni serviant etiam *nobiles* (cf. Kemble 598 (Angl. *twelfhindemen*); 1084), non video. De liberis ita servientibus cf. Bracton IV (1) 28 § 5 (Digby, *Hist. cit.* p. 154); id. II 8 § 3; Hallam, *State of Europe II* (Paris. 1840) p. 188.

4) Kemble 1290 (pag. 131): legat Winflaed terram cum hominibus et pecudibus, *butan thaet man scel for hire saulle thaerof dom aeghter ge on mannon ge on yrfe*. Contrarium recipit Aelfric (Kemble 716) de hominibus cum usufructu praedii legatis: *filgan hic tham hlafordscipe the thaet land to hire*.

5) Kemble 311. Cf. Dial. de Scaccario I 11 (*Select charters* (Stubbs 1870) p. 195): *adscripticii de regni iure . . . ad alia loca . . . transferri possunt . . . vel quomodo libet distrahantur*.

6) Plerique manumittunt nudos (Kemble 782; 788; 921; 931; 946; 957; 960; 979; 980 (*theove and lisingas*); 1290), liberalis ergo, qui, quos liberos esse iubet, iis legat (Thorpe p. 581/2) *alle thinge, the hi under honde haebben, buten thaet land*. Sed plane singularis benignitas, quae relinquit (Kemble 959) cuique *his toft and his metecun and his metecorn* (cf. 947: *ic an mine lundsethlem here tofies to oven ahte and alle mine men fre*).

7) Etiam *tha geburas* (Kemble 1290).

8) Kemble 1077 (pag. 146); 1290 (pag. 132); 1298 (pag. 149); 895 (*so wer (= hwaer) so he nu habben lond oðker (= oththe) men*); 853 (*swa hwilc man swa tha men ahe*).

9) Kemble 108; 1348.

10) Kemble 944 (*his owe land*).

11) Cf. Kemble 947.

12) Cf. Kemble 200.

adepti esse. Sed miratur Maitland <sup>1)</sup>, cur ecclesiasticis pro terra donata aut imponatur aut remittatur expeditionis necessitas <sup>2)</sup>, si in ea terra homines liberi nulli extiterint, quum nec servi armari soleant nec ipsi Dei famuli; proinde militandi necessitatem aut frustra impositam aut ex abundanti remissam, nisi ad ipsius sententiam sumat quis donatas terras, quas possiderent liberi homines, horum omni iure salvo. Quod argumentum eo refellitur, quod apud Anglos et Saxones haud minus quam apud ceteros populos <sup>3)</sup> etiam ecclesiastici terrarum possessores armabantur <sup>4)</sup>, non utique per vicarios militia defungebantur <sup>5)</sup>. Ergo, quia nullo iure salvo donabatur, manet quaestio, quomodo ab iniuria cautum sit, quum fide careat, quod scribit Lingard <sup>6)</sup>: inter initia dominationis generalem praediorum factam esse *ἀναγραφήν*, ut sciretur, quid adsignatum, quid redditum, quid in publico relictum esset. Quodsi *ἀναγραφής* fuisset copia, adhuc de agro reddito adsignato, quum instrumentum emitteretur <sup>7)</sup>, inquirendum fuisset, cuius tunc in bonis esset <sup>8)</sup>, sicut hodie fit apud Australem progeniem <sup>9)</sup>. Sed nihil tale apud Anglos et Saxones. Burgundiones hoc saltem praescribunt <sup>10)</sup>,

1) *Domesday and beyond* p. 235/6.

2) In partibus Eboracensibus consuesse remitti, testis est Beda (ed. Giles I p. 128) ad Egbertum, ubi post modo laudata pergit: . . . *liberi erinde a(b) . . . humano servitio*. Alioquin excipere solebant reges *trinodam*, id est, triplicem necessitatem, id est, expeditionem et pontis arcisque restaurationem (Digby, *History of real property* (1897) p. 13; Earle, *Handbook* etc. (1888) p. XXI; Lingard, *History of England I* (1826) p. 380).

3) Schroeder, *Rechtsgeschichte* (1907) § 23<sup>2</sup> (p. 159): „*Bischöfe und Äbte waren (im fränkischen Reiche) als Senioren ihrer Hintersassen auch persönlich zum Kriegsdienst verpflichtet*“; Capefgue, *Histoire constit. et administr.* I (1834) p. 8: „*les évêques et les clercs devaient le service de leurs vassaux et de leur personne dans les . . . batailles*“ (laudat hic: *Hist. eccl. libr. 45 no. 26*).

4) Phillips, *Gesch. des angels. Rechts* (1825) not. 276 (p. 86); Lingard, *History of England I* (1826) p. 380/1 (charta, quam hic laudat Burhrhedi, est Kemble 297); Stubbs, *Constit. Hist.* I (1874) p. 236/7 (annis 825, 835, 845).

5) Earle, *Handbook* etc. (1888) p. LXXXIX: „*their military duties they discharged by forming . . . corps of military men*“.

6) *History of England I* (1826) p. 378: „*general surveys . . . had originally been taken*“.

7) Fieri potuisse domino postulante, demonstratum est supra.

8) Demonstraret enim ἡ ἀναγραφή, olim dominus qui fuisset.

9) Torrens, *Essay on the transfer of land* p. 18 (ia. p. 30).

10) Extrav. 21 § 4.

ab *illius (comitis) iudici(bu)s, cuius terr(i)t(orio) donandum praedium (con)t(i)ne(a)tur, exquiratur, (si) sine peccat(o) dari po(ssi)t, id est, sitne publicum*<sup>1)</sup>. Iudicibus unde id innotuerit, ne hi quidem memoriae tradiderunt.

(Continuabuntur).

---

1) Apud Burgundiones enim agitur de praediis ex publico donandis, non etiam ex adsignato. Diximus supra.

---

EMENDATUR ARNOBIUS ADV. NAT. I 62.

Mors illa quam dicitis adsumpti hominis fuit non ipsius, gestaminis non gestantis. quam nec ipsam perpeti succubisset vis, tanta si non agenda res esset et inexplicabilis ratio fati clausis patefacienda mysteriis.

Reifferscheid loco male consuluit scribendo pro *ipsam*: *ipsa* et pro *vis*: *species*. Lectio *ipsam* sana est et *vis* ita nimirum exaratum fuit *vis* (= videlicet), quae legitima abbreviatio est in libris scriptura minuscula scriptis.

P. H. D.

# DE DUOBUS HERACLITI FRAGMENTIS.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(Continuatur e Vol. XLIV pag. 427).



## II.

Venio ad alterum philosophi fragmentum, de quo aliquid habeo quod dicam. Hic rursus occurrit vox *δήμος* et praeterea vox *νόμος*, quarum utraque, ut notum est, duplicem significatum habet: *δήμος* enim et *populus* et *plebs*, *νόμος* et *mos* et *lex* dici solebat. Est fragm. 44 apud Dielsium, 100 in libello Bywateri: *μάχεσθαι χρὴ τὸν δῆμον ὑπὲρ τοῦ νόμου ὅκωσπερ τείχεος*, quod Diels vertit ita: „Das Volk soll kämpfen um sein Gesetz wie um seine Mauer” <sup>1)</sup> verbum verbo reddens, sed sententiam alias non interpretatus. Antea inde ab aetate Casauboni usque in medium saeculum XIX<sup>um</sup> non bene vertere solebant: „plebem pro lege non secus ac pro muro pugnare oportet.” Clisthenes enim vel Pericles aliquis plebeios admonere potuisset, ne leges, quae in ipsorum gratiam latae essent, ullo modo infringi paterentur <sup>2)</sup>: contemptori plebis hoc tantum dicere in animo fuisse potest: „populo pro antiquo more maiorum dimicandum est tamquam pro arce,” i. e. ita ut ne minimam eius partem pro-

1) Similiter Nestle (l.l. frg. 120): „Für das Gesetz soll das Volk kämpfen wie für seine Mauer.”

2) Cf. Demosth. in Timocrat. 37: *τίς οὖν μόνη φυλακὴ καὶ δικαία καὶ βέλαιος τῶν νόμων; ἡμεῖς οἱ πολλοί.*

dat<sup>1</sup>). Schusterum<sup>2</sup>) hoc recte intellexisse animadverti, sed e ceteris philologis nemo, quod sciam, Heracliti sententiam ita explicare et illustrare conatus est, ut vulgo intellegi posset. Croisetus<sup>3</sup>) de ea collato frg. 91<sup>b</sup> Bywater, 114 Diels sic verba fecit: „La pensée est belle; et l'on voit par où elle se rattache à l'ensemble de ses idées: c'est qu'Héraclite méprise . . . l'individuel et le particulier, plus changeant et plus éphémère que le général; or la loi participe, plus que le sens propre, de cette „raison commune” (ξυνὸς λόγος) qui est, à ses yeux, la source suprême de la science et la mesure de la vérité.” Esto; sed additum oportuit non illas leges, quae in civitatibus popularibus hodie latae cras abrogari possent<sup>4</sup>), Heraclito sacrosanctas et in divina lege quam dicit repositas videri potuisse<sup>5</sup>).

Sed dicet aliquis: „quorsum haec omnia? procul dubio ex iis, qui Heraclitum legerunt vel etiam de eo scripserunt, bene multi verba ὑπὲρ τοῦ νόμου taciti optime intellexerunt.” Credo; sed ideo imprimis strictius ea interpretari cordi mihi est, quod, teste Dielsio, qui collationibus viri doctissimi P. von der Mühl usus est<sup>6</sup>), in tribus codicibus Diogenis Laertii BP<sup>1</sup>F, quos solos bonos esse constat, post ὑπὲρ τοῦ νόμου leguntur etiam tria verba ὑπὲρ τοῦ γινομένου. Quae cum nemo intellegeret, in ceteris codicibus exciderunt et in editionibus omnium consensu omissa sunt. Bywatero autem ne nota quidem fuisse videntur. Iam Dielsius suspicatur in codice archetypo ascriptam fuisse in margine lectionem emendatam ὑπὲρ τοῦ γε νόμου, quae verba in ὑπὲρ τοῦ γινομένου corrupta deinde in textum irrepsissent. Mihi vero cum verba ὑπὲρ τοῦ γινομένου genuina et suo loco tradita videantur, latius, ut ea defendam, exspatiari cogor quam opus foret, si inventa priscorum virorum semper apud nos in honore manerent.

1) Sententia Pythagorea: στέφανον μὴ τίλλειν, quam interpretantur: τοὺς νόμους μὴ λυμαίνεσθαι· στέφανοι γὰρ πόλει οὗτοι (Porph. vita Pythag. 42) quid significet difficile dicta est, praesertim cum ignoremus cuienam auctori debeat.

2) Schuster, Heraclit von Ephesus, Act. soc. philol. Lips. III (1873) p. 311.

3) Croiset, Hist. de la litt. grecque, II, p. 521.

4) Cf. Cic. de republ. I, 82, 48: populi . . . qui domini sint legum. Arist. Polit. IV, 5, 3 et 5; 11, 8.

5) Cf. Wilamowitz, Staat und Gesellschaft der Griechen und Römer, p. 58 sq.

6) Cf. Diels, Vorsokrat.<sup>3</sup> I, p. xi.

Interdum enim fit, ut apud principes philologorum XVI<sup>i</sup> et XVII<sup>i</sup> saeculi acute quaedam dicta et exposita reperiamus, quae quasi oblivione obruta in veteribus libris hodie iacent. Quotusquisque nostrum legit in Guilielmi Budaei Commentariis <sup>1)</sup> et Lexico Graeco-Latino <sup>2)</sup> quae vir ille omni laude dignus de sensu peculiari participii *γιγνώμενος* apud Demosthenem aliosque scriptores disseruit? Lexica certe de eo paene nihil praebent. Nam Henricus Stephanus in Thesauro brevem tantum eius mentionem fecit ad Budaei Commentarios, qui tunc recentes et in manibus erant, relegans, Scapula nihil de eo in vulgatissimum lexicon suum recepit neque magis qui deinde vicarii muneris eorum successerunt. Nec tamen quae Budaeus disputaverat omnino in oblivionem iverunt. Vigerus <sup>3)</sup> enim, Budaei operum studiosus et admirator <sup>4)</sup>, copiis eius usus est et Reiske Wyttenbachius Godofredus Hermannus ad peculiarem significatum participii *γιγνώμενος* saepe animum attenderunt. Nihilominus hodie plerique viri docti aut ignari eius sunt aut semel bisve tantum in eum incidisse videntur. Sic e. g. W. Schmid in opere cui inscribitur „Der Atticismus” pauca de eo scripsit et apud nostrates Herwerdenus, vir si quis alius glossarum et idiotismorum curiosus, cum participium *γιγνώμενος* quater in titulis papyrisque et bis apud Libanium notasset eiusque sensum probe intellexisset, haec nullis aliis exemplis additis ad solum Wyttenbachium in Eunapium p. 68 legentes delegans in lexicon suum inseruit.

*Γιγνώμενος* enim nonnumquam idem est quod *debitus*, *ὀφειλόμενος*, *προσέκων*, *πρέπων*, *ἀρμόττων*, τὸ *γιγνώμενον* est interdum proprie τὸ *ὀφειλόμενον*, τὸ *ἐπιβάλλον*, metaphorice τὸ *δέον*, τὸ *πρέπον*, τὸ *καθῆκον*. Subicio conspectum locorum, ubi participium hoc sensu legitur.

1. Solon. frg. 11 (e Diog. Laert. Vita Solon.), vs. 7 sq.:

*εἰς γὰρ γλῶσσαν ὄρατε καὶ εἰς ἔπος αἰόλον ἀνδρός,  
εἰς ἔργον δ' οὐδὲν γιγνώμενον βλέπετε.*

1) Budaei Comment. linguae Graecae (a. 1548), p. 83 sq. 137, 203 sq.

2) Budaei Lexicon Graeco-Latinum (a. 1554). — Budaeus hac quaestione adeo occupatus fuit, ut ipse in epistulis, quas Graeco composuit, participio *γιγνώμενος* eo de quo egerat sensu usus sit.

3) Vigerus, De praecipuis Graecae dictionis idiotismis (a. 1627).

4) Praefat. Vigeri: . . . facem ad ea nonnumquam Budaeus praetulit, fateor . . .

Temporum ratione habita, a loco qui ceteros aetate antecellit exordior. Quamquam concedo hic dubitationi locum dandum esse <sup>1)</sup>. Sane languebit oratio, si interpretaberis: „opera, quae fiunt, non intuemini”. Sed Solon non est inter perfectos poetas. Tamen probabile reor eum dicere voluisse: „opera virorum honesta non intuemini”.

Participium *γινόμενον* hic interpretes inde ab initio varie exercuit. In Stephani Diogenis Laertii editione a. 1593 vertitur: „quod tentet, nemo cernere curat, opus”, in adnotationibus eiusdem libri: „rerum exitum considerare nescitis”, et ibidem alio loco: „quod faciunt sed non cernere vultis opus”.

2. Isocrat. Trapezit. 37: . . . ὁμολόγησεν οὗτος αὐτῶ καὶ τὸ ἀρχαῖον καὶ τοὺς τόκους τοὺς γινομένους ἀποδώσειν. Hic τοὺς γινομένους τόκους *debitas* usuras esse crediderim. Sane τόκοι γινόμενοι dici possunt etiam usurae alicunde redeuntes. Sed si hoc voluisset, nonne potius hoc loco scripsisset *γενομένους*? Cf. infra 10.

3. Xenoph. Anab. I, 1, 8: ὁ Κῦρος ἀπέπεμπε τοὺς γινομένους δασμοὺς βασιλεῖ ἐκ τῶν πόλεων, ὧν ὁ Τισσαφέρνης ἐτύχχανεν ἔχων. Haec recte latine sunt reddita in magna editione Leunclaviana <sup>2)</sup>: „mittebat Cyrus tributum regi *debitum* iis ex urbibus quas Tissaphernes habuerat” (nisi quod pro „habuerat” utique scribendum est „habebat”). Item adhuc saec. XVIII<sup>o</sup> apud Hutchinsonium <sup>3)</sup>. Nostra vero aetate Krueger in indice verborum editioni suae adiuncto dixit participium *γινόμενος* hic usurpatum esse „de pecunia alicunde *redeunte*” et Røhdantz vertit *γινομένους* per „einkommenden”. Sane per grammaticam sic vertere licet, sed obstat sententia. Tissaphernis enim satrapiae oppida paulatim ad Cyrum deficiebant, donec sola Mileto potiretur, quam Cyrus obsidebat. Interea, ne rex bellum intestinum gravaretur, pecuniam, quam illa oppida, quae Tissaphernes adhuc tenebat, regi solvere debebant quamque Tissaphernes,

1) Si cui usus peculiaris participii *γινόμενος*, de quo hic agitur, ignotus est, primos velim perpendat locos 4, 6, 8, 9, 12, 21.

2) Xenoph. ed. Leunclavius<sup>2</sup>, Lutet. Paris. 1606. Primam editionem a. 1668 inspicere non potui.

3) Xenoph. ed. Hutchinson, Oxonii, a. 1735.



hostibus circumsedentibus, ei mittere non poterat, ipse Cyrus de suo quotannis in Persiam mittendam curabat.

4. Xenoph. Anab. VII, 6, 41: ταῦτα ἀποδόμενος οὔτε Σεύθῃ ἀπέδωκεν οὔτε ἡμῶν τὰ γιγνόμενα, ἀλλ' αὐτὸς κλέψας πέπαται. Hoc quoque Krueger et Rehdantz non intellexerunt; quorum ille adnotavit: „ego γενόμενα edidi. Nam aoristum requiri inde patet quod iam vendiderat: ἀποδόμενος.” Nulla in tradito participio praesentis inest difficultas, modo meminerimus, testibus scholiastis antiquis, γιγνόμενα dici τὰ ὀφειλόμενα.

6. Xenoph. Cyri discipl. V, 4, 51: πορευόμενος οὕτως ἐν ταῖς γιγνομέναις ἡμέραις ἀφικνεῖται εἰς τὰ μεθόρια τῶν Σύρων καὶ Μήδων i. e. iusto dierum numero. Male Leunclavius: „diebus insequentibus”. Male Hoogeveenius apud Viger. de idiotismis<sup>3</sup>, cap. VI, sect. III, 61: „per illos dies (ad verbum: in diebus, qui fiebant vel erant).” Male Dindorfius in indice Graeco editionis suae (Oxon. a. 1857): „diebus aliquot interiectis”. Minus recte Passow, Handwörterb. der griech. Sprache: „während der gewöhnlich verstreichenden Tage, d. i. in der erforderlichen Zahl von Tagen.” Recte Hermannus ad Viger.: „dies, quos perfectio illa exigebat.”

6. Xenoph. Hell. VII, 4, 33: πρῶτοι Μαντινεῖς ἀπεψηφίσαντο μὴ χρῆσθαι τοῖς ἱεροῖς χρήμασι καὶ αὐτοὶ τὸ γιγνόμενον μέρος εἰς τοὺς ἐπαρίτους (i. e. partem mercedis τῶν ἐπαρίτων, quam ipsi pro rata parte solvere debebant) ἐκ τῆς πόλεως ἐκπορίσαντες ἀπέπεμψαν τοῖς ἄρχουσιν. Sententiam participii intellexit Buechenschuetz.

7. Demosth. περὶ στεφάνου τῆς τριηραρχίας, 7: καίτοι πῶς οὐκ ἄδικον τῶν μὲν ἀναλωμάτων ἀφεστηκέναι, τῶν δὲ γιγνομένων δι' ἐκεῖνα τιμῶν ἀξιοῦν αὐτοῖς μετεῖναι; Recte me iudice vertit Zeunius ad Viger.: „iam vero nonne est iniquum nihil sumtum praebere, at consequi velle praemia iis, qui sumtus fecerint, debita?”

8. Demosth. κατὰ Τιμοκράτους, 82 sq.: τὸ τίμημα τὸ γιγνόμενον, multa debita. Commentatores suo quisque modo errant. Dobson: „mulcta cuique crimini competens”. Weil: „le montant de l'estimation. La locution: τὸ γιγνόμενον indique le résultat d'un calcul”. Passow: „die gewöhnliche Geldbusse”. Liddell et Scott: „ordinary, usual”.

9. Demosth. παραγραφὴ πρὸς Ναυσίμαχον, 25: οὐ δικαίαν οὐδὲ γιγνομένην χάριν ἀξιώσουσι κομίζεσθαι παρ' ὑμῶν. Male Passow: „gewöhnlicher, alltäglicher Dank”. Recte Hermannus ad Viger. p. 779: γιγνομένην est i. q. προσήκουσαν, „non iustam nec competentem gratiam”. Ἡ γιγνομένη χάρις est i. q. saepe dicitur ἡ ἀξία χάρις.

10. Demosth. κατὰ Διονυσόδωρου, 41: ἀλλ' οὕτως ἀνδρείος εἶ, μᾶλλον δ' ἀναίσχυντος, ὥστε ἐκ τῆς συγγραφῆς ὀφείλων ἡμῖν διπλάσια τὰ χρήματα οὐκ οἶε δεῖν οὐδὲ τοὺς τόκους τοὺς γιγνομένους ἀποδοῦναι, ἀλλὰ τοὺς εἰς ῥόδον προστάττεις ἀπολαβεῖν. Hic οἱ τόκοι οἱ γιγνόμενοι non mihi videntur esse usurae, quae confiunt, ut vertunt, sed i. q. οἱ ὀφειλόμενοι. Aliter res habet in Demosth. oratione πρὸς Πανταίνετον, 5, ubi verba τοῦ γιγνομένου τόκου τῷ ἀργυρίῳ nemo aliter intellegere potest ac Paley, qui vertit: „the interest accruing on the money”.

11. Demosth. πρὸς Λάκριτον, 11: ἀποδώσουσιν οἱ δανεισάμενοι τοῖς δανείσασιν τὸ γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφὴν . . . ἕως ἂν ἀποδώσιν τὸ γιγνόμενον ἀργύριον κατὰ τὴν συγγραφὴν . . . 12: ἐάν τι ἐλλείπη τοῦ ἀργυρίου, ὃ δεῖ γενέσθαι τοῖς δανείσασιν κατὰ τὴν συγγραφὴν. Minus recte Vigerus: „se integram pecuniam reddituros”.

12. Demosth. pro corona, 104: ἦν γὰρ αὐτοῖς ἐκ μὲν τῶν προτέρων νόμων συνεκκαίδεκα λειτουργεῖν αὐτοῖς μὲν μικρὰ καὶ οὐδὲν ἀναλίσκουσι, τοὺς δ' ἀπόρους τῶν πολιτῶν ἐπιτρίβουσιν, ἐκ δὲ τοῦ ἐμοῦ νόμου τὸ γιγνόμενον κατὰ τὴν οὐσίαν ἕκαστον τιθέναι. Non ita male vertit Vigerus: „quod aequum et iustum est singulos pro facultatibus suis pendere”. Difficultatem elusit Harless 1): „mea vero lege provisum est, ut pro suis singuli facultatibus pecuniam contribuerent”. Non recte Weil: „τὸ γιγνόμενον désigne le résultat d'un calcul . . . Donc τὸ γιγνόμενον κατὰ τὴν οὐσίαν est le quotient, la quote-part proportionnelle à la fortune” et Rehdantz Blass: „was sich ergab, herauskam als dem Vermögen entsprechender Satz”. Unice recte Οὐλπιανοῦ ἐξήγησις ad l.: γιγνόμενον· ὀφειλόμενον.

13. Dinarch. κατ' Ἀριστογείτονος, 9: τοῦτον, ὅτ' εἰς τὸ δεσποτήριον τὸ πρῶτον ἀπήχθη . . . τοιαῦτα τολμήσαντα ποιεῖν αὐ-

1) Demosth. pro cor. ed. Harless (a. 1814).

τοῦ, ὥτ' ἐκείνους ἀποψηφίσασθαι μήτε πῦρ ἐναύειν τούτῳ μήτε σπυσιτεῖν μηδένα μήτε θυσιῶν τῶν γιγνομένων κοινωνεῖν. Censese nec cum Hermanno verbis θυσιῶν τῶν γιγνομένων hic nihil aliud designari nisi sacrificia, quae in illo carcere fiebant? Sed sic omnino supervacanea essent. Quapropter probabile mihi videtur θυσίας τὰς γιγνομένας hic esse stata sacrificia, quae mos fieri iubebat.

14. Theophr. περὶ συμβολαίων apud Stob. Ecl. IV, 2, p. 129, 16 sqq. Hense: κυρία ἢ ὤνῃ καὶ ἢ πρᾶσις εἰς μὲν κτήσιν, ὅταν ἢ τιμὴ δοθῇ καὶ τὰ ἐκ τῶν νόμων ποιήσωσιν, οἶον ἀναγραφήν ἢ ὄρκον ἢ τοῖς γείτοσι τὸ γιγνόμενον. Cf. paulo supra: διδόναι δὲ κελεύουσι (οἱ Θουριακοί) κοινῇ τῶν γειτόνων τοῖς ἐγγυτάτω τρισὶ νόμισμά τι βραχὺ μνήμης ἕνεκα καὶ μαρτυρίας.

Exempla e scriptoribus aetatis Alexandrinae quae dicitur petita mihi non suppetunt. Sed abundant in titulis publicis et in papyris:

15. IG, V, 2, 6 (tit. ex Tegea saec. IV<sup>i</sup> a. C. n.), A, 17 sq.: ζαμιόντω οἱ ἐσδοτῆρες . . . καὶ ἰναγόντω ἰν δικαστήριον τὸ γιγνόμενον τοῖ πληθὶ τὰς ζαμίαι. „Locatores ei multam dicunt et adducunt in iudicium multae competens” i. e. in id iudicium, cui concessa sit potestas tanta pecunia cives multandi. Non recte Buck, Greek dial. p. 178: „to the court which is constituted to suit the amount of the penalty”.

16. Hibeh Pap. I, 92 (a. 263 a. C. n.) = Mitteis-Wilcken, Grundz. II, 2, 22, vs. 17 sqq.: ἐὰν δὲ μὴ παραδῶνται κατὰ τὰ γεγραμμένα, ἀποτεισάτωσαν τὰς τε τριακοσίας δραχμὰς καὶ τὰ ἐπιδέκατα καὶ τὰ γινόμενα. Mitteis l. l. II, 1, p. 18 explicat τὰ γινόμενα per *Nebengebühren*. Si simpliciter scripsisset *Gebühren*, ad verbum vertisset; v. infra p. 179, 2.

17. Hibeh Pap. I, 111 (circiter a. 250 a. C. n.) = Mitteis-Wilcken, Grundz. II, 2, 38, vs. 33: δραχμαὶ ν' καὶ τὰ γινόμενα λ', ὀβολός, ἡμιοβέλιον.

18. Pap. Flind. Petr. II, 40, b (a. 240 a. C. n.) = Witkowski, Epist. priv. Graecae<sup>1</sup>, 15, vs. 7 sq.: τοῦ γινομένου σοι γλεύκουσ, musti, quod tibi debetur.

19. Notices et extraits des manusc. de la bibl. Impér. XVIII, 2 (1865), p. 267 (pap. saec. II<sup>i</sup> a. C.), vs. 32: τὸ γινόμενον ἡμῖν ἔλαιον καὶ κίμι.

20. Ibid. p. 269 (pap. saec. II<sup>a</sup> a. C.), vs. 24: τὸ γινόμενον ἡμῖν ἐκ βασιλικοῦ. Recte Letronne p. 472: τὸ γινόμενον, ce qui revient de droit.

Tituli Thessalici tantam copiam exemplorum praebent, ut de omnibus referre non possim.

21. IG, IX, 2, 205 (tit. ex Melitea non diu ante a. 200 a. C. n. incisus) = Dittenberger, Syll.<sup>3</sup> 425, vs. 20 sq.: ἐμφερόντω τὰ ἐν τοὺς Λίτωλους γινόμενα κατὰ τὸν βουλευτάν, vs. 21 sq. ἀποδόντων δὲ οἱ Πηρεῖς τὰς δεκάτας τὰς γινομένης τοῖς δανεισταῖς, ἅς ὀφείλοντι ἐτέων τριῶν ἀναβολὰν λαβόντες ἔτη τρία.

22. Ibid., 109 (tit. ex Halis medii II<sup>a</sup> saec. a. C. n.) a, vs. 4 sq.: ἀναγραφὰ τῶν δεδωκότων τᾶ πόλει ἀπελευθέρων τὸ γινόμενον τᾶ πόλει.

23. Ibid. 539 (tit. ex Larissa alterius saec. a. C. n. ineuntis), passim: servi manumissi solvunt τοὺς γινομένους τῆ πόλει στα-τῆρας ἰε'.

24. Ibid. 553 (tit. ex Larissa primi a. C. n. saec. ineuntis), passim: servi manumissi solvunt τὸς γινομένους τᾶ πόλι κατ τὸν νόμον ἀργυροῖο στατεῖρας δεκαπέμπε. Item ibid. 558.

25. Ibid. 206 (tit. ex Melitea): οἱ ἀπελευθερωμένοι καὶ δεδω-κότες τὸ γινόμενον ἐκ τοῦ νόμου.

26. Ibid. 302 (tit. ex Tricca), vs. 8 sqq.: Ὁρεινὴ ἢ ἀπληυ-θερωμένη . . . ἔδωκε τοὺς γεινομένους στατεῖρας.

27. Ibid. 102, 8 sqq.: Στρατονίκα. . . . ἀπελευθερωθεῖσα . . . ἔδωκε τὸ γινόμενον στατεῖρας δεκαπέντε.

28. Ibid. 1042 (tit. ex Gonno aet. Augusti): δεδωκότες τῆ πόλει τὰ γεινόμενα τῆς ἀπελευθερώσεως αὐτῶν δεινάρια εἴκοσι δύο ἡμισυ. Item ibid. 541 et 1269.

29. Ibid. 13 (tit. ex Hypata medii I<sup>a</sup> p. C. n. saec.), vs. 4 sqq.: οἱ δόντες ἀπελεύθεροι τὰ γινόμενα τῆς στηλογραφίας κατὰ τὸν νόμον ἀργυρίου δεινάρια εἴκοσι δύο ἡμισυ.

30. Ibid. 17 (tit. ex Hypata, qui probabiliter aetati Hadriani tribuitur), vs. 4 sqq.: ἀναγραφὴ τῶν δεδωκότων εἰς τὴν πόλιν τὰ γεινόμενα αὐτοῖς εἰς τὴν στήλην. Nota dativum αὐτοῖς. Τὰ γει-νόμενα αὐτοῖς sunt τὰ ὀφειλόμενα αὐτοῖς sive ὑπ' αὐτῶν.

Altero p. C. n. saeculo rursus excipiunt testimonia scriptorum.

31. Luc. Nigrin. 20: καίτοι μαρτυρομένης τῆς Τύχης παίζειν τὰ τῶν ἀνθρώπων πράγματα, . . . ὁμως . . . ὀρέγονται καὶ πλοῦτου

καὶ δυναστείας καὶ μεστοὶ περιάσι πάντες οὐ γιγνομένων ἐλπίδων. Omnes circumeunt pleni indebitae i. e. indecentis sive indecorae spei.

32. Luc. Vita Luc. 1: ἀποφέρων αἰεὶ τὸ γιγνόμενον, patri semper mercedem meam ferens.

33. Luc. Toxar. 18: παραδοὺς ἑαυτὸν τοῖς πορφυρεῦσι συγκατεδύετο καὶ τὸ γιγνόμενον ἐκ τούτου ἀποφέρων ἔτρεφε τὸν Δεινίαν.

34. Luc. de mercede conductis, 23: ὁπόταν, ὦ βέλτιστε, τῆς νομηνίας ἐπιστάσης ἀναμιχθεὶς τῷ Πυρρίᾳ καὶ τῷ Ζωπυρίωνι προτείνης τὴν χεῖρα ὁμοίως τοῖς ἄλλοις οἰκέταις καὶ λάβης ἐκεῖνο ὁτιδήποτε ἦν τὸ γινόμενον ... „mercedulam tuam quantulamcumque” ...

35. Luc. Toxar. 49: αἰτῶν τὸ γιγνόμενον, repetens id quod mihi debebatur.

36. Luc. Alexandr. 54: καὶ τὰς ὀκτὼ δραχμὰς καὶ τὸ γιγνόμενον ἔτι πρὸς ταύταις ἐπεμψα, misi ei octo drachmas et quod insuper etiam debitum erat. Cf. supra 16 sq.

37. Luc. Charid. 22: ὅπως τῷ τε κάλλει τὰ γιγνόμενα ἀποδώσω, ut pulchritudini iusta tribuam.

Exemplis e scriptoribus Atticis et Luciano petitis addi possunt totidem fere e solo Aristide rhetore delibata, cui imprimis usum metaphoricum participii γιγνόμενος perelegantem visum esse patet.

38. Arist. XLVI, p. 308: τὰ γιγνόμενα αὐτοῖς ἀπαιτοῦντες, debita sibi reddi postulantes.

39. Arist. Panathen. p. 126: καθάπερ τοὺς δρομέας τὸ γιγνόμενον πεπληρωκέαι. Schol. τὸ γιγνόμενον ... τὸ ὀφειλόμενον.

40. Arist. XLVI, p. 314: αἰσχρὸν γὰρ ... τούτους ... μὴ τῆς γιγνομένης αἰδοῦς καὶ Φιλανθρωπίας τυγχάνειν, debita reverentia et humanitate privari. Schol. τῆς γιγνομένης· προποιήσεως.

41. Arist. LII, p. 427: καὶ δίκην γ' ἂν οὕτω παρ' αὐτοῦ τὴν γιγνομένην λαβεῖν, iustam sive debitam poenam ab eo exigere. Ἡ γιγνομένη δίκη est i. q. ἡ πρέπουσα sive ἡ ἀξία δίκη.

42. Arist. XXVII Keil, 6: γνοίη δ' ἂν τις καὶ πρὸς τὴν θέσιν εὐθύς αὐτῆς ἀποβλέψας καὶ τὴν φύσιν τὴν ἑλῆν, ὅτι γιγνομένην αὐτῇ (Cyzico) τὴν ἐπωνυμίαν ἔθετο ὁ θεός.

43. Arist. XLII, p. 518: ἐγὼ δ' οὐτ' ἐπαίνους ἀνέδην γιγνομένου ἔχοιμι ἂν ἐπαινεῖν.

44. Arist. Panathen. p. 193 (ἡ βουλή) ταύτην ἀεὶ καλὴν καὶ γιγνομένην πλεονεξίαν ἑαυτῆς κρίνουσα, τὸ τῶν πολλῶν ἐπὶ σωτηρίᾳ μετ' εὐδοξίας προϊστασθαι.

45. Arist. XLII, p. 527: ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς γυμνικοῖς ἀγῶσι τὸ τὴν νόμιμον καὶ γιγνομένην μάχην ἀφέντας τὸν ἕξωθεν τρόπον κακουργεῖν οὐ πᾶν θαρρούντων ἐστὶν ἑαυτοῖς . . .

46. Arist. XLVI, p. 128: ὅτε δὲ αὐτὸς ἐν κόσμῳ καὶ νόμῳ καὶ μετὰ παντὸς τοῦ γιγνομένου καλοῦ τοὺς λόγους ἐδείκνυεν . . .

47. Arist. Panathen. p. 96: πρόκειται γὰρ . . . (ἡ Ἄττικὴ) τὴν γιγνομένην τάξιν ἔχουσα πρώτη πρὸς ἥλιον ἀνίσχοντα. Male Vigerus: „naturali quodam et proprio situ . . .”. Recte Hermannus: „convenientem situm habens”.

48. Ibid. p. 100: . . . ὡς ἀληθῶς γιγνομένην (legitimam) λῆξιν τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τῶν ταύτης ἔργων τε καὶ θερμμάτων τόπον οἰκεῖον.

49. Arist. XLV, p. 32: τίς ἂν οὖν λόγος μᾶλλον σώσειε τὸ γιγνόμενον (i. e. τὸ πρέπον φυλάττειε, decorum servaret) ἢ τῷ πιστεῦσαι δικαιοτέρου ἢ ᾧ θεοὺς μὲν εὐρεῖν ἕκαστα τίθεμεν καὶ νῦν ἔτι σημαίνειν . . .;

50. Arist. XLVI, p. 158: καὶ μὴν ὅτι καὶ τὸ πᾶν τοῦτο κόσμος ἐκλήθη λέγεις ὀρθῶς . . . Κίμων τοίνυν τῆς τοῦ παντὸς ἐπωνυμίας τὸ γιγνόμενον (decorum) τῇ πόλει διεσώσατο. κοσμίους γὰρ ἅπαντας παρεῖχεν εἰς δύναμιν. Schol. τὸ γιγνόμενον δὲ ἀντὶ τοῦ ἀρμόττον.

51. Arist. Panathen. p. 176: νικῶν ἀπίτω τις, ὅταν δείξῃ τῶν ἄλλων εἴτε Ἑλληνικῶν δυνάμεων εἴτε καὶ βαρβαρικῶν βασιλειῶν ἡντινοῦν ἐλάττονι τῷ τῆς πλεονεξίας γιγνομένῳ χρησαμένην ἢ τὸν τῶν Ἀθηναίων ἔστι δῆμον εὐρεῖν.

Pro ἐλάττονι scribendum esse censeo ἔλαττον.

Schol. γιγνομένῳ δὲ λέγει ἀντὶ τοῦ ὀφειλομένῳ καὶ ἀναγκαίῳ. Aliud schol. γιγνομένῳ ἀρμόζοντι. Solita explicatio; quae cum in universum probabilis sit, hic tamen non sufficit. Τὸ γιγνόμενόν τιμι est id quod alicui debetur sive quod ius eius est. Itaque τὸ τῆς πλεονεξίας γιγνόμενον est „exercitium potentiae praevalentis” (Reiske), id quod nos dicimus „het recht van den sterkste”.

Saepe etiam apud eum locutio τὰ γιγνόμενα adverbii vice fungitur:

52. Arist. XXVII Keil, 40: ἀπολαύειν τῆς ἀρχῆς τὰ γιγνώμενα. Quasi dicas: τὰ μέτρια.

53. Arist. XXI Keil, 1: τῆς νῦν ἀνιούσης ἡμῖν πόλεως ἀπολαύων τὰ γιγνώμενα. Recte Wytttenbachius: „de resurgente nobis urbe, quantum fas et iustum est, frui.”

54. Arist. XLVI, p. 294: εἰδῶμεν εὐφημεῖν τὰ γιγνώμενα. Cf. XXXII Keil, 3: αὐτοῦ μεμνημένος τὰ πρόποντα.

55. Arist. XXVII Keil, 32: πάντα γένη προσήκει τῇ πόλει καὶ πᾶσιν ἔξεστιν ἄρχειν τὰ γιγνώμενα.

56. Arist. XXIII Keil, 26: ὥστε κακ τούτων εἰκὸς γυνῶναι τε ἀλλήλας καὶ τιμῆσαι τὰ γιγνώμενα.

57. Arist. Panathen. p. 92: τιμᾶν τοῖς γιγνομένοις τὴν πόλιν. Idem fere ac si dixisset: τὰ γιγνώμενα. Reiske: „hoc est τοῖς δέουσι καὶ καθήκουσι”. Schol. τοῖς ἀρμόζουσι. τὸ γὰρ ἀρμόζον τινὶ οἰοεῖ γίνεται τούτῳ καθ' ὃ ἀρμόζει. Scholiastes peculiarem significationem participii callet, sed explicatio quam offert claudicat.

Idem usus participii γιγνώμενος etiam post Aristidem perstitit.

58. Liban. LIX, 4: τοῖς βασιλεῦσιν ὅσον ἔξεστι τοῦ γιγνομένου φυλάξομεν, regibus, quantum licet, honorem debitum servabimus. Adnotat editor R. Foerster: „τοῦ γιγνομένου libri codd. sed γρ. τοῦ ὀφειλομένου in marg. Ca et M<sup>2</sup> haud inepte”. Contra summo iure Herwerdenus in lexico suo: „v. l. τοῦ ὀφειλομένου glossema esse duco”. Cf. scholia supra allata (12, 39, 51).

59. Ibid. 43: ἐδόκουν τῆς πρὸς αὐτὸν συνουσίας ἀπολελαυκέναι τὰ γιγνώμενα. Cf. supra 52—56.

60. Himer. XIV, 17: μή τις δὲ ἄρα τῶν κομψοτέρων ἡμᾶς αἰτιάσεται σπάνει τῶν ἀληθινῶν ἐγκωμίων παρροτέρω τῶν γιγνομένων (iusto longius) ἀναβιβάζειν τὸν λόγον. In codicibus esse τῶν γιγνωσκομένων testatur Wernsdorfius, quod fortasse iure in τῶν γιγνομένων correxit. Correctionem probavit Duebnerus in editione sua.

61. Iulian. Epist. 40, p. 416C: εἰ μὲν τι συνῆδειν ἑμαυτῷ τοῦ πρὸς σε γιγνομένου καὶ μικρὸν ἐλλείψαντι . . . „si mihi conscius essem officii erga te vel tantulum deserti”.

Non dubito quin etiam alia exempla addi possint <sup>1)</sup>. Ceterum

1) Vigerus, auctoribus non nominatis, laudat: πάντες οἱ κληρονόμοι τὸ γιγνώμενόν ἐκομίσαντο, et ἀγῶνες γιγνώμενοι, ludi solennes. — Wytttenbachius ad Eunapium

moneo me de solo participio hic quaerere instituisse. Nonne tamen etiam in indicativo praesentis et imperfecti idem sensus obtinet hisce locis:

Thucyd. V, 49: ὁ τῷ θεῷ γίγνεται. Cf. 22.

Is. XI, 10: λείπομαι δ' ἐγὼ μόνος τῶν πρὸς πατρὸς ὧν ἀνεψιοῦ παῖς, ᾧ μόνῳ κατὰ τοὺς νόμους ἐγίγνετο ἡ κληρονομία . . . ibid. 13: ἀλλὰ μὴν εἰ τούτοις μὴ μέτεστιν . . . οὐδὲ τούτῳ τῷ παιδί γίγνεται.

Quin etiam hunc sensum requiri dixerim apud Isaeum, IX, 24: καὶ πρὶν ληχθῆναι τοῦ κλήρου (Astyphili), ὧ ἄνδρες, εὖ εἰδὼς ὁ Ἱεροκλῆς ὅτι οὐδενὶ ἄλλῳ γίγνοιτο τὰ Ἀστυφίλου ἢ ἐμοί . . .

Praeterea apud scriptores inveniuntur aliquot loci, quamvis numero pauciores, ubi γιγνώμενος est idem quod *verus* vel *genuinus*:

I. Herod. II, 28: οὗτος μὲν δὴ ὁ γραμματιστής, εἰ ἄρα ταῦτα γινόμενα ἔλεγε, ἀπέφαινε ὡς ἐμὲ κατανοεῖν, δίνας τινὰς ταύτῃ εὐσας ἰσχυρὰς καὶ παλιρροίην . . .

Sic codices AB; in codicibus RSV est *γενόμενα*. Reiske <sup>1)</sup> legit *γενόμενα* vertitque: „modo narraverit quae vere contigerunt et sunt”. Perperam, si verum est lectionem difficiliorem facilliori anteferendam esse.

Aristides (XXXVI Keil, 53) de hoc capite Herodoti agens verba eius παραφράζει hisce: ἔπειτα ἐπὶ τούτοις προειρημένοις Φησὶν, εἰ ἄρα ταῦτ' ἀληθῆ, δοκεῖν αὐτῷ δίνας ἐνταῦθα εἶναι καὶ παλιρροίας τοῦ ποταμοῦ.

II. Eur. Heraclid. 292 sq.:

πᾶσι γὰρ οὗτος κήρυξι νόμος

δὶς τόσα πυργοῦν τῶν γιγνομένων.

Omnibus praeconibus mos est verum exaggerare in duplum.

(ed. Boissonnade Amstel. 1822, I, p. 91, II, p. 325 sq.): μετέστησεν εἰς τὸν ἀρχαῖον ὄγκον τὰ γινόμενα in verbis τὰ γινόμενα sensum peculiarem inesse sensit. Ego contra ibi τὰ γινόμενα reddiderim per: „ea quae tunc fiebant”; cf. Arist. XXXII Keil, 5; μετέθηκε τὸ γιγνώμενον περὶ τοὺς ἐπαίνους. — Non huc pertinet Anon. περὶ συγκρίσεως Πλούτου τε καὶ Ἀρετῆς apud Stob. Ecl. IV, 31, p. 763, 20 sq. Hense: ταῖς δ' ἕραις οὐκ ἐφίησι χρῆσθαι (ὁ πλοῦτος) καὶ μελετᾶν πρὸς τὰ γινόμενα i. e. durare se adversus accidentia. Cf. Epict. Enchir. 26: ὅταν ἄλλου παιδάριον καταέξῃ τὸ ποτήριον, πρόχειρον εὐθὺς λέγειν ὅτι τῶν γιγνομένων ἐστίν.

1) Misc. Lips. Nova, VII, 4 (a. 1750), p. 630.



III. Xenoph. de re equestri, IX, 7: εἰ δὲ τις οἶεται, ἦν ταχὺ καὶ πολλὰ ἐλαυὴν ἀπειπεῖν ποιήσας τὸν ἵππον πραϋνεῖν, τάναντία γιγνώσκει τοῦ γιγνομένου.

IV. Plat. Theaet. p. 175, b: παντάπασι τὰ γιγνώμενα λέγεις, ὦ Σώκρατες. Minus recte, me iudice, vertit Apelt: „was Du da sagst, mein Sokrates, gibt ein ganz treffendes Bild der Wirklichkeit“. Recte Astius: „prorsus vera sunt quae dicis, Socrates“. Cf. Thucyd. I, 22: ὡς δ' ἂν ἐδῶκον ἐμοὶ ἕκαστοι περὶ τῶν αἰεὶ παρόντων τὰ δέοντα μάλιστα εἰπεῖν, ἐχομένῳ ὅτι ἐγγύτατα τῆς ζυμπάσης γνώμης τῶν ἀληθῶς λεχθέντων οὕτως εἴρηται.

V. Luc. Tim. 24: αὐτὰ που σχεδὸν Φῆς τὰ γιγνώμενα.

VI. Arist. Panathen. p. 102: κρατίστους καὶ τῆς γιγνομένης ἀρετῆς ἐπὶ πλεῖστον ἤκοντες, i. e. verae, genuinae, germanae virtutis.

VII. Ibid. p. 107: τέλειοι τὴν γιγνομένην ἀρετὴν.

VIII. Arist. LH, p. 437: ἡγεῖσθαι δὲ χρὴ λόγῳ μὲν ἀκούειν ταῦτα παρ' ἡμῶν, τῇ δ' ἀληθείᾳ καὶ τοῖς γιγνομένοις Ἐκτορα πρὸς βεῦειν καὶ διαλέγεσθαι σοι<sup>1)</sup>).

Hos ultimos locos, ubi γιγνώμενος idem est quod verus, ideo segregavi, quia forsitan putaverint nonnulli, quod ego non probo, hos, cum de origine usus peculiaris participii γιγνώμενος quaestio oriatur, a ceteris separandos esse. De usus autem origine Vigerus tam confuse egit, ut non necessarium esse putem rationes eius refellere. Quae tamen Hermannus in earum locum substituere conatus est<sup>2)</sup>, ne ipsa quidem mihi placent. Dicit enim: „prima maximeque simplex significatio est eius, quod fit i. e. quod re vera est . . . proxima huic ea significatio est, qua, quod paratur alicui, intelligitur . . . tertia continet id, quod ex ratione aliqua efficitur . . . affinis huic est quarta significatio ratae portionis.“ Contra haec mea ratio est: τὸ γιγνώμενον

1) Apud Xenophontem Cyri discipl. III, 1. 9: πρῶτον μὲν σοι συμβουλεύω ἐν τῇ δίκῃ τὰ ἀληθῆ λέγειν . . . ἦν δὲ αἰσθάνωνταί σε ἄλλα ἢ τὰ γενόμενα λέγοντα . . . Ἄλλα ἑρώτα, ἕφη, ὦ Κύρε, ὅτι βούλει, ὡς τὰ ἀληθῆ ἐροῦντος haud scio an sola lectio τὰ γενόμενα in codicibus legatur. Vetus varia lectio τὰ γιγνώμενα quamquam minime necessaria, speciosa videri possit (cf. I, IV, V), sed nescio unde provenerit. Schneiderus haec tantum adnotavit: „ita pro γιγνώμενα ex Philel. Altorf et Guelf. Zeune“, Marchantius nihil omnino.

2) Viger. de idiot.<sup>4</sup> ed. Hermannus (n. 1834), p. 777.

τινι est id quod alicui γίγνεται sive obtingit (nos: gewordt) <sup>1)</sup> itaque, significatione usu leviter immutata, quod ei obtingere oportet sive quod ei debitum est. Inde omnes significationes quotquot insunt in locis 1—59 facili negotio duci possunt <sup>2)</sup>. Iam quod πρέπον est, simul iustum est, quod iustum idem verum: ad hunc modum mea sententia explicari potest, qui fiat ut verum quoque γιγνώμενον dicatur. Sed hoc fortasse non omnes probabunt, neque; fateor, demonstrari potest.

Perlustratis Graecorum scriptis inde ab ineunte VI<sup>o</sup> saeculo a. C. usque ad medium IV<sup>um</sup> saeculum p. C. n., tandem ad Heraclitum redimus. Sententia a qua profecti sumus apud Diogenem Laertium sic est tradita: μάχεσθαι χρῆ τὸν δῆμον ὑπὲρ τοῦ νόμου, ὑπὲρ τοῦ γινομένου ὅκως ὑπὲρ τείχεος. Insolitum asyndeton <sup>3)</sup> sententiam recte traditam esse ostendit; conferas modo alibi apud Heraclitum notissima asyndeta γινώσκει, φυλάσσει <sup>4)</sup> et παῖς παίζων, πεττεύων <sup>5)</sup>. Tradita verba sensum praebent optimum eumque minime obscurum, sed quem Graeci, sive Ionico sive Attico sermone sive τῆ κοινῆ διαλέκτῳ utebantur, per spatium mille annorum, ut ex exemplis undique congestis efficitur,

1) V. Woordenboek der Nederlandsche taal s. v. geworden, A: .ten deel, te beurt vallen: een begrip, dat in het Oudgermaansch ook wel door *worden* alleen wordt uitgedrukt." Cf. Schade, Altdeutsches Wörterb. p. 1126.

2) Nota apud Britannos participium *becoming* plane eodem modo atque apud Graecos γιγνώμενος significationem suam peculiarem nactum esse. Idem valet in nostra lingua de verbo *gebeuren*, de quo v. Woordenboek der Nederlandsche Taal s. v.: .uit de grondbetekenis . . . ontwikkelden zich . . . de begrippen *voorvallen*, *geschieden*, *on toevallen*, *ten deel (te beurt) vallen*, welke laatste betekenis, in overdrachtelijke opvatting, tot het begrip van *toekomen*, of wel van *betamen*, *passen* is overgegaan: verg. . . nhd. *gebühren* en *sich gebühren*." Cf. Verwijs en Verdam, Middel-nederlandsch Woordenboek, s. v. *geboren*, 3 sq. ubi inter alia haec exempla afferuntur: .na rechte ende ghewoentē der stat, daer dat gheboerde te done"; .mit rechte trouwe, die daer gheboirt". Cf. Grimm, Deutsches Wörterb. s. vv. *gebühren*, *Gebühr*. Eodem modo variae significationes verbi latini quod est *computere* ordinandae mihi esse videntur; est enim 1<sup>o</sup> concurrere, 2<sup>o</sup> accidere, evenire, 3<sup>o</sup> contingere alicui, 4<sup>o</sup> iure obtingere alicui, proprium esse, 5<sup>o</sup> convenire, decere. In Thesaurio Linguae Latinae haec longo aliter administrata sunt, sed ita, ut non appareat, quoniam vinculo de sententia lexicographi variae significationes inter se cohaerent.

3) Asyndeton hoc et quae inde nascitur anaphora praepositionis commoti animi iudicia sunt.

4) Heraclit. frg. 28 Diels, 118 Bywater.

5) Heraclit. frg. 52 Diels, 79 Bywater.

intelligere potuerunt. „Populum”, dixit Heraclitus, „ius ac fas instar muri tueri oportet”. Quid autem his significaverit, cum inter plerosque *σκεπτικοῦς* et veterem Heraclitum affinitas quaedam intercedat, fortasse declarare licebit per verba Michaelis de Montaigne, subtilissimi philosophi: „Il y a grand doute s'il se peut trouver si evident profit au changement d'une loy receue, telle qu'elle soit, qu'il y a de mal à la remuer: d'autant qu'une police, c'est comme un bastiment de diverses pièces jointes ensemble d'une telle liaison qu'il est impossible d'en esbranler la moindre que tout le corps ne s'en sente”.

„Selon mon humeur, és affaires publiques, il n'est aucun si mauvais train, pourveu qu'il aye de l'aage et de la constance, qui ne vaille mieux que le changement et le remuement.”

„Rien ne presse un Estat que l'innovation: le changement donne seul forme à l'injustice et à la tyrannie”<sup>1)</sup>.

---

1) Montaigne, Essais, I, 28; II, 17; III, 9.

---

AD PERSII SAT. I VS. 5 SQQ.

non si quid turbida Roma  
 eleuet, accedas examenque improbum in illa  
 castiges trutina, nec te quaesiveris extra.

Sic nos admonet poeta ne nimis curemus „publicam opinionem”, quam nunc nomine *Roma* significat modo, supra, admodum festive, nominibus *Polydamas et Troades* significavit. Tum sic pergit:

nam *Romae est* quis non?

Variant hic codices inter *Romae est* et *Romaest*. Sed multo melius *οι στιγμαται* unum *Romae* dant, id est *Roma ē* (*Roma est*). Publica ista opinio infimi cuiusque opinio est.

J. J. H.

# PYTHEAS MASSILIENSIS.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

---

Quicumque Pythae Massiliensis historiam propius inspexerit, post egregia Muellenhovii studia parum sane profectum esse ut melius eam cognosceremus mox intellet. Quod vix cuiquam mirum videbitur, si quibus hic nitamur fundamentis secum reputaverit. Interiit nempe ipsius *περὶ τοῦ ἄκραινοῦ* relatio et fragmenta tantum apud Strabonem rarissima supersunt, e Polybii libro nec ipso nobis servato desumpta. Gloria enim doctrinae, quam Pytheas itinere suo inaudito paraverat, Polybium dormire non patiebatur, qui deinde laudibus Massiliotae maligne obtractare eiusque commentarios mendacia mera vocare non veritus est. Quod quamquam aequalibus suis posterisque nec non Straboni pro auctoritate sua facile persuasit, nostra aetas hominem diu immerito ignominiosum in pristinum statum restituit, id quod Muellenhovio praecipue laudi ducendum est. Isti fonti turbido exilique nonnulli loci apud scriptores poëtasque posteriores accedunt, quos Elton conguessit in Appendice I (p. 400 sqq.) libri, quem de historiae Britannicae originibus Londinii a. 1890 iterum emisit.

Quae cum ita sint, de Pythaea multa ignoramus et semper ignorabimus. Desperandum iam est de plena quadam atque absoluta historia eius memorabilis incepti, sed res singulae tamen sive maioris seu minoris momenti, quae in tenebris adhuc latent, fortasse aliquando in lucem poterunt proferri, qualem ipse in *Mnemosynes* Vol. XLII (a. 1914) p. 420 sqq. manifestam facere conatus sum.

Ceterum alia sunt de quibus viros doctos etiamnunc ambigere vehementer miror. Primo genus itineris dico quale fuerit et consilium quo id susceptum esse videatur. In qua re enucleanda nonnulli ut non nihil dicerent vere ridicula protulerunt, sicut Fr. Matthias in libello ceteroquin utilissimo ac iucundissimo sententiose scripsit: „Er reiste nicht allein, denn in einer wörtlich aus seiner Schrift erhaltenen Stelle spricht er von ἡμεῖς (wir)".<sup>1)</sup> Facile credimus atque testimonium quod affert viro docto ultro condonamus, quoniam minime verisimile est Pytheam scaphula tenui et vacillanti Oceanum traiecissee. At hercle rogo, quid in admonitione ista ieiuna inanique sibi voluerit.

Iter Pythaeae non publice paratum esse, sed ab hominibus privatis susceptum mihi constat.

Id primum inde colligo quod Polybio teste Pytheas *ιδιώτης ἄνθρωπος καὶ πένης* fuit (Strabo II 4, 2), deinde ex eo quod casus eius itineris non nisi in ipsius enarratione hominibus innotuerunt, quae insuper, cum manuscriptum nullum tempus tulerit, paucis modo exemplaribus emissa esse videtur. Iam, quaeso, expeditionem illam considera, quam Carthago circa a. 470 a. C. n. ad emporia in Africae occidentis litoribus constituenda publice misit. Nonne Hannonis relatio in tabula aenea marmoreave incisa et in aede promulgata fuit, cuius etiamnunc versionem Graecam, quae Periplus Hannonis dicitur, possidemus?

Porro de quaestione, quid tandem investigare nautis Massiliensibus propositum fuerit paucis disputare et meam sententiam aperire lubet.

Qui phantasiae suae libere indulgent Muellenhovie assentiuntur dicenti: „Die Reise des Pytheas ist ein Versuch, sich durch eigene Anschauung und Beobachtung von der Gestalt und Grösse der Erde zu überzeugen, und in diesem Sinne unternommen"<sup>2)</sup>. Itaque idem consilium idemque liberale ingenium Pythaeae ascribunt quod Lucianus viatori suo assignavit: τὸ βούλεσθαι μαθεῖν τί τὸ τέλος ἐστὶ τοῦ Ὀκεανοῦ καὶ τίνες οἱ πέραν κατοικοῦντες ἄνθρωποι (Verae Hist. I 5).

Errorem illum hic deprehendimus quo homines atque res

1) F. Matthias, *Ueber Pytheas von Massilia*, Berlin, 1901, Erster Teil p. 7.

2) Müllenhoff, *Deutsche Altertumskunde* I 312.

tempore remotiores ad nostrae aetatis nostrarumque consuetudinum normam aestimare solemus, qui error etiam aenigmati triremium solvendo tamdiu obstitit <sup>1)</sup>. Ut viri docti, in triremium motum inquirentes, numquam dubitaverunt quin Graeci veteres nostra remigandi ratione usi sint, neque suspicati quidem sunt, alias quoque remos ducendi methodos exstare posse, ita rursus iter, saeculo quarto a. C. n. factum, quo cognitio doctrinae hominum tunc viventium multum aucta sit, ad unius scientiae pervestigationem susceptum esse pro certo iam habent. Credat Iudaeus Apella! Neque tunc neque multis saeculis postea studium doctrinae ac liberalitas eo usque processerant. Quid quod expeditiones, quas 'conquistadores' illi et nostri navigatores celeberrimi saeculo XVI instituerunt, ad quaestus pecuniae mercaturaeve missae sunt; si qui fructus inde ad scientiam redundabant, adventicii erant ac fortuiti. Quicumque litterarum causa iter faciebat, *τί ταῦτά μοι πρὸς τᾶλφίτα* numquam non rogare solebat. Pytheas igitur ut Herodotus <sup>2)</sup> mercator aut ipse fuit aut expeditionis mercatoriae socius, cui propositum erat originis plumbi candidi et sucini inspicere et qua ratione merces istae mari adduci possent explorare. Quod si prospere evenisset, Massilienses vectura Celtarum in futurum carere iam possent, quae insuper propter perpetuas earum gentium migrationes identidem aut ad tempus impediabatur aut diutius prorsus cessabat. Accurata illa diligentia, qua Pytheas exposuit ubi invenirentur, quomodo compararentur, qua via et quibus vehiculis primum in continentem ac deinde terrestri itinere in meridiem ad Rhodanum flumen transportari solerent, hanc sententiam satis comprobare videtur.

At vero novum argumentum hoc est, quo etiam sollers et

1) Cf. *Mnemos.* Vol. XLIII (1915) p. 238—244 et *Ned. Sport* (2 Jan.—13 Febr. 1915), ubi patrio sermone rem fusius exposui.

2) Invito viro docto F. Jacoby, qui in *Encycl. Pauly-Wissowa* 1913 p. 248 s. v. Herodotus scripsit: „Irgend welche kaufmännische Züge zeigt H., dem das Rechnen stets Schwierigkeiten gemacht hat, nicht.“ Mercatores ipse novi, columnina basilicae argentariae, qui tamen in arithmeticae elementis non minus haerere solent quam Herodotus!

3) Cf. Diodor. V 21—23, quae de Timaei libro, ab hoc rursus e Pythaeae opere deprompta esse Muellenhoff I 469 demonstravit. Vid. etiam Plin. N. H. IV 104.

expedita monstratio continetur, quos cursus Pytheas deinceps ingressus sit.

Affirmat Britanniae formam triangulam esse, cuius basis latus brevissimum sit. Recte id quidem, sed hasce dicit esse laterum longitudines: a Belerio promontorio usque ad Cantium 7500 — a Cantio ad Orcadem 15000 — ab Orcade ad Belerion 20000 stadiorum, ita ut totius Britanniae circuitus 42000 stadiorum esse contendat, quod alterum tantum veri est! <sup>1)</sup> Hoc tamen vix quemquam in admirationem convertet, qui bene meminerit, Pytheam in regionibus illis ignotis oram maritimam nimirum presse legisse atque omnes terrae sinus angulosque secutum esse, ut ante acum magneticam inventam semper fieri solebat, cum litorea esset omnis navigatio; accedit quod funiculus, qui a puppi religatus spatii emensi index nunc esse solet, nondum in usu tunc erat <sup>2)</sup>, unde rudis et minus exacta quaevis cursus diurni esset aestimatio. Iam vero attentione dignissimum hoc est, spatium, quod Oceanum ab aestuario Mentonomo (h. e. ostium Amisiae fluminis) dividit, sex milium stadiorum accuratissime esse indicatum. Nonne inde efficere licet, originibus plumbi candidi inspectis Pytheam recta via ad insulas Frisias se contulisse, ubi in sucini fontem inquireret, quod alterum erat commerciorum, quorum gratia iter susceptum erat? Nec non ordo, quo Britanniae latera eorumque mensurae apud Diodorum enumerantur et origines mercium describuntur, haec opinionem confirmare videtur: primum litus meridianum, deinde orientale, denique occidentale memoratur, et ubi regionem plumbi albi fuse descripsit, Diodorus continuo ad insulam Basileiam, originem electri, transgreditur <sup>3)</sup>.

Ita explicari etiam posse puto quod Pytheas longitudinem litoris

1) Hanc computationem (Diodor. V 21) ipsi Pythae deberi locus e Polybio ap. Strab. II 4, 1 ostendit: Πυθέαν, ὕφ' οὗ παρακρουσθήναι πολλούς, ἔλην μὲν τὴν Βρεττανικὴν ἔμβαδὸν ἐπελθεῖν φάσκοντος, τὴν δὲ περίμετρον κλειόνων ἢ τεττάρων μυριάδων ἀποδόντος τῆς νήσου.

2) Vitruv. X 9, 5 instrumentum, quo nautae mensuram cursus confecti inire possint, describit, quod num unquam sit adhibitum notum non est. Sane in rationem non induxit, in aqua vim resistendi minorem esse quam in terra. Cf. C. Torr, *Ancient Ships*, Cambridge 1894 p. 101 et Breusing, *Die Nautik der Alten*, Bremen 1886 p. 10.

3) Diodor. V 21—23.

meridiani (7500 stadiorum) maiorem significavit quam spatium, quod inter Belerion et Amisiae ostia est (6000 stadiorum). Videlicet recta a Belerio ad aestuarium Metonomon <sup>1)</sup> tendit et Cantium nimium ad aquilonis partes versum sibi fluxit. Postea cum oram alteram 15000 — alteram 20000 stadiorum se reperisse crederet, longitudinem meridiani litoris, quod non mensus erat sed e tribus minimum esse noverat, illorum fere dimidio sc. 7500 stadiorum taxavit.

Ad extremum ut quibus de rebus verba fecerim breviter colligam, haec me demonstrare voluisse moneo:

I. Iter Pythaeae privatam fuit negotium.

II. Susceptum est eo consilio ut loca, ubi plumbum album et electrum nascebantur, inspicerent et vecturam maritimam considerarent.

III. Fodinis plumbi albi in Britannia inspectis Pythaeas recta ad insulas Frisias contendit.

IV. Inde Britanniam circumvectus est ita ut litus ad orientem vergens primum legeret, deinde per litus occidentale cursum dirigeret.

Eum ita neque inversa vice iter circum Britanniam fecisse, ut Muellenhiovius voluit, praeter argumenta supra exposita ordo comprobatur quo insulae ab occidente Britanniae sitae apud Plin. N. H. IV 103 et Ptolem. Geogr. II 2, 10 et 11 enumerantur, a septentrionibus scilicet in meridiem, qui loci quin ad Pytheam sint referendi vix ulla potest esse dubitatio.

---

1) Quod autem Detlefsen, *Die Entdeckung des germanischen Nordens im Altertum*, Berlin 1904—9, e loco Pliniano N. H. XXXVII 35 aestuarium Metonomon = mare Germanicum esse clicere voluit, codicum suorum stemmatis coactus, ceteris eius censoribus astipulor (vid. eius *Nachtrag* p. 15). In tali re cum Bentleio facere praestat: Nobis et ratio et res ipsa centum codicibus potiores sunt (ad Hor. Carm. III 27, 13).



# AD MARTIALIS

EPIGRAMMA XLV LIBRI OCTAVI.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Priscus ab Aetnaeis mihi, Flacce, Terentius oris  
Redditur: hanc lucem lactea gemma notet;  
Defluat et lento splendescat turbida lino  
Amphora centeno consule facta minor.  
Continget nox quando meis tam candida mensis?  
Tam iusto dabitur quando calere mero?  
Cum te, Flacce, mihi reddet Cythereia Cypros,  
Luxuriae fiet tam bona causa meae.

Totum exscripsi carmen ut statim appareret quam inania et inepta, immo vero quam absurda atque insana haec essent omnia, simulque ut quis in lepidissimo hoc poeta non plane hospes intelligeret quam venustum hic epigramma oscitantis librarii culpa plane interiisset, mecumque miraretur tam manifestum vitium, quod nullo posset corrigi labore, per tot saecula etiam acutissimorum criticorum se subtrahere potuisse oculis. Quid enim? Flaccum amicum suum certiolem facit poeta Terentium Priscum e Sicilia in suum sinum rediisse. Haecenus recte; quid porro? Invitatne Priscum ut *secum* laetetur convivique fiat *particeps* quod reduci amico sit apparatus ipse? Immo vero primum eum adhortatur ut penitus sentire conetur quam bonus sibi nuntius sit allatus (*hanc lucem lactea gemma notet*) deinde ei praescribit quid sit agendum: e cella sua promat Flaccus vinum

nobilissimum dignum lautissimis epulis. Nam lautissimas epulas instruere Flaccus debet . . . quia *poetae* suus sibi sodalis est redditus. Unquamne quidquam vidisti quod tam esset praeposterum et perversum atque adeo inhumanum? Sed concoquamus ista: quid sequitur? Rogat poeta:

Continget nox quando meis tam candida mensis?

Tam iusto dabitur quando calere mero?

In promptu est responsum, ut equidem opinor: „iam contigit tibi, o bone, istud. An audes negare? Nonne ipse Flaccum certiore fecisti Terentium tuum Priscum tibi *reddi*? Ea age, cetarios, lanios, coquos arcesse omnes et ab horreis Sulpiciis Massicum tibi Setinumque afferendum cura, si tua vacua est cella. Noli paupertatem excusare tuam: nihil enim in praesentia tibi deesse modo declarasti praeter occasionem:

*Continget nox quando meis tam candida mensis?*

Nunc adest illa: rediit enim Terentius Priscus e provincia: iam ad coenam opiparam et alios invita sodales et Flaccum; quid huic molestus es et pro te impensas eum ferre convivii iubes? Nam quod te aliquanto post Flacco et in Flacci honorem, si ille quoque e provincia redierit, epulas paraturum promittis nihili est: fortasse Flaccus conditione a te proposita non stabit, tum tu cum Flacco tuo Terentioque et ceteris amicis  
*μάτην λύκοι χανείσθε.*

Sed nihil usquam est traditum quod non aliquo possit defendi modo. Iam audio doctum aliquem quisquiliarum patronum sic me interpellantem: „noli nimis urgere singula vocabula; sic enim nihil erit quod non possit convelli, relinque nobis ubi consistere possimus; traditum est: *quando continget*? Cum poeta tibi rem esse memento, qui cum *quando continget* dicit, *quando iterum continget*? cogitat.”

Ad me quod attinet de tuo („id est de nihilo” ut aiebat Coebet) quantumvis supple. Praeclarum, hercle, sic habemus epigrammatis argumentum: Priscus mihi, Flacce, est redditus, profecto habemus cur gaudeamus et tu et ego; tu vero et coenae instruendae Caecubique promendi occasionem nactus es: quantocius utere ea et (nam hoc nunc ego suppleo, non, hercle, de meo vel de nihilo sed de ipsius Martialis indole et condicione) cum aliis me quoque invita; postea, cum tu e Cypro redieris,

ego te ad convivium non minus lautum invitabo, tum enim meum erit largum esse et benignum."

Calabri, ut opinor, hospitis ista sunt, ut illa: „vescere sodes ... cras haec porcis comedenda relinques" non poetae facetissimi et patronis demerendis nati. Nunc audi quid revera scripserit **Martialis**:

Priscus ab Aetnaeis **tibi**, Flacce, Terentius oris  
 Redditur: hanc lucem lactea gemma notet;  
 Defluat et lento splendescat turbida lino  
 Amphora centeno consule facta minor.

Potuitne amico potenti opulentoque urbanus venustiusque *gratulari* de amico ei reddito? Nunc nihil illa convivii mentio habet quod nos offendant. Prae ceteris enim Flacci amicus Priscus est, probe hoc novit **Martialis**, ergo quod Flaccum adhortatur ad convivium parandum, non tam eum adhortatur quam quid vel sic sit eventurum iam praesagit animo, quodque se ob tam bellam gratulationem et ipsum invitatum iri expectat, neque improbi est hominis neque scurrae impudentis. Sed, ut est bonus poeta, sentit se nondum iustum epigramma implesse; habet ergo quod gaudeat res ipsas in quibus versetur alteram sibi eius suppeditare partem. Sic ergo absolvit opusculum:

Continget nox quando **meis** tam candida mensis,  
 Tam iusto dabitur quando calere mero?  
 Cum te, Flacce, **mih**i reddet Cythereia Cypros  
 Luxuriae fiet *tum* bona causa **meae**

(nam *tum* est legendum pro isto languido *tam* quod e praecedentibus inepte est repetitum). Num unquam quisquam res duas admodum diversas, quae tamen ad eundem pertinerent hominem, lepidius venustiusque inter se iunxit? De amico recepto gratulatur Flacco simulque ea occasione utitur ut Flaccum iamiam et ipsum in provinciam profecturum bonis prosequatur votis omnibusque.

# QUID PLATO RESPONDERIT AD POLYCRATIS ORATIONEM IN SOCRATEM.

SCRIPSIT

H. D. VERDAM.

Hieronimus Markowski paucos ante annos collatis Libanii apologia Socratis et Xen. Mem. I 2<sup>1)</sup> sagacissima disputatione exquisivit, quid fuerit argumentum Polycratis orationis, qua Anytum inducit Socratem accusantem<sup>2)</sup>. Cuius orationis haec esse capita collegit:

- I Socrates statum reipublicae popularem labefactat.
  - II „ ceteros numina negligere docet.
  - III „ adulescentes corrumpit.
  - IV „ et poëtis summis obtretrat et auctoritate eorum abutitur.
  - V *Ulixis laudes praedicando*<sup>3)</sup> Socrates scelera gravissima docet.
  - VI Socratis vitia clandestina graviora sunt apertis.
  - VII Socrates cives reddit inertes.
  - VIII „ Alcibiadis et Critiae magister fuit.
  - IX „ erat sophista.
- Sed minus recte deinde Gerckium<sup>4)</sup> secutus probare conatur,

1) Xenophontis commentarios qui vocantur non totos contra Polycratem esse scriptos sed iis et alia et nonnulla Polycratis crimina a Xenophonte refutari contra Cobetum (Nov. Lect. pp. 662 sqq.) primus recte statuit Hartman, Analecta Xenophontea [1887] pp. 104—113, 153 sq.

2) De Libanio Socratis defensore, Breslauer phil. Abh. 40 heft [1910].

3) Haec a me addita sunt.

4) In Gorgiae editione, p. XLIII sqq. [1897]. Contra Pohlenz, Aus Platos Werdezeit [1918] pp. 164—167.

Gorgiam Platicum ad Polycrateam orationem respondere <sup>1)</sup>. Quos enim ex scriptis iis contulerunt locos, ei parum ad probandum valere mihi videntur, propterea quod longe maior pars ad res minoris momenti pertinet. Ad ipsa Polycratis crimina ipso Gorgia responderi, hoc demonstrandum erat. Sed frustra id coneris. Enimvero ubi Socrati a Polycrate exprobratur, quod Alcibiadem et Critiam male erudiendo plurima mala reipublicae intulerit, hocine aut periti aut fortis patroni est, Alcibiadem Socratis delicias vocare <sup>2)</sup> et sic cum Callicle agere: ὅταν οὖν ἔλθῃ ἡ καταβολὴ αὐτῆ τῆς ἀσθενείας, τοὺς τότε παρόντας αἰτιάσονται συμβούλους, Θεμιστοκλέα δὲ καὶ Κίμωνα καὶ Περικλέα ἐγκωμιάσουσιν, τοὺς αἰτίους τῶν κακῶν· σοῦ δὲ ἴσως ἐπιλήψονται, ἐὰν μὴ εὐλαβῆ, καὶ τοῦ ἐμοῦ ἐταίρου Ἀλκιβιάδου, ἦταν καὶ τὰ ἀρχαῖα προσαπολλύωσι πρὸς οἷς ἐκτίσαντο, οὐκ αἰτίων ὄντων τῶν κακῶν ἀλλ' ἴσως συναιτίων (Gorg. 519 AB)? Quid quod Calliclis persona Critiam lacessi credibile est <sup>3)</sup>. Quae si recta est suspicio, praeclare operam suam Polycrati commendaturum fuisse Platonem ad Socratem accusandum censeas, si Socratis discipulo qui vocatur perniciosissimas tribuisset opiniones! Huius a Polycrate prolati criminis apta refutatio nulla erat, ut opinor, nisi demonstrabat Alcibiadis et Critiae male factorum culpam in Socratem minime esse referendam (cf. quae infra p. 196 laudavi ex Apol. 33 AB).

At contra quae fuerit ratio Gorgiae cum Polycratis oratione plane erit perspicuum, si Polycratem ad Gorgiam respondisse sumemus. Affirmaverat enim in Gorgia Plato a rhetoribus et sophistis viros rempublicam gerentes pessimis praeceptis esse imbutos; at Socratem unum esse virum revera reipublicae peritum: (521 E) οἶμαι μετ' ὀλίγων Ἀθηναίων, ἵνα μὴ εἶπω μόνος, ἐπιχειρεῖν τῆ ὡς ἀληθῶς πολιτικῆ τέχνῃ καὶ πράττειν τὰ πολιτικὰ μόνος τῶν νῦν. Ad quae Polycrates, „at o bone”, inquit, „Socrates sophistarum princeps est; quocirca quum sophistas perniciem reipublicae intulisse concedis, Socratem perniciosissimum vere hominem fuisse ipse confiteris.”

1) l. l. p. 59—62.

2) Gorg. 481 D.

3) Cron, Beiträge zur Erklärung des platonischen Gorgias, p. 1 sqq.

Quodsi quis roget, ad quemnam Plato Gorgia suo responderit, Lysiae orationis XIV moneo, qua ille Alcibiadis memoriam vehementer lacessit omniumque malorum auctorem eum appellat, quae reipublicae inciderint, vid. § 30: . . . διδάσκαλος δὲ πάντων τῶν τῆς πόλεως κακῶν ἐγένετο, cf. ibid. 39, 42. Ad haec in Gorgia respondet Plato sane ne Alcibiadem quidem culpa vacare, sed gravius tamen culpandos esse Themistoclem quique ante Alcibiadem rempublicam gesserant neque minus eorum, qui mox reipublicae praefuerunt, praeceptores: sophistas.

Lysiae or. XIV anno fere 395 compositam esse constat. Itaque si recte disputavimus, quae sit ratio Gorgiae cum oratione illa quaeque Polycratis orationi cum Gorgia, Gorgiam annis fere 394/3 scriptum esse apparet <sup>1)</sup>, Polycratis autem orationem anno fere 392.

Nihilne igitur ad Polycratis accusationem respondit Plato? rogas. Immo vero tantum aberat, ut Plato Socrati deesset, ut sex scriptis causam eius defenderet, Hippiam Minorem, Ionem, Apologiam, Critonem, Menexenum, Euthyphronem dico, quos annis 391—388 scriptos esse nuper iam coniecimus <sup>2)</sup>. Quibus demonstravit:

ad crimen I: Socratem statum reipublicae popularem neque labefactasse (Crito) neque detestatum esse (Menexenus)

ad II: Socratem ceteros numina negligere non docuisse (Euthyphro)

ad III: adulescentes non corrupisse (Apologia, Euthyphro)

ad IV: iure aliquando poëtis summis obtrectavisse (Ion)

ad V: Ulixem non eo consilio laudasse, ut ad scelera incitaret (Hipp. Minor)

ad VII—IX: neque cives inertes reddidisse neque cuiusquam fuisse praeceptorem, ergo ne Alcibiadis Critiaeve quidem, neque sophistam fuisse (Apologia).

De singulis hisce dialogis nunc agamus.

1) Cf. Mnem. Vol. XLV p. 294, ubi ex ipsis scriptis Platonis profectus idem collegi.

2) ibidem.

*De Hippia Minore.*

Accusaverat Socratem Polycrates quod Ulixem collaudando ad flagitia incitaret. En loci:

Ael. Arist. ὑπὲρ τῶν τεττάρων III 480 Df. οἶδε τὸν Σωκράτη πρὸς τοὺς νέους αἰεὶ τὸν Ὀδυσσεά θαυμάζοντα διὰ τὴν τοιαύτην πράξιν, ὡς Πολυκράτης ἐν τῷ κατ' αὐτοῦ λόγῳ Φησὶ καὶ Λυσίας ἐν τῷ πρὸς Πολυκράτην ὑπὲρ αὐτοῦ, ὃ μὲν συνιστῶν, ὅτι τὴν δημοκρατίαν ἐκ τούτου καταλύειν ἐπεχείρει ἐπαινῶν τὸν Ὀδυσσεά τοῖς μὲν βασιλεῦσι παραινούντα λόγῳ, τοὺς δὲ ἰδιώτας τύπτοντα, ὃ δὲ οὐδένα λέγων φροντίζειν μᾶλλον αὐτοῦ τῆς τάξεως <sup>1)</sup>).

Lib. ap. Socr. § 195 τί οὖν ἠδίκηει Σωκράτης . . . τὸν Ὀδυσσεά Φάσκων ἐπὶ τῇ τοῦ Παλλαδίου τιμηθῆναι κλοπῇ, cf. 123.

In hisce vera cum falsis commixta esse videntur. Cum vero congruebat, Ulixem a Socrate laudari solere; a vero abhorrebat Socratem laudibus iis esse abusum ad corrumpendos adolescentes. Itaque ut vere significaret, quid sibi vellet Socrates, cum Ulixis laudes praedicaret, Hippiam minorem suum Plato scripsit.

In huius dialogi initio (363 BC) haec legimus:

ΣΩ. καὶ μὴν ἔστιν γε ἂν ἠδέως ἂν πυθοίμην Ἰππίου ὧν νυνδὴ ἔλεγεν περὶ Ὀμήρου. καὶ γὰρ τοῦ σοῦ <sup>2)</sup> πατὴρ Ἰππίου ἦκουον, ὅτι ἡ Ἰλιάς κάλλιον εἶη ποίημα τῷ Ὀμήρῳ ἢ ἡ Ὀδύσεια, τοσοῦτῳ δὲ κάλλιον, ὅσῳ ἀμείνων Ἀχιλλεύς εἶη· ἐκότερον γὰρ τῶν ποιημάτων τὸ μὲν εἰς Ὀδυσσεά ἔφη πεποιῆσθαι, τὸ δ' εἰς Ἀχιλλέα. περὶ ἐκείνου οὖν ἠδέως ἂν, εἰ βουλομένῳ ἔστιν Ἰππίῳ, ἀναπυθοίμην, ὅπως αὐτῷ δοκεῖ περὶ τοῖν ἀνδρῶν τούτων, πότερον ἀμείνω Φησὶν εἶναι, ἐπειδὴ καὶ ἄλλα πολλὰ καὶ παντοδαπὰ ἡμῖν ἐπιδέδεικται καὶ περὶ ποιητῶν τε ἄλλων καὶ περὶ Ὀμήρου, cf. 369 BC.

Mox autem Hippiae respondentem Achillem fortiozem, Ulixem versutiozem fuisse (364 C), i. e. mendaciozem (365 C), demonstrat Achillem haud minus fuisse mendacem, quamvis invitum. Eum vero, qui invitus mentiatur, sordidum esse, utpote qui verum ignoret neque ergo verum dicere sciat nisi forte inscius ea in medium proferat quae vero contraria non sint. Plus valere eum qui de industria mentiatur, quoniam hic demum, si velit, verum

1) Cf. Xen. Mem. I, 2. 58, Lib. ap. Socr. § 93.

2) sc. Eudici.

quoque dicere possit. Quin illum virum vere probum esse, nam si integritatem noverit, haud dubie fore probum (v. 376 B, prae ceteris v. εἴπερ τις ἐστὶν οὗτος animadvertenda sunt) <sup>1)</sup>, Summa igitur dialogi haec est, virum qui suorum factorum conscius sit anteponendum esse ei qui ignarus sit; hoc autem sibi voluisse Socratem, cum laudaret Ulixem, non magis ad ipsum Ulixem spectantem quam ad homines Ulixis similes, quemadmodum Ap. 23 B de se tamquam *περὶ παραδείγματος* loquitur.

Hippias autem persona ipsum lacessi Polycratem ex hoc loco officio: (373 B) Π. ἀλλὰ Σωκράτης, ὃ Εὐδিকে, αἰεὶ ταραττεῖ ἐν τοῖς λόγοις καὶ ἔοικεν ὥσπερ κακουργοῦντι.

ΣΩ. ὦ βέλτιστε Ἴππια, οὔτι ἐκὼν γε ταῦτα ἐγὼ ποιῶ. σοφὸς γὰρ ἂν ἦ καὶ δεινὸς κατὰ τὸν σὸν λόγον· ἀλλὰ ἄκων, ὥστε μοι συγγνώμην ἔχε . . .

Nam ubi, quaeso, ab Hippias σοφὸς καὶ δεινὸς vocatur Socrates? In Hippias dialogo nusquam. At utrumque in Polycratis oratione inventum esse patet ex Lib. ap. Socr. 5 (ὡς ἄρ' εἶη δεινὸς λέγειν) et 52 (σοφιστὴς καλεῖται).

Quae si probabilis videtur suspicio, Hippias persona lacessi Polycratem, simul apparet, quis denotetur nomine Eudici, Apemanti filii, ad cuius nutum omnia facere paratus esse dicitur Hippias (363 C 373 C). Etenim non proprio motu, sed Anyti pecunia conductus <sup>2)</sup> libellum suum scripserat Polycrates. Ergo Anytus designatur nomine Eudici. Festivum autem ludibrium mihi videtur Eudicum Apemanti filium a Platone vocari Anytum.

### *De Ione.*

Legimus apud Libanium (62): Ἡσιόδου, Φησίν <sup>3)</sup>, καὶ Θεόγνιδος καὶ Ὀμήρου καὶ τῶν Πινδάρου μελῶν, τοὺς δὲ ποιητὰς τούτους καὶ δόξης καὶ τιμῶν τετυχηκέναι παρά τε τοῖς ἄλλοις καὶ ἡμῖν, τούτων, Φησί, τῶν ἀνδρῶν ἐπιλαμβάνεται καὶ τῶν εἰρημένων οὐκ ὀλίγα δείκνυσι πονηρῶς ἔχοντα.

1) Mnem. vol. XLIV p. 280.

2) Themist. or. XXIII 296 bc . . . ὑπὸ τοῦ λόγου, ὃν ξυνέγραψε Πολυκράτης, Ἄνυτος δὲ ἐμισθώσατο.

3) Sc. Polycrates.



Ad haec spectans, ut opinor, Plato in Ione ostendit, in diiudicandis poëtis intellegenti licere quod ceteris non liceat. Poëtam rhapsodum auditores enim divino motu concitatos esse: (533 CD) ἔστι γὰρ τοῦτο τέχνη μὲν οὐκ ὄν παρὰ σοὶ περὶ Ὅμηρου εὖ λέγειν, ὃ νυνδὴ ἔλεγον, θεία δὲ δύναμις, ἣ σε κινεῖ, ὥσπερ ἐν τῷ λίθῳ ἦν Εὐριπίδης μὲν Μάγνητιν ἀνόμασεν, οἱ δὲ πολλοὶ Ἑρακλείαν . . . (535 E 536 A). Οἶσθα οὖν ὅτι οὗτός ἐστιν ὁ θεατῆς τῶν δακτυλίων ὁ ἔσχατος, ὃν ἐγὼ ἔλεγον ὑπὸ τῆς Ἑρακλειώτιδος λίθου ἀπ' ἀλλήλων τὴν δύναμιν λαμβάνειν; ὁ δὲ μέσος σὺ ὁ ῥαψωδὸς καὶ ὑποκριτής, ὁ δὲ πρῶτος ὁ ποιητής· ὁ δὲ θεὸς διὰ πάντων τούτων ἔλκει τὴν ψυχὴν ὅποι ἂν βούληται τῶν ἀνθρώπων, ἀνακρεμαννύς ἐξ ἀλλήλων τὴν δύναμιν. Talium virorum admirari esse, sed non sana mente iudicare. Si quis autem doctrina praeditus, artis poëticae non tam amans quam intelligens, idoneus sit qui probet carmina, eiusdem esse carmina improbare: (531 E 532 A) οὐκοῦν ἐν κεφαλαίῳ λέγωμεν, ὡς ὁ αὐτὸς γινώσεται αἰεὶ περὶ τῶν αὐτῶν πολλῶν λεγόντων, ὅστις τε εὖ λέγει καὶ ὅστις κακῶς· ἢ εἰ μὴ γινώσεται τὸν κακῶς λέγοντα, δῆλον ὅτι οὐδὲ τὸν εὖ, περὶ γε τοῦ αὐτοῦ . . . Οὐκοῦν σὺ Φῆς καὶ Ὅμηρον καὶ τοὺς ἄλλους ποιητάς, ἐν οἷς καὶ Ἡσίοδος καὶ Ἀρχίλοχος ἐστιν, περὶ γε τῶν αὐτῶν λέγειν, ἀλλ' οὐχ ὁμοίως, ἀλλὰ τὸν μὲν εὖ γε, τοὺς δὲ χεῖρον; . . . οὐκοῦν, εἴπερ τὸν εὖ λέγοντα γινώσκεις, καὶ τοὺς χεῖρον λέγοντας γινώσκεις ἂν ὅτι χεῖρον λέγουσιν.

Egregium responsum, ut opinor, ad Polycratem, qui molesta tulerat esse quae Socrates in summis poëtis improbaret.

### *De Apologia.*

In Apologiae parte priorē brevius repetit quae in Hippia minore Ioneque iam protulerat: suorum factorum conscios homines anteponendos esse iis qui sine conscientia sui agant (22 B—23 C).

Sed in Apologia ad cetera quoque Polycratis crimina respondet. *Ad crimen III.*

Lib. 102 νέοι δὲ πατέρων τε πρότερον ἄγοντες ἐκείνων, ὡς λέγεις <sup>1)</sup>, καὶ πρεσβυτέρων ἀδελφῶν ὑπερορῶντες καὶ καθάπερ ὑπὸ γόητος ἐλκόμενοι τοῦ Σωκράτους τί πλέον ἂν ἐζήτησαν τοῦ νεῦσαι τὸν

1) Ita Polycratem alloquitur.

ἄνθρωπον; . . . γονεῖς τε ὑβρίζόμενοι καὶ ἀδελφοὶ καταφρονούμενοι πάντως ἂν ἤλγησαν, cf. Xen. Mem. I 2 51 sq.

Ad haec ex Polycratis oratione citata sic Socratem respondentem facit Plato: (Apol. 33 C—34 A) εἰ γὰρ δὴ ἔγωγε τῶν νέων τοὺς μὲν διαφθείρω, τοὺς δὲ διέφθαρκα, χρῆν δήπου . . . τῶν οἰκείων τινὰς τῶν ἐκείνων, πατέρας καὶ ἀδελφούς καὶ ἄλλους τοὺς προσήκοντας, εἴπερ ὑπ' ἐμοῦ τι κακὸν ἐπεπόνθεσαν αὐτῶν οἱ οἰκεῖοι, νῦν μεμνήσθαι . . . ἀλλὰ τούτου πᾶν τούναντίον εὐρήσετε, ὧ ἄνδρες, πάντας ἐμοὶ βοηθεῖν ἐτοιμούς τῷ διαφθείροντι, τῷ κακὰ ἐργαζομένῳ τοὺς οἰκειούς αὐτῶν, ὧς Φασι Μέλητος καὶ Ἄνυτος <sup>1)</sup>.

Ad crimen VII, quod Socrates cives inertes reddidisset (1), rei publicae gerendae non interfuisset (2), propter paupertatem tributum non contulisset (3), singillatim respondet:

ad 1 (cf. Lib. 127, ἀλλ' ἀργούς, Φησίν, ἐποίει Σωκράτης) se minime inertes, sed strenuos reddidisse Athenienses affirmat Ap. 31 AB: ἐὰν γὰρ ἐμὲ ἀποκτείνετε, οὐ ῥαδίως ἄλλον τοιοῦτον εὐρήσετε, ἀτεχνῶς, εἰ καὶ γελοιότερον εἰπεῖν, προσκείμενον τῇ πόλει ὡσπερ ἴπῳ μεγάλῳ μὲν καὶ γενναίῳ, ὑπὸ μεγέθους δὲ νωθεστέρῳ καὶ δεομένῳ ἐγείρεσθαι ὑπὸ μύωπός τινος· οἶον δὴ μοι δοκεῖ ὁ θεὸς ἐμὲ τῇ πόλει προστεθεικέναι τοιοῦτόν τινα, ὅς ὑμᾶς ἐγείρων καὶ πείθων καὶ ὄνειδίζων ἔνα ἕκαστον οὐδὲν παύομαι τὴν ἡμέραν ὅλην πανταχοῦ προσκαθίζων.

ad 2. Cur reipublicae gerendae non interfuerit (cf. Lib. 133 οὐ λέγει παριών) cognoscimus Ap. 31 D—32 A εὐ γὰρ ἴστε, ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, εἰ ἐγὼ ἐπεχείρησα πράττειν τὰ πολιτικὰ πράγματα, πάλας ἂν ἀπολώλη καὶ οὔτ' ἂν ὑμᾶς ὠφελήκη οὐδὲν οὔτ' ἂν ἐμαυτόν . . . ἀλλ' ἀναγκαῖόν ἐστι τὸν τῷ ὄντι μαχομένον ὑπὲρ τοῦ δικαίου καὶ εἰ μέλλει ὀλίγον χρόνον σωθῆσθαι ἰδιωτεύειν ἀλλὰ μὴ δημοσιεύειν.

ad 3. Obsequium erga rem publicam causam fuisse, cur quaestum facere non posset atque in egestate viveret (cf. Lib. 52 τῶν εἰσφερόντων οὐκ ἐστιν) invenimus Apol. 31 B οὐ γὰρ ἀνθρωπίνῳ ἔοικε τὸ ἐμὲ τῶν μὲν ἐμαυτοῦ ἀπάντων ἡμεληκέναι καὶ ἀνεχέσθαι τῶν οἰκείων ἀμελουμένων τσαυτὰ ἤδη ἔτη, τὸ δὲ ὑμέτερον πράττειν αἰεὶ . . . καὶ εἰ μὲν τι ἀπὸ τούτων ἀπέλαυον καὶ μισθὸν λαμβάνων ταῦτα παρεκελεύομαι, εἶχεν ἂν τινα λόγον· νῦν δὲ . . .

1) Cf. Euthyphr. 15D, quem locum p. 201 exscripsi.

*Ad crimen VIII*, quod Alcibiadis et Critiae magister fuisset (Lib. 136 *πονηρῶν δέ, ὧ ἄνδρες, ἔργων διδάσκαλον αὐτὸν Ἄνυτος καλῶν καὶ Φάσκων ὑμῖν ὑπ' αὐτοῦ διεφθάρθαι τοὺς νέους οὐκ ἔσχε πλὴν Ἀλκιβιάδου καὶ Κριτίου μνησθῆναι*, cf. Xen. Mem. 1. 2. 12), haec habet (Apol. 33 A B) . . . καὶ ἰδίᾳ δ' αὐτὸς οὗτος <Φανούμαι>, οὐδενὶ πώποτε ξυγχωρήσας οὐδὲν παρὰ τὸ δίκαιον οὔτε ἄλλω οὔτε τούτων οὐδενί, οὐς οἱ διαβάλλοντες ἐμέ Φασιν ἐμοὺς μαθητὰς εἶναι. ἐγὼ δὲ διδάσκαλος μὲν οὐδενὸς πώποτ' ἐγενόμην· εἰ δέ τις μου λέγοντος καὶ τὰ ἐμαυτοῦ πράττοντος ἐπιθυμεῖ ἀκούειν, εἴτε νεώτερος εἴτε πρεσβύτερος, οὐδενὶ πώποτε ἐφθόνησα, οὐδὲ χρήματα μὲν λαμβάνων διαλέγομαι, μὴ λαμβάνων δὲ οὐ, ἀλλ' ὁμοίως καὶ πλουσίῳ καὶ πένητι παρέχω ἐμαυτὸν ἐρωτᾶν καὶ εἰάν τις βούληται ἀποκρινόμενος ἀκούειν ὧν ἂν λέγω. καὶ τούτων ἐγὼ εἴτε τις χρηστὸς γίγνεται εἴτε μὴ, οὐκ ἂν δικαίως τὴν αἰτίαν ὑπέχοιμι, ὧν μήτε ὑπεσχόμην μηδενὶ μηδὲν πώποτε μάθημα μήτε ἐδίδαξα . . . Simul vv. παρὰ τὸ δίκαιον purgat se crimine, quod scelera aut palam docuisset (crimen V) aut clam commisisset (VI).

Quod autem Polycrates contenderat, τοῖς μὲν νέοις αὐτὸν διαλέγεσθαι, τοῖς πρεσβυτέροις δ' οὐκ ἐθέλειν (Lib. 129), hoc refutat vv. εἴτε νεώτερος εἴτε πρεσβύτερος.

Postremo his verbis negat se in numero sophistarum esse habendum, quippe quorum proprium esset quaestus causa docere. Hoc autem pertinet

*Ad crimen IX*. Vid. Lib. 5, ὡς . . . εἷη δεινὸς λέγειν, 52 σοφιστῆς καλεῖται, cf. 152—160.

Ipsam suam prudentiam procul abhorrere a sophistarum sapientia reperimus Ap. 19 E—20 E, ubi postquam de Gorgia Prodicō Hippia egit sic pergit, ad Calliam conversus: (20 B) τίς τῆς τοιαύτης ἀρετῆς, τῆς ἀνθρωπίνης τε καὶ πολιτικῆς, ἐπιστήμων ἐστίν; . . . καὶ ἐγὼ τὸν Εὐθηνον ἐμακάρισα, εἰ ὡς ἀληθῶς ἔχει ταύτην τὴν τέχνην καὶ οὕτως ἐμμελῶς διδάσκει. ἐγὼ οὖν καὶ αὐτὸς ἐκαλυνόμεν τε καὶ ἡβρυνόμεν ἂν, εἰ ἠπιστάμην ταῦτα· ἀλλ' οὐ γὰρ ἐπίσταμαι, ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, et mox (D) ἐγὼ γάρ, ὧ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, δι' οὐδὲν ἀλλ' ἢ διὰ σοφίαν τινὰ τοῦτο τὸ ὄνομα ἔσχηκα. ποῖαν δὲ σοφίαν ταύτην; ἥπερ ἐστὶν ἴσως ἀνθρωπίνη σοφία. τῷ ὄντι γὰρ κινδυνεύω ταύτην εἶναι σοφός· οὗτοι δὲ ταχ' ἂν, οὐς ἄρτι ἔλεγον, μείζω τινὰ ἢ κατ' ἀνθρώπον σοφίαν σοφοὶ εἶεν . . .

Quae si recte disputata sunt, melius etiam intellegitur locus ille, qui est de Aristophane (18A—19A). Etenim omnia fere Polycratis crimina iam legebantur in Nubibus Aristophaneis. En loci:

ad crimen	I	Ar. Nub.	1400	1) καὶ τῶν καθεστῶτων νόμων ὑπερφρονεῖν δύνασθαι.
" "	II	" "	297	ποιούς θεοὺς ἰμεῖ σὺ; πρῶτον γὰρ θεοὶ ἡμῖν νόμισμα οὐκ ἔστι, cf. 367, 827—830, 1477.
" "	III	" "	1321—1453.	
" "	IV	" "	1362	καὶ τὸν Σιμωνίδην ἔφασκε εἶναι κακὸν ποιητήν.
" "	VII	" "	316	ἤκιστ' ἀλλ' οὐράνιοι Νεφέλαι, μεγάλαί θεαὶ ἀνδράσιν ἀργοῖς.
" "	IX	" "	331	οὐ γὰρ, μὰ Δι', οἶσθ' ὅτι πλείστους αὐταὶ βόσκουσι σοφιστάς, cf. 1111 et passim.

Illo loco igitur Plato indicare cupit, omnia quae afferat Polycrates obsoleta esse et plus triginta annos decantata vixque quicquam novi ab eo in medium proferri.

Post omnia, quae in Polycratis oratione legi vidimus postremo unam rem indico, quae in ea non legebatur: quaestus causa docuisse Socratem. Etenim neque apud Libanium neque apud Xenophontem neque in ullo ex fragmentis huius rei vestigium reperitur. Iamvero hac quoque in re Apologia cum Polycratis oratione coniuncta est; legimus enim Ap. 31 BC νῦν δὲ ὁρᾶτε δὴ καὶ αὐτοί, ὅτι οἱ κατηγοροὶ τᾶλλα πάντα ἀναισχύντως οὕτω κατηγοροῦντες τοῦτό γε οὐχ οἷοι τε ἐγένοντο ἀπαναισχυντῆσαι παρασχόμενοι μάρτυρα, ὡς ἐγὼ ποτὲ τινα ἢ ἐπραξάμην μισθὸν ἢ ἤτησα.

*De Lysiae Apologia Socratis.*

Est Lysiae quoque Apologia Socratis. Cuius supra unum fragmentum iam exscripsimus<sup>2)</sup>. Praeterea duo haec exstant:

Schol. ad Plat. Apol. 18 B οὗτος ὁ Ἄνυτος Ἄνθεμίωτος ἦν υἱός,

1) Et hos et alios locos collegit Markowski, l.l. pp. 5—18.

2) p. 192, servatum apud Ael. Arist.

Ἰθναῖος γένος, Ἀλκιβιάδου ἐραστής, πλούσιος ἐκ βυρσοδεψικῆς ὄθεν καὶ σκωπτόμενος ὑπὸ Σωκράτους διὰ τοῦτο . . . ἔπεισε μισθῶ Μελήτου ἀσεβείας γραφὴν δοῦναι κατὰ Σωκράτους· μέμνηται Λυσίας ἐν Σωκράτους ἀπολογία καὶ Ξενοφῶν ὁμοίως καὶ Ἀριστόξενος ἐν τῷ Σωκράτους βίῳ.

Schol. ad Ael. Arist. Panathenaeicum, III p. 320 Df. ἴστατο δὲ πρὸς τούτων ἕτερον διοπετές· ἐν γὰρ τῇ Τροίᾳ Φασὶν ἐξ οὐρανοῦ τοῦτι πεπτακέναι· λαβόντος δὲ Διομήδους ἀρπάσας ἀπὸ τούτου Δημοφίλος Ἀθηνάζε ἤγαγεν, ὡς Λυσίας ἐν τῷ ὑπὲρ Σωκράτους πρὸς Πολυκράτην λόγῳ Φησίν.

Horum fragmentorum illud, in quo Anytus propter res amatorias quaestumque suum lacessitur ulciscendique cupiditas causa fuisse dicitur, cur Socratem reum fecerit, satis superque demonstrat, quam plena indignarum calumniarum Lysiae Apologia fuerit. Ex quo cognosci potest, eam non magis Socratis patrocinandi quam Anyti lacessendi causa editam esse. Scilicet inimicissimus erat Anyto Lysias. Post triginta expulsos enim quamquam amnestia edicta erat, tamen Lysias Eratosthenam, Polemarchi fratris sicarium, ulcisci conatus est. Frustra, nam causa cecidit per popularium principes, Archinum Anytumque dico, quibus nihil antiquius erat quam ut amnestiam coniuratam diligenter servarent <sup>1)</sup>. Mox autem Thrasybuli legis promulgatio, ut omnibus, qui secum ex Piraeo redissent, civitas tribueretur, auctore Archino abrogata est <sup>2)</sup>, nescio an adiutore Anyto. Itaque Lysias odio Anyti coniunctus erat cum Socraticis neque mirandum est eum ad orationem Polycrateam, quam is Anyti causa et ab eo conductus ediderat <sup>3)</sup> continuo respondisse.

Alterum fragmentum ad ea spectat, quae dixerat Polycrates, Socratis laudibus Ulixidis commotus, Ὀδυσσεῖα διὰ τὴν ἱεροσυλίαν τὰ καὶ τὰ πεπονθέναι, τὰ μὲν ἐν γῆ, τὰ δὲ καὶ ἐν θαλάττῃ . . . (Lib. 123). Ad ea Lysias inepte et summa re plane neglecta non ab Ulixide, sed a Diomede Palladium esse abreptum respondet. Ex quo fragmento neque minus ex illo supra p. 192 laudato manifesto apparet Lysiam ad verbum usque Polycrati respon-

1) Is. 18, 23.

2) Ath. Pol. 40, 2; cf. 34, 3.

3) Supr. p. 193 cum ann. 2.

disse, sive is res alicuius momenti proferebat sive ea, quae nihil ad rem. Qua in re comparandus est cum imperitioribus sociis societatum nostrarum, in quibus animi causa altercationes habentur (debating-clubs); qui in refutandis iis, quae contra disputationem suam prolata sint, hunc in modum agunt: „Amicum A, qui haec atque haec protulit, haec moneo . . . ad amicum B autem, qui hunc in modum locutus est, haec respondeo . . .”, sic deinceps ad singula argumenta respondentes. At peritiores, quo ordine adversarii locuti sint non curantes, ad arbitrium ipsi suum alteram instituunt disputationem, ita compositam ut prolata argumenta *in transitu* attingant, uno tenore profuente oratione. Hoc fecit Plato in Apologia, qui ita ad singula argumenta respondeat, ut in longe maiore orationis parte ad suum arbitrium loqui *videatur*, ad nullum conversus adversarium.

Lysiae et indigna et inepta oratione, qua Socratis patrocinium suscepit, indignatum Platonem exclamasse „non tali auxilio” licet suspicari. Quapropter dialogorum serie interrupta, qua ad Polycratem iam respondebat, contra morem suum orationem scribere decrevit, ne putarent homines, per Lysiam locutos esse Socraticos. Sic Lysiae libellum prae suo in oblivionem adducere haud frustra conatus est. Nam Platonis Apologia vix unum scriptum omnis aevi celebrius est, ex Lysiae Apologia tria misera fragmenta hodie exstant.

*De Critone Menexeno Euthyphrone.*

De duobus primis Polycratis criminibus, quod Socrates statum reipublicae popularem labefactaret atque odisset, quodque ceteros numina negligere doceret, egerat quidem Plato in Apologia (24 B—27 E), sed vix serio. Haec reservaverat sibi, de quibus in proximis dialogis ageret.

*De Critone.*

A Polycrate Socratem *ὑπερφίας τῶν νόμων* esse insimulatum apparet Lib. ap. Socr. 19. Respondet Plato omnia illa, quae leguntur Crito 50 A—54 C, ex quibus haec laudanda videntur: (50 AB) *εἰ . . . οἱ νόμοι καὶ τὸ κοινὸν τῆς πόλεως ἔριτο· εἰπέ μοι, ὦ Σώκρατες, τί ἐν τῷ ἔχεις ποιεῖν; ἄλλο τι ἢ τοῦτω τῷ ἔργῳ, ὃ ἐπιχειρεῖς, διανοεῖ τοὺς τε νόμους ἡμᾶς ἀπολέσαι καὶ ξύμπασαν*

τὴν πόλιν τὸ σὸν μέρος; ἢ δοκεῖ σοι οἶόν τε ἔτι ἐκείνην τὴν πόλιν εἶναι καὶ μὴ ἀνατετράφθαι, ἐν ἣ αἱ γενόμεναι δίκαι μὴδὲν ἰσχύουσιν, ἀλλὰ ὑπὸ ἰδιωτῶν ἄκυροί τε γίνονται καὶ διαφθείρονται; τί ἐροῦμεν, ὦ Κρίτων, πρὸς ταῦτα καὶ ἄλλα τοιαῦτα; *ceterum omnia illa quae sequuntur dignissima sunt quae inspiciantur.*

*De Menexeno.*

Lib. ap. Socr. 53 haec ex Polycratis oratione citat: Μισόδημος, Φησίν, ἐστὶ, καὶ τοὺς συνόντας πείθει τῆς δημοκρατίας γελαῶν.

At quantopere et Athenis et probo imperio populari faveat Socrates significat Plato Menexeno suo. Prae ceteris haec perpendantur: (238 E 239 A) αἰτία δὲ ἡμῖν τῆς πολιτείας ταύτης ἢ ἐξ ἴσου γέनेσις. αἱ μὲν γὰρ ἄλλαι πόλεις ἐκ πανταδοπῶν κατεσκευασμένοι ἀνθρώπων εἰσὶ καὶ ἀνωμάτων, ὥστε αὐτῶν ἀνώμαλοι καὶ αἱ πολιτεῖαι, τυραννίδες τε καὶ ὀλιγαρχίαι· οἰκοῦσιν οὖν ἔνιοι οἱ μὲν δούλους, οἱ δὲ δεσπότας ἀλλήλους νομίζοντες· ἡμεῖς δὲ καὶ οἱ ἡμέτεροι, μιᾶς μητρὸς πάντες ἀδελφοὶ φύντες, οὐκ ἀξιοῦμεν δούλοι οὐδὲ δεσπότες ἀλλήλων εἶναι, ἀλλ' ἢ ἰσογονία ἡμᾶς ἢ κατὰ φύσιν ἰσονομίαν ἀναγκάζει ζητεῖν κατὰ νόμον, καὶ μηδενὶ ἄλλω ὑπέκειν ἀλλήλοις ἢ ἀρετῆς δόξῃ καὶ φρονήτῳ. Sed quae praecedunt quoque examinantur.

*De Euthyphrone.*

Polycratem Socrati exprobrasse quod deos parvi aestimare doceret patet ex Lib. ap. Socr. 130: δείξας, ὦταν, ἐπιωρκηκότα πολλαχοῦ τὸν ἄνθρωπον, καὶ συγχέοντα πίστεις, οὕτω φάσκε τοὺς ἄλλους ὑπ' αὐτοῦ πεπαιδεῦσθαι τῶν θεῶν ὀλιγωρεῖν. Hoc a vero abhorrere Euthyprone dialogo Plato docet ét ubi ministerium deorum iustitiae partem esse affirmatur (12 E τοῦτο τοίνυν ἔμοιγε δοκεῖ τὸ μέρος τοῦ δικαίου εἶναι εὐσεβές τε καὶ ὄσιον, τὸ περὶ τὴν τῶν θεῶν θεραπείαν) ét hoc loco: (14 E 15 A) φράσον δέ μοι, τίς ἢ ὠφέλεια τοῖς θεοῖς τυγχάνει οὐσα ἀπὸ τῶν δώρων ὧν παρ' ἡμῶν λαμβάνουσιν; ἂ μὲν γὰρ διδάσσι, παντὶ δῆλον· οὐδεν γὰρ ἡμῖν ἐστὶν ἀγαθόν, ὃ τι ἂν μὴ ἐκεῖνοι δῶσιν· ἂ δὲ παρ' ἡμῶν λαμβάνουσιν, τί ὠφελοῦνται; ἢ τοσοῦτον αὐτῶν πλεονεκτοῦμεν κατὰ τὴν ἐμπορίαν, ὥστε πάντα τὰ γὰρ ἀγαθὰ παρ' αὐτῶν λαμβάνομεν, ἐκεῖνοι δὲ παρ' ἡμῶν οὐδέν.

Eodem autem dialogo ostendit (*ad crimen III*), mendacis hominis

esse contendere Socratem τὸς πατέρας προπηλακίζειν docuisse (Xen. Mem. I, 2, 49). Indignatur enim patrem suum inter sicarios accusare in animo habere Euthyphronem, vñ. sub finem dialogi ironice dicta verba: (15 D): εἰ γὰρ μὴ ἤδεισθα σαφῶς τό τε ὄσιον καὶ τὸ ἀνόσιον, οὐκ ἔστιν ὅπως ἂν ποτε ἐπεχειρήσας ὑπὲρ ἀνδρὸς θετὸς ἄνδρα πρεσβύτερον πατέρα διακαθεῖν φόνου, ἀλλὰ καὶ τοὺς θεοὺς ἂν ἴδεισας παρακινδυνεύειν, μὴ οὐκ ὀρθῶς αὐτὸ ποιήσοις, καὶ τοὺς ἀνθρώπους ἡσχύνῃς.

*De Hippiā Maiore.*

Post orationem Polycrateam in lucem prolatam primo hoc unum sibi proposuerat Plato, ut Socratis causam defenderet. Sed postquam singula crimina refutavit, et suum ipse opus agredi vacabat, idearum doctrinae expositionem <sup>1)</sup>, et Polycratem castigare gestivit. In Hippiā Maiore utrumque effecit; in quo dialogo et idea pulchri investiganda idearum doctrinam exponendi initium facit et tam vehementer Hippiam insectatur, ut sint qui hanc ob causam dialogum illum a Platone scriptum esse negent, tantam vehementiam Platone indignam rati. Qui fortasse recte statuerent, si qui honestus adversarius, e. g. aut Isocrates aut Anthisthenes in Hippiā Maiore lacessetur, id quod nonnulli suspicati sunt. At vehementiae illius causa plane intellegi poterit, si eum hic lacessi apparebit, qui castigatione omnino dignus sit. Quamobrem nomine Hippiāe hic denuo Polycratem impugnari existimo. Nam quid Polycrate sophista abiectius est, qui Anyti sophistarum inimicissimi pecunia adductus ipse sophistas perstringeret Lacedaemonemque collaudaret, quia sophistas arceret? (Lib. 134 Λακεδαιμονίους μὲν ἄριστα πολιτεύεσθαι νομίζεις οὐ φύντος αὐτόθι σοφιστοῦ).

Sed per se quoque verisimile est eundem hic lacessi qui in Hippiā Minore eodem lacessebatur nomine. Nam iterum hic et Eudici arbitrio omnia eum facere paratum esse legimus (286 B, cf. Hipp. min. 363 B—D 373 C, supra p. 193) et astrologiae geometriae logisticae (285 C, cf. Hipp. min. 366 C—368 A), γραμμάτων ῥυθμῶν ἀρμονιῶν τοῦ μνημονικοῦ (285 DE, cf. Hipp. min. 368 D) peritus esse dicitur. Sunt tamen praeterea nonnulla

1) Mnem. XLIV p. 234.



quae hic primum leguntur necdum reperiebantur in Hippia Minore, v. 285 D: *περὶ τῶν γενῶν, ᾧ Σώκρατες, τῶν τε ἡρώων καὶ τῶν ἀνθρώπων, καὶ τῶν κατοικίσεων, ὡς τὸ ἀρχαῖον ἐπίσθησαν αἱ πόλεις, καὶ συλλήβδην πάσης τῆς ἀρχαιολογίας ἥδιστα ἀκροῦνται.* Videtur igitur is, qui in utroque Hippia lacessitur, post Hippiam Minorem editum et ante Hippiam Maiorem compositum studio antiquitatis operam impendisse. Convenit autem hoc in Polycratem. Nam Isocrates in oratione sua, quae Busiris inscribitur, quam anno 386 editam esse nuper collegimus<sup>2)</sup>, impugnat eiusdem Busiridis laudationem Polycratis. Ferebatur autem Busiris Neptuni filius et conditor Aegypti; quo fit ut utriusque Busiris oratio multum in mythologiis versetur et Polycrates *περὶ τὰς γενεαλογίας ἐσπουδακῶς* ab Isocrate dicatur (Is. Bus. 8, cf. 36 sq.). Quocirca efficere licet anno fere 389 Busiridem suum scripsisse Polycratem reveraque paulo post Hippiam Minorem editum se ad antiquitatem tractandam applicasse.

Hippiae nomine Polycratem lacessi si recte coniecimus, perspicuum fit, quid sibi velit frequens illa mentio Lacedaemonis in Hippiae Maioris prooemio. Lacedaemonis enim amantissimum fuisse Polycratem supra p. 201 iam vidimus. Ergo de industria iocans Plato opinatur haud dubie Lacedaemone eum maximum fecisse quaestum. Quod postquam infitatus est Hippias, utilia simul magis legitima esse ei persuadet, ut deinde hoc syllogismo eum illudat:

Hippiae praeceptis uti utile, i. e. legitimum est  
 Hippiae praeceptis non utuntur Lacedaemonii

*παρανομοῦσιν ἄρα Λακεδαιμόνιοι.*


Itaque simulata Hippiae doctrinae admiratione utitur ut Hippiam (vel Polycratem) repudiare ea cogat, quae modo praedicaverat: Lacedaemonios *ἄριστα πολιτεύεσθαι* (Lib. 134)<sup>3)</sup>.

1) Mnem. XLIV p. 378.

2) In Busiride quoque Polycratea Lacedaemonios esse collaudatos apparet ex Is. Bus. 17—20, ubi Lacedaemoniorum instituta Aegyptiis inferiora esse demonstratur: sane quae haud pauca ab Aegyptiis mutuati sint Lacedaemonii, ea scilicet esse proba, sed prava esse quae per se habeant. In hac oratione, quae est de antiquis Aegyptiorum institutis, nihil esset cur Lacedaemoniis obtrectaret Isocrates, nisi adversarius quispiam impugnaretur, qui utraque inter se comparaverat. Impugnatur autem in Isocratis Busiride Polycrates, qui Lacedaemoniorum se esse studiosum in or. adv.

In ipsa quoque quaestione, quam Plato in Hippiā Maiore tractat, ad Polycratem eum spectare credibile est. Vivos enim immolare consueti Busiridis facta laudaverat Polycrates, v. Is. Bus. 5, 31. Qui mos idcirco probabatur ei, quia alii eadem commiserant (Is. Bus. 55: οὐ γὰρ ἀπολύεις αὐτὸν τῶν αἰτιῶν, ἀλλ' ἀποφαίνεις, ὡς καὶ τῶν ἄλλων τινὲς ταῦτὰ πεποιήκασι). At in Hippiā Maiore dialogo in ideam τοῦ καλοῦ inquirens Plato mouet, iudicium laturis nobis utrum pulchrum quid sit necne, illud non esse comparandum cum iis quae ab hominibus pulchra habentur, sed examinandum esse quid sit τὸ καλὸν per se spectatum, quo cognito sponte iudicari possit de singularum rerum pulchritudine.

Quae sit summa disputationis meae hoc conspectu melius etiam me indicaturum esse spero:



Quodsi quis roget, qui factum sit ut Lysias, Isocrates, Plato, qui minime inter se consentiunt, omnes Polycratem impugnent, respondeo contra Polycratem et Socratis adversarium et Alcibiadis utrumque defendi a Platone, Socratem a Lysia, Alcibiadem

Soer. ipse praedicat; quocirca veri est simillimum Polycratem in Busiride suo Lacedaemonios laudasse utpote qui iisdem fere uterentur institutis, quibus Aegyptii, mox ab Isocrate refutatus.

ab Isocrate. Ceterum odio erat Lysiae Alcibiades, (Lys. or. XIV), Isocrati Socrates (Is. Bus. 5). Attamen Lysias non magis Polycratem petebat quam Anytum. Nam erat ei adversarius et privatis causis adductus (v. p. 198) et quod in republica administranda dissentiebant, hic moderatoris popularis factionis dux, ille audacioribus (Belg. „de radicalen”) favens. Isocrates Anyto propior fuisse videtur, laudat enim eum propter moderationem (Is. 18, 23); neque de Alcibiade nimis eos dissensisse opinor, neque Alcibiadem magis suae quam Socratis ignominiae causa ab Anyto (in oratione Polycratis) esse lacescitum.

Denique hoc monendum videtur, satis aptam causam nunc esse inventam, cur Plato post copiosum dialogum, qualis est Gorgias, sex minores illos scripserit. Ad omnia enim Polycratis crimina respondere cupiebat, sed propter eorum varietatem uno magno dialogo id conficere nequivit.

#### AD TACITI AGRICOLAE C. 16.

Dum Suetonius Paulinus Monam insulam aggreditur, rebellant Britanni, coloniam invadunt, multos milites crudeliter necant. Sed prope reversus Paulinus uno proelio subegit barbaros, quorum tamen multi arma tenebant metu ne dux ille egregius „arroganter in deditos et, ut suae eiusque iniuriae ultor, durius consuleret”, sic codices; Puteolanus quoque, Wexius cuiusque, Nipperdeius quisque. Quarum coniecturarum nulla veri habet speciem aptamve praebet sententiam. Utrumque habebis si exercitusque legeris. Propria erat affectus iniuria et ipse Paulinus et exercitus eius.

J. J. H.

# AD CICERONIS ORATIONEM PRO P. QUINCTIO.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



„Operaene pretium facturus sim” equidem nunc certe ne rogo quidem. Scio enim penitusque persuasum habeo parum a fore quin, si non stomachum, at risum moveam aequalium plerisque qui hasce paginas vel obiter sunt inspecturi. Identidem enim lectionem traditam in dubium vocari videbunt, coniecturas proponi et, quod absurdissimum ineptissimumque, pauca plurave vocabula tamquam sciorum annotationes cancellis includi delerique. Et habent in aure illud ad satietatem usque repetitum „conservate, conservate”, quod quo quisque in nostra arte maiorem auctoritatem aut habet aut se habere putat maiore solet pronuntiare gravitate. Rem ergo sibi esse putabunt cum philologo, cui suum sit ignotum saeculum, quique cum relicta atque adeo relinquenda ambulet via, quantocius ipse sit relinquendus ab omnibus cui sua apud idoneos iudices fama cordi sit.

„Suo quaeque ore cantat avis” aiunt populares mei, certe aiebant proavi nostri. Nam nunc ne sola probetur cantilena dictata a magistro periculum est. At ego, si quid non intelligo, ingenue id fateri pergam; si vitium mihi deprehendere videbor, id ut possum corrigere conabor, si magistelli audiam vocem stridulam, disertissimum Romuli nepotem me audire simulare non possum. Ne tamen omnino surdis narrem fabulam, hic illic aut novam alicuius loci, aut fortasse neque inutilem et parum notam, proponam explicationem, denique e nostra oratione probraham aliquid quod aliis Ciceronis locis afferre lucem possit.

Nam semper hac oratione vehementer sum delectatus. Vivam

hic audiebam summi oratoris vocem qui nescio an nunquam quidquam scripserit quod huic iuveni praestaret opusculo, vivique mihi legenti stabant ante oculos homines de quibus hic agitur, cum alii tum praesertim Sex. ille Naevius, homo sceleratus, subdolos, crudelis, semperque sum miratus Boissierium (p. 9), Ciceronis aequales enumerantem, qui ab illo sint tamquam in tabula depicti, hunc praeteriisse.

Sed ad rem veniamus!

I, 1 *Eloquentia Q. Hortensii ne me dicendo impediatur.*

Haec nihili esse nemo tam pertinax erit quin paulo accuratius adspectis verbis mihi concedat. Quid enim istud est: *eloquentia dicens* vel „eloquentia quae *dicendo* aliquid efficit”? Clarkius, nescio quibus rationibus palaeographicis motus, alteram lectionem *in dicendo* praetulit in textumque recepit. Qua quid proficiamus non video. An minus inepte eloquentia aliquid *in dicendo* efficere dicitur? An non *post Hortensium* dicturus est Cicero? Equidem una litura vel *dicendo* vel *in dicendo* delendum censeo, non, hercle, quod non videam pravam esse rationem ea quae quis non bene intelligat abiiciendi, sed quia sic demum Ciceronis nobis redditur manus, qui omnia hic elegantissime inter se opposuit. Audi modo:

„eloquentia Q. Hortensii ne me impediatur non nihil commoveor; gratia Sex. Naevii ne P. Quinctio noceat, id vero non mediocriter pertimesco”

num addi potest quidquam quin venustissima sententiae structura corruat?

I, 5 C. Aquilium iudicem sic orator alloquitur:

„Quod si tu iudex nullo praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiae . . . profecto nihil est iam sanctum atque sincerum in civitate.”

Pro *nullo* Lambinus ille *nulli* proposuit. Sensisse non videtur praestantissimus criticus quid interesset inter *nullo praesidio esse* et *nulli praesidio esse*, quorum illud solum in nostrum quaadrat locum. Si *nulli* hic legeretur, *iudicis* notaretur *perfidia* qui innocentem adiuvari atque sublevare *noluerit*, sed tradita lectione egregie *rei* depingitur miseria, cui ne C. Aquilius quidem, princeps ille iurisconsultorum, opem ferre *potuerit*.

II, 8 Quod olim praeclare de Platonis textu pronuntiavit Martinus Schanzius: „primarium critici hic semper erit officium varia e textu removendi additamenta” id et ad alios quoque et ad Ciceronem pertinere insigni hic locus docet exemplo. Nam revoca tibi in memoriam quae in ipso leguntur initio: „eloquentia Q. Hortensii ne me impediatur non nihil commoveor.” Nemo, ut opinor, tam erit hebes ut his auditis non intelligat vel tam infirma memoria ut statim obliviscatur Hortensium esse Naevii defensorem, Ciceronis adversarium. Nunc audi quae tradita hic sunt:

„Quid hoc iniquius aut indignius, C. Aquili, dici aut commemorari potest, quam me qui caput alterius, famam fortunasque defendam, priore loco dicere: cum praesertim Q. Hortensius [qui in hoc iudicio partes accusatoris obtinet] contra me sit dicturus”.

Serione credis ab ipso Cicerone scripta quae cancellis inclusi? Quae et sunt languidissima et quam maxime puerilia et elegantissimam periodum commaculant et perturbant. Illis enim demum deletis apte post *dicturus* haec adduntur: „cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est.” Sin in textu remanebunt inclusa ista, Hortensii laus a nomine eiusdem ingrattissimum in modum divelletur et habebimus duas sententias relativas, quarum alterutram ipsae aures condemnant.

Eiusdem, ut opinor, scioli paulo post deprehendimus ineptias. Multus iam fuit orator in ea metaphora qua adversariorum argumenta et crimina cum telis, vulnera inferentibus comparantur. Tamenne sic perrexisse eum censeamus quemadmodum traditur:

„si qua in re, id quod parati sunt facere falsum crimen quasi venenatum aliquod telum iecerint”

an istud „falsum crimen” deleamus? Nonne ergo penitus sentimus ipsa illa vocabula pueri annotantis vel magistelli dictantis potius esse quam summi oratoris?

Sed nescio an magis toti nocuerit orationi qui paulo post in textum recepit annotationem eamque falsissimam:

II, 9 „Id” (quod ego Quinctium recte defendere non possum) „accidit praetoris iniquitate et iniuria: primum quod contra omnium consuetudinem iudicium prius de probro quam de re maluit fieri.”

Quivis, ut opinor, homo paulo suspicior mirabitur coniunctionem *quam cum duplici* hic iungi comparativo. Id tamen utcunque ferri potest. Sed ipsa res hic misere pessumdatur. Quis enim ista legens non putabit *duo* fuisse Quinctio subeunda iudicia, primum de probro, deinde de re? Quod tamen ipsa quae sequitur narratio redarguit. Sponsionem facere praetor Quinctium coegit in haec verba: „si bona sua ex edicto P. Burrieni praetoris dies XXX possessa non essent”. Atqui (quod multis verbis demonstrat orator) infamis est is cuius bona ex edicto praetoris possessa sunt, ergo iudicium de probro atque adeo de infamia Quinctio est subeundum.

Et tamen nihil nisi pecuniam a Quinctio petebat Naevius, sed maluit praetor iniquus iudicium de probro quam de re fieri. Sponsio autem hoc mali afferebat Quinctio quod priore ei loco erat dicendum, nam possessor factus erat a praetore Naevius, ergo in eum impetum facere debebat Quinctius, nescius etiam quibus se argumentis defendere posset atque defensurus esset Naevius. Ergo utique dele *prius*, utpote insertum ab eo qui res diversas inter se commisceret perturbaretque. Egregie eae et aliis locis non inquinatis distinguuntur et his:

§ 71 „De re pecuniaria cupio contendere”. „Non licet”. „At ea controversia est”. „Nihil ad me attinet: causam capitis dicas oportet”. „Accusa, ubi ita necesse est”. „Non” inquit „nisi tu ante novo modo priore loco dixeris”.

§ 95 „Horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere.”

Sed omnem tibi dubitationem haec vel maxime eximent (§ 46): „qui cum de re agendi nullo recusante potestas fuisset, sponsionem de probro facere maluerit . . .”.

III, 11 Sic incipit narratio:

„C. Quinctius fuit P. Quinctii huius frater, sane ceterarum rerum pater familias et prudens et attentus”.

Habet hoc ars Tulliana, et omnino boni oratoris ars ut saepe ex uno vocabulo plus semel, idque lepide, adhibito totius orationis cognoscatur indoles. Velut hic illud *sane*, quod eius est qui per risum iocumque concedit aliquid quod statim in suam rem sit conversurus, documento est agi de adversario

quem orator non tam oderit quam despiciat. Cf. § 29: „utebatur (Alfenus) populo *sane* suo, propterea quod iste caput petere non desinebat.”

Similiter interrogatio illa, quam et hic et multis aliis locis habemus, „quid ergo est?” in re admodum intricata nos versari monet.

Lubet rem et exemplo aliunde petito illustrare. Verbum *debendi* nusquam frequentius legitur quam in oratione *pro Sulla*. Haud mirum. Sponte enim cuivis audienti illam in mentem venire debebat atque nobis quoque legentibus in mentem venit rogare num hoc *consentaneum* sit Ciceronem, illum acerbissimum Catilinariorum hostem, eius defendere causam, quem et ipsum illorum fuisse unum haud de nihilo nata est suspicio. Unum ergo hoc verbum efficit ut sentias Ciceronem non magis Sullam defendere quam semet ipsum.

III, 12 „Quinctius fecit (cum Naevio) societatem earum rerum quae in Gallia comparabantur.”

*Comparabantur?* At iam „erat ei pecuaria res ampla et rustica”. Quid ergo sibi *comparabat*, vel *comparabant* socii nostri? Dixeris: „bellum gerebatur in Gallia, stabat ibi imperator cum copiis (§ 28); nonne ergo res ipsa ferebat ut multa ibi tum iure belli venirent? Nonne (§ 24) L. Albius ipsi Naevio pueros venales adducebat? Unde eos habere ille potuit nisi capti essent in bello?” Respondeo hoc si Cicero voluisset, additurum eum *voculam tum* fuisse, quo nihil esset facilius. Nunc *comparantur* legendum censeo.

III, 13 Ad locum iam veni de quo mihi quidem certa stat sententia, quam tamen ut legentibus probare possim vehementer metuo. Coniecturam enim propositurus sum quae non possit non admodum audax videri multis atque adeo temeraria. In praecedentibus narravit (atque lepide narravit: prae ceteris vero istud *sevocabat* § 13 placet, non tamquam de pecunia sed de aliquo homine dilecto gratoque dictum, quem magica arte planus iste allicit) iam statim ab initio societatis Naevium multa in suam transtulisse arcam privatam. Tum sic pergit:

„verum his de rebus non necesse habeo dicere ea, quae me



P. Quinctius cupit commemorare, et tametsi <sup>1)</sup> causa postulat, tamen quia postulat, non flagitat, praeteribo”.

Quae, obsecro, ista est ratio, immo vero insania? Quaedam vocabula sic invertamus: „non quidem flagitat causa, sed tamen postulat”. Nonne et hoc verum esse ipse Cicero consentire debet? Ergo quaedam a te commemorari postulat causa, cupit reus, cur ea silentio praeteris, optime omnium patrone? An quia tibi non *libet* commemorare? Hoccine est defendere, quidquam quod reo forsitan salutem afferre possit inusitatum relinquere, quoniam id tibi iucundius est? At non de tua hic agitur voluptate sed de P. Quinctii vita famaue. Audite mihi bonum Manutium haec annotantem: „non solum ea me cupit dicere, sed etiam *commemorare*, id est copiose dicere. Ego autem ne dicam quidem, quia necesse non est”. Unde enim petitum istud est *commemorare* esse „copiose dicere”? Et *necesse non esse* ait; reclamat ipse Cicero: „causa postulat”. Denique prorsus contrarium hic requiritur, quod lenissima quidem obtinere coniectura possumus particula *non*, quae toties excidit, restituenda; sed „non commemorare” mihi iusto videtur languidius. Scripsisse videtur Cicero *omittere* quod aut calami lapsu aut oculorum errore facile in *commemorare* abire potuit. Sic quod ad sensum attinet, flosculum obtinebimus, qui Ciceroni est in deliciis. Omnibus modis notare, prosternere, profigare perfidum et sceleratum Quinctii poterat adversarium Cicero, sed „omitte ista” clamabat Quinctius homo lenis placidusque, de sola salute sua sollicitus, vindictae minime appetens. Dabo duos locos ex oratione prorsus diversa, sed ubi eodem modo Cicero dum suam defendit rationem simul hominem quem defendit tamquam exemplum pudoris et verecundiae legentibus audientibusque proponit:

*Pro Cluentio* § 17 sq. Sassia quanta sit in filium suum usa crudelitate copiosa oratione Cicero demonstravit. Tum sic pergit:

„Quae hoc tempore sileret omnia (Cluentius) atque ea, si oblivione non posset, tamen taciturnitate sua tecta esse pateretur, sed vero sic agitur ut prorsus reticeri nullo modo *possit* (l. possint)”

1) Sic Baiterus, rectius quam Hotomannus *nam tametsi*.

demonstratque omnia illa capitis pericula quae adeunda fuerint Cluentio a matre eius orta esse, totumque locum concludit hisce:

„Haec nisi omnia perspexeritis in causa, temere illam a me appellari putatote; sin erunt et aperta et nefaria, Cluentio ignoscere debebitis, quod haec a me dici patiat; mihi ignoscere non deberetis, si tacerem.”

Et eiusdem orationis § 145:

potuisse se paucis defungi verbis Cicero dicit et tamen certissimam reo afferre salutem, si eum non *facto* sed *lege* defendere voluisset, hoc est si, ommissa quaestione fecissetne an non fecisset Cluentius id quod insimularetur, hoc unum demonstrasset ad illum, utpote equitem Romanum, non pertinere legem qua in iudicium esset vocatus, quoniam ea soli senatores tenerentur, idque se ipsi Cluentio significasse:

„atque ille me orare atque obsecrare coepit ne se lege defenderem. Cum ego quae mihi videbantur dicerem, traduxit me ad suam sententiam; adfirmabat enim lacrimans non se cupidiorum esse civitatis retinendae quam existimationis. Morem homini gessi et tamen idcirco feci — neque enim id semper facere debemus — quod videbam per se ipsam causam sine lege copiosissime posse defendi. Videbam in hac defensione plus dignitatis, in illa qua me hic uti noluit minus laboris futurum; quodsi nihil aliud esset actum nisi ut hanc causam obtinerem, lege recitata perorassem.”

Simul nunc vides in iis quae huic loco, praefandi causa praemittit Cicero:

„In hominis honesti *prudentisque* iudicio non solum meo consilio uti consuevi, sed multum etiam eius quem defendo et consilio et voluntati obtempero” me non temere pro *prudentisque* proposuisse *prudentisque*.

IV, 15 „Cum aeris alieni aliquantum esset relictum, quibus nominibus pecuniam Romae curari oporteret.”

Haec sic sunt accipienda ut ea pecunia dicatur Romae adesse debuisse; illam ergo in provincia conficere vult Quinctius. Illustrandi causa haud illepide afferri potest Phormionis Terentiani initium:

Amicus summus meus et popularis Geta  
 Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula  
 Iam pridem apud me relicuum pauxillulum  
 Nummorum: id ut conficerem; confeci: adfero.

Ruri bonus ille Davus, cuius in pecunia eadem fuit fides quae  
 Quinctii nostri, illos confecit nummos ut ad tempus adessent  
 in urbe.

Continuo haec adduntur:

„auctionem in Gallia P. hic Quinctius Narbone se facturum  
 esse proscibit”.

Quis unquam nomina sic disposuit, vel potius perturbavit:  
 „in Gallia . . . Narbone” isto „P. hic Quinctius” interiecto, et  
 quis mortalium hanc orationem auditorus lecturusve docendus  
 etiam erat Galliae esse urbem Narbonem? Exime istud *in Gallia*,  
 pristinus erit lepidissimae narrationi redditus nitor.

IV, 16 „Credidit Quinctius eum (sc. Naevium) qui orationem  
 bonorum imitaretur facta quoque imitaturum”. De illo contra  
 artem logicam vitio quo orator scriptorve omnia affectum suum  
 significantia vocabula coacervans revera semet ipsum confutat  
 sed minus accurate rem considerantibus adversarium profigiare  
 videtur, vide quae Fridericum Pollium secutus disputavi *Analec-*  
*lis Taciteis* q. 21 sqq.

V, 19 „Negat se (Naevius) alia ratione facturum; quod pro-  
 misisset, non plus sua referre, quam si, cum auctionem ven-  
 deret, domini iussu quidpiam promisisset”.

Contendit ergo Naevius dissolutam esse societatem, nam sic  
 loquitur: „promisi socius; nunc socius tuus iam non sum, ergo  
 istud promissum ad me non pertinet”. Hoc bene tenendum ut  
 sequentia possis intelligere.

V, 22 „Cum aliquantum temporis in ea re [esset] consumptum  
 neque quicquam profectum esset”. Ciceronis esse hanc verbi  
 eiusdem repetitionem ingratissimam non credo.

V, 24 Roma Quinctius cum Albio amico in Galliam profi-  
 ciscitur; obvium habent L. Publicium Naevii familiarem

„qui, ut Romam venit, narrat Naevio, quo in loco viderit Quinctium. Quod nisi ex Publicio narratum Naevio esset, non tam cito res in contentionem venisset. Tum Naevius pueros circum amicos dimittit”.

Hae fere traditae sunt ineptiae. Clarkius partim codicum ope partim e coniectura Ravii egregiam hanc exhibet lectionem:

„qui, ut Romam venit, narrat Naevio quo in loco viderit Quinctium. Quod ubi ex Publicio audivit, pueros circum amicos dimittit”.

Videtur hic insigni exemplo quantopere et in hac oratione grassata sit sciolorum importunitas. Neque difficile dictu est quid eos moverit ut tam audacter in hunc locum facerent impetum: pro ū (ubi) lectum erat n̄ (nisi). Hinc illae lacrimae.

VI, 25 „Tabulae maxime signis hominum nobilium consignantur”.

Sic nunc editur. Quid istud *maxime* sibi velit rogo; an pro *praecipue* dictum censeamus? Num et alibi eum habet sensum? Alteram lectionem *maximae* sic illustrat Manutius: „testium plurimorum nominibus refertae”. Nescio an recte. Certe ἡθικώτατον istud *maximae*. Egrege enim depingit Naevii pertinacem crudelitatem. Ciceronisque indignationem contemptationis plenam. Videre tibi videris Naevium, hominem omnis expertem humanitatis, omnem moventem lapidem ut socio, viro humanissimo, noceat. (Vernacule verte: „geduchte papieren”).

VI, 26 Bona Quinctii proscribi Naevius iubet; tum

„libellos Sex. Alfenu procurator P. Quinctii, familiaris et propinquus Sex. Naevii deicit; servolum unum, quem iste prehenderat, abducit; denuntiat sese procuratorem esse; istum aequum esse famae fortunisque P. Quinctii consulere et adventum eius exspectare”. *Libellos deicere* quid esset quaesivi, sed non inveni. Nusquam enim alibi legi ea formula videtur. Annotat Manutius: „proscriptionis bonorum Quinctii, publice propositos a Naevio”. Vehementer dubito et propter orationem (aut enim istud „a Naevio propositos” erat addendum, aut non possumus non cogitare de quibusdam libellis ab ipso Alfeno compositis) et propter ipsam rem quae narratur. Quid enim? Procuratorem

se esse Quinctii declarat Alfenus neque declarat solum sed etiam eius rei dat documenta disertissima: Quinctii gerere negotium palam incipit. Neque solum procuratorem se esse declarat sed et viri probi integrique, qui iacturam facere, hoc est praedia sua vendere, malit quam quidquam cuiquam debere (cf. nostrae orationis § 21 et Cat. II § 18). Ergo *libellos deicere* equidem suspicor esse: „*voluntariam* proscribere praediorum venditionem” neque cur id ita dicatur latet in tenebris. Conficiuntur enim libelli in quibus et ipsa praedia et conditiones quibus veneant accurate perscribuntur, eique *deiciuntur* in mensas argentariorum et in omnes locos quo convenire solent homines opulentiores pecuniam suam recte ponere studentes. Cf. § 61.

VI, 28 Haec dum Romae geruntur, Quinctius interea contra ius, consuetudinem, edicta praetorum de saltu agroque communi a servis communibus vi detruditur. Existima, C. Aquili, modo et ratione omnia Romae Naevium fecisse, si hoc, quod per litteras istius in Gallia gestum est, recte atque ordine factum videtur.”

Insigni exemplo hic locus docet egregie sponsonem illam praeiudicalem Romanorum respondisse moribus ingenio iudicio Nam reputa quam sit a nostro scribendi dicendique usu remotus eiusmodi *flosculus oratorius* quo legentes audientesque pignore provocantur. Simile aliquid et fortasse disertius habes Verr. I § 12:

„Hoc in illo maiestatis iudicio si licuisse sibi ostenderit, ego oportuisse concedam”.

Sponsonem hic quoque facit orator seque ad quidvis perpetuandum paratum declarat nisi audientibus persuaserit.

Sic pergit narrare orator:

„Expulsus atque eiectus e praedio Quinctius, accepta insigni iniuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in provincia. Quem, ut ipsius dignitas poscit honoris gratia nomino”.

Saepe formula illa „quem honoris causa nomino” Cicero in orationibus utitur. Quae quid sibi velit nullus locus disertius quam hic declarat. Omnino sic temere se nominari nolunt homines suae sibi dignitatis conscii; tum vero vel maxime metuendum est ne illud aegre ferant, si eo fit loco ubi de impro-

borum agitur fraudibus sceleribusque; periculum enim est ne videatur eos *αἰτίας ἀναπιπλάναι* orator. Haud ergo inepte mihi hunc locum sic vertisse videor (nam totius orationis lepidissimae interpretationem composui vernaculam; profecto magnus ille fuit labor!):

„uit zijn bezittingen verdreven, neen er uit gesmeten, neemt mijn zwaar verongelijkte client zijn toevlucht tot generaal C. Flaccus, die daar toen met zijn leger stond. Ik hoop Z. H. E. G. niet te compromitteeren dat ik hem in dit verband noem.”

VIII, 30 „Iste homo acerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor annum et sex menses quiescit, condicionibus hunc quoad potest producit: a Cn. Dolabella denique praetore postulat e. q. s.”.

Nonne venustissime structa hic omnia? Inserere ante *quiescit* id quod codices habent *nihil petit*, omnis peribit venustas. „Nihil petit, quiescit” quam inepte! „Nihil petit”: qui potest si simul „condicionibus producit”?

ib. „Decernit (Dolabella praetor): „quam aequum nihil dico; unum hoc dico „novum”; et hoc ipsum tacuisssem malle, quoniam utrumque quivis intellegere potuisset: [iubet] P. Quinctium sponsonem cum Sex. Naevio facere e. q. s.”

Longiorem exscripsi locum quo melius intelligeretur istud *iubet* hic prorsus ferri non posse.

VIII, 31 „Dolabella, quem ad modum solent homines nobiles: seu recte seu perperam facere coeperunt, ita in utroque excellent ut nemo nostro loco natus adsequi possit, iniuriam facere fortissime perseverat.”

Accurate haec tecum perpende: in mentem tibi venient nobilissimi illi Racinii versus:

non merui nimios mihi quos largiris honores,  
oppobriumve istud nimium.

Quis enim tam acerbus unquam fuit adversarius nobilium ut eos in male faciendo, quis tam servilis eorum laudator ut in recte faciendo ceteris praestare mortalibus contendere auderet? Certe a Ciceronis indole et mente utrumque quam maxime alienum.

Quodsi tamen hic aliquid eum dixisse credimus quod ipse falsissimum esse probe nosset, quid istud ad rem praesentem pertinet? An qui Quinctio iniuriam facere fortissime perseverat is omnes Marios et Saturninos improbitate et saevitia vincit? Ecce quid et quomodo scripserit Cicero:

Dolabella, quemadmodum solent homines nobiles seu recte seu prave facere coeperunt, iniuriam facere fortissime perseverat.

Hoc est verissimum: multo est difficilius hominem nobilem, qui semel prave facere coepit, quam hominem de plebe a proposito suo abducere; contra et hoc sua iis praebet nobilitas ut magis quam ceteri omnes recte facere et possint perseverare et quid proavis suis debeant memores velint cupiantque. Simulque intelligis pravam distinctionem primariam fuisse causam cur hic sciolus quidam suum commentum obtruderet legentibus.

X, 36 „Haec tria cum docuero peroraro”.

Docet et hic et multis aliis locis *futurum exactum* quid sit „perorare”. Est enim: „ad finem perducere demonstrationem quae argumentis nititur certis”. *Postquam peroravit* causarum patronus, tum demum sequitur illa misericordiae similibusque affectibus movendis apta clausula, quam Francogalli „péroraison” appellant.

XI, 37 Sic Naevium alloquitur orator:

„Doce te petisse ab eo istam nescio quam innumerabilem pecuniam”.

Certam sibi pecuniam a Quinctio deberi Naevius ne mentiri quidem unquam sustinuit, quoniam semel pecunia certa nominata debitor extricare se molestiis conabitur saltem. At Naevius Quinctium iudicio impediri voluit. Certe sic Naevii consilium isto „innumerabilem” orator depingit.

XI, 39 *Ut fit: ἡθικώτατα*. Nos: „we kunnen 't ons zoo voorstellen” cf. pro Mil. § 28 et 54.

XII, 40 *Sexte*: „gaudent praenomine molles auriculae” Hor. S. II, 5, 32.

XIII, 43 „Tum denique *vocem* accusatoris audiat”: egregie sic depingitur conditio Quinctii insolita miseraque.

XIV, 48 „Quid igitur demonstrat!” Invito Cicerone haec interiecta arbitror.

XV, 49 Extrema miseria ad quam Naevii crudelitas redegit Quinctium sic demonstratur:

„Pecuniam si cuipiam fortuna ademit aut si alicuius eripuit iniuria, tamen, dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem: at non nemo aut ignominia adfectus aut iudicio turpi convictus bonis quidem suis utitur, alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat, [hoc tamen in miseriis adiumento et solacio sublevatur]. Cuius vero bona venierunt, cuius non modo illae amplissimae fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praeconem cum dedecore subiectus est, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur”.

„Uncinis inclusi pannum assutum, quo sententia ponderosa fit languida. Et recte *honestas egestatem consolari* dicitur, inepte „divitiae consolantur ignominiam infamiamque”. *Miseriae* vero istius hominis nullae sunt, ut neque Marii illius apud Iuvenalem:

Damnatus inani

Iudicio (quid enim salvis infamia nummis?)

Exul ab octava Marius bibit et fruitur dis

Iratis, at tu, victrix provincia ploras.

Considera praeterea illa „iudicio turpi convictus”: *meruit* ergo ignominiam.

Adduntur etiam haec:

„Etenim mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat: [at] vita turpis [saepe] ne morti quidem honestae locum relinquit”.

Ista *at et saepe* nollem a Kaysero inserta. „Qui in turpitudine vivit” ait „ne mortem quidem sibi consciscendo vitat ignominiam”. Certe hanc esse turpitudinis naturam hic contendit, nam „non relinquit” est idem quod „adimere studet”. Tradita ergo lectio iam satis est absurda: speciosa sunt vocabula quae



semet ipsa refutant. Quid sibi Clericus suo *vita ita* voluerit, quod Clarkius in textum recepit (hoc uno, ut opinor, motus argumento quod probabilitatem habeat palaeographicam) prorsus me fugit. Lambini vero *existimatio turpis* ne latinum quidem videtur.

XV, 50 Sic locus hic concluditur:

„Ergo hercule, cuius bona ex edicto possidentur, de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem tacite obscureque conceditur; cui magistri fiunt et domini constituuntur, qui qua lege et qua condicione pereat pronuntient, de quo homine praeconis vox praedicat et pretium conficit, huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur, si funus id habendum est, quo non amici convenerunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores [ut carnifices] ad reliquias vitae lacerandas et distrahendas”.

Egregia haec omnia, dummodo cum Kaysero ista *ut carnifices* deleamus. In textum reduxit Clarkius. Profecto magnos ista ratione ars nostra hac aetate iam fecit progressus atque etiã factura est! Omnino Kayseri editio documento est quam impudenter et in aliis orationibus et in hac grassata sit sciorum temeritas. Unum dabo exemplum quod, ut opinor, meis ἀθετήσεων haud parvum praebet adiumentum § 45: „qui quo tempore primum [male] agere coepit in vadimoniis differendis tempus omne consumpserit”. Ἀτὰρ οὐ τέλος ἔκετο μύθων Kayserus. Egregia dicebam haec omnia. Ut cetera mittam: quam acerbum est illud ἀπροσδόκητον *pereat* prò *vivat*, quam facunde dictum est illud „de quo homine . . . pretium conficit” ut non bona venire videantur sed ipse homo. Sed est praeterea hic locus utilissimus, utpote quae denuo nos doceat id quod iam pueri didicimus, nunc vero ignoramus, certe dediscere iubemur. Olim enim nemo tam erat ignarus quin *sector* quare sic diceretur sciret. Haec enim nobis a magistro dictari memineramus: „*sector* quia *secat*. Bona enim damnati vel proscripti universa veneunt et parvo solent addici pretio, nam quodammodo simul veneunt debita. Universa autem ista emptor in multas dividit partes quas quam maximo cum lucro revendat aliis. Mirum non est vulgo male audisse illud negotium, nulla enim esse solet in

pristini domini memoriam novi domini pietas rem facere studentis neque quidquam aliud. Ciceroni in Antonium omne contumeliae genus proferenti hoc acerbissimum videtur convicium *sector Pompei*”.

Quidquamne vel excogitari potuit quod illa esset explicatione verisimile et probabile magis? Tamen nunc sordet ea, immo vero odio esse videtur viris doctis: quidvis enim de suo („id est de nihilo” Cobetus aiebat quoties in eiusmodi incidebat lucubrations) comminisci malunt quam antiquae illius explicationis vel obiter mentionem facere. Alii *secandi* verbo eam tribuunt vim quam neque habuit unquam neque potuit habere, alii ad *sequendi* confugiunt verbum, sectoremque affirmant esse *secutorem*. Quam multas iam hac aetate de uno illo verbo conscriptas legi paginas! Legi autem? Immo adspexi. Ingenue enim fateor me, simulatque novam aliquam ex eo genere legere incipio commentationem, in densis mihi versari videri tenebris, unde nullo modo me extricare possim. Ergo nunc res eo recidit ut cur sector sic dicatur prorsus ignoremus quandoquidem inde petere lucem vetamur ubi fulget illa splendetque. At mihi potior est M. Tullius quam omnes novicii tenebrarum auctores. Is vero lucidam facem nobis praefert, unde et lumen suum accenderat magister ille, quo pueri eramus usi. Nonne enim is cum dicit: „si funus id habendum est, quo non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas sed bonorum emptores ad reliquias vitae lacerandas et distrahendas”, dum ipsum *sectoris* nomen reticet, „sector quia secat bona” clamat?

XVI. 51 „Haec in homines alienissimos, denique inimicissimos viri boni faciunt”.

Ut vocabulo *denique* sua sibi constet ratio, sumendum est post *alienissimos* excidisse *ignotissimos* aliudve vocabulum in eandem sententiam.

XVII, 54 Enumerantur quae viro bono, cui amicus vadimonium non obiit, sint facienda priusquam bona eius proscibat:

„primum exspectare, deinde . . . quaerere quis procurator sit e. q. s.”.

Naevius ita egit tamquam si constaret nullum a Quinctio

Romae relictum procuratorem. Haec eius fuit iniquitas. Si boni viri officio fungi voluisset, rogasset non *quem* procuratorem Quinctius reliquisset, hoc enim ad rem nihil attinebat, sed nulumne an tamen aliquem. Lege ergo *ecquis* pro *quis*.

XVII, 55 Loquens ita inducitur ipse Naevius:

„Viderint ista officia viri boni: de me autem ita considerent: non quid habeam, sed quibus rebus invenerim quaerant et quem ad modum natus et quo pacto educatus sim.”

Nisi omnia me fallunt, post *considerent* excidit aliquid. Parum enim apte post nudum istud verbum nova infertur interrogatio.

XVIII, 57 „Vereor mehercule ne aut gravioribus utar verbis, quam natura fert, aut levioribus quam causa postulat”.

*Natura*; quanam? patroni, an rei an causae? Excidisse opinor *rei*, quod post syllabam *ra* facile excidere potuit. Rectissime enim inter se opponuntur *res* et *causa*.

Statim sic pergitur:

„Ais esse vadimonium desertum. Quaesivit a te statim, ut Romam rediit, Quinctius, quo die vadimonium istuc factum esse diceres. Respondisti statim: Nonis Februariis. Discedens in memoriam rediit Quinctius, quo die Roma in Galliam profectus sit. Ad ephemeridem revertitur: invenitur dies profectionis, pri-die Kal. Februarias. Nonis Februariis si Romae fuit, causae nihil dicimus quin tibi vadimonium promiserit. Quid? hoc inveniri qui potest?”

tum demonstratur eo tempore Quinctium Romae non fuisse.

Luce clarius esse opinor huius loci non esse istud *inveniri* sed inepte e praecedentibus esse repetitum. Nam alio hic verbo opus est. Requiritur aut „non ita fuisse demonstrari qui potest?” aut: „hoc confirmari qui potest?” ut *hoc* sit: „id quod dicit Quinctius”.

XVIII, 59 Postquam exposuit quam firmo nitatur Quinctii causa fundamento, haec exclamat orator:

„et in hac eius modi causa P. Quinctius laborabit”  
multaque alia in eandem sententiam, quae qualis sit e praemissa

vocula *et* apparet: cum gemitu enim et indignatione haec pronuntiantur. Cf. Graecum *καί*. Tum sic pergit:

„Vixit enim semper inculte atque horride e. q. s.”.

Coniunctio *enim* facit ut quo modo haec cum praecedentibus cohaereant rogemus. Equidem una litura delendam censeo, ut haec quoque misericordiae movendae causa dicta sint. Prudenter annotat Manutius: „quia non de colligenda gratia laboravit ut Naevius”.

XIX, 61 „Qui locus igitur absentis defendendi procuratori primus datus est? Cum proscribebas. Ergo adfuit; non passus est; libellos deicit [Sex. Alfenus]”.

Venustissima haec gradatio ut et ea quae sequitur: „non patitur, vi tibi adimit; curat ut domum reducatur”. Sed inserto isto *Sex. Alfenus* gradationis perit emphasis.

XX, 62 „Et audes, Sex. Naevi, negare absentem defensum esse Quinctium, cum eum *defenderit* idem qui te solebat? Et, cum is iudicium *acceperet* pro Quinctio . . . conaris hoc dicere neminem exstitisse qui Quinctium iudicio *defenderet*?”

Satisne manifestum est *acceperit* esse legendum cum „deterioribus”? Ipse Clarkius hic saltem iis praebuit aurem.

XX, 63 „Postulabam, inquit, ut satis daret. Iniuria postulabas; ita videbare; recusabat Alfenus”.

Misere isto *ita videbare* praecedentis *iniuria postulabas* vis infringitur.

ib. „Fatetur enim (Hortensius) libellos Alfenum deiecisse, vadium promisisse, iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse”.

*In ea ipsa verba* h. e.: „dummodo ne ita ut solus Quinctius satis daret”. Hoc esse videtur in sequentibus: „ita tamen, more et instituto, per eum magistratum, qui auxilii causa constitutus est” post quae excidisse haec fere videntur: „idque impetrasse”, aut § 68 nihil quo referatur habebit.

XX, 64 Iure verba „cuius procurator non omnia iudicia

quae quisque in verba postularit acceperit" inclusit Madvigius, quia his verbis remanentibus non perficit orator quod se demonstraturum promisit: „quid aliud dicere possit non reperio" (§ 63).

ib. Aut haec facta non sint aut C. Aquilius constituat C. Quinctio

„misero, absenti, ignaro fortunarum suarum omnia vitae ornamenta per summum dedecus et ignominiam deripi convenire". Quid istud „fortunarum suarum" est? Ut opinor, annotatio ad vocem *vitae*, quantocius removenda e textu, quo male intulit pedem.

XXI, 67 „Fit rebus omnibus integris [neque proscriptis neque possessis bonis] ut Alfenus promittat Naevio sisti Quinctium".

Tolle annotationem inutilem et ne accuratam quidem. Nam facere ista coeperat Naeivius, sed intercessit Alfenus.

XXI, 68 „Quid adfertur qua re P. Quinctius negetur absens esse defensus? An vero id, quod Hortensium, quia nuper iniecit et quia Naeivius semper id clamat, dicturum arbitror e. q. s."

Contradicit hic orator iis quae § 63 dicta sunt: „quid aliud dicere possit non reperio". Omnino oratio est adolescentis, qui ardore abreptus severam disputationem parum curet, dummodo omnibus modis clientem suum defendat.

XXI, 69 „An [omnis] tu istos vincere volebas, qui nunc ut tu vincas tanto opere laborant? Aude id dicere, non palam, sed ipsis quos advocasti".

Tecte hic arguitur Naeivius, eo tempore quo a partibus stabat Marianis, aut certe stare videbatur, eventum belli expectasse ut accederet victoribus, quemadmodum et fecit Verres (Verr. L. I § 35). Vides quanto ergo cum sententiae emolumento hinc istud *omnis* eximatur. Omnino cum hoc loco conferatur Verr. L. I § 39.

XXII, 70 „Postquam demonstravit invitum se tangere belli civilis historiam, sic pergit orator:

„Unum illud dico: si propter partium studium potens erat Alfenus, potentissimus erat Naevius; si fretus gratia postulabat aliquid iniquius Alfenus, multo iniquiora Naevius impetrabat; neque [enim] inter studium vestrum quidquam, ut opinor interfuit: ingenio, venustate, artificio tu facile vicisti”.

Elegantissime structa haec omnia, sed *enim* abesse debet; a vocabulo enim *neque* novi aliquid infertur. Tum facundissime totum hunc locum sic concludit:

„ut alia omittam, Alfenus cum iis et propter eos periit, quos diligebat; tu, postquam qui tibi erant amici, non poterant vincere, ut amici tibi essent qui vincebant effecisti”.

Sed quis post *omittam* addi etiam fert *hoc satis est?*

XXII, 73 „Haec est iniqua certatio, non illa qua tu contra Alfenum equitabas”. In integrum nunc restituitur, nescio quo iure postliminii revocata, absurda haec lectio quae per multa exsulavit saecula. *Equitabas*: quae est ista metaphora? Restitue vetustam emendationem *velitabare*, simulque accurate quo sensu illud dicatur observa. „Haec” ait „est iniqua certatio, non illa qua tu contra Alfenum *velitabare*; huic ne ubi consisteret quidem locum *reliquisti*”. Cur istud imperfectum inter praesens et perfectum? Quia eo non significatur Naevii contra Alfenum *in iure* concertatio sed argumentum quo solet uti Naevius in suis de tota causa sermonibus (v. § 68 „Naevius *semper* id clamitat”) et quo nuper quoque utebatur. Ista enim „illa (certatio) qua tu contra Alfenum *velitabare*” paulo liberius hoc sensu dicta sunt: „istud tuum argumentum leviusculum non fuisse tibi cum Alfeno *pærem* certationem”.

ib. „Quare aut doceas e. q. s.”. His verbis praesertim abruptum orator disputationem et ad novam transit. Est ergo *quare* i. q. *denique*, vel „ut paucis verbis quae hactenus dixi comprehendam”, vernacule: „kort en goed”.

XXIII, 73 sqq. „Habuit” ait orator „Quinctius complures creditores, quorum tamen nemo ut eius bona possideret postulavit”. Tum sic pergit: „unus fuit, adfinis, socius, necessarius, qui, cum ipse ultro deberet, quasi eximio praemio sceleris ex-

posito cupidissime contenderet ut . . . propinquum suum communi luce privaret”.

Nota *ultro* quo maior fieret emphasis huc traiectum; sententia enim postulat ut cum *contenderet* iungatur; deinde delibera ipsene Cicero *exposito* scripserit an librarius, cui *Ἐναυλον* esset *eximio*, sic *proposito* corruerit. Denique considera quam inepte hic robustae orationis nervos inciderit qui primus post *necessarius* inseruerit *Sex. Naevius*.

XXIII, 75 „Unum hic additamentum sustulit Kayserus praeeunte Madvigii e quo totus ille morbus, qui et aliis orationibus et huic tam fuit funestus, egregie cognoscatur. De testibus, quos Naevius parat, et alia dicit orator et haec:

„Unum tamen hoc cogitent, ita se gravis esse, ut, si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere; si eam neglegere, ut omnes intellegant non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adiuvere”.

Repetitur hic *ut* e praecedentibus quo melius cohaereat oratio; quod non intelligens sciolus post *si eam neglegere* inseruit *ita leves sint*, quo efficitur ut nullus hinc sensus, nedum aptus sensus, extorqueri possit. Clarkius Madvigianae emendationis mentionem quidem facit. En novam textus procurandi rationem! Nonne ergo praestat nullas iam conficere editiones sed exemplis phototypicis contentos esse iubere homines?

XXIV, 76 „Emisti bona Sex. Alfeni L. Sulla dictatore vendente; socium tibi in eis bonis edidisti Quinctium”.

Intercessitne ergo quaedam conciliatio eo tempore de quo § 30. An mentitus est Naevius societatem illam exstare etiam?

XXIV, 77 „Diffidebam mehercule, C. Aquili e. q. s.”.

Novi aliquid hic et inexpectati subito infertur.

XXV, 78 „Tum mihi Roscius et alia multa confirmandi mei causa dixit et”

expecta nunc *hoc* secuturum sed interrumpitur orationis decursus Q. Roscii laudibus, in quibus satis iocose semet ipsum prodit iuvenis orator egregii artificis admiratione inflammatus; sic enim declamat:

„et mehercule, si nihil diceret, tacito ipso officio et studio quod habebat erga propinquum suum quemvis commoveret e. q. s.”.

Absurdum videri istud *tacito* possit, nam omne Roscii officium et studium verbis probabatur.

Tum verbo *verumtamen* eo redit unde est profectus.

Praeterea notetur repetitio verborum *solus dignus videtur* ubi *solus*, quemadmodum et Graece saepe *μόνος* adhibetur, est: „unus omnium maxime”.

ib. „Tammenne vereris ut possis hoc contra Hortensium contendere?”

Pro hoc Orellius habet *haec*. Utrumque languidum; non enim tam difficile est *aliquam rem veram esse contendere*. An sic explicandum: „*in hac re cum Hortensio contendere?*”.

XXV, 80 „Trans Alpis” (tamquam volantes) et „Pegasos”. Similiter iuvenis orator pro Roscio Amerino §§ 19 et 98 iocatur.

XXVI, 83 „Nam, per deos immortalis, si Alfenus tibi tum satis daret et iudicium accipere vellet, denique omnia, quae postulares facere voluisset, quid ageres?”

Nunquam vidi additamentum absurdius minusque tolerandum quam istud *procurator P. Quinctii* quod in codicibus post *Alfenus* legitur. An quisquam tam est tardus vel obliviosus ut ne nunc quidem sciat procuratorem Quinctii fuisse Alfenum? Tum observa verba *daret, vellet, ageres* quibus mente orator in praeteritum tempus recurrit, quod artificium mirum quantum roboris toti praebet loco. Sed infringitur istud robur verbis *facere voluisset*, quibus subito eandem rem de praesenti considerat tempore. Dele *voluisset* cum Orellio et *satisdare*. lege cum Ernesto, pristinum nitorem vigoremque oratori reddideris.

XXVII, 84 „Sponsio quae in verba facta est? Si ex edicto praetoris bona P. Quinctii possessa non sunt”.

Egregie nunc statim sic pergitur: „id quidem (sc. edictum) quem ad modum iubet possidere?” Sed ineptissime praemittitur: „redeamus ad edictum”, nam nequedum ab edicto discessit et



eiusmodi formulae tum demum recte ponuntur, si statim post illas verba edicti, legis al., citantur. Continuo sequitur: „cognoscamus edictum” quo magis etiam fit intolerabile istud „redeamus ad edictum” praecedens et de recto eiusmodi formulae usu edocemur; sequuntur enim ipsa edicti verba. Sed et eximenda quaedam sunt ex hisce:

„Numquid est causae, C. Aquili, quin si longe aliter possedit quam praetor edixit, iste ex edicto non possederit, ego sponsione vicerim?”

Audio: si Naevius non possedit ex edicto, non possedit ex edicto. Ita enim nunc nugans inducitur optimus orator. Dele mihi insulsa ista: „iste ex edicto non possederit”.

XXVIII, 87 *Calumniatorem* non eum tantummodo dici qui in *accusando* fraudulentè agit sed omnino quemvis iuris legumque contortorem insigni exemplo hic locus docet; apparet enim a calumniatore etiam *defendi* hominem posse.

XXIX, 88 „Postea sum usus adversarii testimonio, qui sibi eum nuper edidit socium, quem, quo modo nunc intendit, ne in viverum quidem numero tum demonstrat fuisse”.

Egregie hic locus, sed praesertim istud *intendit* festivissimam Eunuchi Terentiani illustrat scenam, qua nobis proponitur adolescens rusticanus qui, nuper in urbem delatus, omne metuit periculi genus, sed praeter ceteris calumnias et circumscriptiones hominum in foro versatorum. Fortasse non poenitebit relegere quae de ea scena scripsi *De Terentio et Donato* p. 40 sqq. et praesertim ad vs. 529; tam enim est subtilis illius scenae lepor ut facile possit aliquid legentem fugere.

XXIX, 89 „Dixi domum (Quinctio) Romae fuisse, quo iste ne aspirarit quidem, servos compluris, ex quibus iste possederit neminem”.

Additur his etiam „ne attigerit quidem” utique delendum, utpote quod neque verum esse cum tota demonstrarit narratio (v. § 27 et 61) tum demonstret quod sequitur „unum fuisse quem attingere conatus sit”, et ingratis loci structuram perturbet.

XXX, 93 *Ad voluntatem loqui. Graece πρὸς χάριν λέγειν.*

XXXI, 99 „Itaque hoc te obsecrat, C. Aquili, ut, quam existimationem, quam honestatem in iudicium tuum prope acta iam aetate decursaque attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre”,

Istud *ei* utcumque defendi potest conferendis *hoc et huius* § 91, *ei* § 88, *is, eius* hac §. Abesse tamen melim.

ib. „Te obsecrat . . . ne ornamentis eius omnibus Sex. Naevius pro spoliis abutatur, ne per te ferat quominus, quae existimatio P. Quinctium usque ad senectutem produxit, eadem usque ad rogam prosequatur”.

Verbi *ferat* subiectum *Quinctium* facit Manutius, ut recte vereor propter *P. Quinctium* quod statim sequitur. Equidem *ne per te ferat* potius sic accipio ut fere sit: „ne Naevius hoc a te impetret”.

#### AD PLUTARCHI DE SERA NUMINIS VINDICTA

p. 548 A *Τοιαῦτα μὲν δ' Ἐπικούρειος* (Fabricius et Hartman, codd. *Ἐπικούρος*) *εἰπών, ὃ Κύντε, . . .*

*Κύντε* Reiske correxit pro *Κύνιε*, quod omnes codices habent. Patzig vero ratus Plutarchum opus dedicavisse T. Avidio Quieto, viro amicissimo, ad quem una cum fratre T. Avidio Nigrino alterum opus de Fraternali Amore sit — qua in re cum Wyttenbachio faciebat vir doct. — proposuit Quaest. Plut. p. 48. *Κυητέ* eique assensus est vir ille doct. qui Bull. Corr. Hell. 1897 p. 156 inscriptionem Delphis repertam edidit; Hartman quoque de Plut. script. et phil. p. 329 pro *Κύνιε* restituit *Κυητέ*. Cum autem e Plutarchi scriptis argumentum quamvis tenue afferri non possit eundem virum fuisse cui utrumque opus dedicatum sit, praestiterit liniorem medicinam huic loco adhiberi.

J. H. W. STRIJD.

## AD PERSII S. I VS. 6.

Ecce iterum accedo ad versus:

non, si quid turbida Roma  
elevator, accedas, examenve improbum in illa  
castiges trutina, nec te quaesiveris extra

sed nunc de uno adiectivo *improbum* disputo. Age, si qua trutina dolo malo corrupta est adulterataque, num iure *examen* vituperatur? Non opinor: examen tam huius trutinæ quam bonarum trutinarum omnium aequilibrium indicat; hoc eius est officium atque sedulo fungitur eo. Sed fac in examen convenire eandem contumeliam quæ in totam convenit trutinam, num recte illa adiectivo quod est *improbus* significatur? Minime me iudice. Legitimum hic est vocabulum *iniquus*, quemadmodum vs. 130 habemus *heminas iniquas*, sed nemo unquam heminas dixerit *improbas* vel trutinam *improbam*. Improbus est et improbe agit *homo* qui plus sibi arrogat quam concedi ei æquum est, præsertim vero is qui suam in alium vel in aliquam rem reiicit culpam, quemadmodum est in notissimo Syri versiculo:

improbe Neptunum accusat qui iterum naufragium facit  
qui hic quam maxime est appositus, nam hic quoque cum homine nobis res est qui suæ levitatis culpam reiicit in aequilibrii indicem. Non tamen *improbè* (adv.) scripsit Persius, quod fortasse vitiosam, certe ingratisimam daret synizesim, sed *improbè*, liberiore illo vocativi usu quem et vs. 123 habes:

audaci quicumque afflate Cratino . . . palles

et III, 28 sq.

Stemmata quod Tusco ramum millesime ducis  
Censoremve tuum vel quod trabeate salutas.

Nolim enim putare hic evenisse Persio quod interdum accidit poetis parum exercitatis ut metro coactus vim faceret enuntiationi. Quod tamen unicum sit effugium ei qui utcumque traditam velit defendere lectionem.

J. J. H.

# AD PLUTARCHI DE SERA NUMINIS VINDICTA.

SCRIPSIT

J. H. W. STRIJD.



ad p. 548 C. ἡμῶν δ' ἀμύνασθαι μὲν οὐδὲν ἔργον ἐστὶ δῆπου τοὺς ἄτοπον ἢ ψευδῆ λόγον εἰς ἡμᾶς ἀφέντας, ἀρκεῖ δὲ αὐτοῖς πρὶν ἄψασθαι τὴν δόξαν ἂν ἐκβάλλωμεν.

Verba quae in codicibus leguntur mendose tradita esse neminem fugit, itaque alius alio modo sanare studebat. Quorum conamina, cum Bernardacis plura atque maiora in editione sua communicaverit, enumerare supersedeo. Mendum, si quid video, unum solum latet in vocabulo αὐτοῖς, quod si mutaveris in πάντως omnia recte sese habebunt.

ad p. 549 B. οὐ γὰρ ἄλλα δῆπου, ταῦτα δ' αὐτὰ τοὺς κακοὺς εἰκός ἐστιν ἑαυτοῖς διακελευομένους καὶ παρεγγυῶντας ἐπιχαιρεῖν τοῖς παρανομήμασιν, κ.τ.έ.

Pro ἐπιχαιρεῖν in vetustioribus editionibus legitur ἐπιχειρεῖν, quod haud scio an reponendum sit; sententiae certe aptius est. Versus enim, quos Plutarchus laudavit:

οὔτοι προσελθοῦσ' ἢ Δίκη σε, μὴ τρέσης,  
παίσει πρὸς ἦπαρ οὐδὲ τῶν ἄλλων βροτῶν  
τὸν ἄδικον, ἀλλὰ σῖγα καὶ βραδεῖ ποδὶ  
στείχουσα μάρψει τοὺς κακοὺς, ὅταν τύχη,

homines scelestos non tam hortantur ut facinoribus commissis laetentur quam ut committant. Cf. etiam quae sequuntur.

ad p. 553 C. μυρίας γὰρ Ἴφίτου βοὺς καὶ ἵπποι; ἀπολέσθαι κρεῖττον ἢν Φωκεῦσι καὶ πλείονα χρυσὸν ἐκ Δελφῶν οἶχεσθαι καὶ ἄργυρον ἢ μήτ' Ὀδυσσεά μήτ' Ἀσκληπίον Φῦναι, κ.τ.έ.

Annotavit Wyttenbach: „Quid Ulyssi cum Iphiti bovis, quos ab Hercule abactos esse constat? Error videtur esse aut librarii aut ipsius Plutarchi et pro Ὀδυσσεά legendum Ἡρακλέα aut Ἡρακλῆν.” Quae non scripsisset vir doctissimus, si Apollodori memor fuisset; is enim tradit Biblioth. 11. 129: μετ' οὐ πολὺ δὲ κλαπείσῶν ἐξ Εὐβοίας ὑπὸ Αὐτολύκου βοῶν, Εὐρυτος μὲν ἐνό-

μιζεν ὕφ' Ἡρακλέους γεγονέναι τοῦτο, Ἴφιτος δὲ ἀπιστῶν ἀφικνεῖτο πρὸς Ἡρακλέα κ.τ.έ.

Duplex igitur de armentorum raptu memoria erat: alii Herculem ea surripuisse tradiderunt, alii Autolycum Ulyxis avum maternum; hos Plutarchus secutus est.

Idem Apollodori locus ansam praebet ad tollendum vitium, quod, quantum scio, omnes viros doctos fugit. Cum Plutarchi fons Autolycum armenta ex *Euboea* surripuisse tradat, quis non videt eum pro Φωκεῦσι scripsisse Εὐβοεῦσι?

ad p. 557F. ἴσως, ἔφην ἐγώ, καὶ τοῖς σφόδρα πυρέττουσιν, ἐὰν θ' ἐν ἰμάτιον ἐὰν τε πολλὰ περιβεβλημένοι τυγχανῶσι, ταῦτὸ καῦμα καὶ παραπλήσιον, ὅμως δ' εἰς παραμυθίαν ἀφελεῖν τὸ πλῆθος.

Bernardacis, cum recte offenderet in infinitivo ἀφελεῖν, minus recte in δ' εἰς vitium latere ratus, tentat ὅμως δέον εἰς aut ὅμως δ' εἰκός εἰς; Richards Class. Rev. 1915 p. 236 proposuit εἰς παρ. <χρήσιμον> ἀφ. vel εἰς παρ. ἀφ. <ὠφελεῖ.> Tu lege ἀφελεῖν <δεῖ>.

ad p. 561 A. ἀλλ' ὡς μὲν ἐκεῖ καθ' ἑαυτὴν οὔσα (sc. ἡ ψυχὴ) κομίζεται τῶν προβεβιωμένων χάριτας ἢ τινὰς κολάσεις, οὐδὲν εἰσι πρὸς ἡμᾶς τοὺς ζῶντας, ἀλλὰ κ.τ.έ.

Wytttenbach pro ἢ τινὰς κολάσεις coniecit καὶ τιμὰς ἢ κολάσεις, quam coniecturam Bernardacis calci editionis adscripsit addens: „malim ἢ τιμὰς τινὰς καὶ κολάσεις”. At si quis τινὰς sanum esse putat atque retinet, nullam causam habet, cur vocabulum aliquod inserat. Ego, ut in re minime certa, pro ΤΙΝΑΣ legendum censeo ΤΙΝΕΙ, cf. τιμωρίαν τίνειν p. 554 D, vel pro ΤΙΝΑΣ ΚΟΛΑΣΕΙΣ: ΠΟΙΝΑΣ ΚΟΛΑΣΘΕΙΣ'. ποινή saepius apud Plutarchum legitur, cf. Indicem Plutarcheum, quem Wytttenbach composuit.

ad p. 561 B. ὅτι δ' οὐκ ἔστιν ..., καὶ ὅτι ψυχὴν ... οὐδεὶς ἂν ἀναπέσειεν (Emper restituit pro ἀγαπήσειεν) αὐθις ἐπὶ ταῖς τοῦ Διὸς τιμαῖς ἄδικον γενέσθαι καὶ ἀκόλαστον, ἔχω μὲν τινα καὶ λόγον εἰπεῖν, ὀκνῶ δέ κ.τ.έ.

Pro καὶ λόγον legatur καλὸν λόγον, cf. Plat. Gorg. p. 523 A, ubi Socrates fabulam de inferis hisce verbis narrare incipit: ἄκουε δὴ, Φασί, μάλα καλοῦ λόγου.



adiectus est, nimirum aetatem illam indicat qua dentes excidere incipiunt atque ad folia piperis sirihii manducanda altero ore Indus vehementer eget, mortario scilicet, cuius vice pars tubuli sclopeti vulgo fungitur, in quo bacillum pro pistillo sursum deorsum moveri solet.

Cum autem altero illo ore plerumque prius homini opus sit quam crure tertio, sane fieri possit ut cui scrupulum inicit ratio qua Indi exemplum Graecum amplificaverunt, utpote qua gradatio pereat et concinnitas aliquid detrimenti capiat, at vero mihi satis curiose per alias scholas in ea regione inquirenti forma aenigmatis semper et ubique eadem apparuit.

S. Freud v. cl. contendit, fabulam Oedipodis, qui patrem occidit et matrem uxorem ducit, exemplum classicum esse desiderii cuiusdam infantilis haud multum adhuc reformati.

Eiusmodi fabulae in India quoque circumferuntur, sicut in Babad Tanah Djawi legimus, quomodo Watoe Goenoeng, qui matrem suam imprudens in matrimonium duxit, ad rei impiae notitiam pervenerit: uxor nempe in eius capillis purgandis cicatricem deprehendens eiusque causam quaerens ab eo fit certior, matrem sibi puero rudicula id vulnus intulisse, quo audito cum horrore factum suum agnoscit. Conferatur etiam fabula Atsjinia de Niassorum origine, de qua vid. C. Snouck Hurgronje, De Atjehers I p. 21.

Quaeret quispiam utrum illae atque eiusmodi fabulae sponte sua apud Indos ortae sint ex animi humani motibus sibi non consciis an Orientales fabulae e Graecis an Graecae ex Orientalibus fontibus emanaverint. An forte credendum est, cunctas e fonte quodam peregrino ac communi originem duxisse?

Hoc certe potuisse fieri vix quisquam neget, quandoquidem iuxta fabulas, quae fati Oedipodis similes sunt, etiam aenigma Sphingis in Oriente reperiri iam videmus.

# DE LUCIANI QUI FERTUR FUGITIVIS.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Ullius si momenti haecce videbitur disputatiuncula, atque adeo si ipsum de quo disputabimus opusculum dignum videbitur legentibus quod relegant mecumque paulo accuratius examinent, causa haec erit quod et in plerisque quibus nunc utimur Luciani editionibus et in libris sat multis manuscriptis continuo sequitur libellum illum *de morte Peregrini*. Quae res efficere solet ut qui hunc legerit et illum legat, intelligatque (id quod iam e primis apparet verbis), aliquam certe inter eos intercedere rationem. Quae cuiusmodi sit mox videbimus. Nunc hoc solum dicimus vix ullum nobis antiquum servatum esse librum qui magis illo quem de morte Peregrini composuerit Lucianus posterorum mentes commoverit; idque iure et merito, siquidem fuisse ibi agitur de re praë ceteris omnibus mira atque incredibili, quam tamen revera evenisse, si quidquam aliud, pro certo constat. Ante oculos enim ibi nobis proponitur philosophus quidam cynicus qui vel vano gloriolae ductus studio, vel ut quam verbis commendasset sapientiam ipsa re comprobaret, vel denique ut ipse quam maxime insigne daret exemplum eius virtutis quam saepe unice veram esse clamasset, Olympiae multis inspectantibus — an *spectantibus* dicam? — mortalibus in rogo ad eam ipsam rem exstructo semet ipsum concremaverit, idque — atque hoc illud est quod vel maxime legentibus audientibusque moveat admirationem — se facturum iam quinque annis ante quacunque adventaret sit professus.



En habemus hominis pagani *martyrium*: hoc enim nomine hic uti mihi nefas non videtur. Nam quod modo posui vano gloriolae studio Peregrinum ductum fuisse missum iam facio: dixi tantummodo ne quid omitterem, licet parum mihi videretur verisimile. De quo quicumque scripserit et quocumque modo scripserit sedulo illum esse lectum lectitatumque quid mirum? Si vero tam lepide de eo scripserit quam ille cui librum *de morte Peregrini* referimus acceptum Lucianus, iam eo solo nomine praeclarum eum obtinuisse in antiquis literis locum iure nostro aequum nos et consentaneum iudicamus. Est enim ille liber — nam missa facio absurda ista falsaque in Christum, Christianos, fidem Christianorum maledicta et convicia, neque propterea cum antiquis Christianis Lucianum dirae impietatis crimine ad ipsum Summi Iudicis voco tribunal: lubenter veniam do scriptori leviusculo qui vanis incertisque se rumoribus duci passus sit: fecere et alii meliores gravioresque! — est liber ille, si scribendi tantummodo spectas artem, summa laude dignissimus: vivunt ibi spirantque omnia, egregia est inventio, egregia dispositio, egregia elocutio, facetiis, leporibus, flosculis lepidissimis quaevis abundat pagina; cum narratore parum veraci atque cupidissimo tibi rem esse sentis quidem sed identidem oblivisceris, ita te tenet sibi que devincit narrationis dulcedo atque urbanitas.

Noster vero libellus qui *δραπέρα*: inscribitur. . . . Vix me, quoties in eum incido, continere possum quin arrepto primo quoque cultro e corpore Luciano excindam eripiamque: adeo me et ipsius miseret Luciani cui immerito tanta sit aspersa macula et miselli homuncionis cui, cum imponere lectoris vellet, nihil melius in mentem venire potuerit. Sed retinet me virorum doctorum gravitas qui eum firmiter fortiterque Luciano vindicent, atque adeo — id quod satis mirari non possum — haud mediocribus exornent laudibus. Plane de meo desperarem iudicio, nisi ipsi illi vindices (id quod mox videbimus) in rebus minime spernendis adeo inter se discreparent. Sed videamus quid rei sit!

Hic ego memor proverbii illius Francogallici, quod suo sibi quemque nos iubet afficere honore, ab eo facio initium qui solus inter recentiores plenum et integrum, eumque praestantissimum,

de toto Luciano omnibusque eius studiis laboribusque conscripsit librum, MAURICIUM CROISETUM dico: sic mihi in vestibulo disputationis meae stabit τηλαυγὲς πρόσωπον. Croisetus ergo p. 74 libri quem urbana verecundia inscripsit: „essai sur la vie et les oeuvres de Lucien” quemque a. 1882 apud Hachettios edendum curavit sic disputat:

„les *Fugitifs* ne sont en quelque sorte qu’une dépendance du récit de la mort de Peregrinus. On entrevoit dans des allusions, très obscures pour nous, une sorte de guerre de pamphlets engagée à la suite de ce récit entre un des représentants de la secte Cynique et Lucien. Celui-ci, après avoir été le premier agresseur, se vengeait maintenant des réponses irritantes qui lui avaient été faites. Il résulte de là que bien des choses nous manquent pour comprendre et apprécier complètement ce dialogue. Mais l’impatience qu’on peut éprouver en face de certaines allusions dont l’objet nous échappe ne doit pas nous empêcher d’y reconnaître les mêmes habitudes de composition et en somme les mêmes qualités que dans ceux dont le sens est clair. Le seul tort de Lucien a été d’écrire pour un public bien renseigné et de ne pas songer à celui qui le lirait plus tard”.

**En somme les mêmes qualités.** Serione haec dicis, vir praestantissime? *Fugitivosne* istos, quod ad scribendi pertinet artem, pares iudicas *Timoni*, libro *de mercede conductis*, libro *de historia scribenda* vel *Iovi Tragoedo*, ut illos solos nominem?

Sed habet hic Croisetus subscriptorem haud spernendum IACOBUM BERNAYSIIUM qui iam tribus annis antea in libello *Lucian und die Kyniker* (Berol. apud Hertziuum a. 1879) p. 106 haec pronuntiaverit:

„mir scheint der Dialog zu den besten des Lucian zu gehören”.

Caecutione ego qui quae tam perspicaces viri tam clare videant nullo pacto cognoscere possim? An . . . . contrarium vix eloqui auderem nisi et ipse egregium nactus essem patronum. HELMIUS ille, impense doctus ille RUDOLFUS HELMIUS his verbis totam quaestionem dirimit (*Lucian und Menipp* Lips. et Berol. 1906, p. 321):

„Trotz des Lobes, das auch die *Ausreisser*” (sic enim Hirzelium secutus Helmius illud δραπέται vertit, rectene an parum accu-

rate non diudico) „bei Wieland gefunden haben, stehe ich nicht an, sie für die **misslungenste** Satire unseres Schriftstellers zu erklären. An ihrer Echtheit zu zweifeln liegt kein Grund vor, wenn man sieht, dass sie dieselbe arbeitsweise wie die anderen, dieselbe Art von Reminiscenzen aus früheren Arbeiten enthält”.

Tum post aliquam disputationem de causis vitiorum, quibus libellus laborat, sic sententiam suam comprehendit:

„Nach allem ist es kaum zweifelhaft, dass dies die letzte Schrift Lucians in eigentlich menippischem Stil ist; sie ist ihm wenig gelungen, und er hat selber eingesehen, dass er sich auf diesem Gebiet ausgeschrieben hat”.

Amicum meum qui τῆ ψυχιατρείᾳ dat operam, simulatque vacabit a negotiis, quibus dstringitur, rogabo num et hoc sit in rerum natura ut aliquis tam diu alicui operam det arti . . . donec nihil iam in ea, quod sit tolerabile, praestare possit, atque, licet ipse illud sentiat, tamen irritum istud conamen ultimum, unde et ipse id posset efficere et posterius essent effecturi, non silentio presserit deleveritque sed in publicam emiserit lucem. Nunc eo rem perductam video ut quo me vertam nesciam. Quid enim? Tres viri doctissimi, in Luciano versatissimi (Wielandius, Bernaysius, Croisetus) egregium scribendi artificem Lucianum hic αὐτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον fuisse declarant; exoritur quartus illis neque doctus neque acutus minus, qui eundem illum libellum severissimo condemnet iudicio. Certe quod gaudere habeo minime soli mihi prae Luciani scriptis omnibus *Fugitivos* istos sordere. Sordere autem? Multo mihi graviore opus sit vocabulo si accurate Helmii de eo, qui istum foetum produxerit, reddere velim sententiam. Sed de ea post videbimus, nunc ad Croisetum redeo.

Ex ultimis eius quae citavi verbis:

„le seul tort de Lucien à été d'écrire pour un public bien renseigné et de ne pas songer assez à celui qui le lirait plus tard”

satis apparere mihi videtur virum prudentissimum, quamvis facete iocetur et quamvis de se suaque possessione minime sit sollicitus, tamen Luciano suo metuere ne ei a petulanti praedone suum sibi κειμήλιον eripiatur. Neque sine causa metuit; ultro enim fatetur aliquem certe ad se permanasse rumorem de cri-

ticis istis iusto audacioribus qui *Fugitivos* Luciano sint abiudicare ausi. Et qui potuit non permanere? Siquidem in eorum numero magnus ille fuit HEMSTERHUSIUS qui, paucis quidem verbis atque admodum verecunde, pronuntiavit tamen sibi non liquere. Haec enim, quaedam e *Fugitivis* citaturus, annotat ad Prom. priorem (quem pertinaciter viri docti hoc ornare pergunt titulo latino: „Prometheus es *in verbis*” quod absurdum sensuque cassum; scribe „Prometheus es *in literis*” ipsam Luciani eiusque adversariorum mentem reddideris) § 5 „sive Lucianus, sive quis alius”.

Quae praestantissimi philologi verba haud mediocrem Bernaysio moverunt admirationem, an *indignationem* mavis? Indignabundi enim videntur haec:

„Dass Hemsterhusius (zu dem ersten Prometheus c. 5) ein gelegentliches Citat aus den Fugitivi so einleitet: „sive Lucianus sive quis alius”, ist bei einem Manne, wie er, nur dadurch zu erklären dass er damals den Dialog noch nicht genauer durchgearbeitet hatte und sich gegenüber den Verdächtigungen anderer freie Hand bewahren wollte”.

Ain vero? Puerulusne aliquis fuit Hemsterhusius qui, cum forte in libellum decem paginarum incideret, obiter tantum eum adspiceret, gravemque scilicet perscrutandi laborem reformidans illum quidem in aliud differret tempus, cum tamen audivisset Bourdelotium, Marcilium, Solanum (quos viros!) eum abiudicasse Luciano, ne plane ἀσύμβολος veniret, aliquam quamvis levem dubitationem suam in praesentia chartae mandaret? Immo sic se res habet: Hemsterhusius cum declarat se utrum liber aliquis revera ab eo sit compositus, cui vulgo tribuitur, an ab aliquo falsario dubitare, ipse suis permotus argumentis dubitat suisque ductus observationibus, de ceteris omnibus viris doctis criticisque acutis, vel aequalibus vel natu maioribus, haudquam sollicitus.

Concedo tamen hanc Hemsterhusii dubitationem suo sibi caruisse successu. Nam qui insecuti sunt philologi tantum non omnes *Fugitivos* Luciano vindicarunt: Kusterus, Belin de Ballu, Schiederus, Lehmannus, Bekkerus, Gesnerus, Wielandius, Fritschius, sive taciti eos in suam receperunt editionem sive disertis verbis in eam sententiam usi sunt. Sed quibus illi omnes argumentis ducti sunt? Audiamus ipsos: apparebit hic quoque idem illud

usu venire quod modo non sine risu quodam et aliqua delectatione evenisse intelleximus. Modo audiebamus tamquam egregium artificem scribendi laudari eum, qui nos illo ditaverit opusculo, a Bernaysio Croisetoque, eundem tamen eodem tamquam gravissimo crimine exagitari atque lacerari ab Helmio. *Lacerari* dicebam; an forte mihi leniore fuerat utendum vocabulo de eo qui ideo Menippum ultimum faciat in serie philosophorum ab ipso enumeratorum, quia aliquem Menippi librum describat, immemor, atque adeo prae mentis infirmitate non cogitans, quatuor iam post Menippi mortem effluxisse saecula, qui nobis in cute rasum exhibeat Cynicum quia ille Menippi liber in Stoicum quendam — sive Persaeus is est, quemadmodum incredibili doctrinae copia Helmius demonstrare studet, sive alius quis — scriptus fuit, qui denique tam serviliter librum illum Menippi exscribat ut cum inde haec transferat (§ 11): *νῦν δὲ Ἀντισθένης με καὶ Διογένης καὶ μετὰ μικρὸν Κράτης καὶ Μένιππος οὗτος ἔπεισαν ὀλίγον ὅσον ἐπιμετῆσαι τῆς μονῆς* ne hoc quidem sentiat in libro quem sic conflet vocabulo *οὗτος* nullum locum esse? Obsecro te: estne hic sapientis hominis an *θηρίου ἀλόγου* error? Equidem certe mihi sic omnia mea eripi malletm quam quidquam vindicari: *πολεμίοις καὶ ἐχθροῖς γένοιτο τοῦτό γε* ut cum ipso Luciano loquar. Quid vero puerili isto faciamus compilatore qui cum tamen intelligeret non posse se Menippi librum verbotenus describere quin aliquid certe de suo (ornandi scilicet causa!) adderet, nihil aliud potuerit excogitare quam *Φιλιπποπόλεως* mentionem, quod Menippi aetate exile fuerit oppidum?

Sed sentio me paululum a proposito aberrasse. Redire ergo eo propero. De argumentis quibus *Fugitivi* Luciano vindicarentur me dicturum promiseram demonstraturumque hic quoque illud usu venisse quod in arte qua libellus iste scriptus esset diiudicanda accidisset. Quid ergo nobis narrat *Bernaysius* et quid *Helmius*?

Bernaysii verba haec sunt (p. 106):

„Fritzsche, der früher schwankte, hat sie schliesslich in einer besonderen Schrift (adnotatio ad Luciani *Fugitivos* Rostocker Vorlesungsverzeichniss 1867/8) welche in seinem *Lucianus* 2, 2, 236 wieder abgedruckt ist, **gegen alle Einwände sicher gestellt**”.

Equidem, ne quid dissimulem, simulatque eiusmodi aliquid lego quale est illud *sicher gestellt*, statim dubitare incipio atque

considerare possimne certum illud aliquo modo convellere. Quid quaeritis iudices? Ipse me crudelem esse sentio, nam in communi illa de omnibus rebus dubitatione tam gratum atque iucundum est homini aliquid tamen, quamvis parvum atque pusillum illud sit, habere cuius teneat dominium ex iure Quiritium. De nostrae aetatis loquor homine cui vivere est *non cogitare*. Cogitationem enim reformidant homines ut rem periculi plenam, quae et aliis rebus bonis sit funesta et antiquo illi „disciplinae” rigori, a quo solo certa sit miseris mortalibus expectanda salus. „Attenti ora tenete ad imperia capessenda, disserere et ratiocinari nolite: quae enim ratiocinantis et cogitantis militis utilitas? Estote perinde ac cadaver, quod ut moveatur calce est impellendum.” Hanc nunc tuemur hac nitimur formula. Gaudent ergo homines si solidae aliquam particulam doctrinae in arcam suam ferratam condere possint, unde nullo, si forte opus, possit depromi negotio. Indices enim, ad ordinem literarum dispositi, per illam farraginem monstrabunt viam, neque periculum est ne unquam posthac ad ipsos libros, unde compendiosa ista sit excerpta doctrina, sibi sit recurrendum; nam fontes rerum adire hoc est denuo cogitare incipere.

Sed ad me redeo. Quid facere soleo si quando pro certo constare mihi narratur id quod semper mihi sit visum incredibile? Et ipse aliquod quaero compendium viae, neque unquam diu est quaerendum. Incredibilium enim auctores illi semper semet ipsi produunt: nam cum commentorum suorum argumenta longo producant ordine, plerumque unum eorum ceteris omnibus vel singulis vel universis firmiter esse declarant. Unum ergo illud diligentius examino, quod cum mihi, ut fit, falsum atque inane visum est, cetera omnia considerandi labore ingrato securum me supersedere posse intelligo.

Id quod nunc quoque usu venit.

Fritzschius enim cum magna doctrinae copia *Fugitivos* Luciano vindicet, uno tamen argumento tantum non gloriatur — si unquam gloriatus esse dici potest vir tam amabilis et verecundus quam fuit ille — atque illud argumentum . . . non me opus est qui redarguam. Helmius enim qua est sagacitate et quo ingenii acumine, licet et ipse Lucianeum esse opus credat *Fugitivos*, tamen „non tali auxilio” causam suam defendi posse

probe perspexit. Sed quid ad Helmium hic provoco? Cuiusvis nostrum est intelligere quam infirmo Fritzschiana ratio nitatur fundamento. Audite modo ipsum Fritzschium sic disputantem — si disputare illud est —:

„Peregrini oratio Olympiae paulo ante mortem habita hanc unam ob causam reticetur” (in *Fugitivis*) „quod eadem oratio iam *περὶ τῆς Περεργρίνου τελευτῆς* § 32—34 in medium adlata erat. Quae quum ita sint, sequitur ut qui scripserit librum *περὶ τῆς Περεργρίνου τελευτῆς*, idem necessario scripserit paullo post etiam dialogum *Δραπέτας*. Atqui librum *περὶ τῆς Περεργρίνου τελευτῆς* omnium consensione Lucianus scripsit: ergo necesse est Luciani eiusdem fuerint etiam *Δραπέται*. Quae ratio tam certo conclusa est, ut eius ope etiam tempus *Δραπετῶν* sine ullo errore inveniri possit.”

Quanto prudentior in hac certe disputationis parte Helmius:

„Auch das von Hirzel gebilligte Argument Fritzsches dass Lucian hier (2) abbricht, um nicht noch einmal das in jener Schrift (32—34) Berichtete zu erzählen, kann mich an dieser Auffassung” (quae illa „Auffassung” sit mox videbimus) „nicht irre machen. Unser Satiriker scheut sonst solche Wiederholungen nicht, und etwas anders hätte sich die Sache wohl machen lassen als dort, zumal doch Peregrinus auch dort (23 und 33) seine Gründe nur ganz kurz auseinander setzt oder vielmehr Lucian nur einen Teil seiner Rede anführt”.

„In hac certe disputationis parte” aiebam, nam ad illam Helmii „Auffassung” quod attinet, nihil unquam vidi quod tam esset incredibile atque ipsi contrarium rerum atque hominum naturae. Censet enim vir ille ceteroquin tam prudens et circumspectus ab ipso Luciano primum *Fugitivos* esse scriptos deinde librum *de morte Peregrini*. Vix hic oculis tuis auribusque credis. Quid enim? Iam scripserat *Fugitivos* Lucianus, in quibus ne honorifice dicam et magna cum reverentia (quamquam parum abest) certe leniter et clementer de Peregrino est locutus, at nunc subito conviciis et maledictis in eum erumpit eiusmodi ut hoc certe sentias aut nunquam aut multo antea eum eiusdem Peregrini fecisse mentionem. Audi modo:

ὁ κακοδαίμων Περεργρίνος, ἡ ὡς αὐτὸς ἔχαιρεν ὀνομάζων ἑαυτὸν Πρωτεύς, αὐτὸ δὲ ἐκείνο τὸ τοῦ Ὀμηρικοῦ Πρωτέως ἔπαθεν· ἅπαντα

γὰρ δόξης ἕνεκα γενόμενος καὶ μυρίας τροπὰς τραπόμενος τὰ τελευταῖα ταῦτα καὶ πῦρ ἐγένετο.

ὁ κακοδαίμων Περεργῖνος. Potuitne quidquam vel fingi mordacius atque acerbius quam istud: „iste dis hominibusque invisus Peregrinus”? Eiusdemne hoc ullo modo esse potest qui *paulo ante* (nam breve tantum inter utrumque libellum intercedere potuisse temporis spatium et sentit Helmius et fatetur) Iovem ab Apolline de Peregrino interrogatum:

οὕτω χρηστὸς ὁ γέρων ἦν καὶ ἀνάξιός ἐν πυρὶ ἀπολωλέναι; respondentem facit:

καὶ τοῦτο μὲν ἴσως?

„At enim *liber de morte Peregrini* in ipsum Peregrinum est scriptus, *Fugitivis* eius petuntur discipuli atque imitatores”. Parum hac proficimus observatione. Quis unquam paganus in Christianos est invectus quin laetus lubensque hanc ipsi Christo maledicendi arriperet occasionem? An totum *Fugitivorum* hoc est consilium ut demonstretur quam indigni sint qui nunc vivant Cynici Peregrino, cuius nomen semper in ore habeant, viro probo gravique? Diserte, ut opinor, id dixisset qui *Fugitivos* istos scripsit, quamvis sit ineptus homo, si eiusmodi aliquid voluisset.

Nam quod idem Helmius addit:

„Fur die spätere Abfassung des *Peregrinus*, wenn auch nicht so lange danach, zeugt auch Kap. 28, das mit der genauen Beschreibung des wundertätigen Kultes des Peregrinus deutlich ein vaticinium post eventum enthält”

quo modo eiusmodi „cultus mirifici” nascerentur et cuiusmodi esse solerent probe noverat Lucianus aut praedicere poterat. Et si inter mortem Peregrini et librum de ea scriptum aliquod tempus intercessit, continuone sequitur ut illud spatium *Fugitivis* vel alio de eadem re fuerit impletum libro? Sed sive liber *de morte Peregrini* statim post mortem illam sive aliquo intervallo scriptus est, nonne ipsum exordium libri disertum est testimonium iam se ultra continere non posse Lucianum cum videat tam impudentem impostorem tantum non divinis affici honoribus a stulto Cynicorum grege atque adeo a tota plebe vel absurdissimis adstupente miraculis? Quam ineptum foret illud exordium epistulae ad Cronium — sed, hercule, non ad Cronium



solum — si paucis diebus antea iam chartae aliquid de Peregrino mandasset quod omni careret odio omnique cupiditate?

Sed missas tandem aliquando faciamus philologorum elucubrations. Ipsos *Fugitivos* paulo accuratius contemplemur, a Luciano scribi non potuisse sponte apparebit.

Hic ego non sequar illam hodiernis philologis tam gratam atque iucundam rationem qua eos imitantur qui magistratum municipalium iussu cavere solent ne quidquam in foro venali prostet quod salubre non sit aut nutrimenti habeat parum. Horum enim hae sunt formulae: „in centum partibus humoris n partes adipis . . . lac plenum; n — a adipis partes, lac dilutum”. Ad eam normam nunc saepe sic fere iudicantes audis philologos: „tot paginis toties legitur *μὴν* . . . senis Platonis hic dialogus; toties . . . opus aut iuvenile aut suppositum”. Quasi vero particularum frequentia ex ulla alia re nascatur praeterquam e libri de quo agitur argumento! In manus cum sumseris librum de re equestri vel de educandis canibus venaticis, iam statim tibi constat plura ibi inventum iri vocabula corporis partes significantia quam in aliquo de architectura vel de re musica tractatu. Quid tibi hic tabulis opus est et accurata enumeratione? Atque eodem modo se in particulis res habet. Longe aliis nobis indiciis opus est ad *Fugitivos* vel vindicandos vel abiudicandos Luciano.

In disquisitionibus qualis ea est in qua nunc versamur una solaque lex est . . . ipsa legentis mens. Si quis in Luciano non hospes qui sit et omnino antiquos scriptores sat longo usu cognitos habeat semel sibi persuasit a Luciano *Fugitivos* scribi non potuisse, eum de statione sua ut depellas, ipse tibi Lucianus ab inferis est excitandus qui contrarium affirmet. Nam si magna doctrinae copia vel ineluctabili aliqua disputandi subtilitate eum ad incitas redegeris, simulatque ipse secum solus denuo libellum istum legere coeperit, denuo exsurgit controversia quam quo modo dirimat viderit ipse!

Lumina cum claudio, nihil est cur credere nolim,

Attollo quotiens, avolat ecce fides!

Aliud est persuadere alicui, aliud ut credat perpetuoque credere pergat efficere. Hoc in ipso nascitur hominis pectore, illud venit extrinsecus. Quodsi eiusmodi ars nostra est ut omnes alicuius

momenti quaestiones privatis privatorum sint relinquendae opinionibus, aequi bonique illud consulamus potius quam quibuscunque tandem artificii naturam rei detorquere conemur.

Mihi multis multorum perpensis disputationibus et iterum iterumque libello lecto relectoque pro certo etiamnunc constat *Fugitivos* istos impudenter Lucianum mentiri patrem. Alii aliter sentiant, per me licet. Dummodo ne quis putet inani quadam me in errorem ductum specie.

Non ita se rem habere nunc legentibus demonstrare conabor. Quod ut recte et ordine fiat, totum iam libellum raptim cum iis percurram, tantummodo ibi subsistens paulisper ubi plane est necessarium. Sic enim se res habet: si *totum* aliquem librum spectanti semper tibi nascitur atque renascitur fraudis suspicio, neque subtilibus iam argumentis tibi opus est ad eam confirmandam, neque suis argumentis eam ex animo tuo evellent alii.

Percurramus ergo librum!

Rogat Iovem Apollo verumne illud sit quod de voluntaria Peregrini morte fando audiverit.

„Verum est” respondet Iupiter „etiamnunc odor mihi senis istius combusti molestus est”. „Cur fecit illud?” denuo Apollo rogat.

„Idem” Iupiter ait „et Empedocli *vitio dare possis*” (*οὐκ ἂν Φθάνοις καὶ Ἐμπεδοκλεῖ ἔγκαλῶν*. At, o bone, edoceri tantummodo a te filius tuus voluit, nemini quidquam vitio dedit!)

„Insanus iste fuit” exclamat Apollo „sed quid sibi voluit Peregrinus?” (Ineptum, hercle, hactenus colloquium: inepte rogatur inepte respondetur.)

„Ipsam tibi referam orationem quam in contione Olympica habuit” (verba haec sunt Iovis) „quantum memini . . . .

Non procedit ultra festivus narrator, nam lamentans et eulans accurrit . . . . quam putas? Ipsa Philosophia.

Conquestum venit de iniuriis quibus ipsam afficiant non *οἱ ἰδιῶται*, neque veri philosophi sed simulati. „A te enim, pater”, ait „ad homines missa sum quorum te miserebat. Tunc ego primum me converti, non ad Graecos, sed ad eos populos ubi gravissimum me manere laborem exspectabam; atque apud Indos discipulos nacta sum Brahmanes, qui, ut nosti, mirum in modum sibi ipsi consciscunt mortem”.

„Novi” ait Iupiter, „et eiusmodi aliquid nuper ipse Olympiae vidi; nonne et tu vidisti senem illum qui se flammis dedit comburendum?”

(Quam inepte hic denuo eiusdem fit Peregrini mentio, cuius tamen in reliquo dramate nullae sunt partes!)

„Non vidi”, Philosophia respondet „ire ad istud spectaculum nolui, quo currentem videbam gregem istum nefariorum impiorumque nullo alio consilio quam ut maledicerent hominibus”.

Postquam ita putidissimum in modum ipsa suam interrupt narracionem, sic pergit:

„ab Indis profecta sum in Aethiopiam, Aegyptum, Babylonem, ubi Chaldaei Magique mihi se adiunxerunt. Inde in Scythiam Thraciamque, quae mihi Eumolpum et Orphea praebuit discipulos, inde in Graeciam: parvum ibi inveni gregem asseclaram, septem sapientes, Pythagoram, Heraclitum, Democritum. At in hunc comitatum se insinuaverunt Sophistae; hi totam philosophiam suspectam reddebant hominibus; repellere quidem conati sunt eos veri mei discipuli sed male sunt mulcati, praee ceteris Socrates. Tum mihi relinquendi fuerant homines, sed Antisthenes, Diogenes, Crates, Menippus me in terris retinuerunt. O utinam ne fecissent!”

„Cur hoc doles!” rogat Iupiter. Et pergit narrare Philosophia:

„Operarii, quos suae taedebat artis, philosophiam imitari coeperant, et falsam imitari philosophiam haud est difficile. Iam *tota urbs*” (quaenam? obsecro) „plena est istorum impostorum, Cynicorum praesertim. Exspecta modo paulisper: mox omnes operarii ex suis *anfugient officinis*” (Ain vero? dudum iam illud factum esse modo e tuis verbis efficiebamus). „Et o quam impia est gens ista, nefariaque!”

Hic subito et ipse Iupiter gravem concipit iram; parum oportune, nihildum enim audivit singulare et quod vehementius eum movere potuerit; et

„quomodo” exclamat „poenas de iis sumam? nimis enim citam mortem quam pro istis facinoribus fulmen meum affert”.

„Scin quid facias” hic subito rogat Apollo „mitte eo Mercurium, optimum iudicem, eumque iube sententiam de iis pronuntiare”.

„Recte mones” Iupiter ait, „sed tecum, Mercuri, eat et Her-

cules, atque vobiscum ducite Philosophiam". Hoc faciunt illi quamvis inviti.

„In Graeciamne ergo eamus?" rogat Mercurius. „Minime" respondet Philosophia „paupercula ea terra est: falsi isti philosophi quaerendi sunt in aliqua regione quae abundat auro argentoque". „Ergo Thracia nobis petenda?" ait Mercurius et „recte mones" succinit Hercules.

Iam proficiscuntur in Thraciam; describitur fluvius et urbs Philippopolis. „Quomodo nunc istos indagemus" inter se rogant, sed paratum est responsum: Mercurius, deorum praeco, eos evocabit. At neque ipse eorum novit nomina neque Philosophia; hoc unum constat a verbo *κτᾶσθαι* ea esse deducta.

Sed subito ignotus quidam procedit acceditque vir qui se immisceat negotio. Post aliquos colloquii errores apparet ab hoc eundem quaeri quem quaerat Mercurius — *eundem*, nam subito qui librum nostrum conflavit oblitus est a principio hoc agi ut *omnes* falsi philosophi (certe *sat multi*) investigentur, deprehendantur, ducantur ad supplicium — Cantharum.

Cantharus ille et ipse se philosophum simulat, servus est viri illius.

En accurrit Orpheus: quid eo opus sit iure tuo rogaveris. Et est eius perparva utilitas: aedes Canthari monstrabit, non Cantharum ipsum, cuius reformidat convicia.

Et monstrat aedes, tum quam celerrime potest aufugit, remanent in scena Mercurius, Hercules, Philosophia, Canthari dominus.

*ἔσταν δ' ἐν προθύροις*

atque *ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης*

*Κίρκης* quidem alicuius, nam cantatrix ista sagae de trivio non est dissimilis, sed *ὅπῃ καλῆ* eam cantare haud affirmaverim, tam ineptis utitur versiculis. Homerum *παρωδεῖ*, ita ut Cantharum petat sed non Cantharum solum, nam subito et cum *duobus* aliis impostoribus nobis res est qui Cantharo socii fuerunt scelerum et flagitiorum et cum *tribus* aliis viris qui ab iis sint affecti iniuria. (Quam male haec quoque inter se concinunt: tres scelesti homines et quatuor insontes qui ludibrio iis fuerunt).

Est ergo Cantharus servus viri illius qui primus deos est allocutus, rapuitque viri *B* uxorem quae nunc tribus canibus

nupta est, praeter Cantharum Lecythioni et Myropno; horum illum vir Γ tamquam servum suum agnoscit, hunc vir Δ. Bella, hercle, haec partium dispositio: duos ingenuos Cantharus affecit iniuria, dominum suum et legitimum mulieris istius cantantis maritum, Lecythion et Myropnus singuli singulos!

En prodeunt foras tres isti malefici. Qua re moti? obsecro. Ultrone se offerunt ad supplicium? Ita videtur, nam vocavit eos nemo. Sed nihil pronuntiant unde illud appareat consilium, et tamen quam facile erat „adsumus en” vel eiusmodi aliquid exclamare? An in certam perniciem incidunt imprudentes? Sed non vides eos ullo percussos timore. Quanto tamen cautior et circumspectior mulier ipsa: ea enim in aedibus remanere videtur clausis, ut opinor, foribus.

Vir A Cantharum arripit eiusque peram plenam invenit auri. „Haud mirum” ait Hercules „antea in Graecia cynicum se esse perhibebat, hic purus putus est *Χρυσίππειος*. Mox ergo Cleanthem eum videbis: e barba enim pendeat ut decet eiusmodi nebulo-nem”. (Hic quid sibi iocus velit nemo iam intelligit, sed, ut opinor, ne intellexit quidem ille qui invenit).

Vir Γ servum suum Lecythionem agnoscit

sumque *Μυρόπνου* vir Δ et „*ἄΦίμη*” inquit „*αὐτὸν ἀπολω-λέναι ὅτι δεινῶς τῶν ὑποσάθρων ἐστὶ*”. Verborum sonus inanis!  
„*τὸ δ' ὄνομα Μυρόπνου αὐτὸν ἐκαλοῦμεν*”.

Hic se Hercules continere non potest et

*Ἡράκλεις ἀλεξίκακε* exclamat *ἔπειτα πῆρα καὶ βᾶκτρον*. Tum ad virum B conversus: *ἀπόλαβε τὴν γυναῖκα σύ* ait.

At redhibere ille non vult *βιβλίον τῶν παλαιῶν κυοῦσαν*.

Merc. *πῶς βιβλίον;*

Vir B *ἔστι τι, ὦγαθέ, Τρικάρανος βιβλίον*.

Merc. *οὐδὲν ἄτοπον, ἐπεὶ καὶ Τριφάλης ὁ τῶν κωμικῶν εἶς*.

Unde, e quibus latebris, docta ista nomina protulerit noster, docte et acute exposuit Helmius; sed nunc parum illud curo: mihi satis est intelligere quam inepte iste noster satyricus, scilicet, ista omnia in usum suum converterit, atque adeo sic temere in chartam coniecerit. Haec tamen aliquo modo in rem praesentem faciunt quod *Τρικάρανος* recte satis dicitur liber a tribus philosophis compositus quodque *Τριφάλης*, obscene ut opinor, idem significat. Sed quam frigidi isti sunt ioci quamque insulsi.

„Nunc tu, Mercuri, sententiam pronuntia”. Est ea sic concepta: „mulier, ne multiceps aliquod monstrum et portentum pariat, in Graeciam redeat ad suum maritum.” (At ille modo se eam reddibere nolle declaravit!) „Myropnus et Lecythion dominis reddantur suis et antiquam suam artem discant.”

Ain *discant*? Sed ipsum illud verbum *μανθάνειν* hic legitur. „Myropnus tamen prius ferula vapulet”. Cur non et Lecythion? Quid illo gravius Myropnus deliquit?

„At Cantharus tradatur *τοῖς πιττωτῶδες* et pedibus ligatis in Haemum nudus coniciatur”. (Ecquid ut frigore et inedia pereat? Sic opinor.)

Vir A Cantharum abducit, sed ille prius pellem leoninam exuat (haud mirum, si quidem iam scimus nudum eum in Haemum proiectum iri).

Ergo res eo redit ut Cantharus solus graviter plectatur et tamen

§ 23 sic Herculem adhortatur Iupiter:

*τρισκαιδέκατον ἄθλον οἴου τοῦτον οὐ μικρὸν ἐκτελέσειν ἢ ἐκ κόψης μιὰρὰ οὕτω καὶ ἀναίσχυντα θηρία.*

et § 24 Mercurius „*κατίωμεν*” ait (sc. in Thraciam) „*ὡς κἄν ὀλίγους αὐτῶν ἐπιτρίψωμεν τήμερον*”.

Confer et § 22: *εἶτα τοὺς μὲν ἐπαινέσεται* (Mercurius) *οἱ δὲ κολασθήσονται* et praeterea observa laude affici neminem a Mercurio.

Paucos ergo quosdam occident dei, sed tamen non unum, verum aliquot. Et *hodie*, ergo postea Herculi cum aliis monstris et prodigiis res erit. Sed huius quoque consilii noster paulo post plane est oblitus, nam postquam Cantharus de cruciatibus sibi instantibus satis inepte eiulavit, eumque multo etiam ineptius ludibrio habuit vetus dominus<sup>1)</sup>, iam plaudere iubemur.

Plaudant Croisetus Bernaysiusque. Ego me nunquam quidquam ineptius legisse clamo semperque clamabo. Quae enim ista est dispositio! E duabus partibus totum constare libellum quae adversis inter se pugnent frontibus docte et acute Helmius demonstravit. Qui licet mihi interdum modum excedere videatur

1) Sic enim eum interrogat:

*τί τοῦτο παρεντίθης τῶν τραγικῶν διαλόγων;*

Ain vero? *διαλόγων!* Monodiarum ista *φεῦ φεῦ, ὅσοταί, παπαῖ παπαῖξ* esse putabam potius.

(nolim enim quidquam gravius in virum doctum et acutum dicere) in adhibendis quas ipse statuit rationibus (sic, ut hoc utar, nimis artis vinculis mihi et Lucianum et alios scriptores posteriores constringere videtur, cum eos semper et ubique facit ad certam scribentes normam certumque exemplum, ideoque parum me movet quod *Fugitivos* Luciano vindicat eo argumento quod iam citavi: „an ihrer Echtheit zu zweifeln liegt kein Grund vor, wenn man sieht, dass sie dieselbe Arbeitsweise wie die anderen, dieselbe Art von Reminiscenzen aus früheren Arbeiten enthält“. Haud dubie imitari Lucianum conatus est qui *Fugitivos* scripsit, sed quam misere ausis illis, haud magnis, excidit!) tamen quin egregie perspexerit quare hic nobis in cute rasus exhibeatur Cynicus, curque Menippus omnium fiat philosophorum ultimus, aliaque eiusdemmodi, accuratius perpensa eius subtilissima disquisitione, vix ausim dubitare. Qualem autem eum censes scriptorem qui talia committere possit? Nonne ineptus tibi videtur puerulus, qui, ut tamen et ipse aliquid in lucem edere possit, primum quemque bonum auctorem arripiat quem imitetur? Neque magis me movet docta Fritzschi de Cantharo disputatio, nam tres isti impostores, tam Cantharus quam Lecythion et Myropus ἀμενηνὰ κάρηνα sunt.

Imitatorem hic Luciani equidem deprehendo, et hoc, hoc solo argumento libellum nostrum Luciano abiudico. Probe illud tenendum. Nam saepe qui librum ei abiudicant, cui vulgo assignatur, eo nomine male audiunt quod quaecunque ipsis parum pulchra videantur proiciant abiiciantque. Nocuit hic error multis viris doctis et nocuit, ut insigne afferam exemplum, Peerlkampii apud posteros memoriae. Non tamen, hercle, Peerlkampius Horatio indignum iudicabat quidquid ipsum parum delectaret — neque unquam quisquam philologus, qui suae sibi esset conscius dignitatis, tam fuit ridiculus — sed ut erat vir subactissimi iudicii, in Horatio et tota poesi latina versatissimus, atque — nam eiusmodi aliquid accedere debet ut de antiquis poetis latinis tibi iudicium ferre liceat — egregius ipse poeta latinus, statim sentiebat quid ipse Horatius cecinisset et quid imitator ineptus de suo addidisset. Et hoc illud est cur etiamnunc suum sibi stet Peerlkampii annotationibus pretium etiam apud illos quos eius annotationes alio ducant, dummodo aequi esse iudices velint!

Lubet unum eius rei afferre exemplum. Carmen libri I, 24 sic iudice Peerlkampio ipse inchoavit Horatius:

Ergo Quintilium perpetuus sopor

Urget?

Ullumne threni flebilis, quem epistolii consolatorii instar ad communem defuncti miserit amicum Horatius, aptius exordium vel ab ipso potuit excogitari Horatio? Et quam inepte cum totius carminis lepore illud exordium perit praemissa stropha:

Quis desiderio sit pudor aut modus

Tam cari capitis? praecipe lugubris

Cantus, Melpomene, cui liquidam pater

Vocem cum cithara dedit

in qua multa sunt aut insulsa aut languidissima, nihil quod legentem ullo misericordiae afficiat sensu. Non fefellit hoc Kiesslingium et tamen stropham illam Horatio vindicavit. Quo argumento putas? Epistolum suum indidem unde voluit Peerlkampius Horatium primum inchoasse concedit, sed nescio quibus carminum suorum disponendorum rationibus ductum hanc quasi praefationem addidisse. Hic mihi quidem multo videtur verisimilius sciolum aliquem suam meditationem metricam Horatio affricuisse quam ipsum Horatium subita abreptum insania carmen, quo nullum unquam dulcius limatusque fecit, prorsus corrupisse. Sed fac Kiesslingium verum vidisse, num sic quidquam de Peerlkampii decedit laudibus qui primus nos iusserit, si *αὐτὸν ἑαυτοῦ δεινότατον* hic cognoscere Horatium velimus, inde legendi initium facere unde scribendi initium ipse Horatius fecerit?

Atque, ut hanc observationem ad Lucianum Pseudolucianosque convertam, nullum equidem Luciano librum abiudicaverim quod insulsi in eo inveniantur ioci, saepe enim admodum scurrilis ipse Lucianus est. Sed tum mihi videor ineptum Luciani deprehendere imitatore[m] cum video hominem qui iocari vult sed quamvis se torqueat et quamvis desudet nihil tamen promere possit quod quidquam habeat leporis. Tum mihi in mentem veniunt illa quae quondam nescio apud quem legi: „viri docti qui, cum faceti esse volunt, misericordiam movent”.

Esto: insulsus est Luciani imitator qui *Fugitivos* istos effutiit. Disponendi arte plane caret, τὰ ἀσύγκλωστα συγκλώθει, consilii



sui iterum iterumque est immemor et e materie quam sedulo undique congegisset nihil quod ullo modo iusti habere aedificii speciem dici possit efficere callet. Inventionem vero in tali puerulo quis quaerat? Artis scilicet suae dare volebat specimen, nihil ultra.

Et fortasse ei bilem moverunt Cynici aequales, fortasse inter illos unus erat quocum graves exerceret inimicitias, unum hoc certum est eum Luciani libello *de morte Peregrini* admodum esse delectatum. Hunc ergo quocunque tandem modo continuare decrevit. Sed quam misere ei res cessit, atque adeo non cessit. *De morte Peregrini* Lucianus statim aut brevi post illud martyrium Olympicum scripsit, et scripsit ad amicum, quem sic simul de toto negotio redderet certiore. Vera est epistola eaque rerum et vitae plenissima. At falsarii iste foetus quam est languidus et emortuus! Quodnam eius sit consilium, praeter illud meditandi et imitandi studium, frustra quaeris. Satis iam sibi placet quod aptum exordium sibi nactus esse videatur, magisque, ut opinor, gaudet quod sibi a Canthari domino verbis *ὡς γνωσθῆς ἑνος ἄν* aliqua certe praebetur clausula, *ἰποῖός τις γνωσθήσεται αὐτός* nunc certe parum sollicitus.

Et quam inepta et puerilia sunt singula! A Peregrino facit initium, laetus quod e suo sibi Luciano doctrinae flosculum illum cum multis aliis collegerit, neque eo contentus iterum § 7 de eodem et de Brahmanibus disputat, cum tamen sine ullo libelli detrimento omitti possint omnes. Cumque semel in Thracia versatur, a se impetrare non potest quin et Orpheum in scenam inducat, sed quid eo agat non invenit. Nam aedes hominis monstrare quivis eiusdem urbis incola potest, quid ad eam rem divino poeta opus est? Deprehenduntur tres scelesti, quorum unus gravi afficitur poena et tamen Hercule aliquo opus esse contenditur qui tantum opus ad finem perducatur. Quid quod ille de tredecimo Herculis labore iocus tam lepidus nostro videtur ut hunc quoque bis (§ 23 et 30) ornandi causa adhibeat. Quanto venustior Seneca apud quem Hercules statim cum Claudium in coelum sublatus conspiciat *putavit sibi tertium decimum laborem venisse* (Apoc. § 3)! Nam quod ex eodem fonte et Senecam et nostrum Luciani imitorem hausisse contendit Helmius, ingenio suo, suaque investigandi ratione abusus mihi videtur. Unde

enim non potuit Seneca τοὺς Ἡρακλέους ἄθλους cognitos habere? Et quorsum pertinet illud quod falsi illi philosophi omnes dicuntur habere nomen quod a verbo κτᾶσθαι sit deductum?

Sed de inventione et dispositione haec iam sufficiant. Compara mihi nostrum librum cum *Iove Tragoedo*, ab eodem utrumque scribi non potuisse constabit. Sed omnino inter genuinos Luciani libros nullus est qui tam inepte sit consarsinatus, tam omni careat lepore omnique consilio. De elocutione videamus. Hic hic certe imitatore deprehendimus, nam omnino minutis quibusdam indiciis totum istud hominum deprehenditur genus. Uno praecipue hic utar quod omnium videtur disertissimum. Quis non, qui aliquoties paulo diligentius Lucianum perlegit, observavit admodum eum esse delectatum verbis καὶ αὐτός (cogita de noto isto καὶ αὐτὸς ἰατρός εἰμι) praesertim iis locis ubi leni aliquo risu opus esse putaret, nam verum eorum colorem et alii monstrant loci et hic e libro *de morte Peregrini* § 43: „olim tibi, amice, narraui ὡς συμπλεύσαιμι αὐτῷ (Peregrino) καὶ τὴν τε ἄλλην τὴν ἐν τῷ πλῶ τρυφὴν καὶ τὸ μεираκιον τὸ ὠραϊον, ὃ ἔπεισε κυνίζειν ὡς ἔχοι καὶ αὐτὸς τινα Ἄλκιβιάδην.” Audisne, rogo, hic ipsam Luciani vocem viventis atque spirantis? Tantam habet vim illud καὶ αὐτός opportune adhibitum. Ergo mirum non est admodum frequenter recurrere neque ab ullo Luciani libro paulo festiviore abesse. Quid vero noster? Observavit et hic illas Luciani delicias ergo . . . operam dat ut quam saepissime suum καὶ αὐτός legentibus obtrudat. Decem paginis octies — ut minimum dicam, non enim dubito quin aliquos locos annotare neglexerim — invenitur, neque quidquam est quod tibi *Fugitivos* legenti tantum pariat taedium quam istud semper et ubique recurrens καὶ αὐτός. Nihil est quod magis efficiat ut tibi non cum vero Luciano sed cum aliqua eius simia rem esse sentias.

Comparari potest et haec ingratisissima tam brevi spatio repetitio:

§ 3 et 4 τοῦνομά γε τοῦμόν ἐπιβοᾶται, τοῦνομα τοῦμόν ἐπιγραφόμενοι, τοῦνομα τὸ ἡμέτερον ἐπιγράφονται. Ter idem paginae dimidio apud Dindorfium! Agnoscisne tironem vocabulorum laborantem inopia? Et quis praeter eum unquam πάνυ ἔῤῥστα (§ 14) scripsit et (§ 18) τὰ ἔξω καὶ τὰ δημόσια inter se iunxit?

Neque neglegenda haec, licet minus sint diserta:

§ 7 Gymnosophistae apud Indos *ἀνέχονται κάομενοι οὐδὲν τοῦ σχήματος ἢ τῆς καθέδρας ἐκτρέποντες. Καθέδρα „sedendi ratio”!* Quanto rectius et venustius *de morte Peregrini* § 25 quem locum haud dubie imitatur noster: *κατὰ σχῆμα κάονται, οὐδ' ὅσον ὀλίγον ἐκτρέψαντες τῆς κατακλίσεως.*

§ 13 „Falsi isti philosophi” (Philosophiae verba haec sunt) *σχηματίζουσι καὶ μετακοσμοῦσιν αὐτοὺς εὖ μάλα εἰκότως καὶ πρὸς ἐμέ.* Quis unquam sic locutus est?

§ 18 „Idem” eadem ait: *ἦν παιδὸς ὠραίου ἢ γυναικὸς λάβωνται καλῆς ἢ ἐλπίσωσι, σιωπᾶν ἄξιον οἶα ποιοῦσιν.*

Quid sibi istud *ἦν ἐλπίσωσι* hic vult? Non tamen corruptelae hic ulla suspicio. Vitium est eius qui totum libellum utcunq̄ conflavit.

§ 27 Rogat vir ille A Philosophiam eiusque comites deos quaedam quae nova illis atque inaudita sunt et esse debent. Tamen eo audito Philosophia exclamat: *παπαῖ, τὰ ἡμέτερα οὔτι ζητοῦσι. Αἴν vero? quid illi τρεῖς γόητες* et *γυνὴ ἐν χρῶ̄ κεκαρμένη ἐς τὸ Δακωνικόν* commune habent cum vestris Ctesippis, Polycetis aliis?

ib. Considerate istud Mercurii *κῆρυγμα* quam sit ineptum et quam plane obscurum esse debeat audienti. Tamen ille intelligit — simulque non intelligit — de suo agi Cantharo.

§ 28 Quem ubi philosophari cognovit: *ὦ τῆς τόλμης. ὁ Κάνθαρος Φιλοσοφεῖ, Φησιν, ἡμῶν δ' οὐδεὶς λόγος.* Gaudet ineptus quod ex Aristophane afferre possit aliquid sed utrum apte afferat an absurde non curat. Qui enim isti *ἡμεῖς* sunt?

Respondet Mercurius:

*ἀμέλει ἅπαντας ἀνευρήσομεν· συνίησι γὰρ, ὡς Φησιν, αὕτη.*

Ecquis ultima ista intelligit? Non ego, neque tamen in librario ulla esse culpa videtur.

§ 29 „Aedes vobis Canthari monstrabo” Orpheus ait „ipsum non monstrabo *ὡς μὴ κακῶς ἀκούοιμι πρὸς αὐτοῦ*”.

Nonne insolitum hoc, *κακῶς ἀκούειν* eum dici in quem convicia ingerantur et maledicta?

§ 31 Sic servum suum alloquitur dominus:

*ἔχω σε ὦ Κάνθαρε. νῦν σιωπᾶς; Φέρ' ἰδωμεν ἄτινά σοι ἢ πῆρα ἔχει, θέρμους ἴσως ἢ ἄρτου τρύφος.*

Exspectes nunc eundem perscrutaturum peram. Sed has partes — quid opus? — bonus Mercurius in se recipit seque invenisse narrat, quid putas? Nimirum aurum. Immo ζώνην χρυσοῦ. Parum ergo cynice noster non sic temere nummos aureos quos accepit in suam iniecit peram sed prius in zonam condidit.

§ 33 Illi πιττωταί qui sunt et γυναικεία πίττη quid?

Denique inepti est imitatoris totum opusculum. Et fortasse ideo sibi Lucianum imitandum sumpsit quo melius aut omnes Cynicos, quos ferre non posset, aut quosdam eorum, quibuscum internecivum gerebat bellum, suspectos redderet atque invisos aequalibus. Nam quo tempore fere libellus in lucem prodierit frustra quaerimus quaeremusque. Homines qui in scenam inducuntur sunt omnes, quemadmodum iam dixi, ἀμενηνὰ κάρηνα, totaque est fabula vitae expers. Talia vel triginta vel trecentis post Lucianum annis fingi potuerunt. Mihi sat est hoc deonestamento Lucianum liberasse, simulque demonstrasse iam antiquitus bonum auctorem eum esse visum quem utcunque imitari posse laudi sibi et honori ducerent pueri in scholis rhetorum et sophistarum discentes.

Neque suo sibi successu puerulus iste noster caruit. Multorum enim manibus trita est eius exercitatio, in multa eorum causa descriptus est libellus exemplaria et sic omne contraxit vitiorum genus. Age quaedam in fine huius disputatiunculae corrigere conemur!

§ 5 „Cognitis hominum miseriis” (sic Philosophiam alloquens inducitur Iupiter) „ego te προκρίνας ἐξ ἀπάντων ἡμῶν πέμπω ἰασομένην”.

Non ferendum istud ἡμῶν. Aut dele aut lege ὑμῶν (e vobis, filiis filiabusque meis). Postquam sic Iovis verba Philosophia retulit, respondet ille:

οἶδα πολλὰ καὶ ταῦτα εἰπὼν τότε.

Nihili hoc. Lege πολλὰ καὶ ἄλλα τῶνταῦτα.

§ 6 Et haec sunt Philosophiae verba:

γένος ὄλον οἱ Βραχμᾶνες τοῖς Νεχραίοις καὶ Ὁξυδράκαις ὄμοροι οὔτοι πάντες ὑπ' ἐμοὶ τάττονται.

Pro οὔτοι lege ὄντες et in transitu observa nostro Brahmanes esse *populum*. Tam male ille suum Lucianum intellexit.

§ 7 Rogata videritne Peregrinum in rogam insipientem respondet Philosophia:

οὐδ' ἀνήλθον, ᾧ πάτερ, εἰς Ὀλυμπίαν δέει τῶν καταράτων ἐκείνων, εὖς ἔφην, ὅτι πολλοὺς αὐτῶν ἐώρων ἀπίοντας ὡς λοιδορήσαιντο τοῖς συνεληλυθόσι.

Si Olympiam non iit, neminem potuit inde redeuntem videre, neque quisquam inde *rediit* ut malediceret iis qui Olympiae erant. Lege ergo ἀπίοντας. Idem habes vitium *de morte Per.* § 39 in. Sed ibi typhothetae error videtur in Dindorfiana ἀπιούσι pro ἐπιούσι.

§ 12 „Operarii isti” sic narrat Philosophia „pueri artem suam exercebant et praeterea nihil; ne nomen quidem meum audiverant unquam”

ἐπεὶ δ' εἰς ἄνδρας τελεῖν ἤρξαντο καὶ κατεῖδον τὴν αἰδῶ, ὅση παρὰ τῶν πολλῶν ἐστὶ τοῖς ἐταίροις τοῖς ἐμοῖς, καὶ ὡς ἀνέχονται οἱ ἄνθρωποι τὴν παρρησίαν αὐτῶν καὶ χαίρουσι θεραπευόμενοι καὶ συμβουλευούσι πείθονται καὶ ἐπιτιμῶντων ὑποπτήσσοσι, ταῦτα πάντα τυραννίδα οὐ μικρὰν ἠγοῦντο εἶναι.

Quae diductis literis scribenda curavi sic vertit Croisetus „se réjouissent d'être soignés par eux” neque potuit aliter vertere. Sed non hic agitur de philosophorum cura qua bene merentur de aliis hominibus, verum de commodis quibus fruuntur ipsi; haec eorum vitam invidendam reddunt operariis. Lege θεραπεύοντες et vide quam bene cohaereant omnia et inter se respondeant.

§ 13 αἱ τέχναι δὲ γλίσχραι καὶ σὺν πόνῳ καὶ μόγις ἱκανὰ παρέχειν ἐδύναντο.

Immo τὰ ἱκανά.

§ 14 ἡ ἐλευθερία δέ (omnium qui philosophantur aut philosophari se simulant) πρόχειρος ἄκοντος τοῦ δεσπότου.

Legendum censeo ἀκούοντος. Quidquid in buccam venit evomunt domino praesente. Nunc demum recte additur: καὶ εἰ βούλοιο ἀπάγειν παταχθησομένου τῷ ξύλῳ.

§ 15 καὶ γὰρ αὖ κάκεινο ἐώρων (operarii illi) ὡς ἐξ ἴσου καταστήσονται τοῖς ὀρθῶς φιλοσοφοῦσιν, οὐδέ τις ὁ δικάσων καὶ διακρινῶν τὰ τοιαῦτα ἔσται

Ut bene Graeca haec fiant, exime τις.

ὁ λωφήσων γὰρ οὐ πέφυκέ πω  
apud Aeschylum.

§ 17 „Mox” Philosophia ait „omnes operarii officinas suas relinquunt, cum viderint ignavos istos philosophos omnibus abundantantes rebus”

ταῦτα ὁ ἐπὶ Κρόνου βίος δοκεῖ αὐτοῖς καὶ ἀτεχνῶς τὸ μέλι αὐτὸ ἐς τὰ στόματα εἰσεῖν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ.

Scribendum, ut opinor, est δόξει pro δοκεῖ, et εἰσεῖν pro εἰσεῖν.

§ 18 „Ipsas hospitem suorum coniuges impostores illi abducunt ut Paris ille”

εἶτα κοινὰς αὐτὰς ἄπασιν τοῖς συνοῦσι προθέμενοι Πλάτωνος τι οἶονται δόγμα ποιεῖν.

Istud δόγμα ποιεῖν quid quaeso est? Inserere κατὰ ante Πλάτωνος ut sit „Platonis decreto obtemperare”.

§ 19 „Ipsi in conviviis cibis semet implent et vino ingurgitant, sed declamant in voracitatem et temulentiam”

οὐδὲν γ’ ἂν οὕτως εὖροις ἂν ἄλλο ἄλλῳ ἐναντίον ὡς τοὺς λόγους αὐτῶν καὶ τὰ ἔργα.

Bene haec procedent, si pro γ’ ἂν legeris γάρ.

§ 20 Sic declamare isti solent:

χρυσίον μὲν ἢ ἀργύριον, Ἡράκλεις, οὐδὲ κεκτῆσθαι ἀξιῶ, ὀβολὸς ἱκανός, ὡς θερμούς πριαίμην· ποτὸν γὰρ ἢ κρήνη ἢ ποταμὸς παρέξει.

Non γάρ, sed δέ hic requiritur.

§ 27 εἴ τις ἀνδράποδον εἶδε Παφλαγονικόν sic proclamat Mercurius et Paphlagonem illum describit, tum eum qui illum viderit iubet

μηνύειν ἐπὶ ῥητῶ αὐτονόμῳ.

Ultimum vocabulum sic interpretatur Fritzschius „mercede certa et legibus plane consentanea”. Ad hanc normam quodvis vocabulum quidvis potest significare. Lege quod unice huc quadrat ἀργυρίῳ.

§ 29 Orpheum sic Hercules salutat:

χαῖρε, ὦ ἄριστε καὶ μουσικώτατε [Ὀρφεῦ].

Ne sit ineptior quam opus est noster, dele nomen inclusum.

§ 30 Audito versu Homerico:

Ξεινοδόκον κακὰ ῥέξεν ὃ κεν Φιλότητα παράσχη

vir B exclamat:

περὶ ἐμοῦ τοῦτο τὸ ἔπος, οὗ τὴν γυναῖκα ὄχετο ἀπάγων, διότι αὐτὸν ὑπεδεξάμην.

Non δίστι ut opinor, sed ὅτε.

ib. Et haec cantat Circe nostra:

πρόσθε κύων, ὄπιθεν δὲ λέων, μέσση δὲ χίμαιρα  
δεινὸν ἀποπνεύουσα τρίτου κυνὸς ἀγρίου ἕρμην.

Ain vero? *imprelumne* aliquis exhalat an ... *odorem*? Hoc, ut opinor, lege ergo ὀδμήν. (Iam scripseram haec cum admonebar sic iam locum correctum a sagacissimo viro Gesnero, qui saepe negligitur.) Ad τρίτου κυνός Fritzschius annotat: „*poetice* pro τριῶν κυνῶν”. Immo vero absurde et ita ut ex uno hoc exemplo totus appareat Luciani imitator ineptus. In arte poetica non praestat Alexandro qui Sibyllam facit Alexandri nomen dicentem

ἀνδρὸς ἀλεξιτήρος ὀμωνυμίην τετράκυκλον.

Paulo ante versibus de Thersita auditis Canthari dominus exclamat:

εἰκότως τοῦ καταράτου τὰ ἔπη.

Non Cantharus, ut opinor, hic cantat sed ipse est carminis argumentum. Inse ergo περὶ post εἰκότως.

§ 33 οὕτω μοι δοκεῖ, ab his verbis Mercurii incipit iudicium, sequuntur accusativi cum infinitivis quibus significatur quid fieri muliere ista oporteat, quid Lecythione, quid Myropno, postremo addit:

ἔπειτα καὶ τοῦτον παραδοθῆναι τοῖς πιττωταῖς.

Praeter Cantharum hac poena nemo afficitur, ergo καὶ delendum.

# OBSERVATIONES AD AEGYPTI PERTINENTES ADMINISTRATIONEM QUALIS AETATE LAGIDARUM FUIT.

SCRIPSIT

M. ENGERS.

## DE PHYLACITARUM EPISTATA.

Ἐπιστάτης (τῶν) Φυλακῖτων sive ἐπιστάτης τῶν Φυλακῖτων τοῦ ... νομοῦ magistratus est, qui omnibus nomi phylacitis praeesit; phylacitis autem praeter alia, de quibus infra agetur, securitas publica in oppidis vicisque mandata est <sup>1)</sup>. Phylacitarum cursus est hic:

Φυλακῖται	}	magistratus	
ἀρχιΦυλακῖτης κώμης <sup>2)</sup>		vici	
ἀρχιΦυλακῖτης τόπου <sup>2)</sup>	}	magistratus	
ἀρχιΦυλακῖτης νομοῦ <sup>2)</sup>			nomi.
ἐπιστάτης τῶν Φυλακῖτων			

Sed neque ἐπιστάτης κώμης, qui praepositus est omnibus vici

1) Conferri possunt:

Wilcken, *Grundzüge* p. 411 sqq.

Engers, *De Aegyptiarum κωμῶν administratione* (Diss. Gron.) p. 73 sqq. et opera ibi laudata.

Lesquier, *Les Institutions militaires de l'Égypte sous les Lagides* p. 260 sqq.

Jouguet, *La vie municipale dans l'Égypte romaine* p. 60.

Semeka, *Ptolemäisches Prozessrecht* p. 107<sup>1)</sup>.

2) Multi viri docti in papyris disserendis errant, cum inter hos magistratus non satis distinguunt.



ministris publicis, neque ἐπιστάτης νομοῦ in eodem cursu est <sup>1)</sup>). Magni interest hoc statuere: apparebit enim in papyris, Lagidarum aetate scriptis, epistatae phylacitarum rarius mentionem fieri quam ut munera, quibus ille magistratus fungitur, clare illustrentur. Quae contra munera minoribus huius cursus magistratibus, archiphylacitis phylacitisque vici, iniuncta fuerint, satis constat. Itaque papyris deficientibus multa aliunde nobis efficienda erunt.

Iam primum statuamus, cum ἐπιστάτου τῶν Φυλακῶν in papyris mentio fiat, magistratum nomi dici:

*Pap. Petrie* III, 128 (p. 316) certiores nos facit de salario, maioribus phylacitarum cursus magistratibus praebito; primus commemoratur ἐπιστάτης Φυλακῶν, sequuntur qui praesunt phylacitis μερίδων nomi Arsinoitae. Ἐπιστάτην Φυλακῶν totius nomi Arsinoitae hic dici patet.

In *Pap. Petrie* III, 130 (p. 321) legitur:

Νίκων ἐπιστάτης Φυλακῶν καὶ ἀρχι[  
ἴπποις θηροφύλαξιν χαίρειν τοῦς[

Iniuria ego antea supplevi ἀρχιφυλακτεύσας <sup>2)</sup>; cum editoribus *Pap. Hibeh* (p. 175) et Wilckenio (*Grdz.* p. 412) legendum est ἀρχιφυλακίτης. Fieri non potest ut Nicon noster vici magistratum gerat, nam vici epistata semper appellatur ἐπιστάτης κώμης sive διεξάγων τὴν ἐπιστατείαν τῆς κώμης <sup>3)</sup>; restat igitur ut fungatur ἐπιστατεῖα Φυλακῶν et ἀρχιφυλακτεῖα nomi.

*Pap. Paris.* 63, 140 sqq. Enumerantur magistratus quibus adiuvantibus curandum est ut omnes incolae, idonei ad munera

1) Iniuria antea ἐπιστάτην τῶν φυλακῶν et ἐπιστάτην τοῦ νομοῦ eodem fuisse putabam (*Diss.* p. 76<sup>a</sup>). Eiusdem sententiae erat Jouguet (*Vie municipale* p. 53). Primus errorem indicavit Fr. Oertel, *Die Lilurgie* (*Diss. Lips.*), laudans inscriptionem C. I. G. 4896 (= Dittenberger, *Or. Gr. Inscr.* 139), ubi et ἐπιστάται (sc. νομοῦ) et ἐπιστάται φυλακῶν nominantur. Munera utriusque magistratus diversa sunt; cum enim nomi epistata primo iurisdictionem arbitriam, postea munera iudiciaria haberet (*Semeka, Ptol. Prozessrecht* p. 83 sqq.), ἐπιστάτου τῶν φυλακῶν munera pertinent, sicut infra monstrabo, ad securitatem publicam et reditus publicos. Nescio annon casu acciderit ut omnes, quod videam, ἐπιστάται νομοῦ, de quibus audimus, magistratus suos in Thebaide gerant. Fortasse et hac in re Thebaei excipiuntur.

2) *Diss.* p. 76<sup>a</sup>.

3) Cf. *Pap. Tebt.* I, 43, ubi magistratus commemoratur, qui una ἐπιστατείαν et ἀρχιφυλακτεῖαν κώμης obtinet: Δημητρίωι τῶι διεξάγοντι τὰ κατὰ τὴν ἐπιστατείαν καὶ ἀρχιφυλακτεῖαν τῆς αὐτῆς (sc. κώμης).

praestanda, adhibeantur ad γεωργίαν βασιλικῆς γῆς, neve inopes cogantur regiam terram colere: συνεδρε[ύ]σαντες δὲ μετὰ τῶν στρατηγῶν καὶ τῶν ἐπιστατῶν τῶν Φυλακитῶν καὶ τῶν οἰκονόμων καὶ τῶν βασιλικῶν γραμματεῶν κ.τ.λ. Ex magistratuum ordine ἐπιστάτας τῶν Φυλακитῶν τῷ νομῷ hic tribui apparet.

*Pap. Tebt.* I, 6 (= Wilcken, *Chrestomathie* 332) decretum est regium ad sacerdotum reditus tuendos. Rex scribit τοῖς στρατηγοῖς καὶ τοῖς Φρουράρχοις καὶ τοῖς [ἐπιστάταις τῶν Φυλακитῶν καὶ] ἀρχιφυλακίταις καὶ ἐπιμεληταῖς [καὶ οἰκονόμοις καὶ βασιλικοῖς γραμματεῦσι καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς [τὰ βασιλικά πραγματευομένοις] <sup>1</sup>). Nomi tantum magistratus spectant iussa eius, inter quos et ἐπιστάτας τ. Φ. τοῦ νομοῦ et ἀρχιφυλακίτας νομοῦ.

*Pap. Tebt.* I, 5, 155—161 (= 138—143). Inter multa alia iussa rex Euergetes II edicit nulli homini licere vectigalia recipere a rusticis ceterisque nisi τοῖς στρατηγοῖς καὶ ἐπιστάταις τῶν φυλακитῶν ἢ ἀρχιφυλακίταις ἢ οἰκονόμοις ἢ τοῖς παρ' αὐτῶν ἢ τοῖς ἄλλοις τοῖς πρὸς ταῖς πραγματεία(ς) καθ' ὄντινον τρόπον. Ut strategi, epistatae, archiphylacitae, oeconomi sunt magistratus nomi, sic οἱ παρ' αὐτῶν eorum vices agunt in topis vicisque.

*Pap. Tebt.* I, 43 (= Mitteis, *Chrestomathie* 46). Asclepiades quidam, missus παρ' Ἀμιν[ίου] τοῦ ἐπιστάτου τῶν Φυλακитῶν τοῦ αὐτοῦ νομοῦ (sc. Arsinoitae), manum inicit nonnullis viris vici Cerceosiridis. Ipsius verbis epistata nomi magistratus vocatur.

*Pap. Tebt.* I, 179 (descripta) pars est rationis, in qua pecuniae quaedam enumerari videntur, solutae ministris publicis, inter quos τοῖς παρὰ τοῦ ἐπιστάτου τῶν Φυλακитῶν ὅτε ἤλθοσαν χάρι(ν) τῶν προβά(των). Ex verbis ab editoribus editis intellegi non potest quo loco epistata sit.

*Pap. Leid.* G. Petitione a sacerdote quodam facta rex edictum dat τῷ στρατηγ[ω]ῖ τοῦ Μεμφίτου καὶ τῷ Φρουράρχωι [καὶ] τῷ ἐπιστάτῃ τῶν φυλακитῶν καὶ ἀρχιφυλακίτῃ καὶ τῷ ἐπιτ[ρ]ῶν προσδ[ω]ν καὶ βασιλικ[ω]ῖ [γρ]αμματεῖ καὶ τοῖς ἐπιστάταις τῶν ἱερ[ω]ν καὶ ἀρχιερεῦσι [καὶ] τοῖς ἄλλοις τοῖς [τὰ] βασιλικά πραγματευομένοις ut sacerdoti petenti satisfaciant. Nemo dubitabit quin ἐπιστάτης τ. Φ. et ἀρχιφυλακίτης, quippe qui enumerentur

1) Edd. conferentes *Pap. Leid.* G. satis certe suppleverunt.

inter Φρούραρχον et τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων, magistratus nomi superiores, et ipsi nomi magistratus sint.

C. I. G. 4896 (= Dittenberger *Or. Gr. Inscr.* 139) petitio est, regi data a sacerdotibus Isidis quae Philis colitur, qua queruntur se impensis, necessariis ad regios magistratus morantes apud se bene recipiendos, nimis premi. Petitio incipit sic: ἐπεὶ οἱ παρεπιδημοῦντες εἰς τὰς Φίλας στρατηγοὶ καὶ ἐπιστάται καὶ θηβάρχαι καὶ βασιλικοὶ γραμματεῖς καὶ ἐπιστάται Φυλακῆτων καὶ οἱ ἄλλοι πρα[γ]ματικοὶ πάντες — ἀναγκάζουσι ἡμᾶς παρουσίας αὐτοῖς ποιῆσθαι οὐχ ἔκοντας κ.τ.λ. Luce clarius est magistratus tantum nomi itinera facientes per nomum deversari ad templa; neque minus eo quod ceteri, a sacerdotibus nominati, magistratus sunt nomi, etiam epistatas eodem loco esse demonstratur.

Dittenberger, *Or. Gr. Inscr.* 96. Πτολεμαῖος Ἐπικύδου ὁ ἐπιστάτης τῶν Φυλακῆτων καὶ οἱ ἐν Ἀθρίβει Ἰουδαῖοι deo maximo synagogam dedicant. Cum autem Athribis caput sit nomi, verisimile est et epistatam Ptolemaeum ibi provinciam obtinere. Sed utrum magistratum nomi habeat necne inscriptione ipsa diudicari non potest.

Omnibus perspectis iam concludere licet, id quod huius disputationis initio dixi, ἐπιστάτην τ. Φ. totius nomi phylacitis praeesse <sup>1)</sup>.

Quaerentibus de ἐπιστάτου τ. Φ. muneribus primum considerandum est quaenam munera imposita fuerint archiphylacitae phylacitisque vici, qui epistatae vices excipiant; de eorum enim muneribus papyris melius edocti sumus quam de superiorum magistratuum officiis. Deinde comparabimus quid papyri de epistata ipso nos doceant.

Omnibus regiis magistratibus in Lagidarum regno imprimis opera danda erat ut rebus fisci consulerent; cui incolarum salus

1) Non assentiendum est editoribus *Pap. Hibeh* et Lesquier, qui illum Dorionem in *P. Hibeh* I, 34 (= Mitteis, *Chrestomathie* 34) et 73 ἐπιστάτην Φυλακῆτων esse putant (Annot. ad *Hibeh* 34, 1; Lesquier, *Instit. milit.* p. 261<sup>4</sup>). Ut iam Semeka (*Ptol. Prozessrecht* p. 52) explicat, Dorion est ἐπιστάτης κώμης.

postponebatur, quamquam Lagidae primi, ut erant reges prudentes, bene sciebant salutem publicam niti rebus prosperis singulorum. Itaque etiam phylacitis in oppidis vicisque duae res diversissimae erant iniunctae, cura securitatis publicae, muna ad reditus publicos pertinentia.

DE EPISTATAE CURA SECURITATIS PUBLICAE.

In dissertatione mea <sup>1)</sup> complura exempla attuli quomodo phylacitae officio suo in vicis fungantur: manum iniciunt sceleratis, iudicia exequuntur, servant disciplinam publicam. Quibus officiis fungentes custodiunt eos et alii magistratus superiores et epistata noster <sup>2)</sup>. Sed sunt qui putent epistatam etiam muna iudiciaria habuisse, freti *Pap. Tebt.* I, 43, de qua papyro paulo fusius loquemur.

Petitio est, ad regem Ptolemaeum Euergetam II et reginas data ab illo Menche, *κωμογραμματαί* vici Cerceosiridis, nomi Arsinoitae, et eius fratre Polemone. Explicant se, die XVII mensis Athyr certiores factos de adventu Asclepiadis cuiusdam, missi a nomi phylacitarum epistata, ei obviam isse una cum comarcha, nonnullis *πρεσβυτέροις γεωργῶν*, Demetrio, *τῶι διεξάγοντι τὰ κατὰ τὴν ἐπιστατείαν καὶ ἀρχιφυλακτεῖαν τῆς αὐτῆς* (sc. *κώμης*), aliis; Asclepiadem autem sibi et Demetrio et uni ex colonis regiis manum iniecisse, commemorantem et in alios et in illos *ἐπιδεδόσθαι προσαγγελίαν* ab Haryota quodam, quod se veneno interimere conati essent; se duobus diebus post ad epistatam ductos, *ἐξ ἐπισκέψεως παρόντος καὶ Ἀμενέως τοῦ βα(σιλικοῦ) γρ(αμματέως)* statim dimissos esse. Quam ob rem a rege petunt, ut strategum curare iubeat ne ob eandem rem rursus molestiis affician- tur. Secunda manu subscriptum est: Ἀπολλωνίω (i. e. stratego). Ἐὰν ἦι οἶα προφ(έρ)εται προνοηθῆναι ὡς οὐ περισπασθῆσονται <sup>3)</sup>.

Fridericus Zucker <sup>4)</sup> epistatam hac in re iudicis loco senten-

1) *De Aegyptiarum κωμῶν administratione* p. 82 sqq.

2) Cf. *Pap. Hibeh* I, 55; 59; 60; 61; 62; 167 (descr.); 168 (descr.), omnes datas ad Ptolemaeum quendam, archiphylacitam vici, de quibus infra (p. 266) agetur.

3) Supra hoc verbum scriptum est *παρενοχληθήσεται*.

4) *Beiträge zur Kenntnis der Gerichtsorganisation im ptolemäischen und römischen Aegypten* (*Philologus*, Supplementband XII), p. 110.

tiam tulisse arbitratur et ei interdum iurisdictionem concessam fuisse concludit, nisus verbis *ἐπεὶ ἐξ ἐπισκέψεως ἐν συνεδρίαι παρόντος καὶ τοῦ βασιλικῆ γραμματέως πεφύναμεν ἀνάιτιοι* (30 sqq.). Mihi contra ex ordine rerum effici posse videtur epistatam non tulisse sententiam, sed rei quaestionem habuisse, qua tantum a fuit ut accusati sceleris convicti sint ut epistata causa cognita Menchem et alios dimiserit. Nihil enim suspicantes hi Asclepiadi in vicum venienti obviam eunt et ex eo audiunt contra se *προσαγγελίαν* datam esse (13 sqq.). Atqui *προσαγγελίαν* peti solet, ut is, cui datur, rem post quaestionem habitam ad iudices competentes deferat <sup>1)</sup>. Ergo reis accessitis epistata in rem inquit, sed, cum culpa non satis manifesta sit, eos dimittit. Si ita res se habet, patet quare comogrammateus et Polemo regem adeant, quod intellegi non posset, si in iudicio rei absoluti essent.

Quid talis *προσαγγελία* sibi velit, alia papyro, scripta fere isdem temporibus atque *Tebt.* 43, bene illustratur, dico *P. Paris.* 6 (126 a. C.). Epistatae quidem non est data, sed *ἀρχιφυλακίτη τοῦ περὶ Θήβας* (i. e. archiphylacitae nomi), quem fere eodem loco fuisse et isdem muneribus functum esse atque epistatam nemo negabit. Quae *προσαγγελία* sic incipit: *Δ[...ωι τῶν Φίλων κ]αὶ ἰππ[ἀρχη] ἐπ' ἀνδρ[ῶν καὶ ἀρχιφυλ]ακίτηι τοῦ περὶ Θήβας π[αρ' Ὀσ]ροήριος τοῦ "Ἔρου χαρχύτ[ου<sup>2)</sup>] τῶν] ἐκ τῶν Μεμνονεῖω[ν· Εἰ]σαγγέλλω<sup>3)</sup> ὅτι κ.τ.λ.*

Sacerdos queritur plures viros sepulcrum, sibi custodiendum mandatum, violavisse et querelae hanc petitionem addit: *ἀξιῶ ἀνα[καλέσαι] αὐτοὺς (sc. reos) ἐπὶ [σὲ] καὶ τὴν προσήκουσ[αν] ἐξ ἐπισκέψεως δι' ἀληψ[ιν] ποιήσασθαι.* Rogat igitur accusator ut archiphylacita reos ad se accessat et causa cognita rem decernat,

1) Zucker ipse in disputatione supra laudata de *προσαγγελίαις*, post tertium saeculum datis, dicit: „von den Adressaten wird Weitergabe an eine höhere Instanz verlangt“ (p. 95). Cf. Mitteis, *Grundzüge* p. 21: „Solche (sc. magistratus quibus *προσαγγελίαι* dantur) nehmen wohl auch die dringlichsten Erhebungen und Verfügungen vor ... Öfter werden provisorische Massregeln ergriffen: Untersuchungshaft; Vermögenssequestration.“

2) *Χαρχύτης* est sacerdos, cui cura est mandata corporum arte medicatorum.

3) Editor supplavit *εἰ]σαγγέλλω*, sed Zuckero assentiendum est, nisi *προ]σαγγέλλω* supplendum sit, papyrum utique in *προσαγγελιῶν* numero habendam esse (*Beiträge* p. 95).

i. e. oportet eum aut rem ad iudices deferre aut, si culpa non satis manifesta sit, reos dimittere <sup>1)</sup>).

Sed iam redeamus ad *Tebt.* 43. Non est quod miremur nostra in causa *προσαγγελίαν* datam esse epistatae phylacitarum, quamquam plerumque accusatores magistratus minores adeunt. Inter reos enim est Demetrius, archiphylacita et epistata vici Cerceosiridis, praepositus omnibus vici ministris publicis <sup>2)</sup>); magistratum igitur vici cum accusator adire non possit, querelam suam defert ad nomi ministrorum publicorum praefectum. Neque magis nobis est mirandum *βασιλικὸν γραμματεία* inquisitioni interfuisse; nam ut epistata archiphylacitae accusato est praepositus, ita *βασ. γραμματεὺς* praefectus duorum *κωμογραμματέων* accusatorum in inquisitionem adhibitus est. Neque verba *ἐξ ἐπισκέψεως* demonstrare possunt id quod Zuckerus vult. In petitione enim *P. Paris.* 6, supra laudatae, accusator rogat ut archiphylacita consulat *ἐξ ἐπισκέψεως*, quae verba ad iudicium pertinere nemo perhibebit. Quod autem inquisitio facta est *ἐν συνεδρίαι*, haec res potius a consilio magistratum reos auditos esse quam a iudicibus demonstrare videtur. Saepius enim in papyris consilium magistratum, rem ad administrationem pertinentem deliberantium, *συνεδρία* vocatur <sup>3)</sup>).

Ad sententiam suam probandam Zucker praeterea monet de *Pap. Lond.* II p. 164, scripta aetate Romana (10 a. C.), ubi duo rei, in vincula coniecti, praefectum Aegypti adeunt ut strategum iubeat se dimittere; in petitione dicunt se iam bis auditos esse, antea a Cordo epistata, nunc *ἐπὶ τοῦ Βρεῖσιωνος* (qui Cordo successit) *παρόντος καὶ Διο[δ]ώρου . . . καὶ γενομέν[ης]*

1) Conferri potest papyrus, edita a v. c. Preisigke (*Sammelbuch griechischer Urkunden aus Aegypten*, n. 4638). Filiae heredes Ptolemaei mortui adultae *προσαγγελίαν* dant Heraclidi, archiphylacitae nomi Pathyritae, quod consanguinei patris hereditate iniuria potiti sint. Hac in causa archiphylacita arbiter extitisse videtur, cf. vv. 13 sqq.: . . . *ἐπεδώκαμεν ἐν τῷ ᾧ (ἔπει) προσαγγελίαν Ἡρακλείδει γενομένῳ ἀρχιφυ(λακίτη) τοῦ Παθυρίτου, ἐφ' οὗ ἀνομολογησάμενοι μόλις ἀπέδωκάν* (sc. consanguinei) *τινα συναλλάγματα κ.τ.λ.*

2) Semeka errat, putans epistatam vici rem cognoscere (*Ptol. Prozessrecht*, p. 107; 196<sup>1)</sup>); immo, is, qui *ἐπιστάταια κώμης* fungitur, Demetrius, inter reos est. In p. 163 contra Semeka bene hac de re disputat.

3) Cf. *Pap. Tebt.* I, 61 b, 222; *Paris.* 63, 140 (*συν[ε]δρε[ύ]σαντες δὲ μετὰ τῶν στρατηγῶν* etc.); *Tebt.* I, 27, 31.

ἱκανῆς τῶν ῥητόρων [...] ἄμειλλης. Ex verbis laudatis Zucker efficit initio aetatis imperatoriae epistatam interdum iudiciariis muneribus functum esse <sup>1)</sup> Quod ex illis verbis nullo modo concludi posse cum Wengero <sup>2)</sup> puto, quamvis concedendum sit mirum esse in epistatae inquisitione oratorum certamen factum esse.

Iam breviter colligamus res de quibus verba adhuc fecimus. Zuckerus persuadere nobis conatus ἐπιστάτην τῶν Φυλακῆτων interdum iudicis sententiam tulisse, rem non probavit. Immo, ex *Pap. Tebt.* I, 43 lucide apparuit epistatae iniunctum fuisse, id quod omni magistratui erat mandatum cui securitas publica cordi erat, ut *προσαγγελίας* acciperet et causas cognosceret <sup>3)</sup>.

In *Tebt.* I, 43 tractanda vidimus epistatam Asclepiadem quendam misisse, qui reos in metropolin duceret, ubi ipse habitat. Sic in *Pap. Tebt.* I, 179, ab editoribus hoc modo descripta „Parts of five columns of an account”, et aliis ministris securitatem publicam defendentibus pecuniae summae solvuntur et τοῖς παρὰ τοῦ ἐπιστάτην τῶν Φυ(λακῆτων) ὄτε ἤλθοσαν χάρι(ν) τῶν προβάτων.

Nihil nimirum constat, sed saepius accidisse videtur ut pastores greges suos pascere in regiis agris, quam ob causam oves publicarentur <sup>4)</sup>. Ut res se habet, epistatae apparitores fuisse patet, quod firmatur *P. Petrie* III, 128, in qua agitur de salario menstuo, praebito ἐπιστάτην Φυλακῆτων et aliis superioribus ma-

1) ... scheint es mir nicht gut möglich, eine Verhandlung mit συμπαρών und mit ῥήτορες in dieser Zeit als ein bloss polizeiliches Verhör ohne rechtsgültige Wirkung zu betrachten (*Beiträge* p. 118).

2) *Rechtshistorische Papyrusstudien*, p. 120.

3) Ad epistatam quoque pertinet id quod Semeka (*Ptol. Prozessrecht* p. 105 sq.) dicit de phylacitis et archiphylacitis: „Eine Jurisdiktion ... besaßen die Phylakiten und Archiphylakiten nicht. Ihre ganze Tätigkeit war rein polizeilicher Natur, und wenn sie auch den Beschuldigten im Wege der ersten Rechtshilfe veranlassen konnten, das offenbare Unrecht zu unterlassen, das Gestohlene herauszugeben u. s. w., so taten sie das nicht als Richter, sondern als Gendarmeriebeamte, welche sich nicht mit gerichtlichen Urteilen beschäftigen, sondern zunächst den nötigen tatsächlichen Schutz im täglichen Leben gewähren.”

4) Cf. *Pap. Hibeh* I, 52; 167 (Δημοφῶν Πτολεμαίωι χαιρεῖν. ἀνάγαγε μετὰ Ἀρμύσιος τοῦ ἀπὸ [τ]οῦ Ἰσιείου Φυ(λακῆτου) καὶ μετὰ Ἀλεξάνδρου τοῦ ἐκ Ταλαῶ τὰ Πρωτογένους καὶ Γάστρωνος πρόβατα πάντα); 168; fortasse etiam 55.

gistratibus <sup>1)</sup>. Ἐφόδοις autem τοῖς ἀκολουθοῦσι τῷ [ἐπιστά]τῃ τῶν Φυλακῆτων, triginta numero, menstruum ὀψώνιον unius drachmae datur.

Invenimus in papyris, Lagidarum aetate scriptis, plura ἐφόδων genera. In *Rev. Laws* Col. 10, 1 et 12, 17 ἔφοδοι sunt magistratus, qui vectigalium redemptoribus publice adduntur, ut eos iuvent in vectigalibus exigendis; quibus est salarium menstruum 100 drachmarum. Ἐφόδοι quoque inveniuntur inter ministros cursus publici <sup>2)</sup>. Quorum neutri epistatae apparitores esse possunt. Sed in tabellis, agentibus de statu terrae vici Cerceosiridis <sup>3)</sup>, inter possessores κληρουχικῆς γῆς nominantur unus χερσέφιππος, tres Φυλακῆται, tres ἐρημοΦύλακες, duo ἔφοδοι, qui omnes sunt ministri publici. Cum Φυλακῆται agri 10 aruras possident, ἐφόδοις sunt 24 arurae; hi igitur sunt superiores. Quatenam eorum ἐφόδων munera fuerint, non patet, sed superioribus magistratibus, qui securitatem publicam curant, adiuncti fuisse videntur. Mercedem fortasse accipiunt praedium κληρουχικῆς γῆς, quo vitam tolerant; quod si ita est, intellegitur ἐφόδοις in *Pap. Petrie* III. 128 unam tantum drachmam ὀψώνιον dari.

#### DE EPISTATA REBUS FISCI CONSULENTE.

Profecti a *Pap. Tebt.* I, 5, 188—192: ἀφῆσσει δὲ καὶ τοὺς κατὰ τὴν χώραν Φυ(λακίτας) τῶν παραγραφομένων πρὸς τὰς βασιλικὰς ἐπισκοπείας καὶ πρὸς ἅ καταπρόεινται γενή(ματα) καὶ τῶν παραδεδομένων αὐτοῖς πρὸς ὀφει(λήματα) καὶ πρὸς ἄλλας αἰτίας καὶ διαπεπρακότων (l. διαπεπραχότων) ἕως τοῦ ν (ἔτους), ante iam exposuimus <sup>4)</sup>, quatenam phylacitarum munera ad fiscum pertinentia fuerint. Una cum γενηματοΦύλαξιν iis cavendum est ne agricolae, sive βασιλικοί sunt γεωργοί, sive γῆν ἐν ἀφέσει colunt, messem in horrea ferant, priusquam omnia exsecuti sint <sup>5)</sup>. Deinde phylacitae exigunt nonnulla vectigalia.

1) Cf. Engers, *De Aegyptiarum κομῶν administratione*, p. 76.

2) *Pap. Oxyr.* IV, 710; *Dikaionata* p. 197.

3) *Pap. Tebt.* passim.

4) *Diss.* p. 78 sqq.

5) *P. Tebt.* I, 27, 53 sqq.



Quod attinet ad *ἐπισκοπείαν γῆς*, suspicari possumus hac in cura phylacitas maiores (magistratus topi et nomi dico) vici phylacitas custodivisse iisque imperata dedisse. Quam rem bene illustrat illa *P. Tebt.* I, 27: initio enim epistulae, ab Irenaeo dioeceta datae ad Hermiam, τὸν ἐπὶ τῶν προσόδων, ille scribit: Ἀρμεγῶτου τοῦ ἐν τῷ Ὄρ[ου] βασιλικῷ γραμματέως . . . καταχωρίσαντος καὶ τὰ πρὸς Θεόδοτον τὸν πρὸς τῇ οἰκονομίᾳ καὶ ἀρχιφυλακίται, δι' ὧν ἐδηλοῦτο ἀναγκαῖον εἶναι μεταπεμφθέντων εἰς κοινὸν συνέδριον τῶν κατὰ κώμην δεκανῶν <sup>1)</sup> τῶν Φ[υ]λακίτων ληφθῆναι μετὰ τῆς ἑαυτοῦ γνώμης ὡς ὑπετίθετο χειρογραφίας ὄρκου βασιλικῷ περὶ τῆς τῶν ἐπετείων γεννημάτων τη[ρ]ήσεως, θαυμάζειν καὶ λείαν ἐνηρχόμην κ.τ.λ. <sup>2)</sup>.

Ex verbis sine dubio corruptis <sup>3)</sup> colligi posse mihi videtur, dioecetam antea mandavisse Theodoto, ut consilio convocato δεκανοὺς τῶν φυλακίτων iureiurando adigeret se terram cultam bene custodituros esse. Theodotus autem οἰκονομίαν et ἀρχιφυλακίταιν <sup>4)</sup> nomi vel topi gerit, quippe qui τοὺς κατὰ κώμην δεκανοὺς convocet. Ut ille iusiurandum accipit, sic sine dubio eum curare oportet ne phylacitae fidem laedant.

Hac de re multa comperimus ex magno numero epistularum, datarum ad Ptolemaeum quendam et ab aliis magistratibus maioribus et ab Demophonte <sup>5)</sup>. Ex pluribus harum papyrorum Ptolemaeum archiphylacitam vici fuisse lucide apparet <sup>6)</sup>, cum nusquam aperte dictum sit, quemnam magistratum gesserit. Concludere igitur possumus Demophontem fuisse aut ἀρχιφυλακίτην τόπου, aut ἀρχιφυλακίτην νομοῦ, aut ἐπιστάτην τῶν φυλακίτων <sup>7)</sup>.

1) δεκανός decem phylacitis praesesse videtur.

2) *P. Tebt.* I, 27, 27 sqq.) Wilckenii lectionem sequor (*Chrestomathie*, 331).

3) Cf. Wilckenii interpretationem l.l.

4) Haec munera interdum iunguntur, cf. Preisigke, *Prins Joachim Ostraka* p. 54.

5) *Pap. Hibeh* 51—62: 130 (descr.); 167 (descr.); 168 (descr.).

6) 54, 30; 60; 167, Edd. Ptolemaeum phylacitam fuisse putant, cui in 56 mandatum detur a Patrone quodam archiphylacita; sed ille Patron non est archiphylacita κώμης sed τόπου (cf. *Hibeh* 34, 1; 73, 9 sq.). Ptolemaeus, qui ipse phylacitis imperet, procul dubio iis praepositus est.

7) Ex 168 Demophontem oeconomum non fuisse patet, loquitur enim de illo magistratu; cf. infra p. 267.

Iam nunc videamus, quomodo Demophon, magistratus superior, curet ne terrae reditus minuantur:

*Hibeh* 52 legitur:

[Δ]ημοφῶν Πτολεμαίωι χαίρειν.  
 [ὑπ]ογέγραφέ σοι τῶν ἀπὸ Θώλθως  
 [οἱ κα]τανεμεμήκασιν ἐκ τῆς βασι-  
 [λικῆς] γῆς τῆς ἐν τῇ κάτω το-  
 [παρχίαι τὰ ὄν]όματα κα[ὶ] τὰ  
 πλήθη κ[αὶ] ὤντινων κλήρων  
 ἀποκέχρηται ταῖς νομαῖς. συ  
 οὖν πειρῶ ἀσφαλέστατα  
 διεγγυῆσαι ἕπως μηθὲν δι[ά]-  
 πτωμα ἐξ ὑστέρου γίνη[ται],  
 οἶμαι γὰρ σε . . . . ν .[.] δια[. . .

Sequuntur nomina et cetera.

Nonnulli igitur agricolae iniuria sua pecora egerant in pascua, quae sunt βασιλικῆς γῆς; res, fortasse a Ptolemaeo neglecta, nuntiatur Demophonti, qui per litteras Ptolemaeum, sibi subiectum, monet ut illius cura damni restituendi praedes dentur.

Alias litteras Demophon Ptolemaeo scribit iubens eum pastorem quendam, νέμοντα τὰ Καρνεάδου τοῦ λογευτοῦ πρόβρατα, statim μετὰ Φυλακῆς mittere in metropolin: συντέταχεν γὰρ Ἄμμώνιος ὁ οἰκονόμος<sup>1)</sup>. Quamquam papyrus corrupta est, manifestum est quid sit rei. Pastor ille Carneadis pecora egerat in segetes, ferentes herbas olearias, quarum cura mandata erat oeconomio, sicut hic magistratus omnino in regis olei monopolio tuendo magnas partes habebat. Oeconomus, hac de re certior factus, Demophonti mandat ut curet illum pastorem vi abreptum Oxyryncha ducendum.

Haec sufficiant. Iam nobis perspicuum est, quemcumque magistratum Demophon gessit, quomodo et alii magistratus superiores et epistata noster vici phylacitas semper custodiverint moderatique sint.

Ut de epistatae muneribus ad agrorum curam spectantibus coniecturas tantum facere possumus, ita papyri paulo nos cer-

1) *Hibeh* 168 (descr.).

tiores faciunt de eius negotiis in vectigalibus exigendis. Legimus enim in illa *Pap. Tebt.* I, 5: *μηθένα δὲ λογεύειν μηθὲν παρὰ τῶν γεω(ργῶν) καὶ τῶν ὑποτελῶν καὶ τῶν ἐπιπεπλεγμένων ταῖς προσόδοις καὶ μελεισσοουργῶν καὶ τῶν ἄλλων ὥστε τοῖς στρατηγοῖς καὶ ἐπιστάταις τῶν Φυ(λακιδῶν) ἢ ἀρχιΦυ(λακίταις) ἢ οἰκονόμοις ἢ τοῖς παρ' αὐτῶν ἢ τοῖς ἄλλοις τοῖς πρὸς ταῖς πραγματεία(ι)ς καθ' ὄντινον τρόπον<sup>1)</sup>.*

Γεωργοὶ qui hic dicuntur βασιλικοὶ γεωργοὶ esse putantur<sup>2)</sup>, sed mirum est, cum hac in papyro passim illi coloni βασιλικοὶ γεωργοὶ sive γεωργῶντες βασιλικὴν γῆν vocentur<sup>3)</sup>, nostro loco eos γεωρούς solum dici<sup>4)</sup>. Praeterea mihi persuasum est, si βασιλικοὶ γεωργοὶ hic dicerentur, fore ut inter magistratus, quibus vectigalium exactio mandata erat, et βασιλικοὶ γοαμματεῖς nominati essent. Ei enim subiectus κωμογραμματεὺς in vicis magna ex parte βασιλικῶν γεωργῶν vectigalia exigit<sup>5)</sup>. Nostra vero in papyro praeter strategum, qui omni nomi administrationi praeest, nominati solum sunt ἐπιστάται τῶν Φυλακιδῶν, ἀρχιΦυλακίται, οἰκόνομοι. Quod ad oeconomum, multum quidem abest quin accurate cognoverimus, quaenam vectigalia ille magistratus exigere soleat, sed ei antiquitus multa negotia demandata fuisse ad regia monopolia spectantia, constat<sup>6)</sup>. Itaque suspicor γεωργοῖς hic dici eos colonos, qui fruges colunt pro regiis monopoliis olei et lini<sup>7)</sup>, sicut etiam ὑποτελεῖς et ἐπιπεπλεγμένοι ταῖς προσόδοις homines sunt qui in monopoliis operantur<sup>8)</sup>. Quare μελίσ-

1) 155—161 (= 138—143).

2) Rostowzew, *Studien zur Geschichte des römischen Kolonates* p. 64; Wilcken, *Grundzüge* p. 276.

3) 170; 200; 210; 222; 231; addi potest 146 (= 166).

4) De scriptoris errore cogitari non potest, nam cum vv. 136—146, scripti alia manu, eidem sunt ac 147—166, in his eadem est lectio atque in illis.

5) Engers, *De Aegyptiarum κωμῶν administratione* p. 21 sqq.

6) Cf. Steiner, *Der Fiskus der Ptolemaeer*, p. 21 sqq.

7) De his colonis cf. Wilcken, *Grundzüge* p. 241 sq., 245.

8) Wilcken (*Grdz.* p. 248) ἐπιπεπλεγμένοις ταῖς προσόδοις etiam βασιλικούς γεωρούς designari ex *P. Tebt.* I, 5, 140 et 156 (ubi inter verba τῶν et ἐπιπεπλεγμένων <ἄλλων τῶν> supplet) et 210 (πλὴν τῶν γεω(ργούντων) βα(σιλικήν) γῆν καὶ τῶν ὑποτελῶν καὶ τῶν ἄλλων τῶν ἐπιπεπλεγμένων ταῖς προσόδοις) concludit; quod hi loci demonstrare non possunt. Fieri enim potest ut verbum ἄλλων pertineat tantum ad verba τῶν ὑποτελῶν, sicut in *Tebt.* I, 5, 200 sq. verba τοὺς <ἄλλους> τοὺς τὴν ἐν ἀφέσει γῆν ἔχ[οντα]ς solum spectant ad τοῖς ἱερεῖς]. Cf. Grenfell et Hunt ad *Tebt.* I, 5, 156.

σουργοί separatim nominati sint, non est manifestum; μελισσοουργία enim regium monopolium esse videtur et μελισσοουργούς in ὑποτελῶν numero haberi verisimile est.

Rex igitur in hac edicti parte statuere voluisse videtur, quemadmodum vectigalia omnium hominum, qui negotia habent in regniis monopoliiis, exigenda sint. Quod si ita est, hi magistratus potestatem habent ea ab iis exigendi: στρατηγοί; ἐπιστάται τῶν Φυλακικῶν; ἀρχιΦυλακῖται; οἰκονόμοι; magistratus minores quibus munera ab uno ex illis delegantur; οἱ ἄλλοι οἱ πρὸς ταῖς πραγματείαις καθ' ὄντινόν τρόπον, i. e. omnes alii magistratus. Primo loco nimirum nominatus est strategus, qui omni nomi administrationi praesit, cui omnes alii magistratus pareant; ex quibus nomine dicti sunt epistata, archiphylacita, oeconomus. Editores *Pap. Tebt.* epistatam et oeconomum magistratus nomi esse putant, archiphylacitam contra magistratum vici; iniuria, ut mihi videtur. In edendis enim *Papyrus Tebtunis* illi viri docti Britanni nondum discrimen faciebant inter archiphylacitas nomi, topi, vici; inde eorum errores hac in re intellegi possunt. Si quis secum reputat et nomi magistratum archiphylacitam nominari, non negabit nostro loco eum intellegendum esse. Quod etiam eo apparet quod archiphylacita vici est inter τοὺς παρὰ τοῦ ἐπιστάτου τῶν Φυλακικῶν neque separatim nominandus erat. Praeterea illa copula ἤ 1) indicare mihi videtur, id quod iam supra memoravi, munera epistatae et archiphylacitae hinc, hinc archiphylacitae et oeconomi cognatione quadam inter se contineri.

Stratego igitur duce praesertim epistata aut archiphylacita nomi aut oeconomus nomi habet munus vectigalia exigendi ab eis qui operantur in regniis monopoliiis. Mandant nimirum negotia sua magistratibus sibi subiectis in topis, qui in vicem imperant magistratibus vici, scilicet phylacitis aut oeconomo vici. Iam verba edicti intellegimus quae initio huius capituli laudavi; quibus rex veniam impunitatemque dat omnibus phylacitis, qui rationes non reddiderant vectigalium sibi solutorum.

Quod ad phylacitas, rex in edicto instituta pristina servavit; iam enim in papyris tertii saeculi phylacitis eadem munera

---

1) ἤ in v. 160 erroris scriptoris adscribendum esse videtur; in 142 καὶ recte scriptum est.

mandata fuisse videmus, dico illas epistulas datas ad Ptolemaeum, vici archiphylacitam <sup>1)</sup>). In *Pap. Hibeh* I, 51 Apollodotus quidam, magistratus superior, Demophonti scribit: πρὸς τῇ τῶν χλωρῶν λογείαι γί[ν]ου ἤδη καὶ συρίας λάμβανε ἐξ[αδρ]άχμους κ.τ.λ. Huius epistolae exemplar Demophon nostro Ptolemaeo mittit, addens haec: ὑπογέγρα[απτα]ι τῆς παρ' Ἀπολλοδότου ἐλθο[ύ]σης μοι ἐπιστολῆς περὶ τῆς λογείας τῶν χλωρῶν τ' ἀντίγραΦ[ον]. π[ρ]άττε οὖν τοὺς πρὸς ἀργύριο[ν] ἡγηρακότας (l. ἡγορακότας) ἤδη καθάπερ γ[έ]γραπται, τὰς δὲ συρίας ἄς [έ]άν σοι παραθῶ[ν]ται [πρι]άμενος λάμβανε ἀρεστὰς τι[μ]ῶν τῶν ὑπογεγραμμένων.

Ut de secundo iusso prius loquar, scimus regem monopolium habuisse fere omnium textorum, quae regiis in textrinis conficiebantur; sed interdum regis permissu privati quoque hac in re operabantur, quos texta regi soli pretiis constitutis vendere oportebat <sup>2)</sup>). Talium textorum nostra in papyro mentio fieri mihi videtur: archiphylacitae a magistratu praeposito imperatur ut per phylacitas Syria texta senis drachmis emat. Verba quidem Apollodoti πρὸς τῇ τῶν χλωρῶν λογείαι γί[ν]ου ἤδη non minus nobis obscura sunt quam id quod Demophon Ptolemaeum iubet: π[ρ]άττε οὖν τοὺς πρὸς ἀργύριο[ν] ἡγηρακότας, sed utique illis ex verbis apparet phylacitarum et maiores et minores magistratus iam tertio saeculo quasdam partes habuisse in vectigalibus exigendis <sup>3)</sup>).

Iam scripseram hanc disputatiunculam, cum animadverti papyrum, nuper editam a v. c. Preisigke in libro qui inscribitur „*Sammelbuch griechischer Urkunden aus Ägypten*“. Edictum est Ptolemaei Epiphanis, scriptum anno 184/3 a. C., qua aetate rex magnis seditionibus sedatis res de integro moderabatur. Papyrus sic incipit <sup>4)</sup>):

Βασιλεὺς Πτολεμαῖος Νέωνι χαίρειν. Τῶν πρὸς τοὺς ἐπιστ[ι]άτας τῶν Φυ[λ]ακῆτων γεγραμμένων ἐπιστολῶν ὑποτεθεῖκ[αμέ]ν [σ]οι τὸ ἀντίγραΦον, κ.τ.λ.

1) *Hibeh* 51—62, cf. supra p. 266.

2) Cf. Wilcken, *Grdz.* p. 245 sqq.

3) Cf. *Pap. Hibeh* 53; 56; 58.

4) *Sammelbuch* 5675.

Sequitur (vv. 10 sqq.) pars praeceptorum a rege datorum phylacitarum epistatis:

Τὰς δι<<εξ>>ακρίσεις διεξάγετ[ε] κατὰ τὰ διαγράμματα καὶ τὰ ὑΦ' ἡμῶ[ν] καὶ τ[ο]ῦ πατρὸς καὶ τῶν προγόνων προστεταγμένα, καὶ τοὺς μὲν εἰκῆι κ[α]ὶ ἀπροσκέπτως ἀνάγοντάς τινὰς ἐπιπλήσσετε, κ[α]θ'ὅτι προσῆκ[δ]ν ἔστιν, τ[οὺς] δὲ διαφορᾶς ἢ σεισμοῦ χάριν καταπέ[μπετε] πρὸς ἡμᾶς παραχρῆμα. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ [. . . . .] ὄνομα[τ]ος τὰς προσαγγελίας ποιουμένους τῶν [. . . . .]ων δὲ [κα]θ' ὑ[πό]νοιαν διδόντων ποιῆσθε [. . . . . πα]ραχρῆ[μ]α <sup>1)</sup>.

Quae praecepta pertinent ad epistatarum curam securitatis publicae. Quiete enim nondum ubique restituta et multis hominibus, inter quos sine dubio aliquot innocentes, manus iniecta esse, et multae delationes factae esse videntur. Ergo postquam rex epistatas controversias componere iussit secundum edicta, a se et a patre maioribusque data, iis mandat ut phylacitas, qui imprudenter hominibus manum iniciant, vituperent. Alexandriam tamen mittendi sunt qui tumultus faciendi causa quosdam in vincula coniciunt.

Verbis sequentibus rex egisse videtur de illis qui sive bona fide sive suspiciose querelas (προσαγγελίας) deferunt. Wilckenius si vs. 17 recte supplevit, hi quoque ab epistatis in caput Aegypti mittendi sunt <sup>2)</sup>.

Papyrus bene confirmat id quod supra dixi de epistatarum muneribus, quae huc spectant.

1) Cetera, quae sunt corruptiora quam ut bene intellegi possit quid rex velit, omitto.

2) Wilckenius legit:

14	Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ
15	[τῶν ἐπ' (?)] ὄνομα[τ]ος τὰς προσαγγελίας ποιουμένων τῶν
16	[μὲν . . . . . τ]ῶν δὲ [κα]θ' ὑ[πό]νοιαν διδόντων ποιῆσθε
17	[καταπομπὴν πα]ραχρῆ[μ]α κ.τ.λ.

Quod ad vs. 17 ei assentior; ἐπ' ὄνομα[τ]ος recte suppletum esse probat *Poilyb.* 28, 4, 5, ubi haec verba etiam opposita sunt verbis καθ' ὑπόνοιαν. (Μετὰ — δὲ τοῦτον προελθὼν Λυκίσκος, ἐπ' ὀνόματος μὲν οὐδενὸς ἐποιήσατο κατηγορίαν, καθ' ὑπόνοιαν δὲ πολλῶν). Sed causa non esse mihi videtur cur τῶν — ποιουμένων legamus. Puto in vs. 16 supplendos esse genetivum substantivi vel adiectivi vel pronominis et imperativum; sic particula μὲν inter τοὺς et ἐπ' ὀνόματος careri concedo.

# NOVA PHAEDRIANA.

SCRIPSIT

L. RANK.



## II.

### DE PHAEDRO ET EUTYCHO.

Praelongo prologo, epilogo sat longo ornavit Phaedrus tertium suarum fabularum librum nec sine causa. Nam et artem et mores suos commendare studuit viro praepollenti nec non auxilium eiusdem imploravit tanta cum humilitate, quantam eum omnino exhibere sivit indoles morosa et vana.

Eutyclus, faustus, appellabatur patronus iste Phaedri olim exoptatissimus, qui quis fuerit et multum et diu et frustra anquisiverunt philologi, faustum donec ad exitum rem perduxisse sat multis visus est Buechelerus, cum statuisset Eutyclus istum Phaedrianum eundem esse atque illum, quem Gaii Caligulae aurigam gratiosum laudatum inveniamus apud Suetonium et Iosephum <sup>1)</sup>.

Sed in alia omnia abiit Havetus, cuius hypothesis Phaedriana audax, ingeniosa, notissima ex ipsa illa quaestione de persona Eutychi quasi profecta esse videtur. Parum placuisse Haveti commentum, quis nescit? Sed vix quisquam, quod sciam, brevius simul atque acutius totam istam doctrinam impugnavit et subvertit quam v. d. Prinzius in disputatione, quae inscribitur:

---

1) Rhein. Mus. XXXVII (1882) p. 334.

Der Prolog zum drittem Buche von Phaedrus Fabeln <sup>1)</sup>. Ergo mihi profitenti, denuo me contra Havetum scripturum esse propositi, iustae causae sunt proferendae, ne quis iure suo mihi dicat: „acta ut aiunt ne agas!“ Excusationem igitur hanc praemittam: Impugnatio mea (quam dudum ante Prinzii disputationem mihi cognitam composueram) summis quidem in rebus ita cum Prinzii ratiocinationibus congruit, ut ipse paene miratus sim, sed simul una in re, eaque haud parvi momenti, prorsus a viro docto dissentio. Res huc redit: Prologus libri tertii ita inconcinnus atque ineptus visus est Haveto, ut facere non potuerit, quin eum divelleret in prologum et epilogum. Integrum contra, prorsus sanum, *arte fictum* eum prologum esse acutissime demonstravit Prinzius. Ego de integritate et sanitate prologi omnino astipulor Prinziio, quod autem ad compositionem huius praefationis attinet, non tam *arte* quam *arte sua* eam finxisse mihi videtur poeta. Quod iudicium qua mente intellecturum velim e sequentibus satis apparebit. Tum impugnatione Havetianae doctrinae quadamtenus mihi opus esse putavi, ut per eam lectoris mentem quasi ἀντιστρέφων meam disputatiunculam, meam opinionem de Eutycho Phaedri patrono commendarem:

„Ergo non levitas mihi, sed certa ratio causam scribendi dedit“, ut cum ipso poeta loquar.

Iam partem integram eamque sat longam ratiocinationis Havetianae exscribam hic necesse est. Sic igitur Havetus <sup>2)</sup>:

„Prologus, qui vulgo fertur libri III constat ex partibus duabus, quarum prior continet versus 32, altera versus 31. In priore parte alloquitur poeta Eutychem quendam, hominem intentum lucro et occupatum negotiis et officiis, qui vix per ferias ad legendum tempus invenire possit. Quem ab limine Musarum deterret Phaeeder candidius fortasse quam gratius, eoque esse *parum litteratum* significat, quod dubitat lecturusne sit Eutychem librum honori et meritis suis dedicatum, quodque notissimum Aeneidos locum laudans non leviter hominem commonet „nec plura alludens“ verum quasi *studiorum puerilium iam immemorem*

1) Jahresb. des Gymn. der k. k. Ther. Acad. in Wien (1906).

2) In notissima editione p. 225 sqq.



nimia cum diligentia edocet. *Trimalchionem* credas, qui nisi quis praecaveat locuturus sit de Diomede Helenae fratre aut de Troia ab Hannibale capta" 1).

Simpliciter haec, vere, lepide disputata videri possunt prima specie et tamen aut ego egregie fallor aut captiose dicta sunt. Audi sodes lector gradationem: *parum litteratum, studiorum puerilium immemorem, Trimalchionem!* Arti rhetoricae libenter talia condonamus sed hic latet anguis in herba. Quid multa: *Parum litteratum* istum quadamtenus accipio, *studiorum puerilium immemorem* vix curo, sed *Trimalchionem* nego atque pernego. Et quantopere *Trimalchione* suo opus sit sagaci critico Francogallico mox apparebit. Mihi contra repudiandus iste vir ac ne a limine quidem salutandus. Quid?

Sed iam quodcumque fuerit, ut dixit Sinon,  
Ad regem cum Dardaniae perductus foret,  
Librum exarabo tertium Aesopi stilo.

Sic *simpliciter* Phaedrus ad Eutychem suum, qui nunc ob *Sinonem* istum regemque *Dardaniae* in *Trimalchionum* coetum iam iam relegandus erit. O precariam hominum famam! Miremur censeo et vituperemus *Licinii Crassi* oratoris clarissimi imprudentiam (ne dicam impudentiam), qui auditores suos in hunc modum docere non reformidarit: „sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi: ut ille *apud Homerum* *Phoenix*, qui se a *Peleo patre Achilli* iuveni comitem esse datum dicit ad bellum.” Bene hercle factum, quod notos habemus clarissimos illos viros! Sed antequam ad magis seria properem, hoc unum additum velim: Fac verum *Trimalchionem* fuisse *Eutychem* istum, quid quaeso lucratus est *Sinone* suo et rege *Dardaniae*? Nunc graviora proferamus: Pro certo hoc affirmare ausim, quicumque integre mente prologi nostri partem priorem perlegerit, eum de *Eutychi* literis non nimis sane magnifice esse sensurum, id tamen penitus sensisse, virum istum a poesi et a poetis minime alienum fuisse. Nam quis unquam ita monebit verum *Trimalchionem*:

Phaedri libellos legere si desideras,  
Vaces oportet Eutyche a negotiis,  
Ut liber animus sentiat vim carminis?

1) Literis inclinatis exaranda nonnulla curavi ego.

Nonne male sanus porro videtur is, qui Trimalchionem in hunc modum alloquitur atque admonet:

Mutandum tibi propositum est et vitae genus,

Intrare si Musarum limen cogitas?

Opinor. Sed iam quantopere Trimalchione suo opus sit Haveto cognoscamus. Sic enim pergit:

„Valde diversa leguntur in alterius partis exitu”. Primum dicit Phaeder: *Induxi te ad legendum*, qui re vera Eutychem non induxit, sed potius ab legendo deterruit. Deinde alloqui videtur non Trimalchionem alterum, sed alterum Particulonem, cuius approbatio pro laude sit; immo isdem blanditiis utitur, quibus Horatius, ubi sermonum candidum iudicem praedicat Tibullum:

sincerum mihi

*Candore noto reddas iudicium peto.*

Iam perspicias quorsum haec tendant, lector. Quis enim umquam a Trimalchione quodam exspectare possit *sincerum iudicium candore noto redditum*? Nemo hercle quisquam, at Eutychem non fuit Trimalchio aliquis, ac penitus id ipsum sensisse mihi videtur . . . ipse Phaeder, qui in *epilogo* libri tertii his verbis alloquitur patronum:

Decerne quod religio, quod patitur fides

Et graviter me tutare *iudicio* tuo<sup>1)</sup>.

„Nemo enim” inquit Havetus „dubitat quin Eutychem ille sit, quem Phaeder in *epilogo* rursus alloquitur”. Haec iam sufficiunt opinor ad demonstrandum, quo animo equidem perlegerim reliquam Haveti argumentationem, qua statim ita pergit:

„Alius igitur est ille Eutychem, ad quem pars prior prologi derigitur, alius homo anonymus, ad quem versus 43, 38—39”<sup>2)</sup> ut mox, additis sane aliis quibusdam gravaminibus, quae hic<sup>3)</sup> refellere longum est, ad conclusionem suam properet:

„Abiudicanda igitur est a libro III pars prologi posterior”.

At iam dixerit fortasse quispiam: „Tu sane illis, quae contra

1) Misere corruptus est versiculus sed vocabula *iudicio tuo* sana sunt et de sententia vix dubitandum est.

2) Vulgo Prol. III 62 sq.

3) Ad unum saltem gravamen infra recurram p. 277.

Eutychem Trimalechionem disputasti admodum mihi satisfacisti, sed hoc nihilominus te etiam atque etiam rogatum velim, ut explices, quomodo fieri possit, ut poeta aliquis in prologo ita alloquatur patronum:

quem si leges laetabor, sin autem minus,  
 habebunt certe, quo se oblectent posteri,  
 mox eidem huic prologo sic finem impositurus:  
 induxi te ad legendum e. q. s.?

De molestissima ista controversia silere nec potes nec debes."

Ita profecto est. Nam quo quis magis hac controversia pun-  
 gitur, eo facilius opinor inducitur, ut in argumentationis Ha-  
 vetianae viam dirigat mentem. Conabor ergo eximere τὸ κέντρον  
 τὸ καταλελειμμένον. Atque in hunc modum causam meam sum  
 aggressurus, ut primo videar ἤλον ἤλω ἐκκρούειν studere. Nam  
 controversia molesta molestiorem indicabo:

Ad tempus cum Haveto prologi nostri finem faciamus verbis  
 iam laudatis:

quem si leges laetabor, sin autem minus e. q. s.

Ita nobis nascitur prologus brevis et sat aptus, quo novus pa-  
 tronus admodum carpitur cuiusque in fine poeta aperte declarat,  
 id sua parvi interesse, utrum novus Maecenas perlecturus sit  
 opusculum oblatum necne. Nunc quaeso audiamus eundem poe-  
 tam in eiusdem libri *epilogo* eidem patrono flebili voce suppli-  
 cantem, ut *iudicio* suo opem ferat misero clienti. Quid? Nonne  
 et hic molestissimam deprendimus controversiam? Id perhibere  
 ausim. Attamen quin epilodus ad Eutychem spectet nunquam  
 dubitavit Havetus. Cur igitur ob priorem illam controversiam  
 de codicum auctoritate dubitavit, aut (ut cautius aliquanto lo-  
 quar) dubitare coepit? Quin nos conamur molestiam molestia  
 sanare, quo duabus, ut ita dicam negationibus apte coniunctis  
 efficiamus unam affirmationem, qua contenti esse possimus.  
 Nam ipse ille prologi traditi finis „inconcinuus"

induxi te ad legendum

unicum sed aptissimum nobis parat et commendat transitum a  
 prologi acerbitate arroganti ad epilodi adulationem, preces,  
 querelas miseras.

Sed iam exstat periculum, lector, ne te invitus in errorem  
 inducam. Nam quae de controversiis istis nimis fortasse oratorie

*contra Havetum* disputavi, omnino non ita accipienda sunt, ut iam cogitemus ipsum *Phaedrum data opera et quasi propriae acerbitalis poenitentiam agentem* senarios suos:

induxi te ad legendum e. q. s.

prologo suo addidisse ut molestissimam sibi que funestissimam controversiam evitaret. Etenim bonus ille cum tertium suum prologum exararet, ut erat sortè miserrima afflictus at vel sic simplicis vanitatis fiduciaque sui plenus, ne per punctum temporis quidem ullius sibi conscius fuit inconstantiae. Ab adhortatione seria novi patroni orsus est vel potius sibi ordiri visus est. Vulgatissimum namque istud est genus hominum, qui dum sibi monere videntur re vera laedunt. Et procul dubio in hac prologi parte priore optime valet senarius ille, quo mox in epilogo vere atque eximie propriam descripsit indolem:

*Excedit animus, quem proposuit terminum.*

Ecce in altera parte prologi componenda atque elaboranda iterum, si quid omnino in hisce sentio, poetae nostri animus propositum terminum excessit, nunc vero, ut ita dicam, in bonam partem. Quid enim? Dum de origine dilectarum suarum fabularum disserit, dum quantum suum malum quali sit consolatus remedio exponit, dum magnis popularium Anacharsidis, Lini, Orphei manibus invocatis <sup>1)</sup>, se ad literas quasi protrudi profitetur plebeius noster, ita mens eius effertur, tam gravem ducit propriam suam personam, tam magnificam suam artem, ut iam de aliena in tali re socordia ac segnitia cogitare nequeat, Livorem fastidioso gestu summoveat, perorationi denique ex animi sententia hunc imponat finem:

*Induxi te ad legendum! <sup>2)</sup>*

Nonne eiusmodi mentis status κατ' ἐξοχὴν Phaedrianus videtur? Opinor.

Vera aut a vero proxima haec si tibi, lector, disputata vide-

1) Vix quicquam harum rerum intellecturum fuisse Eutychem istum „Trimalchionem”, si umquam legisset, persuasum est Haveto. Sed tolle modo putidum „Trimalchionem” et nulla iam est istiusmodi gravaminum vis.

2) *Utique hic exclamationis signum ponendum censeo!* Verissime iam olim Schaefferus (apud Burmannum): „non optantis aut interrogantis sed affirmantis et firmiter credentis verba sunt.”

buntur, gaudebo. Simul autem is, qui Prinzi argumentationes cognitae habet, iam e praecedentibus sensit, qua in re ab hoc critico sagaci dissentiam. Putat enim ille, nullam in toto prologo controversiam inesse, qua in re prorsus cum eo facio, sed simul opinatur, omnia in ista praefatione *sedata mente et prudenti arte* composuisse poetam, quo patroni favorem sibi conciliaret, *quod nego atque pernego*. Penitus haec omnia examinavit Prinzius, ita ut singularum eius observationum vestigiis insequi disputatiunculae meae ambitu invitae prohibear. Sed gravissima proferam: E verbis: „legere si desideras” Prinzius efficit, Eutychem rogasse suum poetam, ut specimina artis sibi exhiberet, eumque igitur quadamtenus poetae iam favisse <sup>1)</sup>. Suo iure id suspicatus est criticus, sed mihi concedat, fieri *potuisse* saltem, ut post librum „honoris et meritis suis” dedicatum perlectum iam non amplius faverit ille istiusmodi vati. Optimo iure porro existimat senarios:

Mutandum tibi propositum est et vitae genus,

Intrare si Musarum limen cogitas

nobis aut omni sensu esse destitutos aut hoc nos docere: Eutychem quoque poesi qualicumque et qualicumque modo vacasse <sup>2)</sup>. Prorsus deinde astipulor critico sagaci contra Schwabium perhibenti e versibus:

Quem si leges, laetabor, sin autem minus,

Habebunt certe, quo se oblectent posteris

minime effici posse, prologum nostrum Eutycho soli esse conscriptum a poeta, tertii libri fabellas ipsas post mortem demum posteris relicturo <sup>3)</sup>. At illa quae statim addit: „Doch ist hierin nichts anderes zu sehen als *ein Akt der Höflichkeit oder Schmeichelei* dem Gönner gegenüber” <sup>4)</sup> probare non possum. Ad iudicium illud commendandum allegavit criticus alias dedicationes (Lucretii — I 50 sq. — Martialis — V, 1, 9 — Statii — Silv. II Prol. — Ausonii — Lud. Sept. Sapt. 17), attamen his omnibus

1) p. 5.

2) p. 9 sq.

3) p. 19 sq. — Ceteroquin sat mirari non possum, ullum *Phaedri* editorem in hanc opinionem incidere potuisse: Fortasse hunc librum post mortem demum suam in lucem prodire voluit poeta.

4) p. 20. Gravissima typis cursivis dedi ego.

cum cura examinatis eumque Phaedrianis senariis collatis persuadere mihi omnino non potui, ut in his versiculis *urbanitatem et adulationem agnoscerem. Arrogantiam potius eamque sat imprudentem equidem hic deprendo* <sup>1)</sup>).

Omnino denique reicio explicationem, quam dedit Prinzius ad versus iam saepius laudatos:

Sed iam quodcumque fuerit e. q. s.

„Hier hatte die Erwähnung des Sinon und die Ausmalung der Situation im folgenden Vers noch einen besonderen Zweck; von Eutyclus hängt gleichsam wie vom Rex Dardaniae das Schicksal des Dichters ab. . . . In der Ausmalung der Situation liegt also implicite ein Kompliment für den Adressaten“ <sup>2)</sup> Di boni! *Ecquis unquam adulatoris partes tam inepte agat, ut lectori patrono paene admonitore quodam ludimagistro opus sit, qui eum doceat: „heus tu, hoc age! nonne intellegis te hic cum Priamo comparari!“ Ut misella haec parenthesis (currente calamo, mihi crede lector, simpliciterque addita) Havetum et Prinzius iuxta in diversissimos abduxit errores!*

Atque haec de singulis rebus; nunc prologi priorem partem breviter, integra mente, pedestri sermone exaratam proponamus: „Si fabulas meas legere cupis, mi Eutyche, negotia tua ad tempus omitte. Respondebis: mihi tanti non es, ut momentum

1) Commodum videtur ipsa poetarum verba exscribere:

Lucretius:

Quod superest, vacuas auris animumque sagacem  
Semotum a curis adhibe veram ad rationem,  
Ne mea dona tibi studio disposta fideli  
Intellecta primo quam sint, contempta relinquis.

Martialis:

Tu tantum accipias, ego te legisse putabo.

Statius:

Haec qualiacunque sunt, Melior carissime, si tibi non displicuerint, a te publicum accipiant; sin minus ad me revertantur.

Ansonius:

Interea arbitrii subiturus pondere tanti  
Optabo ut placeam, si minus, ut lateam.

Hisce iam precor, benevole lector, deinceps sedulo perlectis, singularum dedicationum *ἄσοç* considera, tum adde Phaedriana verba tecumque reputa, utrum in istis „einen Akt der Höflichkeit oder Schmeichelei“ deprendere possis necne.

2) p. 18.

temporis arti tuæ impendam. Ne legas igitur censeo. Fortasse dices: sed feriarum partem fabellis tuis insumere possum. Melius, opinor, etiam feriis tuis uti potes. Sed mihi crede, poesi et poetis si vacare studes, mutandum tibi est genus vitae. Me adspice! Ego nil nisi poesin curo attamen vix poeta evadere potui. Quid te fiet, lucro ante omnia dedito? Sed iam quodcumque fuerit, tertium ecce librum meum honori et meritis tuis dedico. Si leges gaudebo, sin minus posteris certe placebunt fabulae meae”.

Tu sodes, lector, compara quæ dedi cum integris Phaedri senariis. Ecquid praetermisi aut interverti, ecquid odiosius expressi? Nihil, quantum scio. *Iam quæ adulatio arte ficta in istiusmodi allocutione lateat, scire pervelim.* Attamen adulationem inesse demonstratum ivit Prinzius. Nec mirum id in illo, qui vel in simplici parenthesi: sed iam quodcumque fuerit e. q. s. adulationem callidam odoratus est. Vel sic tamen e quattuordecim primis senariis adulationem eruere ne Prinzius quidem potuit. Sed parum hæc curasse videtur criticus. Rei et ratiocinationis cardinem deprendit in versibus quinto decimo et sequentibus et haud iniuria ad horum versuum primum annotavit: „Nun folgt der entscheidende Schlag” <sup>1)</sup>. De poeta nimirum loquitur criticus. Sed ego verba eius repeto, ipsum dum criticum volo. Nam et ille hic nodum suum expedit. Senarii enim quartusdecimus quintusdecimusque ei significant: „Gib deinen Beruf auf und werde Dichter” <sup>2)</sup>. Per me licet. Pergit criticus: „Wenn vielleicht jemand fragt, warum dann Phaedrus auf die Schwierigkeit hinweise, Dichter zu werden, und nicht vielmehr das Dichterglück in verlockenden Farben ausmale, so bedenkt er nicht dass es dem Dichter hier in erster Linie darauf ankommt, zu zeigen wie jenes Kompromiss zwischen Realismus und Idealismus, Geschäftsleben und Dichterplänen, dem Eutyclus zuzuneigen scheint, unmöglich sei, intrare si Musarum limen cogitas. Will er dies glaublich machen, so muss er vor allem mit Nachdruck betonen, dass der Weg zu den Musen beschwerlich, schmal und steil sei, dass, wer ihn erklimmen wolle, sich

1) p. 7.

2) Hæc et proxime insequentia leguntur p. 16 sq.

manche Entsagung auferlegen müsse". Bellior mihi quam efficacior videtur argumentatio. Alii aliter hic iudicent, sic censeo equidem: Qui alterum ad Musarum cultum hortatur, *simulque ipsa illa adhortatione ei vult adulari*, prorsus aliter is loquitur. Statim sane concedit Prinzius: „Auch die Zumutung solcher Entsagung mag Phaedrus nicht ernst gemeint haben, er mag auch im Stillen nicht gezweifelt haben, Eutyclus werde seinem dulce lucrum treu bleiben". Et mihi ita videtur, sed nunc criticum et lectorem etiam atque etiam hoc rogatos velim: *unde nobis haec suspicio?* Ullusne in literis exstat locus alter, qui nos doceat, quid Phaedrus de Eutycho senserit? Ergo si criticus statim in hunc modum pergit: „jedenfalls konnte er sich hier ganz gut und gewiss nicht zu seinem Nachtheile den Anschein geben, als währe es ihm Ernst damit" statim et ego respondeo: „speciem" istam non agnosco equidem, sed suo quisque iure, per me licet, speciem istam hic deprendat *dummodo mihi exponat, unde tandem simul contrarii suspicio ei sit orta. Nam aut prorsus vana et de nihilo ficta ista sit suspicio necesse est, aut sponte nobis oritur dum perlegimus ipsos illos versus, de quibus tam diu iam hic sermo fit atque in quibus adulationem arte fictam agnoscit Prinzius. Atqui si vel nunc etiam iusta sit illa suspicio nobisque condonanda, quid ipsum Eutyclus eadem illa olim perlegentem cogitasse censebimus?* Verum quidem haec hactenus. Nunc Prinzi conclusionem audiamus: „Jeder Dilettant hört gerne, wenn man ihn auf die Künstlerlaufbahn hinweist, ihm rät, den gewohnten Beruf aufzugeben; da mag immerhin aus dem Konflikt zwischen Berechnung und Eitelkeit die erstere siegreich hervorgehen: das angenehme Gefühl, höher eingeschätzt worden zu sein, bleibt bestehen. *Und so wird auch unser Eutyclus des Phaedrus Worte nicht ungern gehört haben*". Ecce adulatio reperta, res diiudicata. Haud deërunt profecto quibus hisce satisfecerit criticus. Equidem, ut ingenue fatear, tali eventu contentus esse omnino nequeo. Fusius sane de tam singulari adulationis genere possum disserere sed „temperatae suaves sunt argutiae, immodicae offendunt". Hoc solum observatum velim: non nimis hercle tribuat arti adulandi necesse est, cui tantulum sufficere videtur ad captationem benevolentiae. Ceterum lectoris iudicio rem permitto.



Iam quid ipse demum sentiam, qui in hac re cavillatorem paene agere videri possim, exponere aggredior: Ego mediam teneo viam inter Haveti et Prinzii opiniones et sic existimo: *Deterrere* patronum exoptatum profecto *noluit* Phaedrus nec tamen simulata quadam et bene tecta invitatione viro blandiri cupivit. *Nil nisi docere et monere potuit hominem.* Sic enim mihi rem cogito: Tacite secum optavit solitarius iste et morosus noster, vitae artisque aerumnis iuxta oppressus, ut gratus fidusque imitator atque assecla suus fieret praepollens iste libertus <sup>1)</sup>, simul tamen penitus sensit et viri indolem et ingenii dotes vehementer obstare quominus umquam poeta evaderet. Sic, ut erat sincerus et adulandi nescius fecit quod potuit. Ita demum re considerata aequali tenore omnia in huius prologi priorae parte procedere mihi videntur, nec cogimur post tredecim versus omni adulatione destitutos subito tectam quandam captationem benevolentiae agnoscere. Sic etiam verum colorem, verum ἦθος sentimus verborum, toties laudatorum:

Sed iam quodcumque fuerit e, q. s.

Nihil aliud nimirum his verbis continetur nisi mera formula loquendi, sat apte adhibita, qua *monitis* suis finem imponit poeta. *Nam probe sensisse mihi videtur vel Phaedrus sibi non licere nisi summo cum suo periculo in hunc modum pergere.* Respondere ipse noluit interrogationi:

Quid credis illi accidere e. q. s.

et procul dubio ipse propria sua temperantia contentus fuit.

Iam qua fiducia perrexerit qualique cum animi ardore alteram prologi sui partem adiecerit, donec superba asseveratione: *Induxi te ad legendum!* finem tandem fecerit, id sat superque supra exposui.

Sed antequam pergam simplicissimae et ingeniosae coniecturae mentionem hic faciam necesse est. Probare eam nequeo, silentio premere omnino nolo. Opinionem volo, quam ante quinque et viginti annos protulit Hartmanus nostras in lepido suo libello, qui inscribitur: de Phaedri fabulis Commentatio. Probe enim et ille sensit, quantum et colore et sono et ἦθει inter se different

1) Fusius rem tractabo infra p. 305 sqq.

prologus et epilogus tertii libri Phaedriani. Sic igitur de re scripsit vir de Phaedro optime meritus: „Clauditur autem liber epilogo (c. t. poëta) qui mihi compositus videtur *ante* prologum (c. t. Phaedrus ad Eutychem). Nam in epilogo, poëta sermone utitur hominis, quem undique circumstant pericula; patroni ergo implorat auxilium . . . . *Probabile ergo est poëtam incolumem ex illis abiisse periculis, et ideo quum librum suum publici iuris faceret, novam quidem dedicationem* (Phaedrus ad Eutychem) *addidisse, sed tamen veterem* (poëta) *abiicere noluisse, quippe quae ei videretur haud spernendae artis opus*” <sup>1)</sup>.

En simplex commentum, quod cuivis commode et obiter legenti placere possit. Nam eleganti coniecturae in crisi Phaedriana praesertim si indulseris, quis tibi vitio vertat? Sed magnopere vereor, ne penitus rem perpendenti intricatius fiat Hartmani commentum, quam prima specie videatur. Quam vellem pluribus verbis opinionem suam exposuisset scriptor. Nunc autem re bene perpensa, ea, quae adumbravit Hartmanus in hunc modum expingere *cogi* mihi videor: Tertii libri fabulas dedicatione ornatas ista, quam nunc epilogi loco legimus, priusquam publici iuris faceret, Eutycho patrono tradendas curavit Phaedrus. Illi fabulae placuerunt fortasse, miser poeta <sup>2)</sup> certe dignus visus est, cui auxilium ferret. Aliquanto post gaudens opinor et iam incolumis poeta opusculum suum aequalibus et posteris offerre statuit. Quid mirum? Prologo iam *more suo* auget librum tertium, neque hoc mirandum. Praelongus evadit iste „prologus ad Eutychem”. Unamne voculam in eo legimus gratum scriptoris animum testantem? Nullam! Ab admonitione gravi (ut levissime dicam) orditur nova praefatio, docta insequitur expositio de origine fabularum, mox arcanis verbis mentio fit de malis poetae a Seiano inflictis (quibus iam liberatus est — an nova ista et recens orta sunt mala atque ab epilogi „noxiorum insolentiis” diversa?) mera iactatione denique peroratur. In fine libri legitur epilogus (precibus refertus iam exauditis), qui si vocem haberet pro se diceret:

Quod fuimus lauda, si iam damnas quod sumus:

1) p. 31 sq. Nonnulla typis cursivis dedi ego.

2) „den armen Schelm” cum sat apte vocavit Ribbeckius.

Emerui libertatem, canus servio.

Qua mente totum istud opusculum nunc perlegisse credamus Eutychem, Phaedri aequales, posteros „se oblectantes”? Eutychem suum si ludificare, aequales et posteros in errorem inducere si sibi proposuisset poeta, ecquid melius et efficacius excogitare potuisset? Suo iure nihilominus quiuis ad haec respondeat: „at parum haec omnia curasse Phaedrum, malis iam liberatum et gloriolae suae unice cupidum, minime mihi absurdum videtur.” Respondeo: fieri *potuerunt* haec omnia, sed facta esse vix credere ausim.

Probabilior, ut ad res meas redeam, mihi videtur opinio, qua coniciamus Phaedrum libellum tertium suum integrum et prologo et epilogo ornatum Eutycho, aequalibus, posteris exarasse atque edidisse, restitutionis bonae spei simul et gloriae cupiditatis plenum. Nam id ne somniasse quidem bonus videtur noster, fieri posse, ut quos monuisse tibi videaris re vera laeseris. *Id ipsum autem simplici, moroso, arroganti fabulatori accidisse persuasum habeo.* Ideo fuse de totius prologi ratione contra Havetum et Prinziium disserui, ut pro virili illustrarem, quam plenus fiduciae fuerit noster cum ista scriberet, *quam parum conscius propriae arrogantiae, quam luculentum, grave, sincerum denique testimonium Phaedrianae indolis nobis exhibeat prologus iste, diversissimarum opinionum mirorumque me iudice discordiorum fons.* Ideo uberius quoque, antequam improbarem ac reicerem, tractavi commentum simplex sed audax Hartmani, quod ultimum id me iudice sit refugium iis, qui nolint aut cum Haveto prologum divellere aut cum Prinziio adulationem ibi deprendere ubi nulla sit. Sic tandem liberam mihi munivi viam ad meam opinionem, subinde iam opinor lectori praegustatam: *Non exaudivit Eutyclus istiusmodi clientis preces.*

En nova, quod sciam, opinio, qui novus error haud paucis fortasse videbitur! Quodsi vero unus alterve sit, qui non reformidet sub novi commenti dubia ac maligna luce in Phaedriarum fabularum nonnullarum spinosis vepribus oberrare, duces illi me promitto fumantem strenue praefrens faculam.

Sed antequam iter ingrediar haec praemonere mihi liceat,

quibus fortasse et illorum unum alterumve moveam, qui hucusque secuti iam iam gradum reprimunt. Occurrendum nimirum videtur gravamini cum minime spernendo tum cuivis ni fallor sponte surgenti, quod haud scio an optime expresserit Vandalus <sup>1)</sup> cum haec scriberet: „*Crediderim Eutychem poetae favisse, Phaeder enim ad pristinam calamitatem nusquam iam alludit.*” Ad quae haec statim mihi respondenda videntur: Concedendum sane est nusquam in quarto quintoque libris tale quid inveniri, quod cum apertis querelis in libri tertii epilogo obviis comparari possit. Si vero tale quid, quod nunc abest re vera ibi legeretur, quid iam suspicione aut coniectura opus esset in re certa ac manifesta? Num contra ideo, quod istiusmodi apertissimae querelae non amplius leguntur in libris quarto quintoque, nova mea coniectura nimis temeraria est iudicanda? Vix opinor. Ceterum nunc iam hoc additum velim, unam saltem in posterioribus libris legi fabulam ubi „diligenter intuentibus” certe me iudice aperte declarat poeta, adhuc miserrimam esse suae vitae conditionem <sup>2)</sup>. Sed plura habeo. Nam etiamsi fabellam istam, quam volo dubitantibus condonarem, ne sic quidem argumento isti „e silentio” tantum tribuerem, ut iusto audaciorem putarem novam meam coniecturam. Quid enim? Certi nihil scimus de Phaedri calamitate, prorsus nihil porro nobis innotuit de restitutione qualicumque poetae. Cogitari igitur potest, quin etiam verisimile videri possit Phaedri indolem pernoscenti, morosum istum in maius auxisse propria infortunia. Equidem prorsus astipulor Nisardo haec scribenti <sup>3)</sup>: „J’ai peur que les choses n’aient été moins graves que Phèdre ne les présente dans son laconisme menaçant et plein d’un vague désespoir. Il est très possible qu’il s’exagérât ses ennemis politiques, comme je crois fort, qu’il s’exagérait ses ennemis littéraires.” Ergo non nimis temerarium videtur mihi suspicari, poetam calamitate ista ignota post Eutychi repudiationem, per aliquod tempus etiam laborasse, sensim tamen infortunia ista tempore esse levata aut fortasse novo quodam felici casu nobis prorsus ignoto abolita esse.

1) In noto specimine inaugurali c. t.: Qua mente Phaeder fabellas scripserit — Parisiis 1897. p. 21.

2) v. i. p. 290 sqq.

3) Poètes latins de la Décadence (1834) I p. 14.

Iam porro legendi cupidus, coniectura mea ad tempus saltem accepta, haec offero: Vehementi frustrationis dolore affectum atque exacerbatum fuisse clientem poetam turpiter spretum ac repudiatum haud nimis temere suspiceris. *Ipsum autem illum clientis repudiati dolorem, ipsam laesi poetae iram in quarti libri fabulis nonnullis mihi audivisse visus sum, nisi forte, quod in tali re saepius factum est, proprio praeiudicio tintinnant critico aures geminae.*

Simul autem alterum vel potius prius propositum meum exsequi destinavi et tandem illuc unde abii redeo. Nam Buecheleri coniectura <sup>1)</sup> ita mihi placuit, ut maxima cum cura circumspexerim, ecquid novi in Phaedri scriptis invenire possem, quo eam stabilirem. Propositum sat ingratum et periculosum. Nam illi, quibus iam nunc rectis admodum talis stare videtur ingeniosa ista coniectura de fulcris meis profecto non nimis magnifice sentient, illos contra, quibus Buechelerus persuadere non potuerit iam iam meae scientiae efficaci manus esse daturos vix crediderim. Iam fiduciae plenus videar necesse est, qui duplex hoc munus in me receperim, prius, ut probabilius reddam id quod non nisi probabile esse dixit summus Buechelerus, tum ut novam suspicionem commendem ibi, ubi aut altum regnat silentium, aut opiniones leguntur prorsus diversae eaeque minime spernendae <sup>2)</sup>, in re denique, in qua ipsum argumentorum fontem unde hauriamus miserrime sitientem habemus. Tu iam lector „si non fastidis, veni”.

Dudum ipse coniecturae auctor allegavit hos epilogi senarios:

Tuae sunt partes, fuerunt aliorum prius,

Dein simili *gyro* venient aliorum *vices*,

haec tamen statim addens:

„Iusto argutior sim ex hoc ipso versu si colligam, qualis homo fuerit, cui deditus studio” —

Haec iusto verecundius dicta puto. Et si nihil omnino in hac

1) „Die schöne Vermutung Buechellers” dicit Lucianus Muellerus.

2) Fortasse plures super hac re sententiae scriptae exstant, quae mihi non innotuerunt. Utique hic ad Vandaelii opinionem addenda sunt verba, quibus utitur Georgius Thieleus, vir in Phaedrianis nunc facile princeps: „sein wärmster Gönner Eutychus”. (Phaedrusstudien II — Hermes 1908. p. 337.)

re valet versiculus, cur tandem allegavit Buechelerus? Utut id est, certe mea pectora movit senarius iste *gyro vicibusque* suis ornatus et circum equosque olere admodum mihi videtur. Vice mea nunc iusto argutiori esse mihi liceat, lector, ad laudatos versus hosce prologi senarios adhibenti:

*animum relaxes otium des corpori,  
ut assuetam fortius praestes vicem.*

Nihil, prorsus nihil et Buecheleri versus et mei demonstrarent, si merus flatus vocis nobis esset nomen istud Eutychi. Nunc vero in hypothesi commendanda, aliquid certe ponderis habet repetita illa *vicis* vox, aliquid certe valet *otium* istud *corporis* diserte post *animum relaxatum* additum. Haud abs re denique erit hoc reputasse, omnia ista dicta esse viro: „multarum rerum *varietate* districto” (Epilog. 3), circi opinor aulaeque muneribus aequae occupato. Atque ad Eutychem *aurigam* Phaedri patronum philologis commendandum amplius vix quicquam opinor e tertii libri prologo atque epilogo extundi umquam poterit.

Sed fortasse de Eutycho *aulico* apud Gaium principem gratiosissimo eiusdem farinae testimonia (gravibus deficientibus) e Phaedrianis senariis haud nimia subtilitate elici possunt:

Quodsi accusator alius Seiano foret,  
Si testis alius, iudex alius denique,  
Dignum faterer esse me tantis malis.

Ad taedium usque de his versibus, quos nunc in usum meum convertere conabor, disputatum est. Sed quidquid in iis sive obscure sive moleste dictum putas <sup>1)</sup>, id inter omnes constat opinor,

---

1) De imperfecti coniunctivo *foret* olim in Annotatiunculis meis (Mnem. Vol. XXXIX — 1911 — p. 58) contra Schanzium disputare ausus sum, qui scripserat: „diese Worte können grammatisch nur verstanden werden, wenn sie zu Lebzeiten Seians geschrieben wurden” e. q. s. Opinionem adhuc non mutavi, sed nimis breviter et temere tunc locutus sum. Nam *foret* (sive *esset*) et *fuisset* quasi promiscue adhibuisse Romanos scriptores in enuntiatis, quam irrealia vocamus, iniuria et temere efficias ex observationibus quales protulerunt Gronovius ad Liv. XXXIV, 11. Burmannus ad Epic. Drasi 417. Ruhnkenius ad Ter. Adelp. I. 2. 26. Sedulo in tali re in cuiusque scriptoris Latinitatem atque in singulorum locorum accuratum iustumque sensum investigandum est (conferantur e. g. loci Sallustiani: Bell. Jug. 59. 3 et 82. 3). Sed plura de quaestiuncula sat spinosa proferre nolo; ad Phaedri locum recurro atque imperfecti coniunctivam sic explico, ut enuntiatum irrealia: „dignum me faterer, si alius accusator *foret*” idem valent quod reale: dignum me non fateor, quoniam non alius accusator *est*. Et iusto iure Phaedrum ita loqui potuisse vel post mortem

terribile nomen Seiani a Phaedro scriptum esse post istum tyrannum subversum, damnatum, unco tractum. Iam haec porro rogare ausim: Cur Seiani nomen sic aperte posuit noster? Respondebit nonnemo apte sat et quiete: „Quid? Nonne ei licuit, o bone? Tu porro id abhorrere putas a Phaedri moribus, leoni vel mortuo calcibus frontem extundere?” Vice mea respondeo: „Ita sane est. Licuit viro neque a moribus eius alienum fuit. Vel sic tamen non mera ira sed bono consilio terribile hoc nomen a plebeio nostro prolatum esse mihi persuasum est. Prologi iactatione, confessionibus, promissis, epilogi querelis precibusque iterum iterumque perlectis, credo *etiam Seiani nomen scelusque data opera addita esse ab afflicto poeta quo facilius gratiae, commodi, lucri denique aliquid a novo patrono impetraret. Et quemnam meliore spe restitutionis adiret aliquis Seiani nefario scelere laborans quam potentem gratiosumque aulicum Gaii principis?* Nam quantopere Eutycho suo faverit Caligula, quamque acerbum odium in Seianum habuerit idem ille, omnibus notum est <sup>1)</sup>.

Denique ad hos epilogi senarios animum attendamus:

Saepe impetravit veniam confessus reus:

Quanto innocenti iustius debet dari!

Salva veritate et tuo iure id vel baiulo cuidam dixeris. Sed quanto efficaciora sunt verba, si dicuntur viro litibus precibusque diiudicandis occupato. Longe absit, ut Eutychem istum Gaii libellorum procuratorem dicere ausim omnibus deficientibus testimoniis, sed potentis istius viri „negotia” atque „officia” a

---

Seiani optime demonstravit Prinzius hisce: „man denke, dass in den Prozessakten der Name Seians als Ankläger auch noch zu der Zeit zu lesen war, wo er längst nicht mehr am Leben war”. Sic et ego censeo et sic denique attentum rogatum velim lectorem: Nonne optima Latinitate dici potest: Anytus nisi accusator Socratis foret, viri nomen vix cognitum haberemus? Fusius aliquanto de re egi, siquidem Schanzius in novissima libri sui editione sententiam non mutavit Prinziique explicationem accipere noluit. (Gesch. der Röm. Lit. II: II<sup>2</sup> p. 542). Hoc non addere non possum: In fabella de mustela deprensa (I. 22. 4 sq.) sic loquitur homo: Faceres si causa mea, gratum esset et *dedissem* veniam supplici. Iam rogo: ist *dedissem* hier grammatisch oder redlich zu verstehen?

1) „Adsimulabatque iudicis partes adversus Germanici stirpem, subditis qui accusatorum nomina sustinerent” e. q. s. Luculenter haec verba, dudum et certatim ab antiquis interpretibus huc allegata, nos docent, prorsus iisdem artibus in Gaii propinquos saevisse tyrannum istum, quibus se psumdatum esse queritur pusillus plebeusque poeta.

litibus dirimendis precibusque audiendis prorsus aliena fuisse vix crediderim.

Nunc quartum librum pari cum cura, pari cum subtilitate examinemus. Iam ex asse et gaudens astipulor Haveto perhibenti: „Libro IV sua est facies peculiaris”<sup>1)</sup>. Ita profecto est. Nam misso libri ambitu maiore (omnes enim Phaedri libros plus minusve decurtatos ad nos pervenisse quis nescit?) de vario eius argumento iure opinor admonere licet lectorem. Iuxta solitas „Aesopeas” fabulas quattuor certe in eo deprendimus narrationes longiores, inter quas primum locum obtinent Simonideae illae. Accedit mirum et audax istud genus fabularum Promethearum, quarum duae insolita licentia et spurcitia sunt famosae, tertia ex Appendice certo certius huic quarto libro est vindicanda. Accedit fabula undecima sat insulsa sed Phaedri propria, arroganti insuper stultoque aucta epimythio cuius initium notissimum:

Quot res contineat hoc argumentum utiles,

Non explicabit alius quam qui reperit.

Denique animum attendamus ad „fabulas” quintam et vicesimam primam, quarum neutra est fabula vera, sed altera oratio pro domo acerbissima aucta „moralitate”, altera invectio felle plena. Peculiaris profecto libri quarti est facies, nec, me si audis lector, peculiaris huius rei causa deest. Nam facere non possum, quin credam, Phaedrum hunc dum librum exararet Latio sane et posteris scribere sibi visum fuisse, sed duorum tamen imprimis virorum imagines ei identidem observatas fuisse, novi patroni Particulonis, cui artis suae optima specimina exhibere studeret, veteris Eutychi, cui, quem spreverit, demonstrare gestiret.

Hisce praemissis varios quarti libri locos examinemus, ut sic, si tamen possum, minutis quidem sed crebris fulcris hypothesin meam adminiculum.

De prologi priore parte nuperrime disputatiunculam Mnemosynes lectoribus obtuli, qua quid de certa ista „ratione scribendi” Phaedriana cogitem in transitu exposui<sup>2)</sup>. Atque quin de glo-

1) Havet. p. 269.

2) Mnem. Vol. XLV p. 93 sqq.



riola sua sollicitus *inprimis* porro scripserit noster, nemo opinor unquam dubitavit dubitabitve. Nunc examinemus porro, utrum praeter hanc gloriae cupiditatem aliorum quoque affectuum vestigia, *irae praesertim dolorisque*, in quarti libri senariis inveniri possint necne. Equidem iam in ipso prologo ea deprendisse mihi visus sum.

Audiamus poetam Particulonem suum alloquentem:

Mihi parta laus est, quod tu, quod *similes tui*

Vestras in chartas verba transfertis mea <sup>1)</sup> e. q. s.

Particulonis „similem” unum alterumve Phaedri fautorem existitisse facili negotio e versibus allatis efficias. Apparebunt fortasse tempore. Sed dum prodeant nobiles isti, quos adhuc permit alta quies, tu interim lector mecum perpendas quaeso locutionis vim totiusque loci colorem atque ἦθος. Fortasse mihi astipulari poteris perhibenti, poetam cum haec scriberet non tam de „*similibus*” illis cogitasse, quam de isto, qui Particuloni quam maxime *dissimilem* se praebuisset.

Ultimus prologi senarius hic est:

*Illiteratum* plausum non desidero.

Literarum literatorumque mentiones in quarto libro passim seruntur. In prologo respuit poeta plausum *illiteratum*, septima fabula nasutos monet ne *litteris* sint molesti, Simonidea priore narrat quomodo „*litterarum* quidam studio deditus” iuverit poetam afflictum sive potius ἀτάρακτον, altera narratio hisce incipit:

Quantum valerent inter homines *litterae*,

in epilogo denique bonum suum Particulonem honore beat poeta mansuro

Latinis dum manebit pretium *litteris*.

Mero casui hoc tribuat qui velit, mihi non casu evenisse videtur. Sine ulla notione adiuncta porro legat *illiteratum* istud, cui commodum, mihi ut aperte dicam vox ista fere idem sonat atque: *Eutychianum*.

Sequitur prima fabula de asino Cybeles, hoc ornata promythio:

*Qui natus est infelix non vitam modo*

*Tristem decurrit, verum post obitum quoque*

*Persequitur illum dura fati miseria.*

1) De his verbis obscuris pauca dicam infra p. 307.

Fatuum profecto sit post Thielei monita <sup>1)</sup> huc afferre Graecae fabulae „moralitatem” insulsam: Οὕτω καὶ τῶν οἰκετῶν ἔνοι, εἰ καὶ τῆς δουλείας ἀφεθῶσιν, τῶν δουλικῶν οὐκ ἀπαλλάττονται <sup>2)</sup> tum collis potius quam collatis locis demonstratum ire, quanto melius hic rem suam egerit Phaedrus. Nam etsi pro certo res demonstrari vix umquam poterit, tamen quam maxime videtur verisimile et hic antiquam „moralitatem” Graecam nobis perditam Latino poetae praesto fuisse quam sequeretur. Vel sic tamen nullus dubito equidem, quin avidissime hanc fabellam arripuerit „in calamitatem suam delegerit”, *primum novi libri locum* ei assignaverit miser poeta, Seiani iniquitate Eutychique repudiatione graviter afflicto. Sed cautiores viderint <sup>3)</sup>.

Hoc statim addam, ipsam fabellulam sensum misericordiae vix movere posse. Quem enim sortis misereat asini post mortem etiam *τυμπανισμῶ* vapulantis? Ob talia ridet vel subridet qui potest <sup>4)</sup>. Quod et ipsum Phaedrum sensisse puto probeque intellexisse se vi quadam levem hanc materiam in usum suum convertisse. Facile sic transeo ad ipsam aptissimam transitionem, qua poeta pergit ad secundam fabulam, cuius „prologus” hisce orditur verbis:

Ioculare tibi videtur e. q. s.

Atque istis verbis quin ad proxime praecedentia protinus respexerit noster vix dubito <sup>5)</sup>. Quamobrem lectionem traditam boni consulo neque ullam video causam, cur cum Haveto et Speyero legamus:

1) Phaedrusstudien: Hermes 1906. p. 568 sqq. Magnopere dolendum est Babrianum epimythium nobis interiisse. Ceterum simillimus rerum status nobis mox redibit in tractanda fabula duodecima.

2) Halm. 290.

3) Contristatam fuisse poetae mentem, cum quartum suum librum scribere incohaeret, persuasissimum Hartmano quoque fuit. Utique conferantur quae scripsit ille in Commentatione sua p. 35.

4) Si cui taedium fortasse obrepat mearum disquisitionum nimis subtilium, auctor ei sim ut paulisper hic obambulet in annotationum silva Burmanniana. Iam deprendet ibi viros doctissimos impensa gravitate disputantes, utrum asinus post mortem iniuria affici possit necne. Testes citantur Socrates, Plato, Aristoteles, Stoici, Augustinus! Fortasse perlectis istis controversiis gaudio quodam recreatus pauloque iam mihi summisior factus ad spinosas meas dignabitur redire nugas.

5) Rectissime Siebelis-Eckstein-Polle: „ioculare” hier: „läppisch”.

Ioculare tibi videmur.

Sed iam totum istud exordium dabo, de quo fusius mihi disputandum erit:

Ioculare tibi videtur et sane levi  
 Dum nihil habemus maius, calamo ludimus.  
 Sed diligenter intuere has naenias;  
 Quantam, subtilis, utilitatem reperies!  
 Non semper ea sunt, quae videntur; decipit  
 Frons prima multos, rara mens intellegit,  
 Quod interiore condidit cura angulo.  
 Hoc ne locutus sine mercede existimer,  
 Fabellam adiciam de mustela ac muribus.

Apto, me si audis lector, vocabulo hos senarios appellabis libri quarti prologi partem praetermissam huc iam quasi novellam insertam ac postumam. Sed ne cui sic nugator videatur bonus Phaedrus, quippe qui ipse carminis sui modum statuere nequiverit, arte ficta haec omnia admodum esse puto. *Uno tenore scripta, uno utique tenore legenda mihi videntur omnia inde ab initio prologi usque ad senarium quem ultimum dedi:*

Fabellam adiciam de mustela ac muribus:

Exponit poeta mutati consilii causam fictam „certam” nimirum istam suam „rationem”, laudat novum Maecenatem, summovet obrectatores nec non oblique perstringit patronum veterem. Continuo de miserrima vitae suae conditione narrare incipit, fabella usus sat ridicula, certe ad misericordiam movendam vel ipsi visa poetae minus apta. Sed callide laudem virtutis, ut dicunt, necessitati dedit et apte usus est occasione aliquid interponendi de „genere” Aesopi, quo iterum novum patronum laudibus oneret, ad veterem iterum contumeliose respiciat.

Nunc singula examinemus:

Ioculare tibi videtur:

Ad „tibi” ego suppleo: mi Particulo, non: lector.

Sed diligenter intuere has naenias:

Et nos diligenter haec intueamur. *Nam hic si usquam testimonium admodum grave mihi deprendisse videor, quo hypotheses meas stabiliam: Bis tantummodo fabellas suas naenias vocat poeta. Atqui altero loco ad Eutyckum scripsit noster:*

Legesne quaeso potius viles naenias ....? (Lib. III. prol. 10)

Quae cum ita sint persuasum admodum mihi est, nostro loco hoc dicere voluisse Phaedrum: Tu nunc mi Particulo, etsi fortasse prima fabella ineptae potius festivitatis specimen quam maestae veritatis symbolum tibi videtur, perge tamen et *quae subtilitate* mox pretium reconditum agnosces istarum *naeniarum*, quas ne obiter quidem inspicere dignati sunt Eutychi.

Sic ad quartum versiculum ventum est, quem ego, re diu perpensa sic exhibeo ut libri dant:

Quantam, *subtilis*, utilitatem reperies!

De ingeniosa Pithoi correctione: *sub illis*, quae pro certissima emendatione vulgo in textum recipiebatur et recipitur si uberius disseram, nimis longe a proposito aberrem. Traditae lectionis vocativo paulo insolentiore non offendor equidem, quamque egregie hic inserviat codicum lectio propositae meae argumentationi vix est quod uberius exponam.

Porro ad senarium:

Quod interiore condidit *cura* angulo observatum velim sollemne paene dicendum esse istud *curae* vocabulum. Legitur et in *prologo* et in *epilogo* libri secundi:

Equidem omni *cura* morem servabo senis.

Si livor obtrectare *curam* voluerit.

Mire tum (ut cum bono Donato loquar) brevi intervallo bis recurrit vox in tertii *prologo*:

Impendas *curam* quam rei domesticae.

*Curam*que habendi penitus corde eraserim, ubi, ni fallor, ironice et ambitiose adhibita est, ita nempe ut ipso sono quasi sponte se lectoris animo offerret sollemnis ista cura literaria Phaedrjana. Sic et haec vocula mihi levissima est significatio τῆς τοῦ προλόγου ὑπερκαταλήξεως.

Atque de reliquis quos attuli versiculis vix quicquam mihi in medium est proferendum <sup>1)</sup>. Unum hoc non monere non possum: Quam egregie illud *rara mens* respicit ad vocativum: *subtilis*, quantoque gratius et efficacius sonant illa:

decipit

Frons prima multos, *rara mens* intellegit e. q. s.,

1) Ad miram locutionem: *sine mercede*, de qua olim disputavi (Mnemos. Vol. XXXIX p. 58 sqq.) postea fortasse si licuerit recurram.

si scripta haec cogitas non lectori cuivis, sed inprimis „viro sanctissimo” Particuloni! <sup>1)</sup>

Venio nunc ad fabulam duodecimam, qua acerbissime perstringitur Plutus. Atque de hoc Phaedri „iudicio iniquo praevoque” sat multa protulerunt interpretes cum veteres (quos audire est apud Burmannum) tum hodierni. Promythium Phaedri hoc est:

Opes invisae merito sunt forti viro,

Quia dives arca *veram laudem* intercipit.

Et hic praesto nobis est Graeca „moralitas”: *ὁ λόγος λεχθεὶς ἂν ἐπ’ ἀνδρὸς πλουσίου μὲν τύχην πονηροῦ δὲ τὸν τρόπον* (Halm 160) „verior multo et narrationi magis conveniens” ut scripsit Vandaelius <sup>2)</sup>, hisce nimirum significans, a Phaedro hanc fabulam in usum suum conversam atque ex parte saltem corruptam esse. Quae si vera aut verisimilia tantum essent, quam avide ego hic arriperem occasionem demonstrandi cur id fecerit noster. Sed et hic sicut ad primam fabulam quarti libri meliora opinor nos docuit Thieleus <sup>3)</sup>. Huic igitur peritissimo et cautissimo iudici astipulatus sperno moralitatem istam Graecam et recentioris aevi et peioris notae, libenterque credo, Phaedrum et in hac fabula enarranda fideliter esse secutum exemplar suum Graecum, („fontem cynicum” hic deprendit Thieleus), quod mutilatum et prisca sua moralitate privatum ad nos pervenerit. Observat Thieleus: „Besonders kynisch scheint mir die Formulirung der Moral: der Reichtum tötet die wahre Tüchtigkeit und *den wahren Ruhm*” <sup>4)</sup>. Sic media in quaestiuncula mea literaria de

1) De variis transitoriorum, ut ita dicam, horum versuum lectionibus acute disputavit Alfredus Tackius in „Phaedrianis” suis (Dissert. Berolin. 1911), opusculo bonae frugis pleno.

2) Vandaele p. 35.

3) Phaedrusstudien. I. I.

4) I. I. p. 567. Continuo haec addit vir summus: „Hierbei kann ich den möglichen Einwand, dass Phaedrus etwa durch ungeschickte Fassung der Sentenz diesen schroffen Ton verliehen habe, nicht gelten lassen. Denn Phaedrus hat hier seine griechische Vorlage ganz wörtlich benutzt” e. q. s. De imitatione Graeci promythii nihil certi statui potest, quoniam interiit, sed fortasse verbum de verbo expressum extulit Phaedrus. Ceterum non is sum qui hic utar locutione: *durch eine ungeschickte Fassung*. Potius, ut Germanice dicam, hic deprendam: eine ganz geschickte Fassung und treue Wiedergabe eines sehr willkommenen schroffen Tones.

improviso se offert occasio philosophandi. Quaeritur quae sit vera laus secundum Cynicos. Et hic sicut in omnibus quaestionibus philosophicis facilius est rogare quam respondere. Et bene hercle factum, quod nobis hic non est diiudicandum, utrum veram Cynicorum laudem rectius dicas ἀταραξίαν an ἔκδυσιν τινα τοῦ ἀνθρώπου. Illud igitur mittamus et hoc confidenter autumemus, quod cum invictum tum ad causam nostram sufficiens est: *Cynicos numquam veram laudem posuisse in literis*. Nunc ad fabulatorem nostrum recurramus, iterum promythium eius legamus, aequissimo concedamus animo eum verbum de verbo Graeci sui exempli expressisse, tum rogemus, quinam ei obversati fuerint ante oculos talia dum scriberet. Fueruntne isti barbati palliatique morum censors, non divitias sollummodo sed omnes humanas curas vilipendentes, an potius strenui humilesque poetae, contempti fortasse, sed post omnia vel divitissimis spectoribus invidiosi? Nam cum duo dicunt idem non semper est idem <sup>1)</sup>.

Iam ad narrationes devenio Simonideas, quarum prior luculenter me iudice nobis demonstrat, quam simpliciter, ne dicam pueriliter, et de divitiis contemnendis et de vera laude consecranda iudicaverit bonus iste, qui per me licet Cynicum dogma ad verbum fideliter Latine expressit. Ecce:

Homo doctus in se semper divitias habens,  
vera laude sua nec non thesauris suis onustus conscendit navem,  
nafragium facit, sed mox ex itinere redit novum adeptus Maecenatem,  
vera laude servata, veste insuper nummis, familia exornatus. At nec cum Clazomenio illo hospite nec cum ullo alio Maecenate umquam opinor disputaverat de „arca divite veram laudem intercipiente” nec umquam quemquam eorum

1) Operae pretium videtur hic audire Burmannum (in editione anni 1727) qui ob Herculeum istum putat Phaedrum de laude bellica sermonem facere. Parum recte, ut leviter dicam. Sed de propria explicatione dubitasse videtur ipse philologus, quippe qui sic finem faciat: „An et hic avarum Tiberium (sic) vel alium quem ducem tangit Phaedrus?” Sic propius ad verum accessit opinor! Ceterum ut ad meam opinionem redeam: mihi et dives arca et vera ista laus in memoriam revocant notissimos istos senarios tertii prologi, quibus et propriae vitae et Eutychi „studiorum” iudicium facit noster. Sed quid de Eutycho „literato” cogitaverit atque expectaverit fortasse Phaedrus fusius disputare conabor infra.

rogaverat, utrum „dulce lucrum praeponeret docto labori” necne. Sic poeta Ceus invidiosa fieri potuit fabula moesto Romano fabulatori, qui ne post vulnera quidem illata iusto modo umquam clipeum sumere scivit.

Atque haec de priore fabula. De altera fusius aliquando disputare libet. Nam hanc narratiunculam dum lego ac relego, singulari subito sum commotus cogitatione, qua me liberare deinde non potui. Monentur igitur pycetae (fortasse et aurigae) ne poetas ludibrio habeant. Historia omnibus Phaedri aequalibus literatis nota fuit opinor. Nos adhuc eam legimus apud Ciceronem, Valerium Maximum, Quintilianum <sup>1)</sup>. Sic incipit Phaedrus:

Simonides idem ille de quo rettuli,

Victori laudem *cuidam* pycetae ut scriberet e. q. s.

Quid usitatius, quid fabularum stilo accomodatius dictum videtur quam istud *cuidam*? Num quicquam suspectum hic habere possit quisquam? Ignoecas lector si tamen ausus ero. Et notissimus et apprime nobilis fuit iste pyceta. Scopas vocatur apud Ciceronem et Valerium Maximum, Phaedri aequalem. Aliquanto post sane Quintilianus scripsit, magnam dissensionem de isto nomine fuisse inter auctores, haec tamen dum addit: Scopae et Crannonis domicilii nominum famam latius fudisse Ciceronem. Ut ut id est, vix cuiquam Phaedri temporum literato ignotum fuisse istius pycetae nomen quaecumque iusto iure credere possumus <sup>2)</sup>. Paulisper nunc artis literariae critici munus audacter in me recipiam: Quali splendore, quanta efficacitate augere hic potuit Phaedrus narratiunculam suam. An putas prorsus non ad Simonidis poetae gloriam referre potuisse, utrum ignotus hic pyceta *quidam* ruina obrueretur an nobilis iste Scopas The-

1) Cic. de Or. II 351 sqq. — Val. Max. I. VIII Ext. 7. — Quintil. Inst. Or. XI. 2. 11 sqq.

2) Rem iam olim miratus est Bormannus (1727) haec dum annotat: „Nescio vero cur Phaedrus Scopam noluerit nominare: forte alios auctores secutus est”. Perfugium hoc potius quam explicatio est. Pergit sane criticus: „Nam Cicero et alii, qui hic adducuntur, de carmine tantum memorant, nec addunt scriptum in laudes pycetae, nec Scopam pycetam vocant”. Quam debilis vero et putida haec sit explicandi ratio, id ipse vir summus prodit dum continuo sic pergit: „Sed Quinct. lib. XI. 2 dicit pugili coronato scriptum et convivium in honorem eius victoriae fuisse celebratum, sed dissentire veteres an Scopae, an Glauconi, an Leocrati, an Agatharcho”. Cetera tu lector apud ipsum Fabium legas.

salorum regum progenies? Cur igitur exornationem tam in promptu iacentem non assumpsit? Cur nomen late vulgatum reticuit? Fierine potuit, ut iratus fabulator, ab auriga spretus, nullum iam amplius agonum genus, nisi quod Musis sacrum esset, claro nomine concelebrare voluerit? Subridebis fortasse lector, neque ego tale quid proferre ausus essem, nisi altero statim loco eiusdem nostrae narratiunculæ quasi novo impulsu iterum in eandem cogitationis viam protrudi mihi visus essem. Audiamus postea: Pacta mercede opus aggreditur Simonides sed:

*Exigua cum frenaret materia impetum,*

Usus poetae more est et licentia

Atque interposuit gemina Ledae sidera.

Quid haec sibi volunt? Operae pretium est hic audire Phaedri interpretes et emendatores. Sic igitur simpliciter docent pueros Siebelis-Eckstein-Polle: „*Exigua materia*”: „der geringfügige Stoff, weil der Sieger ein sonst unbedeutender Mensch war”. Periculosa haec brevitatis me puerorum praeceptorem offendit admodum. Iam finge tibi lector puerum vere veri cupidum suamque sibi in hac re opinionem informare cupientem. Nonne is ducibus istis viam monstrantibus credat necesse est, Simonidem miserum vi coactum fuisse Dioscuros suos quasi de coelo deducere, ut implerent carmen in honorem abiecti cuiusdam abiectique generis viri componendum? Caveant censeo hic praeceptores, ne quid detrimenti capiat res publica sua scholastica. Sed iam missis aerumnis istis audiamus Havetum, in hunc modum viros doctos docentem <sup>1)</sup>: „Lacunam statuit L. Havet (post versum quintum) . . . . atque in deperditis versibus moneri legentes debuerunt (ut fit apud La Fontaine) cur materia fuerit *exigua*; sic fere fortasse:

In se recepit, generis abiecti viro,

Per se vix noto, qui praeconem gloriae

Certo conduxit pretio e. q. s.

Persuasum igitur est Haveto, ipsum Phaedrum iam olim aequalibus suis, disertis, ut ita dicam, senariis, eandem prorsus explicationem exhibuisse, quam nunc offerunt Siebelis-Eckstein-Polle.

1) In annotatione critica ad locum.



Atque interpolationem istam ad tempus accipiamus. Quid nunc lucratur? Habemus sane luculentissimam explicationem vocis istius *cuidam*, de cuius colore iam nemo dubitare potest. Simul autem credere cogimur, fabulatorem nostrum strenue operam dedisse, ut literati sui aequales sentirent, quam penitus spreverit nobilem istum Scopam Ciceronianum nec non vulgo opinor notum. Porro iam credamus necesse est, Phaedrum omnino non curasse, quid sibi respondendum esset rogantibus, „cur sic mentiri velit” in re notissima. Parum recte explicasse rem mihi videntur interpretes, quos laudavi, Germani, prorsus autem cum interpolatione sua a scopo aberrasse mihi videtur vir doctus Francogallicus.

Sed iam porro rem sedate perpendamus: Totius narrationis cardo sive existendi ratio inest in ista digressionem poetica. Quid mirum ergo, si et apud Ciceronem et apud Quintilianum eam rem memoratam invenimus, sine qua fabula stare nequit? Sic breviter Cicero: „id carmen, in quo multa ornandi causa, *poetarum more*, in Castorem scripta et Pollucem fuissent”. Brevius etiam Quintilianus: „*more poetis frequentissimo* digressus in laudes Castoris et Pollucis exierat” Et haec omnino sufficiunt, *nam unica causa digressionis hic est mos poetarum*. Paulo tantum accuratius id formula angustius valenti sic enuntiaveris: *ita postulabat ipsa τῶν ἐπιτικίων ratio*. Quae cum ita sint iam me iudice nihil restat quam ut dicamus, Phaedrum fabellam hic depravasse potius quam exornasse et sat miror neminem adhuc, quod sciam, spurium iudicavisse versiculum, quo explicetur id, quod prudenti nulla explicatione egeat. Longe tamen absit, ut Phaedro abiudicem senarium, ut artifice poeta „literatum plausum” appetenti sat indignum, ita indignabundae menti clientis ab auriga patrono repudiati admodum convenientem. *Exiguam* igitur *materiam* sic explico equidem, ut ea significetur ipsa ista gymnica victoria. Ne sic quidem, iterum dico, severo artis critico stare potest additamentum istud malignius quam verius. Nam quot quantisque digressionibus exornaverint clarissimi ἐπιτικίων scriptores laudes suas in nobilissimos nobilissimorumque agonum victores compositas, id nos hodie scimus, neque opinor ipsi Phaedro ignotum fuit.

Sic haec optio nobis dari videtur me iudice: Aut credamus necesse est Phaedrum prorsus bona fide sed inscite nobile nomen

sat vulgatum omisisse, quo nomine aptissime cum ad exornandam fabulae formam tum ad melius illustrandum eius consilium uti potuisset, atque insuper addidisse explicationem, ut leviter dicam, supervacuam admodum, ut gravius, satis fallacem, aut sic nobis mentem informare cogimur, ut putemus, *fabulatorem data opera fastidiosa quadam incuria locutum esse de arte gymnica eiusque decoribus*, indignationem eius artis amantium et parum curans et irridens fortasse. Hoc ut aliquanto verisimilius ducam hi quoque versus notissimi me monent, qui in priore Simonidea leguntur:

Mercede accepta laudem victorum canens.

*Hoc genere quaestus* postquam locuples factus est e. q. s.

Senariis istis me iudice non tantum clarissimi Cei poetae Musam mercenariam perstringit morosus fabulator, qui „periculosum semper vitavit lucrum”, sed etiam ipsum istud *quaestus genus*, atque *vix opinor tam segniter, tam fastidiose et hic de laudibus istorum victorum locutus esset Phaedrus, si adhuc amicum patronum habuisset aurigam clarum Gaianum* <sup>1)</sup>.

Porro in re, quae tota fere in coniectura posita est, haec proferre ausim: Brevissimae in quarto libro duae leguntur fabellae, altera de vulpe et uva, altera de monte parturiente, quibus acerbe perstringuntur:

qui facere quae non possunt verbis elevant,

nec non:

qui magna dum minantur extricant nihil.

Quis non libenter astipulabitur Freinshemio haec ad priorem fabellam annotanti: „Apparet contra eos vibrari hoc dictum, qui fabulas eius elevabant verbis”? Iam haec rogare velim: Num ullo pacto melius acerbiusve quis elevare possit fabulas Phaedrianas quam „viles naenias” appellando „docti laboris” istas fruges? *At sic locutus est Eutyclus*. Sed plura addam. Non minus enim imitatores impotentes quam meros obtrectatores priore fabella tangi, quis non sentit? Atque altera fabella de monte

---

1) Fastidium haud dissimile deprendo equidem in Appendicis fabula undecima de salto victore gymnico. Hanc igitur fabellam e quarto libro olim desumptam fuisse, suspicari mihi liceat.

parturiēte quin impotentes isti Musarum amatores praesertim carpantur, nullus dubitavit Burmannus, qui de omni „Euty-chiana” hypothesi securus haec annotavit: „Hic sine dubio aliquem sibi Phaedrus proposuit perstringendum, qui carmina minabatur se editurum magnifice, sed nihil vel exiguum et vile produxit”<sup>1)</sup>. Iterum nunc nobis in mentem revoce-mus notissimos senarios:

Mutandum tibi propositum est et vitae genus,

Intrare si Musarum limen cogitas,

qui aut nihil nobis valent valebuntque semper, aut nos docent et Euty-chum poesi vacasse: Quid nunc si suspicemur et istum libertum horis suis subsicivis operam navasse fabellis utcumque componendis? <sup>2)</sup> *Quid si porro huic suspicioni indulgeamus, irrita ista divitis aurigae conamina a cliente pristino hic irrideri?*

Sed sic denuo in digressionem paulo longiorem delabi mihi videor de Phaedri aerumnis literariis. Quali ira atque indignatione in obtrectatores suos miser poeta usque fuerit commotus, id novimus omnes. Sed praeter istos aliud quoque genus hominum, *imitatores ingratos* quos vocare mihi liceat, vix minus fabulatori nostro bilem movisse, facile crediderim. Vix ullum enim poeseos genus excogitari potest, me iudice, quod semel inventum magis sit aptum ad procreandos imitatores, ad alliciendum „corvos poetas et poetrias picas”. Quid? Nonne abundabat materiae copia, ut ipse Phaedrus dixit, nonne „Aesopi Latini” corpus fabularum et narratiuncularum pedestri sermone scriptum (ut post Thielei studia splendida novimus omnes) vilis

1) p. 218 editionis anni 1727.

2) Exemplum sic et quasi praecursor esse potuit Polybii istius Claudiani, de cuius caris „Aesopeis” notissimus legitur locus ille Annaeanus (ad. Polyb. de. Cons. 8. 27). Quam diversae de hoc loco doctissimorum virorum prolatae sint opiniones, quis nescit? Quid ipse in hac re sentiam hic exponere non opus est. Sed operae pretium est audire Thieleum, qui in transitu obiterque quaestionem perstringens haec scripsit (Martial. III. 20 — Philol. 1911 p. 547): „Seit 41 lebte Seneca im Exil in Korsika. Wenn also Phaedrus wirklich nach Tiberius Tod sich sofort wieder mit seinem verpönten Fabeln an die Oeffentlichkeit wagte, was nicht sehr wahrscheinlich ist, so konnte Seneca ja inzwischen vielleicht das dritte Buch kennen gelernt haben”. Ipsam quaestionem ut iam dixi mitto, sed ad verba quae cursivis typis dedi haec etiam atque etiam rogo: *Cur parum verisimile putemus, fabulatorem a Seiano afflictum, sub Caio iterum prodire ausum esse?*

gloriorum cupidis praesto erat? Nonne senarii Phaedriani forma „expolita” in promptu iacebat? Iam quid ipse poeta in hac re cupiverit, quid abominatus sit, quid denique expertus sit, id sponte opinor rogamus. Sed et hic, eheu, sicut in tota crisi Phaedriana, ultra suspiciones plus minusve verisimiles quis progredi possit? Tamen et hic est quadam prodire tenus si non datur ultra. Quin etiam in hac re ni fallor id, quod „a priori” (ut dicunt) verisimile est, nonnullis senariis haud nimis temere interpretandis verisimilius aliquanto reddere possis. Hoc primum igitur, quod maxime in promptu est contendamus, plagiariorum suos et habuisse et abominatum esse nostrum. Atque

hoc ne locutus sine mercede existimer,

Fabellam adiciam de fucis apium aemulis,

sic simul bellis „meis” senariis τούτων τῶν κηφύων versiculos pro virili illustrans. Sed tu potius, candide lector, fabellam sat lepidam relege integram Phaedri libello arrepto, deinde tecum reputa utrum astipulari possis necne hisce Burmanni verbis <sup>1)</sup>: „Respici hic ignavos, qui versus Phaedri sibi vindicaverunt, censet Guyetus, nec extra veri speciem”. Equidem verbis assentior cum Haveto <sup>2)</sup> Sibelesio <sup>3)</sup> aliis <sup>4)</sup>. Pauca quaedam addenda sunt de epimythio:

Hanc praeterissem fabulam silentio,

Si pactam fuci non recusassent fidem,

quae verba molestias praebuerunt Bentleio. Simplex minimeque in re mea spernendus hic mihi videtur epimythii sensus: „Fabulam silentio praeterissem i. e. nunquam „in calamitatem meam delegissem” nisi fuci pactam fidem recusassent i. e. nisi plagiarium isti semel maleficii sui convicti imitari et furari perrexissent. Quid demum displicere possit in locutione: pactam fidem recusare pro: fidem, qua te ex pacto obstrinxeris, praestare nolle, id me fugit. Sed de Phaedri fucis furibus hactenus.

Porro iam soli denuo (quantum scio) in suspicionum mearum campo oberrare libet. Ad Eutychem redeo, qui quin primo et

1) Ad locum in editione anni 1727.

2) p. 266.

3) Siebelis-Eckstein-Polle p. 35.

4) audi Gudium apud Burmannum.

Phaedri „generi” et ipsi Phaëdro admodum favorit cum Prinziò nullus dubito. Famosum et superbum istud prologi initium:

Phaedri libellos legere si desideras

procul dubio est responsum ad invitationem plus minusve blandam. Porro, ut iam monui, ipsum Eutychem poesi vacasse sat certum videtur. Sed quam singulari modo de istis Eutychi conaminibus locutus sit Phaëdrus, supra iam cum Prinziò disputans exponere studui. Strenue compellere, blande compellere istum virum, quem *ἄμωσον* esse penitus profecto sentiebat, omnino non potuit, nedum umquam adulari isti voluerit. Contra deterrere eum atque ablegare a limine Musarum id ne Phaëdrus quidem ausus est. Unicum ergo quod restabat fecit noster: *docuit monuitque*. Ita saltem re considerata et apertissimum et aptissimum mihi videtur consilium et fabellae istius de apibus fucisque inter se rixantibus et alterius fabulae *in eodem libro Eutychiano obviae*, quam mox tractabo. Nam quod ad priorem illam attinet non iam meris hic querelis obtunduntur Eutychi aures sed gravem simul austeramque hanc subaudio admonitionem: Tu quaeso mecum sperne fucos, idque tecum reputa: si verus poeta evadere studes, apium exemplo utere. Nihil sine labore! Ad alteram propero fabulam de pavone apud Iunonem de voce sua conquerente. De qua fabella haec observavit Burmannus <sup>1)</sup>: „Sub hac fabula describi aliquem divitem et superbum et ostentatorem opum, quem sub pavone latere credo, verosimile est, qui affectare etiam poeticam volebat elegantiam et forte ipsi Phaëdro se imparem esse querebatur, quod nequiret versus scribere, quem monet poeta, ne invita Minerva versus faciat et risum praebet. Lusciniis vero dici saepe poetas egregios notum est.” Admodum mihi placet haec explicatio, quidque hic „interiore cura condiderit angulo” recte sensisse mihi videtur vetus interpret <sup>2)</sup>. Atque plura e fabulae senariis elicere velle quam ea, quae Burmanni explicatione continentur quis audeat? Tamen minime neglegendum mihi videtur totius nar-

1) p. 159 editionis anni 1727.

2) A scopo aberrasse contra summum criticum puto, cum censeret et primi libræ fabella tertia (de graculo superbo) plagiariorum denotari. Nam *et locus, quo fabula legitur, et, quod multo gravius, narratiunculæ consilium et argumentum*, istiusmodi interpretationi quam maxime obstant.

ratiunculae singulare ἄθος, miram insolitamque sat mentis lenitatem prodens. Non hercle me fugit, hic illic in posterioribus praesertim libris, mitioris ingenii Phaedriani vestigia deprendi. Quid mirum? Quis enim semper morosus est, semper acerbus, semper fastidiosus? Sic, ut unum exemplum afferam, sat mite est responsum Iovis ad hircos ridicule indignantes barbamque capellis invidentes (IV. 16). Sed mittamus ridiculos istos hircos vix graviore vituperatione dignos et ad pavonem nostrum redeamus. Nonne impudens est ista avis formosissima cum querelis suis? Tamen haec legimus:

Tunc *consolandi gratia* dixit dea.

Quid multa? Nonne ipsa ista locutio: *consolandi gratia* <sup>1)</sup> nos monet, ne sic nobis cogitemus fabulae „moralitatem”: tu vir dives atque potens, si insuper poeta esse vis, impudens es”, sed ita potius: „tu vir dives, si conamina tua ad scandendum Pipleum montem irrita tibi manserint, memento te vel sic divitem manere multis invidiosum!” Quodsi vel sic admodum inepte egisse quis putet Phaedrum, talia offerentem futuro patrono, literarum studiis interdum vacanti, libenter id concedo sed hoc statim addo: Etsi non cautius, mitius certe, si vera est mea suspicio hic egit Phaedrus, quam famosa ista interrogatione prologi:

Quid credis illi accidere, qui magnas opes

Exaggerare studet e. q. s.

Ceterum, quantum absit, ut omnia ista dum perpendam, Prinzi astipuler iudicio: „Und so wird auch unser Eutyclus des Phaedrus Worte nicht ungern gehört haben”, id vix opus videtur iterum monere.

Ut repetam, quae saepius dixi: *monuit, docuit, invitavit suo more et quoad potuit Phaedrus patronum exoptatum*. Nilne plus eius causa fecit? Audiamus tertii epilogi initium:

Supersunt mihi quae scribam sed parco sciens,

Primum ne e. q. s.

Dein siquis eadem forte conari velit,

Habere ut possit aliquid operis residui e. q. s.

1) Saemel recurrit ista formula: *consolandi gratia*. Legitur in fabula de gubernatore prudenti (IV. 17). Parum congruit promythium cum fabulae argumento (cf. Graecam narratiunculam — Halm 367!). Sed quin ipse se Phaedrus ibi consolari conatus sit, denno in calamitatem deligens quiddam suam”, vix dubito.

Addamus quarti prologi initium:

Cum destinassem terminum operi statuere

In hoc, ut aliis esset materiae satis,

Consilium tacito corde damnavi meum e. q. s.

Iam quid verius, quid tutius de istis scribi potest, quam haec Schanzii verba: „Mit dem dritten Buch wollte der Dichter von der Muse Abschied nehmen, es sollte auch andern etwas zur Bearbeitung übrig bleiben; allein er besann sich doch eines Besseren und schrieb ein viertes Buch" <sup>1)</sup>. Nam hercle ita locutus est homo, ita fecit. Atque quare ita *fecerit* fabulator, id ipse prologi quarti initio et aequalibus et posteris explicare studuit. Quam explicationem, miseris inquinatam corruptelis, quot quantisque aerumnis vexaverit philologos notum est. Novissimus ipse, quantum scio, de spinosa quaestiuncula egi in novorum Phaedrianorum meorum capitulo primo <sup>2)</sup>. De causa ergo *ficta*, quam Phaedrus protulit suam sibi quisque fingat opinionem. Sed *vera* quae poetae causa fuerit denuo calamum arripiendi, nemo umquam dubitavit. Fuit flagrans gloriae laudisque cupiditas. Sed procul dubio iusto vehementiorem hanc gloriae cupiditatem Phaedrianam sibi finxit Vandaelius cum de hac re scriberet: „Iam Phaedro vivente, post tertium librum editum, non ante, poetam nostrum quidam imitari conati sunt, adeo ut cum destinasset

„terminum operi statuere

In hoc, ut aliis esset materiae satis,

consilio damnato" *rursus surget iratus, mordicus contendere paratus ne quis alius partae sibi gloriae particeps esset*" <sup>3)</sup>. Nam aut ego nihil iam in hisce sapio, aut hominis vix sana mente praediti est primo scribere: „iam aliis aliquid relinquo" tum si iam alii ad relictam materiem accedant „mordicus contendere ne quis alius partae gloriae particeps sit". Sic ad alteram quaestionem devenio: quare demum ita *locutus est* fabulator? Neque ullum aliud responsum hic mihi fingere possum praeter

1) Geschichte der Röm. Lit. II. II\* p. 40.

2) Mnemos. 1917. p. 93 sqq.

3) Qua mente Phaeder fabellas scripserit. p. 64. Nonnulla literis inclinatis exaranda curavi ego.

hoc simplex atque unice, ni fallor, verum: *Tertio fabularum libro perfecto iam fidus, gratos asseclas discipulosve sibi exoptavit fabulator. Solus manere in arte sua noluit. Scholae magister audire vult solitarius iste pusillus artifex, obtrektorum, rosorum, plagiariorum ineptorum pertaesus. Et quanto gaudio delibutus esset poeta si praepollens iste Eutyclus artis Phaedrianae fidus assecla, gloriae Phaedrianae dignus praeco existere potuisset. Sic me iudice ad tempus „terminum operi” statuit noster, ut iam et aliis et Eutycho praesertim „materiae satis” relinqueret. Ita in epilogo quoque antequam ad meras preces querelasque delapsus est, patronum suum tecte incitavit ad poesin „fabulatoriam” colendam.” Sic uno saltem minimeque opinor spernendo vinculo cogitationis constringuntur inter se epilogus et prologus, ceterum longissime inter se diversi.*

Solus remansit Phaedrus, solumque se remansurum esse procul dubio iam tum praesensit, cum aliis materiae copiam se relicturum esse quinquagenarius semel pollicitus est. Libro quarto perfecto iterum loquitur de materia adhuc abundantanti:

Et copiosa abundat rerum varietas  
 „sanctissimo suo affirmat Particuloni, sed de materia aliis reliquenda οὐδὲ γὰρ additur. Qua re magis etiam mihi confirmatur sententia, quam de tertii epilogi verbis notissimis modo exposui.

Sed ad Eutyclus recurro nec non ad libri quarti prologum. Huius enim prologi senariis quasi interscriptum identidem nobis esse legendum pristini patroni nomen, id supra exponere studui <sup>1)</sup>. Et consulto tum quaedam omisi, quae nunc addere est animus, utpote praesentis argumentationis contextui aptiora. Simul autem breviter hic repetam necesse est, quae de prioris partis huius prologi sensu antea protuli. Explicatio enim ibi proposita et defensa aptissime inservire videtur praesentis argumentationis rationi. Optimum videtur paucos istos Phaedri senarios denuo integros exscribere explicationibus observationibusque intermixtis:

Cum destinassem terminum operi statuere

In hoc, ut aliis esset materiae satis,

*Consilium tacito corde damnavi meum.*

i. e. cum decrevissem aliis materiae sat magnam partem relin-

1) v. s. p. 289 sqq.



quere atque ita unum alterumve incitare, ut poesi fabulatoriae sincere operam navaret, iam tum *penitus planeque praesentiebam, me cum consilio meo atque incitatione mea frustra futurum esse.* (Inprimis hic sentiatur pondus atque ἦθος verborum: *consilium damnavi*: Gravis locutio grave ni fallor indicat poetae pristinum propositum atque omnino nos vetat credere, poetam olim inani loquendi formula usum esse cum scriberet: „dein siquis eadem forte conari velit” e. q. s.)

Nam siquis talis etiam erit tituli appetens,  
*Quo pacto examinabit, quidnam omiserim,*  
 Ut illud ipsum cupiat famae tradere,  
 Sua cuique cum sit animi cogitatio  
 Colorque proprius!

i. e. Fac alium eandem gloriam appetere, quam ego iam assecutus sum. Iam procul dubio aemulus ille, utpote artifex suis ingenii dotibus fretus suas etiam res aget. *Omnino igitur examinare nolet, quidnam omiserim ego, ut id ipsum semel repositum ante omnia curet, tractet, famae denique tradat.* (Repetivi hic explicationem quam antea protuli in Nov. Phaedr. I — Mnem. XLV p. 100 sq.).

Ergo non *levitas* <sup>1)</sup> mihi

Sed *certa ratio* causam scribendi dedit.

i. e. Ergo non vili inconstantia sed iusto iure denuo fabulator resurgo, qui fidum verumque artificem imitatore frustra expectaverim, *neque tali consilio umquam allicere debuerim.*

Atque haec hactenus. Aliquanto plus ponderis certe hac mea explicatione iam tribuitur *factae* illi causae denuo scribendi, quam olim in ea deprendebam. Sed post omnia *causa ficta* manet. Nam quis umquam putet, Phaedrum scribere desitutum fuisse, si unum pluresve fidos imitatores artifices sibi repperisset?

Sed paulo longius progrediamur: Iam quartum librum Particuloni dedicat Phaedrus:

Quartum libellum cum vacabit perleges.

Sequuntur:

---

1) Longe me indice erravit hic Burmannus (1727), cui hoc loco *levitas* idem significavit atque *vanitas* (vanité).

Hunc obrectare si volet malignitas,  
IMITARI DUM NON POSSIT obrectet licet.

*Num mero casui tribuendum est, quod hoc praesertim loco, quod hoc uno loco disertis verbis sermo fit de imitatore impotenti? Post omnia, quae disputavi, vix opus videtur ut ipse mihi respondeam. Ad Eutychem respicit hic morosus noster omni spe sua frustratus, ad Eutychem respicit cum in senariis proxime insequentibus de Particulonis similibus nec non de spernendo plausu illiterato iniuria adhuc dolens loquitur, ut supra iam exposui <sup>1)</sup>.*

Unum denique restat et iam illuc unde abii redeo. *Nam quod in ipso illo libro quarto, cuius in prologo unicus nobis fit locus obvius acerbe perstringens imitatores insulsos propria sua impotentia ad obrectationem recidentes, duae simul nobis occurrunt acerbissimae fabellae de vulpe uam appetente et de monte parturiente, quam egregie id inservit propositae meae argumentationi, cuius nunciam claudi potest circulus qualiscumque! Ceterum tu, candide lector, si iam circulum meum turbare vis per me nihil obstat.*

Corollarium hoc ad ultimum additum velim de Appendicis fabula undecima. Integram eam exscribam:

Equum e quadriga multis palmis nobilem  
Abegit quidam et in pistrinum vendidit.  
Productus ad bibendum cum foret a molis,  
In circum aequales ire conspexit suos,  
Ut grata ludis redderent certamina.  
Lacrimis obortis: „Ite felices” ait,  
Celebrate sine me cursu sollemnem diem;  
Ego, quo scelesta furis abstraxit manus  
Ibi sorte tristi fata deflebo mea.

1) De verborum:

Vestras in chartas verba transfertis mea significatione, vi, consilio, re usque perpensa *ἐπίχω*. Conferatur Burmanni annotatio (1727) cui astipulatus est Havetus. Hoc tantummodo suspicari ausim, ipsum Phaedrum ad ista prologi verba quasi respexisse cum in epilogo scriberet:

Particulo, *chartis* nomen victurum meis.

Hoc voluisse *videtur* fabulator: Tu, sanctissime vir, qui tuo modo et qua potes verborum meorum immortalitati consulis, remuneratione debita meis senariis in omne vives aevum.

Quin statim cognoscamus „fontes” Graecos (Halm. 174. Babr. 29)

Γέρων Ἴππος ἐπράθη πρὸς τὸ ἀλήθειν. Ζευχθεῖς δὲ ἐν τῷ μυλῶνι, στενάζων εἶπεν· „ἐξ οἶων δρόμων εἰς οἴους καμπτήρας ἤλθον. Ὅτι μὴ λίαν ἐπαιρέσθω τις πρὸς τὸ τῆς ἀκμῆς ἢ τῆς δόξης δυνατόν· πολλοῖς γὰρ τὸ γῆρας ἐν κόποις ἀνηλώθη.

Aliter sic:

Ἴππον ἐλύπει τὸ γῆρας, καὶ μυλῶνα ἀντὶ μάχης ἐλάμβανεν. Ὡς δὲ ἀλήθειν ἀντὶ τοῦ πολεμεῖν ἠναγκάζεται, τὴν παροῦσαν ἐδάκρυε τύχην, τῆς δὲ πρώτης ἐμέμνητο „ἐμοὶ” λέγων, „ὦ μυλωρέ, στρατεῦεσθαι μὲν ὑπῆρχε πρότερον, κόσμος δὲ παντὶ περιέκειτο τῷ σώματι, καὶ θεραπέυων παρηκολούθει τις ἄνθρωπος· νῦν δὲ οὐκ οἶδ’ ὅ,τι παθῶν ἀντιλαμβάνω τὸν μυλῶνα τῆς μάχης. Καὶ ὁ μυλωρὸς πρὸς αὐτὸν „ἐπίσχεε” ἔφη „τὰ παλαιὰ θρυλλῶν· ἢ τύχη γὰρ θνητοῖς τὴν ἐφ’ ἑκάτερα Φέρειν οἶδε μεταβελήν.”

Babriana fabella priori Halmianae tam similis est quam lac lacti. Ceterum quid multa? *Novam* dico Appendicis fabellam Phaedrianam, Romanam κατ’ ἐξοχήν, non circum equosque olentem sed desumptam e media ista vita tam grata Neronibus, Caligulis . . . *Eutychieis*. Atque vix dubito equidem, quin et feliciter admodum et callide sat hic perfecit et „poliverit” Phaedrus materiam ab Aesopo „repertam” nec non avidissime *novam* fabellam „in calamitatem suam delegerit”. Prorsus ergo reicio epimythium a Luciano Muellero confictum:

Aequo ferendum est animo, quodcumque accidit, utpote ab huius fabellae consilio alienum. Etiam Havetus (p. 139) etsi de Eutycho hoc loco ne somnians quidem de Muellertino commento dubitavit annotans: „fortasse contra mentem Phaedri”. Equidem de Phaedri mente nunc vix dubito, *et quam allegoria excogitanda aptius atque efficacius potentis istius aurigae misericordiam movere posset, si omnino potuisset, id scire pervelim*. Vel nunc est istud hominum genus, quod citius ad lacrimas moveatur nobilis equi morte morbove, quam alterius mendicitate atque interitu. At „heus tu rhetorice” dixerit quispiam sive stomachans sive subridens „fabula legitur in Appendice!” Ita. *Susplicemur ergo eam e tertio libro desumptam esse*.

Finis tandem adest divinandi . . . an hariolandi? „Die Er-

mittelung der politischen und persönlichen Beziehungen in den einzelnen Fabeln <des Phaedrus> ist eine lockende Aufgabe". Ita scripsit Draheimius, Phaedrianarum curarum censor peritus <sup>1)</sup>. In quae verba cum perfecto fere opusculo meo incidissem, gaudebam. Sed:

Parce gaudere oportet, ut sensim querar,  
si frustra fuero. Tu autem, si tibi displicuero, benevole lector,  
ignoscas velim. Suspiciacissimi enim (ut cum Herwerdeno nostro  
loquar) philologi sumus mortalium.

1) Burs. Jahrb. Band C (1900) zweite Abt. p. 144.

MIRA ΣΤΝΕΜΠΤΩΣΙΣ.

In vol. XLIII p. 48 praestantissimam Zuylenii laudavi emendationem, qua in titulo sepulcrali quodam pro absurdo castissimi dei habitaculo non nisi *casta mente to* reponitur:

c. d. h. non nisi *casta mementote.*

Qua lecta v. d. A. J. Egelie admonet me inscriptionis Epidauriae apud *Prophyrium de abst.* II, 19:

ἀγνὸν χρῆ νηοῦ θυωδέος ἐντὸς ἰόντα  
ἔμμεναι· ἀγνεῖν δ' ἔστι φρονεῖν ὄσια.

Quam egregie cum latinis illis concinunt graeca haec, praesertim si *ἰόντα* pro *ἰόντα* legimus! Credamusne Hagani epitaphii auctori Porphyrii locum notum fuisse? An forte natum hunc consensum? Difficile dictu utrum minus sit credibile.

J. J. H.

## AD LIVII XXXIII. 16.

SCRIPSIT

G. E. W. VAN HILLE.



In sequentibus Livii narrationem valde confusam de iis, quae anno 197 paulo ante proelium ad Cynoscephalas commissum facta sunt, ratione propabiliore quam usque ad hoc tempus factum est explicare conabor.

Paulo ante proelium Flaminius, qui Acarnanes a societate Macedonum abalienare volebat, principes quosdam eorum Corcyram ad se arcessivit. Leucadem, quod inde ab anno 230 caput Acarnaniae erat, concilium indictum est. Scilicet concilii vel populorum nomine Livius id vertere solet, quod Graece *κοινόν, ὄχλοι, χίλιοι, ἐκκλησία* vocatur. Concilium fuit infrequens ac ne sic quidem concursus; nihilominus duo principes et magistratus — sine dubio ii vel saltem ex iis, quos Flaminius ad se exciverat — pervicerunt, ut privatum decretum Romanae societatis fieret. Quod decretum factum esse non tantum ii, qui afuerant, aegre tulerunt sed etiam, cum duo principes a Philippo rege Macedonum missi Leucadem pervenissent, adeo commutati sunt animi, ut decreto privato illo sublato principes duo et Zeuxidas praetor, quos facere non possum, quin eosdem fuisse putem, quorum Livius § 3 mentionem facit, proditionis damnarentur et praetori insuper imperium abrogaretur. Qui cum ab amicis commonerentur, ut Corcyram in exilium abirent, obsecuti non sunt et in frequenti concilio tanto cum ardore se defenderunt, ut non tantum absolverentur sed etiam in pristinas dignitates restituerentur. Nihilominus Acarnanes censuerunt redeundum in societatem Philippi abnuendamque Romanorum amicitiam.

Hanc narrationem difficultatibus scaterere quis est, qui neget?

Viros doctos, qui locum tractaverunt, maxime offendunt verba „privatum decretum” et Swoboda (Lehrbuch I III p. 305<sup>1</sup>) omnium opinionem interpretatur dicens: „Es kann damit nur gemeint sein, dass bei der Beschlussfassung nicht sämtliche acarnanische Städte vertreten waren”. Proinde viri docti duo concilia fingere coguntur, in quorum priore societas Romanorum facta est, in altero autem sublata; et quod miraculi instar est: in eodem illo altero concilio principes damnatos esse eosdemque absolutos. Iis, qui hoc perhibent, negligere non licet a Livio non disertis verbis duo concilia memorari, quamquam fatendum est, si accipiamus haec omnia in eodem concilio initio infrequenti dein frequenti facta esse, contradictiones fidem exsuperare. Sed etiamsi concedamus duo concilia esse habita, difficultates magnae manent solvendae.

Ignoramus, extiteritne apud Acarnanes lex de certo numero civium necessario ad decretum iustum faciendum, unde decretum minus iustum in concilio infrequenti factum privatum decretum appellari posset. Swobodam reliquosque viros doctos has difficultates sensisse mihi quidem apparere videtur ex eius sententia certissimis quidem verbis sed tamen dubitanter expressa. Praeterea statui nequit, utrum cives post prius concilium discesserint ac post paucos dies denuo redierint an Leucade segnes illos, qui domi manserant, expectaverint. Et cur tandem Acarnanes in concilium, ubi res tanti momenti erant tractandae, non convenerunt? Inscriptiones nos docent eos non recusavisse, quin convenirent ad decreta honoraria facienda nullius vel saltem parvi ponderis: nonne incredibile est eos dubitasse convenire in concilium, ubi salus reipublicae ageretur? Pro certo dicere non possum, utrum Livius has difficultates senserit quidem et reticuerit an narrationem suam imprudens difficultatum adhaerentium exscripserit. Quae si revera insunt neque me falsae imagines terrent, confidenter meum conamen difficultatum solvendarum in medium proferam.

Quod ut recte fiat, antemittam descriptionem collegii, quod exstabat apud Aetolos, quorum respublica nobis melius est nota et ob alias causas et quod ad hanc rem cognoscendam praeter Livium Polybius quoque nobis praesto est. Praeterea ex institutis Aetolorum aliquid concludere de Acarnanibus propterea licet,

quod instituta Aetolorum, Acarnanum, Achaeorum nisi nominibus et appellationibus vix inter se differunt.

Summa auctoritas, i. e. facultas legum faciendarum, magistratum creandorum, reipublicae administrandae penes populum erat, qui diebus cum certis tum repentinis ad consilium habendum conveniebat. Agebat de bello et de pace, de foederibus cum exteris gentibus faciendis, de patria alienae dominationi subicienda.

Concillii auctoritatem fere aequabat senatus (βουλή, συνέδριον, σύγκλητος), cuius quidem erat praeiudicare leges ad populum ferendas, sed ab altera parte eius et concillii iura inter se occurrebant; nam senatus quoque exaudiebat legatos, decernebat de hospitibus publicis, de civitate et de immunitate dandis. Fuisse senatum perpetuum vix est credibile, nam senatores plures erant, quam ut semper domibus et negotiis abesse possent et ius illud praeiudicandi non semper executus esse videtur, quod exsequi sine dubio non omisisset, si perpetuo in capite regionis praesto fuisset.

In decretis Acarnanum de hospitibus invenimus:

IG IX. 1. 513: ἔδοξε τῇ βουλῇ καὶ τῷ κοινῷ τῶν Ἀκαρνάνων,  
sed etiam:

„ 517: ἔδοξε] τῷ κοινῷ τῶν Ἀκαρνάνων.

Ex hoc decreto saepe concludi non potest senatum non semper de talibus decretis consultum esse sed iis, quae mox contendemus, inscriptio adminiculum quoddam suppeditat.

Reipublicae praerant magistratus nominibus, numero, potestate dispares quidem, sed principem ubique locum obtinebat praetor (ὁ στρατηγός) qui cum populo agebat, vulgo referebat ad senatum, magna utebatur auctoritate. Imperium eius erat annuum.

In republica Aetolorum praeter haec tria capita reipublicae memorantur οἱ Ἀπόκλητοι. Haud pauci viri docti eorum collegium senatui adaequant, quam opinionem falsam esse Swoboda (l.l. p. 361<sup>5</sup>) satis demonstravit. Apocleti enim non tantum, ut senatus, in caput regionis sed etiam varios in locos conveniebant; ad conventus eorum populo aditus non dabatur. Livius eos appellat „sanctius consilium” (35. 34. 2) vel „consilium arcanum” (35. 35. 5), dicitque: „ex delectis constat viris”. Haec non quadrant in senatum et, cum totiens τὴν βουλὴν in inscriptionibus memoratam invenimus, apocletorum nomen in la-

pidibus nondum est inventum. Numerus eorum, quamquam quinsat magnus fuerit, dubitari non potest, — anno 192 consilium 30 apocletorum designabatur, qui cum Antiocho de bello gerendo ageret (Liv. 35. 45. 9, Pol. 20. 1) — tamen numero senatorum multo minor fuisse videtur. Auctore Swoboda (l.l. p. 361) erant viri e senatu delecti, qui semper una erant et cum magistratibus rebus praeerant; Breen (Mnem. XXIX p. 397) dicit apocletos fuisse „collegium extraordinarium e senatu ab ipsis senatoribus delectum, quod belli temporibus pro senatu cum praetore res quotidianas administraret”.

Antequam meam opinionem proferam, locum citare liceat, qui mihi imaginem clarissimam apocletorum eorumque provinciae atque officiorum praebere videatur.

Cum Heraclea anno 191 a Romanis capta esset, Phaeneas praetor Aetolorum et qui cum eo faciebant legatos mittere constituerunt ad consulem M. Acilium Glabrimonem, qui ab eo indutias impetrarent. Phaeneas ipse et alii quidam profecti sunt ad consulem, qui eos cum L. Valerio Flacco Hypatam remisit ad deliberandum cum Aetolis de statu reipublicae. Hic se in fidem Romanorum dedere decreverunt. Dein Phaeneas eiusque sodales eorum mandatu ad consulem profecti eum de decreto suo certiozem fecerunt. A quo cum expectatione superbius tractarentur et intellegerent verba illa „se in fidem Romanorum dedere” idem valere ac „se subicere”, Phaeneas dixit se quidem et apocletos imperata facturos sed sibi concilium totius populi advocandum esse ad ea sancienda, quae iussisset. Dein Hypatam cum revertissent, cum apocletis — ii igitur erant, qui Phaeneam cum suis ad consulem ablegaverant — ea, quae facta erant, communicaverunt. Itaque literas ad populos dare constituerunt et Aetolos advocare. Postquam autem innotuit, quid Phaeneae suisque accidisset, tanta indignatio multitudinem repente cepit, ὥστε οὐδ' ἀπαντᾶν οὐδεὶς ἐπεβάλετο πρὸς τὸ διαβούλιον, quae verba, modo solito versa per: „ut ne ad deliberandum quidem quisquam convenire vellet” tam absurdam praebent significationem, ut versionem proponere velim ni fallor, novam: ut ne ad relationem quidem perpendendam ququam transire vellet (Pol. 20. 9 sq.). Omitto alios locos enumerare, quibus apocletos munere fungentes videmus. Ubique res



ad idem redit. Ubique agunt pro collegio virorum principum (*τῶν προεστῶτων*), summa auctoritate praedictorum, qui relationibus faciendis prius deliberatis foederibusque cum exteris pensis populum advocant. In promptu igitur est eos cum senatu aequiperare, quod autem eorum, quae supra dicta sunt, ratione habita fieri non potest.

Cum ad locum, de quo agimus, explicandum nos deficiat Polybius, ignoramus, habuerintne Acarnanes quoque suos apocletos. Si autem ponamus id revera ita sese habere, difficultates, quae in capite nostro Liviano insunt, omnino evanescunt. Tunc enim res a Livio male intellecta ita procedit:

Dum Flamininus anno 197 Corcyrae degit, apocleti haud abs re conventum agebant in insula vicina Leucadia et quidem in urbe Leucade, quod caput erat reipublicae Acarnanum. Inde pro legatis vel internuntiis ad imperatorem Romanum profecti sunt duo apocleti et magistratus, procul dubio ii, qui postea postulati sunt proditionis: Archelaus et Bianor principes cum praetore Zeuxida (prorsus eodem modo, quo anno 191 apocleti Aetoli se contulerunt ad Romanos et Antiochum regem Syriae). Ii, sive Flaminini benevolentia capti, sive Romanorum potentiam veriti, a societate eorum non alieni, postquam Leucadem reverterunt, cum amicis suis ex apocletis foedus Romanorum iam privatim composuerant, cum in pleno apocletorum consilio, praesertim, postquam duo apocleti e castris Philippi Leucadem redierunt, magna cum indignatione reliquorum proditores increpiti et perduellionis rei facti sunt. Atque ita nihil eorum damnationi obstare videbatur, ut amici iis suaderent, ante concilium populi, quod de hac causa decreturum erat, se ad Flamininum in exilium darent. Quo consilio neglecto viri feroces et causae suae confidentes tanto cum ardore se defenderunt in concilio, ut absolverentur criminibus, quamquam Acarnanes in antiquam Macedonum societatem redierunt.

Haud me fugit me primo obtutu Livium erroris sive negligentiae fide maioris arguere videri sed obliviscendum non est scriptorem nostrum, cum semel pro apocletis concilium posuisset (§ 3), fato quodam ad reliquos errores delapsus esse, nam omnia, quae ab apocletis deliberata *προβουλευμάτων* instar erant, pro populiscitis habere cogebatur, quae eodem in concilio post

strenuam principum defensionem satis inepte tollerentur. Sed haud raro rhetorica non minores ineptias spectatoribus vel auditoribus commendare male conata est. Praeterea Polybio, ut orationem variet, saepe τὸς ἀποκλήτους Αἰτωλοὺς vocante Livius facile in errorem duci poterat, quod loco nostro re vera factum esse iam apparet e vocibus „offerre se multitudini”, quae voces intellegi nequeunt, nisi in mutatione quadam scaenae; i. e. quae ante facta erant, in consilio apocletorum erant tractata, quae sequuntur in concilio populi erant tractanda.

Utut hoc est, tria sunt, ni fallor, quae contra hanc explicationem in medium proferri possint:

Primum est in ultima sententia § 2: „concilium Leucadem indictum est” et in prima § 3: „eo neque cuncti convenere Acarnanum populi, neque iis, qui convenerant, idem placuit.” Livius autem me iudice apud Polybium legit de consilio infrequenti apocletorum, quod infrequens fuisse iam inde apparet, quod apocleti, qui in castris Philippi agebant, nondum Leucadem pervenerant. Livius autem, cum semel hos duos conventus confudisset, populos Acarnanum pro singulis apocletis ponere cogebatur. Eum, qui talem errorem Livio indignum esse putet, admonere velim erroris plane eiusdem, quem facit in iis rebus describendis, quae gestae sunt anno 207, ubi Polybius nobis viam monstrat.

Is narrat (10. 42. 4) Philippum legatos misisse in Aetoliam *πυθόμενον τῶν . . . Αἰτωλῶν τοὺς ἄρχοντας εἰς Ἡράκλειαν ἀθροί-  
ζεσθαι· ἀρχόντων* enim nomine Polybius cum magistratus tum apocletos denotat, quod ratio suadet; Livius autem concilium populi convenisse intellegit: nuntiatum est concilium Aetolis Heracleam indictum (28. 5. 13). Eidem errori obnoxius est, cum narrat (38. 8) ea, quae inter Aetolos et consulem Romanum anno 189 gesta sunt. Cum Ambracia desperaretur, legati ab Aetolis cum liberis mandatis decreto gentis ad consulem venerunt. Nam convocato concilio principes de statu reipublicae consuluerat praetor, iique pax qualiscunque ut feret suaserant. Legati cum ab Romanis atrocissimas condiciones rettulissent, proprio Marte eas accipere non ausi redierant et re integra praetorem et principes consuluerunt. A quibus clamore et iurgio excepti „quam diu rem traherent qualemcunque pacem referre iussi” cum Ambraciam post ali-

quot casus redissent, novas condiciones acceperunt et ad concilium rettulerunt. Luce clarius est legatos ab apocletis iussos pacem facere, cum infecta re redissent, ab isdem increpitos esse et deinde facta denique pace condiciones λόγῳ magis quam ἔργῳ ab concilio populi esse comprobatas. Sic Polybius quoque enarratis condicionibus addit: "Ἐδει δὲ τούτους πρώτον μὲν εὐδοκῆσαι τοὺς Αἰτωλοὺς. Non lubet Livii errores, qui in hoc capite insunt, diutius pertractare; uniuscuiusque est repugnantias videre, quae ut luculentius apparerent, voces gravissimas literis discretis exprimendas curavi.

Dein dixerit quispiam: quomodo principes illi in animum sibi induxerunt societatem cum Romanis facere, nam, esto privatim fecerint, fecerunt tamen! ac porro vocesne illae „privatum decretum” sensu carent annon? Huic quaestioni iam respondent, quae e Liv. 38. 8 attuli. Apocleti Aetolorum, ut infra accuratius videbimus, ius habebant pro concilio salva eius approbatione decreta facere. Id disertis verbis dicit anno 191 Phaeneas loco illo Polybii quem supra citavi (20. 10. 11) προσδεῖσθαι . . . τῶν πολλῶν, εἰ μέλλει κυρωθῆναι τὰ παραγγελλόμενα. Sic anno 220 (Pol. 4. 26) οἱ ἄρχοντες confitentur ὡς οὐ δύνανται πρὸ τῆς Αἰτωλῶν συνόδου δι' αὐτῶν οὐδὲν ὑπὲρ τῶν ὄλων οἰκονομεῖν. Omnia illa, quae inter se comparaverant, nil nisi pactionis quaedam adumbratio erat vel decretum privatum, ut Livii verbis utar. Sed quis est, qui non intellegat belli temporibus saepe necesse fuisse pactiones constituere spatio breviorē quam ut cives convocari possent et omnia illa fierent, quae in actionibus et disputationibus tam copiosis fieri solebant? Ideoque pro certo habeo concilia saepe dicis causa res iam constitutas constituisse. Sic maiestas populi salva erat. Haec si vera sunt, simul occursum est

tertia difficultati, quae in medium proferri potest: Quae Livius in fine capituli nostri dicit: „ita affecerunt animos, ut omnia quae in eos decreta erant frequentes tollerent neque eo minus redeundum in societatem Philippi censerent”, praesertim in voce „redeundum”, nonne discrepant cum iis, quae supra dixi: sine populiscito foedus ratum non esse, ideoque explicatio mea nonne refutatur? Respondendum etiam apud Livium talem existare repugnantiam, quod prius decretum non iustum sed privatum tantum dicit; sed vitiis alienis me tegere opus non est.

Me iudice rem ita explicare debemus: decretum conventus infrequentis apocletorum, quamvis indigeret comprobatione totius collegii ac τῆς τοῦ κοινοῦ κυρώσεως aliquatenus saltem Acarnanes a Philippo abalienaverat. Etenim belli a legatis apocletorum Aetolicorum proprio Marte indicti Polybius (4. 5. 2. et 9) nobis exemplum praebet, quamquam non reticet hunc modum agendi alienum esse ab institutis popularibus Aetolorum. Hieme inter annos 221 et 220 Dorimachus, qui iussu Aristonis praetoris aegrotantis summam imperii exercebat, Aetolos κατὰ κοινόν ad bellum contra Messenios advocare non audebat sed Scopam magistratum eosque, qui eius factionis erant, usque eo ad suam opinionem perduxit, ut Messeniis bellum indicerent, plaudente Aristone, ut facile intellegas. Si tali modo bella fieri possunt, nostro quoque loco vox „redeundum” post „privatum” decretum sensu minime caret.

Restat, ut pauca dicam de apocletis Aetolicis. Credo enim eos non fuisse consilium e senatu sed e concilio populi (ἐκ τοῦ κοινοῦ) delectum, etenim apud Polybium (20. 1) et apud Livium (35. 45. 9 et 46. 1) legimus ad annum 192 haecce: *τριάκοντα τῶν ἀποκλήτων προεχειρίσαντο, τοὺς συνεδρεύοντας μετὰ τοῦ βασιλέως*. Quid sit subiectum verbi incertum est, quod sententia mutila est tradita, suspicor autem loci Liviani ratione habita ὄχλοι vel οἱ πολλοί, h. e. concilium populi. Is enim narrat Lamiae Antiochum verba fecisse ad populum; sermo enim est de multitudine, plausu, clamoribus, vulgo, silentio faciendo etc. Concilium postquam decrevit eum *στρατηγὸν αὐτοκράτορα* creare, triginta principes (*ἀποκλήτους*) delegit, cum quibus consultaret. Dein sic pergit: „Ita dimisso concilio multitudo omnis in suas civitates dilapsa est; rex postero die cum apocletis eorum consultabat”. Nihil igitur de senatu.

Cum autem perpendimus apocletos a Livio principes, a Polybio ἄρχοντας et προεστῶτας vocari, in promptu est suspicari apocletos eos potissimum delectos esse, qui magistratu functi essent vel functuri essent, cives magna auctoritate rerumque usu praeditos. Monumentum est sanae Aetolorum mentis eos vidisse temporibus gravioribus concilium et senatum suum instituta inhabilia esse, quae quam rarissime posset essent advocanda. In pace ad magistratus creandos et ad res, ne dicam minus

serias, at certe minus necessarias, sicut hospitia publica et immunitates, obeundas convenire in deliciis Graecorum fuisse quicumque hodie in Graecia conventui sacro, quam *πανηγύριδα* vocant, interfuit, sibi facile informare potest, necnon, quanto cum apparatu talia concilia coniuncta esse debuerint.

In republica populari ratione constituta fieri non poterat, quin omnia fere per magistratus agerentur. Nam bis terve in anno concilia totius populi haberi civibus gratum erat, saepius convenire propter magnas impensas cum talibus migrationibus connexas et damna e cuiusque operis intermissione orta — si quid video — noluisse nisi summa necessitate ingruente. In tanto discrimine rerum populus, antequam discederet per urbes, partem sui — delectos viros — relinquebat, qui magistratibus tamquam consilium adessent, partim sua auctoritate eorum actis gravitatem et dignitatem addentes, partim eorum iussu apud exercitum vel in oppidis obsessis (velut anno 191 Naupacti teste Liv. 36. 35. 3), vel apud reges et imperatores peregrinos, sive hostes sive socios, reipublicae suae commodis prospicientes. Dilapso concilio ii pro concilio erant, ea condicione, ut pleno concilio actorum suorum rationi reddendae obnoxii essent. Sed hanc obligationem facta re saepe nil nisi *inanem officii umbram* fuisse, quis est, qui non intellegat? Mirum profecto foret, si Aetoli tantum hoc utili instituto usi essent, immo mihi consentaneum videtur et Acarnanes eos cognitos habuisse; apud Boeotos eos, ni fallor, operantes videmus apud Livium 42. 43. 7 sqq., apud Achaeos, quamquam eos nondum deprehendi, fortasse aliquando invenientur, apud Acarnanes eos extitisse Livius nos loco nostro docet.

In pace nullis periculis reipublicae impendentibus dum populus vacat immunitatibus tribuendis *τοῖς τοῦ κοινῶ ἐλευγέρταις*, iis opus non est; ecce causa, cur non memorentur in inscriptionibus, quae totae in his rebus sunt; in bello vel tumultibus, cum de summa republica agitur et momento temporis de summis rebus est decernendum, tum desiderantur; quae est causa, cur totiens a rerum scriptoribus memorentur, qui tacent de titulis honorariis.

Consilium apocletorum est mens prompta et agilis corporis tardi et inhabilis, quod concilium populi vocant.

# AD SENECAE NATURALES QVAESTIONES OBSERVATIUNCULAS

SCRIPSIT

F. MULLER I. FIL.



Ed. A. Gercke, Teubner 1907.

Liber I Praef. § 3. Seneca quaerit de dei natura „*an maiestatis deminutio sit et confessio erroris mutanda fecisse (sed necesse est eadem placere ei, cui nisi optima placere non possunt; nec ob hoc minus est liber + potens, ipse est enim necessitas sua).*” Altera codicum stirps, FH, cui Gercke summam habet fidem (Praef. XXIX), exhibet *liber est potens*. Clausula respuit lectionem in textum admissam neque quod conieceris *libere potens*, id quod hypodochmium efficeret, substantivis *libera potestas*, satis probatur. Accedit quod Seneca hypodochmium vel dochmium si fieri potest, evitat: idcirco de Benef. I, 4, 6 scribit *beneficiorum novas tabulas*  $\perp\cup-\cup\cup$  neque admittit solitum ordinem *tabulas novas*  $\perp\cup\cup\perp\cup\perp$ . Legendum videtur: *liber est et potens* ( $\perp\cup\perp\perp\cup$ ), ubi et noto errore post *est* evanuit.

Ib. I, 1, 4: *illud existimo, eiusmodi ignes existere aere vehementius trito, cum inclinatio + eius in alteram partem facta est et <aer> non cessit sed inter se pugnavit. aer* add. Gercke, vulgo legitur *intra se*. Legendum suspicor: — *cum inclinatio ocius in alteram partem facta est et aestuat: non cessat sed intra se pugnabit* (aut: *pugnat*). Cessare Seneca plurimis locis adhibet sensu: quiescendi, ita ut nullus inde fructus percipiatur, v.

Epist. 95, 23; 47, 16 *materia cessat sine artifice*; in Aetnae carmine, sescentis vinculis cum Senecae lucubrationibus arte coniuncto, idem verbum hoc ipso sensu saepissime invenitur: e. g. 166, 176, 368, 385. *Aerem aestuare* iam Propertius scripsit 2, 24, 3: *venit enim tempus quo torridus aestuat aer*; prorsus huc quadrat *aestus* substantivum in Aetnae carmine obvium, e. g. 338, 348 saepius. Vocabulum *aestuatur* haplographiae vitio periit: inde etiam perfecti tempora sequentibus verbis contineri videbantur, ita ut *cessit* et *pugnavit* scriberent librarii; initio sententiae pro *ocius* eodem vitio *cuius* oculis observabatur, quod in eius vocabulum hoc loco prorsus supervacuum mutatum est. Quod ad futurum *pugnabit* attinet, vide locum paulo infra (§ 6): — *efficient* — (*presserit*) — *emittunt*.

Ib. I, 1, 6: *quemadmodum nubes collisae mediocriter fulgurationes efficient, maiore impetu impulsae fulmina, sic quanto illas minus presseris minoresve, tanto leviora fulmina emittunt*. Paulo supra legitur: — *eadem ratione fiunt ista, qua fulmina, sed vi minore*. Hoc nimirum Seneca demonstrare conatur: leviora fulmina ista vis reddet, sive ipsa minor fuerit, sive maior eadem minus presserit. *minores* igitur corruptum est. Madvig coniecit: *pressit vis*; at *presserit vis* facile (*r: v, t: s*) *presserit* gignere potuit, *pressit vis* numquam lectionis origo fuerit. Accedit quod *pressit vis minorve* — — — — — nullam exhibet clausulam. Quodsi legas: *quanto illas minus presserit vis minorve* . . . , nihil deest, ne clausula quidem optima: *— — — — —* et verba *minus presserit vis minorve* (sc. *vis eadem*) ipsam explicant breviter, qua presse loquendi consuetudo Annaeana gaudet. Vitio semel commisso, quo *presserit vis* in *presseris* abiit, ex *minorve* *minoresve* factum est, quod adiectivum cum vocabulo *nubes collisae* coniunxisse librum inde iam perspicuum est.

Ib. I, 1, 10: *atqui quo solet quaeque invenitur loco, magnitudo sua singulis constat*. Gercke post loco *<et>* inseruit; haud recte, ut mihi videtur. Hoc voluit dicere Seneca, quod nunc libera paraphrasi reddam: eo loco, quo solet (inveniri), eidem stellae, quae ibi invenitur, sua singulis constat magnitudo, id est: respectu loci similitudinis magnitudinis nulla omnino mutatio

oculis nostris apparet. Talem constructionem ut nostra sententia nimis artam nimisque involutam, ita linguae latinae accommodatissimam fuisse nemo est qui ignoret.

Ib. I, 2, 9: *at cum undique lacerata et concerpta est, manifestum est a pluribus partibus in illam impetum fieri et inquietum aera hinc atque illinc assilire: itaque ex hac inconstantia caeli tam multa temptantis et undique labarantis apparet futura tempestas ventorum plurium. Quid est temptantis? quid est, quod caelum temptet? Immo caelum temptatur, patitur, pacem suam componere atque firmare frustra conatur; tempestas enim instat viribus maior. Itaque ei non contingit, ut tam multa inter se adversa conciliet atque — ut Vergilii verbis utar: (ventorum) *mollitque animos et temperat iras* — temperet. Eodem modo Horatius de Iove locutus est Carm. I, 12, 15: *qui mare ac terras variisque mundum Temperat horis*, III, 4, 45: *qui terram intertem, qui mare temperat Ventosum et umbras* eqs. Itaque propono *temperantis*, i. e. inter se conciliare conantis.*

Ib. I, 3, 2: *idem videbis accidere, si quando volueris observare fullonem: cum os aqua implevit et vestimenta tendiculis diducta leviter aspergit, apparet varios edi colores* eqs. Quid sit (*cum*) *os*, nusquam explicatur neque alibi invenitur. Nimirum instrumentum dicit Seneca, quo vehementer concusso tenues aquae guttae vel minimae partes tamquam in vaporem diductae prodeant; hodie hunc in usum matronae ancillaeve saetosum adhibent peniculum, quo in aquam demerso ac deinceps sursum deorsum commoto parvae emicant guttulae.

Neque quod coniecero *cymbas*, neque *cumeras* vel *cumera*, neque *urceos* vel *urnas* huic sensui se offerunt; unum vocabulum *truas* aut *trullas* tam scribendi ratione quam rerum descriptione probatur. Varro dicit de LL. V, 118 (G. Sch.): *trulla a similitudine truae, quae quod magna et haec pusilla, ut truella; hanc Graeci trullan* (leg. fortasse *τρυνλίδα*, v. nuper Am. Journ. of Phil. 35, 158). *trua qua e culina in lavatrinam aquam fundunt* (lingua batava rooster in de gootsteen); *trua* (leg. *trulla*) *quod travolat ea(m) aqua. ab eodem est appellatum trulcum: simile enim figura, nisi quod latius est, quod concipit aquam* eqs. Cf. etiam Rich i. v.



*trua, trulla*. In *cumcumos* igitur *truas* latere suspicor, id quod forma antiqua litterae *t = cr* commendatur. Alterum *cum* postea periit.

Ib. I, 3, 7. Postquam verbis Aristotelis demonstravit, ut aquam ita spissum aerem propter levitatem efficere, ut oculorum acies penetrare nequeat atque in se redeat, infirmitatem oculorum apud quosdam in omni genere aeris idem gignere contendit, quod qui sanis utantur oculis tantummodo patiantur aere denso; deinde pergit: *quare? quia infirma vis oculorum non potest perrumpere ne sibi quidem proximum aera sed resistit*. Aut redeundi notionem locus poscere videtur aut succumbendi, corruendi. Kroll coniecit: *resilit*, at Senecae acumen locutionem adeo hebetem vis infirma — *resilit* admisisse mihi persuadere non potui. Ad hoc *aera sed resilit* nullam exhibit clausulam legitimam (┌○○┐○○). Si animum attendas hoc uno loco libros manuscriptos ΔT *aerem* tradidisse, alibi e. g. I, 2, 9 (ter), I, 2, 11 codices eosdem *aera*, non iam audax videtur coniectura Senecam hoc loco propter clausulam scripsisse *aerem sed re si — it* ┌○┐┌○○┐, id quod clausulam efficit unam omnium maxime legitimam. Verbum Senecae expressit, ni fallor, *residit*. Ita Plinius Ep. V, 17, 2: *apte enim et varie nunc attollebatur, nunc residebat et desēdit* infra I, 14, 1.

Ib. I, 4, 3: *Parianus Artemidorus adicit etiam, quale genus nubis esse debeat, quod talem soli imaginem reddit*. *Soli* in editione Gerckiana, *solis* B<sup>2</sup> vulgo. Ex indicativo *reddit* fortasse apparet ultima verba non esse Artemidori, sed Senecae. Expectes genitivum, nam hoc loco positum inter *talem* et *imaginem* dativum *soli* cum reddendi verbo esse coniungendum, haud facile cuiquam persuadebis. At nusquam alibi solem Seneca aut cetera naturae elementa atque vires adeo inducit viventes nec non hominum fere agentes partes; librarium credo reddendi notionem, haud satis sibi perspicuam, vertisse tamquam debitum referre, cum sensus esset notissimus proponendi, creandi. Eiusdem capituli aliis locis Seneca genitivum adhibet (§ 1): *quin | arcus imago solis sit =* ┌○○┐○○ et (§ 4): *ut | solis imago a nube discedat* ┌○○┐(○)┐○○┐; his numeris locus noster rhytmum exhibet affinem *solis imaginem reddit* ┌○○┐○○ (v.

etiam I, 5 i. f. *quo solis species vitiosa reddatur*, I, 6, 2: *imago solis e. a.*).

Ib. I, 5, 1: *nunc nihil ad rem pertinet quomodo videamus quodcumque videmus; sed quomodo imago, similis reddi debet e speculo.* Ita Gercke; propono: — *pertinet, quomodo videamus; sed quodcumque videmus et quomodo, imago similis reddi debet* eqs. Ne Gerckii lectionem accipiamus, tria maxime obstant: obstat, quod verba illa *quodcumque videmus* cum praecedentibus coniuncta ut supervacua paene sunt, ita gravate nimis et copiose pro Senecae brevitate dicendi notissimarem adeo perspicuam evolvunt; obstat, quod *quodcumque videmus* clausulam efficeret eam, si Gerckium audias, quae ut heroica etiam a Seneca cum maxime vitatur; obstant verba *quomodo* sensu *quoquomodo* accipiendum et *similis*; nam odiectivum eo loco positum iam per se tam magnam induisse emphasin nulla ibi adiuncta particula velut *at, certe, utique*, a Senecae oratione mihi prorsus videtur esse alienum. Ut supra locum restituere conati sumus, omnia recte decurrunt neque numeri iam aures gravare videntur. *quomodo* pro *quomodo-cumque* (vide infra I, 5, 12 i. f.) post *quodcumque* positum nota ἀπὸ κοινῶν figura collocatum esse apparet. Quam constanter quamque caute Seneca heroica quae dicitur, vitaverit clausulam, locus demonstrat in libello de clementia I, 15, 5 et 6, ubi verba reddit Caesaris: *iuravit se Tarii hominis locupletis hereditatem non aditurum* 1 1 1 1 1 1 1 1, ubi in mente eius vivida ipsorum verborum imago etiam tum surgere videtur. At ipse simulac paulo post ea verba in brevius contrahit, sic scribit: *iuravit se non aditurum hereditatem* (1 (1) 1 1 1 1) Quin aliis utitur vocabulis, dum hunc numerum effugiat. Ex plurimus locis, quos huc facientes annotavi, memoria dignissimus est qui sequitur (nat. quaest. I, 5, 10 sq.): *si ullus esset in arcu color, permaneret et viseretur eo manifestius, quo propius* (1 1 1 1 1 1 1 1); *videretur numerum exhibuisset hunc*: 1 1 1 1 1 1 1 1, cf. I, 11, 2: *a | sole visuntur* 1 1 1 1, ubi *videntur* clausulam creasset heroicam. In sequentibus invenias: — *si color eius non videtur ab eo, a quo | ipsa non visitur* 1 1 1 1 1; *atqui ipsa | quamvis non videatur, est*: 1 1 1 1 1 1, 1; hoc loco non clausulam deprehendis sed quam Cicero dicit incisionem (Orat. § 206). Para-

grapho igitur decima in „rhythmo generali”, qui totam amplectitur sententiam, videmus Senecam clausulam  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}$  praetulisse, ita ut  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}$  clausulam, in qua solitum *videndi* verbum ei praesto fuit, iam ea de causa repudiaverit. Itaque heroicam clausulam omnino sprexit, sed in interiore sententia non  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$  sed  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$  demum integram efficere clausulam Seneca sibi ipse fuit conscius. Hanc doctrinam augere nobis licet, si locum consideramus paulo infra scriptum (§ 14): *sunt, quae videre extimescas (tantum deformitatem corrupta facie visentium reddunt*  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}$  (non  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}$ )  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}$ ; quod ubi comparaverimus cum verbis supra allatio *quamvis non videatur, est*  $\underline{\text{L}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{O}}$  (non  $\underline{\text{L}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}$ )  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}$ ,  $\underline{\text{L}}$  apparebit Senecam ante omnia hoc maxime fugisse, ne bis eundem repeteret pedem.

Ib. I, 5, 14: *sunt* (sc. *specula vitiosa*), *quae dextras facies ostendant, sunt, quae sinistras, sunt quae delorqueant et vertant. ostendant?* immo *extendant*, i. e. ultra solitam mensuram producant, ita ut eiusmodi facies derisui sint, *ex-* et *os-* inter se facile mutantur.

Ib. I, 6, 3: *illud mihi dic, quare in orbem eat facies, nisi orbi redditur*: v. supra. *orbi* sensum non praebet, expectaveris *ad orbem*. Legendum: *orbis* casu nominativo, *reddere* est: simulacro exemplum repetere. Litteras *s* et *r* inter se simillimas esse nemo est quin sciat: *orbi(s) r-*.

Ib. I, 6, 3: — *cum omnes fulgores † et paulatim discutiantur*. Legendum propono: *fulgores crescant* (= *at*) *paulatim et paulatim discutiantur*. Haplographia semel *et paulatim* in codice exaratum est.

Ib. I, 6, 6: *imaginem solis, quae in nube umida visitur,  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$ ; videtur* hoc loco collocatum alios effecisset numeros  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$ . Tribus in hac clausula rebus Seneca offendebar, offendebar inquam, nam prius ei iam hic sententiae finis in auribus sonaret quam alteri faveret, necesse fuit —: in hac bis idem pes iteratur; non hanc formam  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$  sed longiorem  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$  ei legitimam fuisse clausulam, supra (p. 324) demonstravimus;

quantum ei licebat, respiciebat accentum vocabulorum in libera oratione per se positorum:

*umi|da videtur* per numeros dispositum 1 0 1 1

*umida videtur* per se positum 1 0 (1) 0 1 1.

Conferas quaeso quae supra disputavimus (ad I, 5, 10, p. 323):

*perma|neret et viseretur* per numeros dispositum 1 0 1 1 0 1 1

*permaneret et viseretur* per se positum eodem modo.

aliter fuisset comparatum, si haec scripsisset Seneca

*permaneret | et videretur* per numeros dispositum 1 0 1 1 / 1 0 1 1 1

eadem per se posita 1 0 1 0 1 0 1 1 1.

Hinc sequitur auctores huius aevi haud moleste tulisse, si quando in oratione numerosa syllaba ante accentum prosae orationis posita inque ea oratione accentum secundi ordinis ad se trahens primi ordinis accentum reciperet (*viseretur* 1 0 1 1, in prosa oratione 1 0 1 1, cf. *arte visantur* 1 0 1 1 1; alioquin haberemus 1 0 0 1 1 I, 16, 7). Hac in re igitur lingua latina eandem quam antea viam ingressa est in contrarias tantum partes pergens: in vetustissimo enim linguae latinae statu contra factum est ut e. g. in *\*accaperètur*, inde *acciperètur* accentus qualitate atque ordine inter se mutarentur: *acciperétur*. Admodum graviter Senecam laedebant verba, qualia sunt *et videretur* 1 0 1 1 1, in quibus vocula *et* omni accentu in sermone cotidiano nudata maximum indueret sonum.

Ib. I, 6, i. f.: — *ex duabus causis* — —: *quia in nube est aliquid vitro simile, quod potest perlucere, est aliquid et aquae, quam etiamsi nondum habet, iam parat, id est iam eius naturae est, in quam ex sua vertatur*. Ultima verba si ullum sensum praebeant, hoc modo interpretanda sint: iam eius (sc. nubis) natura est, in quam (= ut in eam, sc. non nubem aut naturam sed — aquam!) ex sua (sc. natura) vertatur. Hoc tolerari nequit, praesertim apud Senecam qui adeo luculenter cogitationes explicare soleat! Suspicio eum scripsisse: *iam eius* (sc. nubis) *natura est, quae in aquam ex sua* (sc. natura) *vertatur*. Facilius fuisset: — — *est, ut in aquam aut est, in aquam*. Attamen quae vocabulum intercidisse haud moleste feras, si tecum re-putes, quanta similitudo inter *quaein* et *quam* intercedat, et animadvertas paula ante fuisse scripta haec verba *et aquae quae*,

ita ut mirum non fuisset librarii oculos unam alteramve ex his litterarum „comprehensionibus” omisisse (Nisi praestat altera coniectura infra proposita p. 328).

Ib. I, 7, 3: *unum hoc tantum mihi solvendum est, quod non | visitur in ista virgula solis imago = 10001100110011*. Rursus hoc loco insolitum illud verbum *visendi* deprehendimus. Si *videndi* formam adhibuisset, numeri coagulati essent sic: non 10001100110011: quam sententiam si curiose relegas, occurret bis in ea inveniri dactylum eamque iam propter accentum prosae orationis perfacile in hexametri scansionem delabi posse. Quod ut frangeret metrum rhythmumque reduceret, Seneca scripsit *visitur*, quo factum est ut syllabam *vi-* sequentes tres syllabae et quidem breves lectoris animum a tali metro abducerent. Hoc loco clausula heroica minus cum offendit, quod, ni omnia me fallunt, creticus praecedens etiam ex verbis *solis imago* numeros efficeret tamquam cretici 10011. (Sed I, 13, 1 scribit *solis effigiem 100111*, scilicet ut vitaret *solis imaginem 100110*). Unum accedit, quod vox *imago* etsi apud poetas latinos semper fere primam syllabam correptam habet, tamen duobus locis *i-* demonstrare videtur: Pl. Asin 174 et Lucr. 4, 101: *ex imaginibus missis consistere rerum*. Plura de hac re invenies in annalibus, quibus nomen Indogermanische Forschungen 26 (1909) 41 sq. Hanc certe solutionem praetulit Seneca alteri compositioni ita verba collocanti: *visitur in ista virgula imago solis 100011001100110011*, cuius partes nimis inter se fuissent similes.

Ib. I, 7, 3: *si apte fabricata foret (sc. virgula vitrea), totidem redderet soles, quot habuisset + inspectores, quae quia vix discernuntur —, incohant tantum imagines nec exprimunt*. Neque habuisset in se receptas (vel susceptas) res (cf. I, 5, 5: *unaquaeque similitudinem in se rei claudet*, I, 5, 6: *recipiat imaginem et I, 7, 1: haec si in transversum solem accipit*) placet, neque in se pictas res (cf. I, 9, 1: *quas non minus pictas variasque*). Si contuleris locum prorsus simillimum I, 5, 5: *populus apparet unaquaque particula faciem suam exprimente*, forsitan ita Senecam scripsisse mihi assentiaris: *quot habuisset inspectori (aut*

per participium futuri, quo Seneca non minus quam omnes aevi argentei scriptores gaudet: *inspecturis*) partes.

Ib. I, 8, 4: *si in concavo speculo tota facies oppositi orbis exprimitur, et in semiorbe nihil prohibet totam aspici pilam* (⊥⊥⊥⊥: clausula minus saepe adhibita hypodochmium efficiens). Semel atque iterum pilae imagine usus est, qua eam designaret partem, quae imaginem rei ipsa reflecteret; hoc uno loco etiam alterum indicat, cuius simulacrum per speculum nubemve repetitur?

Senecae manum restituere mihi videor parva coniectura: *nihil prohibet totum aspici solem* (⊥⊥⊥⊥, clausula legitima ut quae maxime!). Cf. I, 11, 2: *non enim totum imitantur* (sc. solem).

Ib. I, 8 i. f. — *ut ullis / nubibus possit occurri* ⊥⊥⊥⊥⊥⊥; *occurrere*, quod Vincentius et Haase coniecero, tertium implevisset creticum, quod ut vitaret, maluit infinitivum insolitum passivi scribere: *occurri*.

Ib. I, 9, 1: *de virgis dicendum est, quas non minus pictas variasque aequae pluviarum signa solemus accipere*. In capitibus 3—8 de arcus natura atque origine sermo fuit, nusquam de eius in tempestatibus praedicendis significatione. *aeque* Seneca adhibet cum adiectivo et adverbio coniunctum, e. g. c. 4, 1: *aeque manifestum*; 4, 2: *aeque celeriter*, alioquin *similiter* dixit aut *pariter*. *aeque* delendum est; ex *vari* / *asque* *aeque* iteratum esse apparet.

Ib. I, 12, 1 et 2: quousque clausularum rationem Seneca observavit, ex his locis luculenter demonstrari potest. Illic dicit: *apparere autem imagines non possunt nisi in liquido et immoto* ⊥⊥⊥⊥⊥, ubi *limpido* clausulam destructurum erat ⊥⊥⊥⊥⊥; hic *limpidus* adhibet in verbis: *cum sic coactus aer et limpido constitit* ⊥⊥⊥⊥⊥, ubi rursus *liquidus* culpatam exhibuisset clausulam: ⊥⊥⊥⊥⊥.

Ib. I, 12, 2: Cum alibi semper loquatur de imagine solis, Senecae verba hoc loco sunt: *constitit / ut faciem solis acciperet* ⊥⊥⊥⊥⊥⊥⊥⊥; *imaginem* huiusmodi numeros composuisset: ⊥⊥⊥⊥⊥⊥⊥⊥. Itaque Seneca operam dabat, ut cretici

iterationem, quae quidem cum prosae orationis accentu congrueret, fugeret (vide ad I, 81). Ubi vero ictus clausulae et accentus liberae orationis non easdem ferirent syllabas, talis repetitio ei molesta numquam visa est, e. g. I, 11, 2: *quia / in propinquo fere a sole visuntur* ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘; quae verba in prosa oratione sic: ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ ˘ notanda sunt.

Ib. I, 13, 2: *debent autem hae nubes, quae hoc praestant, densae esse leves splendidae planae, naturae † solis*. Iniuria hunc locum vexarunt viri docti. Seneca voluit dicere καὶ τῆς τοῦ ἡλίου φύσεως ἐχόμενα (νέφην), id quod solita brevitate necnon linguae latinae accommodatissima genetivo expressit. Hanc interpretationem fulsit locus alter supra allatus, ubi novam lectionem minima mutatione vindicatam proponere ausim (I, 6 i. f., supra p. 326): *est aliquid et aquae* (sc. simile in nube), *quam, etiamsi nondum habet, iam parat, id est iam eius natura<e> est, in quam ex sua vertatur*; id est: magna ex parte iam addicta nubes est naturae aquae, in quam ex sua natura verti potest.

Ib. I, 13, 2: *longe autem posita radios non remittet nec imaginem efficiet. quia apud nos quoque specula, cum procul a nobis abducta sunt, faciem non reddunt, quia acies eqs.* Pro *quia* Gercke in textum recepit *sed*, alii aliud. Lehendum est: *qui in apud nos quoque*, quod vocabulum in *quia* abiit propter sequentem eandem coniunctionem *quia*.

Ib. I, 14, 1 in editione Gerckiana ita legitur: *horum* (sc. ignium caelestium) *plura genera conspiciuntur: sunt putei, cum velut corona cingente introrsus ingens caeli recessus est similis effossae in orbem specus; sunt pithiae, cum magnitudo vasti rotundique ignis dolio similis vel fertur vel uno loco flagrat; sunt chasmata, cum aliquod spatium caeli desedit et flammam velut dehiscens in abdito ostentat*. Tribus locis, quos litteris diductis insignes reddidi, haec habent codices manuscripti: *ut ei* Φ, omisit Δ stirps; *ignes* ΔΛΡ, *igneus* ΞΤΖ, *ingens* coniectura est Fortunati; *phiciae* Ξλ, *philie* alii, *phisicle* δ. Tria genera ignium caelestium si attente consideraveris, iam animadvertes Senecam tres adhibuisse voces graecas, quas postea descriptione minutissima enarraret:

(*putei*): *similis effossae* — *specus*, *pithiae*(?): *dolio similis*, *chasmata: dehiscens*. Sequitur nihil esse coniecturam *putei*; nam et hoc rogo, quomodo ex *suntputei sunt ut ei evaserit* nulla similitudine inter *t* et *p* litteras intercedente. Quaerendum igitur est vocabulum graecum eundem sensum praebens quem vox latina *specus*; non solum quae iam disputavi, hoc Senecam dicere voluisse demonstrant, sed etiam *recessus* vocabulum iam ab Ovidio de spelunca potissimum usurpatum, Met. 10, 691: *luminis exigui fuerat prope templa recessus, speluncae similis, nativo pumice tectus*; 11, 592: *est prope Cimmerios longo spelunca recessu, mons cavus, ignavi domus et penetralia Somni*. Nec diu tale vocabulum indagandum: gr. *κύτος* omnium vota in unum coniungit. Significat enim „cavitas, antrum; quidlibet corpus cavum, poculum, urna, corbis”; Seneca numero plurali scripsit *cute* (*c*-cum *t* praecedente magnam habet similitudinem), ut apud poetas Romanos frequenter occurrit *cete* = *κήτη*; nisi vero ipsa graeca vocabula in textum admisit: *κῦτι*, *πιθ-*, *χάσματα*, id quod mihi quidem ad verum propius accedere videtur.

*Ingens*? Reliquis duobus exemplis ignis mentionem facere numquam neglexit: *magnitudo vasti rotundique ignes et flammam — ostentat*. Nullam video causam, cur primo loco, ubi tali descriptione cum maxime opus esset, omiserit ignis mentionem (*igneus* etiam § 3), id quod eum fecisse perhibent, qui *ingens* proposuerunt. Ad hoc quid sibi vult istud *ingens*? Non est quod revera *ingens* fuerit aut visus sit eiusmodi recessus (aliter I, 15, 4). Qui *ignes* pro *igneus* scripsit librarius, locum non intellexit itaque *corona cingente introrsus ignes* artius coniunxit.

Restat ut de voce *pithiae* pauca addam. Aspirationem in vocabulis latinis tam a Romanis ipsis vulgarem indicantibus eruditionem quam postea a librariis alieno loco saepe collocari optime notum est; exempla addam nonnulla: in Bücheleri Carminibus epigraphicis 607 *chitari*, *sephulcro* ibid. 612, et 676 ubi acrosticha defenditur. Nihil igitur obstat, quominus ex litteris *phiciae*, *phitiae* gr.-lat. *pithiae*, *πιθ-* eliciatur. At quid est istud *pithiae*? Paulisper de vocabulo graeco *πῦτίνη* „vini cadus saligneis virgis contextus” ad nostrum *pithiae* descendere conatus sum; frustra, praesertim cum *dolia* dicantur esse, vasa maxima, quod ipsum graece exprimitur voce *πιθος*. Quae cum ita sint,



non video quomodo recusemus, quin hoc loco vocabulum graecum agnoscamus in graeca lingua ad hunc diem ignotum: *πιθια* numero plurali positum; hoc deminutivum coniecturae *ingens* parum favere, quis est quin videat? *e* vocis *πιθιαe* per dittographiam ex *c*-coniunctionis *cum* natum esse quin ponamus, nihil obstat. (Attamen vide I, 15, 4 ubi *pogoniae* et *cyparissiae* inter eiusmodi ostenta nominantur textu illic quidem haud ita certo).

Ib. I, 14, 3: *tanta est enim velocitas motus, ut partes eius non dispiciantur, summa prendatur: intellegimus magis, qua ierit stella quam qua eat*; sic Gercke, codd. exhibent *pereat* aut *perit*. Sane lucidum praebet sensum locus noster in editione Gerckiana. Nihilominus alteram viam quamvis timide indicare non dubito propterea, quod qua ratione ex illo *\*ierit* ratione palaeographica natum sit *perit* aut *pereat*, equidem non intellego. Haud scio an textus ita sit constituendus: *intellegimus magis isse, quia perit* (aut: *pereat*) *quam qua eat*, cui lectioni significatio intelligendi, non videndi, sanequam favere videtur. Cf. ib. I, 3, 10: *nec ire crederemus, nisi appareret isse*, Plin. Ep. V, 6, 14: *ita leniter et sensim clivo fallente consurgit, ut cum ascendere te non putes, sentias ascendisse. quia* eodem sensu adhibitum in § 4. occurrit. Mutationes palaeographicas ita levis fore momenti non est quod moneam.

Ib. I, 16, 5 postquam foedae obscenitatis cinaedum depinxit, qui speculis libidinis scenam auget, addit: *quem non putes in ipso habitu pingi voluisse?* Variis coniecturis locus vexatus haud scio an recte se habeat; parva tamen emendatione melius etiam verba Senecae integra restitui posse videntur: *quem nonne* eqs.

Ib. I, 16, 6: *adeo in quaedam lupanar quoque verecundum est.* Verba sana ut alias ita Gercki coniecturam *in vulgando* minime invocant. Locutiones per praepositionem *in c*. Acc. adverbii loco adhibitae etiam apud Senecam frequenter occurrunt: *in totum* Ep. 20, 6 et 31, 5, *in vanum* 31, 4, *in tantum* — *in quantum* 15, 7; apud Senecam patrem *in quantum* Contr. I Praef. 6, *in cetera* I, 1, 3 (de huius cum filio in stilo atque locutionibus affinitate obvia Baehrens Philol. Suppl. XII, 283, 310); saepius apud

Plinium invenies e. g. *in tantum, in quantum* Pan. 10, 4; 83, 8; 95, 3, cf. 68, 5; 73, 3, Tacitus Plini aequalis eiusmodi adverbis non minus gaudet; lectorem ad ea reicio, quae disputavit Gudemann in Dialogi commentarii editione altera p. 100 et 195 (*in quantum*), 290 (*in contrarium*). Memoria forsitan dignum sit in Culicis carmine eodem modo usurpari *in omnia* e. g. 233, 242. De voce *omnia* = *omnino* Glotta V, 85.

Ib. I, 16, 9: *facinus indignum! hic fortasse cito et antequam videret occisus est: ad speculum immolandus fuit*. Quid sibi istud *hic*? si *hic*, hoc loco dicere voluit Seneca, satis pueriliter, neque quare addiderit *cito* perspicio. Bene omnia se habent optimeque Senecae cogitationibus accommodantur, si legas: *hinc* (sive potius *hòc*, quod idem valet atque *hac de causa*; hunc usum uberius tractavit Landgraf in Rosciana commentario (ed. alt.) p. 260.

Ib. I, 16, 7: *simul, inquit, et virum et feminam patior, nihilominus illa quoque supervacua mihi parte alicuius + contumelia marem exerceo; omnia membra stupris occupata sunt*. Qui locus a Seneca copiose, immo fusius enarratur, quam ut in eius pectore nihil nisi facti indignationem habitare credamus: semel atque iterum inducit cinaedum libidinis „enormem sapientiam” iactantem. Quo fit, ut mihi locus restituendus videatur sententiae ambitu augendo. Equidem fieri potuisse arbitror, ut Seneca scriberet quae supra prelo sunt mandata; omnibus hoc persuadere ut mihi contingeret fore non credo; sic mihi rem fingebam Senecae postquam *simul . . . et feminam patior* enuntiavit, in mente haesisse sententiam illam, tamquam coniunctionis ibi partes ageret vocabulum *simul* (= *simulac*), dehinc eum perrexisse: *nihilominus eqs. Quem exitum si spreveris, propono: simul, inquit, et virum et feminam patior* (id quod loquendi consuetudo fert, cf. ibid. § 2: *cum virum ipse pateretur, utpote pathicus*); *ut feminam patior, nihilominus illa quoque supervacuā mihi parte partā alicuius contumelia marem exerceo*; hoc enim proxime ad scripturam codd. accedit, propius quam *parata* aut *patiens* aut *per alicuius contumeliam contumelia* iam inde a Livio saepius adhibetur de corporis cruciationibus. vel violatione, *alicuius* genitivus est et hoc loco et

alibi nominativi *alius quis* vel *aliquis*: eo sensu, Seneca ipse scribit nat. I, 17, 6: *poculo — ad aliquos usus comparato*; Petronius scribit *aliquis* = *alius quis* c. 10 et 126, *alicubi* c. 45, 4; genitivus vocis *alius*, *alterius*, in argentea latinitate exolescit; nam *alius* quoque pro *alter* collocatum usu crevit, ut iam Kroll animadvertit ad Cic. Brut. 325, *alius* per *i* longum genitivi vicem agens non iam adhibebatur. Fusius de hac significatione vocis *aliquis* tamquam *alius quis* egit Löfstedt (Beiträge p. 113, Kommentar Aetheria 174), ad quos libros lectorem reicio. Thesaurus linguae latina IV, 802, 30 sqq. plurimos locos enumerat, quibus *contumelia* cum genetivo obiectivo qui dicitur, coniunctum est; quare meas annotationes ad eam rem pertinentes hic referre supersedeo.

Ib. I, 17, 2: *non in hoc scilicet* (rerum natura specula comparavit), *ut ad speculum barbam velleremus aut ut faciem viri poliremus: in nulla re illa luxuriae negotium gessit*: sic Gercke coniectura usus Madvigii. Codd. habent *concessit*. Nemo dubitat, quin *negotium gerere* per totam dictum sit latinitatem; num sequitur, ut hoc quoque loco ita Senecam scripsisse ponamus? Si *luxuriae* dativi esse casum putaveris, omnia mire quam quadrant: *nulla in re*, ita Seneca, *officium suum alienis imposuit viribus, nedum unquam luxuriae sibi inimicissimae maximeque contrariae laborem permiserit suum*.

Ib. I, 17, 4: *inventa sunt specula, ut homo ipse se nosset; multa ex hoc consecuturus, primum sui notitiam, deinde ad quaedam consilium*: ita Gercke textum constituit, codd. exhibent: *consequuntur* aut *consecuntur*. Haud negaverim Senecam alibi, ut puta in Epistulis, in libello de beneficiis, frequenter et variis modis adhibuisse participium quod dicitur futurum; ad Naturales Quaestiones hic usus minus pertinet. Quidni revera scripsit: *consequuntur*? Neque pluralis numerus, neque tempus obstant in libro compluribus locis ita laxo conscripto stilo. Quod ut credam me movet clausula in verbis: *ut homo ipse se nosset* (⌒⌒⌒⌒) latens: hic igitur sententia clauditur; verba *ex hoc* digito monstrant post *nosset* aliam sententiam inchoari graviusque esse interpungendum monent. Numerus pluralis *consequuntur* ea ipsa

de causa facillime vindicatur, quod Senecam in diversos homines tamquam documenta doctrinae cogitatione evocantem (*formosus — deformis*) κατὰ σύβειν in pluralem numerum esse delapsum non est quod negemus. Cf. Tac. Ann. IV, 17 i. f.: *neque aliud gliscentis discordiae remedium, quam si unus alterve maxime prompti subverterentur.*

Ib. I, 17, 4: *deformis ut sciret redimendum esse virtutibus quicquid corpori deesset* ὑβὲς: lege *deesset*, id quod apud poetas et scriptores persaepe invenitur. Formas, quales sunt *subit* = *subiit* Seneca frequenter admittit, e. g. I, 17, 6.

Ib. I, 17, 3: *praeterea duorum siderum occursum, quo interpolari dies solet, non videremus nec scire possemus, quid esset, nisi liberius humi solis lunaeque imagines scire possemus.* Pro interpolari Gronovius coniecit interpellari, coniecero ipse interputari aut interpediri. At nescio an recte se habeat interpolari verbum. Audi Nonium Marcellum (p. 34 M.): *interpolare est inmittere et interponere et novam formam e vetere fingere.* M. Tullius in Verrem actione II (I, 158): „*aliquid demendo, mutando, interpolando*”, — *et est tractum ab arte fullonia, qui poliendo diligenter vetera quaeque quasi in novam speciem mutant*” et locum affert ex Plauti Amphitryone vs. 317, ubi videas; adde Isidori Origines XIX, 22, 23 (Linds.): *interpolata vestis illa vocatur quae dum sit vetus ad novam speciem recuratur.* Vocabulum revera cum *poliendi* verbo coniungendum, ut nobis saepe, ita iam Nonio, *interponendi* similitudinem prae se ferre visum est. Idcirco eius sensus in hunc abiit: aliquid interponere, ita ut uno tenore decurrere aliud quid non valeat. Ne autem quicquam in voce *interpolari* mutandum esse crederem maxime me movit glossa, quae aut hunc nostrum videtur locum respicere aut alium prorsus eadem describentem V, 620, 23: *interpolata est vestis nigra, hinc interpolo est obscuro.*

In verbis sequentibus: *nisi liberius humi solis lunaeque imagines videremus* vitium latere nemo non videt. Namque Seneca indicaturus est, quomodo caeli phaenomena nimio suo splendentia fulgore in repercussu „hebetato lumine”, ut ipse dicit, integra oculorum acie intueri possimus. Quid est illic *humi*? Si conferre

volueritis cap. XII initium, ubi fusius de hoc propulsando periculo deque eiusdem rei via atque ratione egerat, in mentem veniet èt illud *hebetato lumine* et (c. XII, 2) Senecae verba ad unam eandemque rem spectandiam èt loco nostro (I, 17, 2) prorsus similia *nisi in aliquo nobis umore lenior et aspici facilius occurreret*. Quae cum reputo, propono: *nisi liberius lumine (h)umido* (cf. *umida* I, 6, 6) *solis* eqs.: bis haplographia facta est: *lumi-: humi-, -do: so-*. Sensus est: *lumine aliquo umore hebetato vel lenito*. (De voce *hyali-* in *humi* latentem cogitare, cf. Pauly-Wissowa VII, 1385 sqq.).

Ib. I, 17, 6: *et mox huic proprio ministerio praeparatus est orbis nondum argenti nitor sed fragilis vilisque materia*. Sic Gereke; alii codd. alia: *argentei nitore* E, *argenti nitores* Z. Nimirum legendum est: — *praeparatus est orbis* (Gen.) *nondum argentei nitor sed fragilis vilisque materïa* (Nom.). Hinc natum est, postquam *orbis* nominativum esse casum suspicati sunt, aut *argenti* aut (*argentei*) *nitores*, neutrum recte.

Ib. I, 17, 7: hoc loco Gereke alii plurima inseruerunt, quae nulla omnino ratione palaeographica commendantur aut defenduntur. Ita Gereke: *tunc quoque, cum antiqui illi viri incondite viverent, satis nitidi, si squalorem opere collectum adverso flumine eluerant, <parva> cura comere capillum fuit ac prominentem barbam depectere, et in hac re sibi quisque, <non alter> alteri in vicem, operam dabat; <ne> coniugum quidem manu crinis ille, quem effundere olim mos viris fuit, atrectabatur, sed illum sibi ipsi sine ullo artifice formosi quatiebant, non aliter quam iubam generosa animalia*. Suspicio a nonnullis viris doctis locum non recte intelligi: postquam § 6 indicavit etiam speculi usu manifeste illud Horatianum probare: aetas parentum peior avis tulit nos nequiores, sequenti paragrapho nequaquam posteriorem tangit aetatem multo etiam deteriore, immo (§ 8) etiam atque etiam ad simplicitatem priscorum hominum (*effundere olim mos — fuit*) refugit. Quod ut eliciatur, textus ipse, quem sub oculis habemus, undique sufficit mutatis mutandis: — *eluerant, cura comere capillum fuit ac prominentem barbam depectere? etiam hac re sibi quisque, alteri invicem, operam dabat?*

*At coniugum quidem manu crinis ille (idem est quod capillorum discrimen, „scheidung, gescheiden vlechten”) atrectabatur, capillum, quem effundere olim mos viris fuit, sibi ipsi sine ullo artifice formosi quatiebant, non aliter eqs. Ne hac quidem coniectura: cur curā comere opus est, praesertim cum ita ingrattissima illa quidem in textum irreptura esset sonorum iteratio. Hoc Seneca, ni omnia me fallunt: derideantur philosophi, qui pristinam speculorum originem usumque disquirant: nullo modo ea indagari possunt, quia — nulla fuerunt. Nam feminae quoque vix crines comere curabant, nedum viri huius tam humilis negotii rationem haberent atque se, alios invicem comere nec non compturos adiuvare dignarentur!*

Ib. I, 17, 8: *et pluris unum ex his (sc. speculis) feminae constitit, quam antiquarum dos fuit [non] illa, quae publice dabatur imperatorum pauperum liberis. non iam pridem eiectionum est, hoc loco recte, nam clausula dos fuit illa (—) illa quidem heroica est atque propterea mihi videtur esse reicienda, sed dos fuit non illa èt clausulae mensura (—) èt propter sensus inconcinnitatem probari non potest. Quae per se posita inconcinnitas non tanti mihi esse videtur, quippe quae tot constructionibus vindicetur in lingua graeca obviis, latine vero usu vocabuli quisquam, quod saepius negativam odorat sententiam quam logica linguae consideratio admittit. Quod cum ita sit, legendum esse crediderim: quam antiquorum dos fuit nulla; id quod clausulam efficiat optimam (—) et non vocabuli rationem reddat (nō illa).*

Ib. I, 17, 9: *o felix paupertas, quae tanto titulo locum fecit! non cepissent illam dotem, si habuissent. Codd. habent: non fecisset; illa Φ. Si habuissent pertinet ad ea, quae invenies paulo supra (§ 8): an tu existimas auro inditum habuisse Scipionis filias speculum, cum illis dos fuisset aes grave? Senecae, opinor, hoc loco contigit quod illi raro, nostrum cuilibet iusto saepius: brevis esse laborat, obscurus factus est. Omnia in textu optime se habent, si has modo ambages boni consulere velis: non fecisset illa (sc. paupertas), quid? Nempe tanto titulo locum, si habuissent (sc. Scipionis filiae speculum auro inditum), i. e.*

numquam paupertas huius saeculi tantum gloriae ascendisset fastigium, si, qui tunc vivebant homines, vitam simplicem nec non laboriosam sprevisset luxuriae indulgentes cupiditatibus.

Ib. I, 17, 9 in fine libri haec leguntur: *iam libertinorum virgunculis in unum speculum non sufficit illa dos, quam dedit pro + aio + se*: ita Gercke; alia codd. stirps exhibet *pro animo se*. Mentio facta est de Scipionis filiabus, quibus senatus ob patris paupertatem publice dotem dedit honoris causa sive ut Senecae verbis utar, novo nupto „*soceri loco senatus fuit*”. Quaerenda sunt verba textui bene accommodata, quae si usquam, at hic certe tamquam orationis lumina clausulam efficiant longe splendentem lateque sonantem. Ne multa, Seneca aut *pro populo romano senatus* scripsit aut *populi romani senatus*  $\underline{\text{L O L L O L L}}$ , id quod gravem legitimamque efficit clausulam. Vitiosae scripturae originem sic explicaverim posteriorem coniecturam respiciens: ut in arcu triumphali saepe scriptum legerat, ita auctor ipse aut librarius verba per abbreviationem depinxit:

*pop. rom. se. processit* eqs.

*po ro se processit* eqs.

Librarius posterior *poroseprocessit* inveniens et timens ne postea has litteras male interpretarentur, uno tantum loco litteras nonnullas his superscripsit, *populus romanus* tamquam vocabulum unum accipiens: *poroseproc-*; inde factum est *promanise-processit*, aut *promaiseprocessit*; rursus deinceps ex his litteris, quia *mani* vox erat nihili et *pro* casum requirebat ablativum, *m* locum mutante *pro animo se* aut, si librarius nihil iam intelligebat, *pro aio se* scriptum est, fortasse unius litterae spatio vacuo initio, deinde omissio. Id est quod codd. exhibent *pro aio se* et *pro animo se*. Legendum igitur censeo: *Populi Romani Senatus*.

Non mihi ab re alienum esse videtur, si breviter quae de Senecae dicendi ratione quantulumcumque fuerunt disquirere conatus sum, complectar, hoc loco solam clausulam respiciens:

I. Clausula heroica quae dicitur ab eo dedita opera vitatur; numquam fere in clausula, in incisione raro admittitur (p. 323, 335).

- II. Clausula proluxa  $\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}$  ei praeferenda esse videtur breviori  $\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}$  (p. 324).
- III. Etiam in interiore sententia, in clausula vero multo videlicet magis haec demum forma  $\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}, \bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}$ , non altera illa brevior  $\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}$  legitima est (p. 324, 325).
- IV. Quantum potuit id egit Seneca, ut eiusdem pedis iterationem evitaret iis quoque locis, quibus Zielinski rhytmum qui ab eo inscribitur constructivum animadvertere sibi videtur (p. 324—328 cum accentu sermonis cotidiani coniunctim).
- V. Respiciebat, quantum fieri potuit, accentum vocabulorum qualem in libera oratione audiebat (p. 325).
- VI. Diligentissime in hac re cavet, ne ictum primarium ( $\bar{\bar{L}}$ ) feriret syllabam in sermone cotidiano aut nullum aut secundi tantum ordinis accentum recipientem (p. 325).
- VII. Omnem compositionem metricae adsimilem vehementer respuebat (p. 326).
- VIII. Cum  $\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}$  (p. 326) admitteret,  $\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}/\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}$  omni opera reicere studuit, nimirum quod  $\bar{\bar{L}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{O}}\bar{\bar{L}}\bar{\bar{L}}$  iam hexametro simile esset (p. 327).

## AD IUVENALIS S. VI VS. 660.

„Securi” poeta ait „maritum occidit Clytaemnestra”:

At nunc res agitur tenui pulmone rubetae,  
Sed tamen et ferro, si *praegustabit* Atrides  
Pontica ter victi cautus medicamina regis.

Immo *praegustavit*. Hodierna coniunx veneno tollit maritum, sed et illa ferro utitur si scit maritum antidoto se contra venena munisse.

J. J. H.



# CRITO PG. 44 A.

SCRIPSIT

I. BERLAGE.



Initium Critonis levi laborat vitio quod miror non olim sublatum esse. Medela saltem, quantum scio, adhuc a nullo editore in textum recepta est, quamquam mihi certa videtur. In notissimo illo Sommio Socrati videtur appropinquare *γυνή καλή καὶ εὐειδής*. Καλή autem et εὐειδής prorsus similia significant, ita ut posterior vox nihil addat priori. Tum in talibus semper iunguntur *καλή καὶ μεγάλη*. Od. o 417:

*γυνή Φοίνισσ' ἐνὶ Φοίῳ*

*καλή τε μεγάλη τε καὶ ἀγλαὰ Φέργα Φιδυῖα.*

Exempla unicusque observantur, ita ut plura afferre non opus esse videatur. Semper et in virorum et in mulierum corporibus laudatis praeter pulchritudinem indicatur proceritas. Quare et Herod. IX 25, cum narravit Masistii Persae corpus curru ordinis praetervectum esse, addit: ὁ δὲ νεκρὸς ἦν θέης ἄξιος μεγάλθους εἶνεκεν καὶ κάλλους. Idem Phyaē illius, quae Pisistratum in urbem reducere videbatur, formam describens dicit ἦν . . . μέγαθος ἀπὸ τεσσέρων πήχεων ἀπολείπουσα τρεῖς δακτύλους καὶ ἄλλως εὐειδής. Tantopere ipsa proceritas corporis Graecis pulchritudinis pars esse videbatur. Quid quod Aristot. Rhetor. 15 ait: *θηλειῶν δὲ ἀρετὴ σώματος κάλλος καὶ μέγεθος*.

Desideratur igitur in Socratis descriptione imaginis illius muliebris, quae ei in somno appropinquare visa est, proceritatis indicium, idque eo magis quod non mortalis et vera mulier sed divina aliqua species depingitur. Luce clarius igitur patet *καλή* mutandum esse in *μεγάλη*, quae vox ob formae similitudinem in illam facile corrumpi potuisse quisvis videt. Unde nascuntur haec: *ἔδοκει τίς μοι γυνή προσελθοῦσα μεγάλη καὶ εὐειδής*, quae verborum copulatio et alioqui passim reperitur: cf. Herod. III 1 *θυγάτηρ κάρτα μεγάλη τε καὶ εὐειδής*; V 12 *ἀδελφεὴν μεγάλην τε καὶ εὐειδέα*.

Quod legitur apud Hesychium: *αὐτοΦαρίζειν· αὐτοματεῖν* olim Kusterus mutabat in *ἀντιΦερίζειν· ἀντιμαχεῖν*, recentiores philologi cum alii tum Herwerdenus quamquam nihil novantes tamen vocabula *ἀντιΦάρα, ἀντιΦερίζειν, ἰσοΦερίζειν* huic *αὐτοΦαρίζειν* comparant. Cum vero *αὐτοματεῖν* pro *αὐτοματιζειν* vox dubia sit, collata glossa Hesychiana: *ἄΦαρ.οι* (lege *ἄΦαροι*)· *ἀνίματοι*, legendum esse suspicor: *αὐτοΦαρίζειν· αὐθιματεῖν* (vel *αὐθειματεῖν*). Sicut enim nonnulli, ut verbo serioris aevi utar, *ἑμονοχιτώνουν*, erant etiam qui procederent *ἀχιτώνες ἐν ἱματίῳ*. Quinto a. C. n. saeculo homines variae conditionis ita vestiri solebant <sup>1)</sup>, aetate romana soli philosophi <sup>2)</sup>. Rara quidem vox *αὐτο-* hac sententia in compositis, sed non inaudita. Quod ad terminationem *-ίζειν* attinet, cf. *νεβρίζειν* et Lobeck. ad Phryn. p. 568.

G. V.

1) V. Daremberg-Saglio, Dict. des antiq. s. v. pallium, p. 288, qui legentes delegant ad G. Muellera Quaest. vestiaras, p. 44 sqq.

2) C. Dio Chrysost. LXXII, 2.

---

ΠΟΡ. ΒΡΛ. II, 1, 161.

Amicus meus B. I. Polenaar quem a prima adolescentia semper propter singulare acumen et magnam variamque doctrinam suspexi — fuit enim primum decus philologorum, deinde Gaii et Iustiniani institutionibus edendis inter iurisconsultos inclaruit — nuper ad me de hoc versu:

serus enim Graecis admovit acumina chartis  
 scripsit quem, quoniam non *victor* ille versus 156<sup>1</sup> (i. e. populus Romanus) dici possit tragoediis Graecis vertendis (de qua re vss. 162—167 agitur) dedisse operam, ita emendandum censeat ut *servus* (sc. Livius Andronicus) pro *serus* legatur. En suspicionem tanto viro dignam et dignam quae nostrae Mnemosynes cultoribus innotescat! Haeret praeterea in praepositione *post* vs. 162. Quae, nisi *Punica bella* hic posita sumamus pro *bellum Punicum primum*, cum eodem viro acutissimo in *per* sit mutanda. *Servus* vero illud egregium mihi videtur. Nam illa *sed in longum tamen aevum — vestigia ruris* tamquam in parenthesi posita sumere nobis licet.

J. J. H.

## AD PERSII SAT. I, 8.

Decantatum est Lucani illud (I, 128):

    '    victrix causa diis placuit, sed victa Catoni  
sed vera eius sententia ne multos fugiat periculum est. Ratio redditur cur poeta, postquam rogavit „quis iustius induit arma?” (Pompeius an Caesar?) haec addat: „scire nefas”. Potestne *nefas* esse aliquid *scire*? Hic certe potest, nam dilemma hic ponitur eiusmodi ut, utramvis partem probes (et *scire* nunc est alteram dilemmatis partem defendere), aut in deos sis impius aut in Catonem, perfectum illum Stoicum. Nunc Persium audiamus. Post illa *nam Roma est quis non?* haec apud eum legimus:

    ac si fas dicere — sed fas

    tum cum ad canitiem et nostrum istud vivere triste  
    aspexi ac nucibus facimus quaecumque relictis,  
    cum sapimus patruos; tunc tunc, ignoscite, nolo;  
    quid faciam? sed sum petulanti splene . . . cachinno.

Cur metuit poeta ne nefas sit dicere id quod iam dicturus sit? Nam, licet dissimulet, metuit hoc, certe sibi conscius est esse homines, eosque minime sibi spernendos, quibus nefas illud videri debeat. Stoicos ipsos, ipsos aio Stoicos, vituperaturus est, declaraturusque illos nihilo altius quam ceteros sapere mortales. Ad hanc lucem et alia huius loci vocabula sunt accipienda et illa *nostrum istud vivere triste*. Stoicorum vitam tristem, severam, morosam respicit. Et illi senes vel senum similes *ludunt*, non quidem nucibus sed latrunculis (ut ait Seneca *ep̄la.* 106 s. f.), et futilibus captiosisque quaestiunculis vitam terunt.

J. J. H.

# DE TABELLA EMPTIONIS AETATIS TRAIANI NUPER IN FRISIA REPERTA.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.



Undetriginta transierunt anni ex quo Ursulus Boissevain in Mnemosynes volumine XVI<sup>o</sup> lapidem illum Romanum commentariis illustravit, quem conductores piscatus in agro Frisiorum deae Hludanae dedicaverunt. Quem cum ille prius in annalibus illustrissimae societatis Frisiae publici iuris fecisset <sup>1)</sup>, mihi quoque, denuo egregia aetatis Romanae inscriptione in eadem regione reperta et in museum Leovardiense delata, magno gaudio fuit eodem loco de hac fusius agere <sup>2)</sup> raptimque adumbrare, quid rursus incrementi notitia veteris patriae historiae inde cepisset. Neque hoc solum concesserunt mihi viri spectatissimi, qui societati Frisiae praesunt, sed etiam duas tabulas phototypicas benigne obtulerunt, quae etiam cum lectoribus Mnemosynes communicarentur. Quod cum mihi iucundissimum fecerunt, tum etiam omnes viros doctos, qui tabulis utentur, iis magnam gratiam habituros esse spero. Ceterum de iisdem rebus exiguo intervallo iterum agens si cui huius quaestionis curiosiori non-

---

1) De Vrije Fries, 1888.

2) Ibid. 1917, p. 71—101.

nulla brevius contraxisse visus ero, peto ne eum pigeat annales Frisios huius anni evolvere, quibus etiam ab eruditissimo viro Petro Boelesio de agro, ubi tabella effossa est, et de quibusdam aliis rebus, quae huc faciunt, multa doceri poterit.

In pago Tzum, qui inter Leovardiam et Harlingam haud procul ab oppido Franeker situs est, in mediis pratis conspiciebatur monticulus, cui nomen erat Tolsum. Area eius erat 39700 M<sup>2</sup>., altitudo, quae prius paulo maior fuerat, a. 1911 adhuc 2 M. erat. Hunc fossores inde ab a. 1910 usque ad a. 1914 assiduo labore solo exaequaverunt. Inde et alia in museum Leovardiense pervenerunt et haecce tabella lignea, quam vir strenuus, qui operis praefuerat, in terra nigra circiter 0<sup>m</sup>. 15 infra aestivam aquae altitudinem repertam esse testabatur. Mihi vere a. 1916 facultas tabulae inspiciendae data est.

Media triptychi tabella est iis similis, quae Pompeis <sup>1)</sup> et in vico Alburno Maiore <sup>2)</sup> in Dacia repertae sunt <sup>3)</sup>. Lignum est abiegneum, id est eius arboris procerae, quae hodie abies pectinata DC vocatur quaeque in Italia Gallia Germania <sup>4)</sup>, non vero in patria nostra nascitur. Altitudo tabellae est 0<sup>m</sup>. 116, latitudo 0<sup>m</sup>. 136, crassitudo 0<sup>m</sup>. 008. Nigra cera illitam eam fuisse apparet, quae tamen maiorem partem evanuit. Litterae cerae, sed etiam ligno stilo insculptae erant. Quae cum iam non omnes facile distingui possint, in imaginibus photographiceis, quae hic exhibentur, albo colore litterarum ductus, ut eos cernere mihi videbar, superpingere studui. Testium nomina ipsorum manibus scripta esse videntur; vide modo litteram d B, 1 et litteras a et f B, 6. Hoc in testamentis usu venisse scimus, in instrumentis emptionis non necessarium fuisse videtur <sup>5)</sup>.

1) C.I.L. IV, suppl. p. 275—454.


2) C.I.L. III, 2, p. 921—960.

3) V. Thompson, An introduction to Greek and Latin Palaeography, p. 18—20; Mitteis, Röm. Priv. Recht, I, p. 298 sq.; Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités grecques et rom. s. v. *tabella* et *tabula*.

4) Cf. Hoops, Waldbäume und Kulturpflanzen im german. Alt. p. 233 sq.

5) V. Mitteis, Röm. Priv. Recht, I, p. 304.





A



B

A, 5  
 10  
 g a r g i l i u s s e c u n d u s n  
 c x v a s . <sup>1)</sup> e l . <sup>2)</sup> r i i p e r i i  
 b e e o s o v i l a l o p e t e i  
 r i t e u t i l b o v e m  
 e m i t e s t e c e s d i o c i  
 l g . u m <sup>3)</sup> u t o a d m e t o  
 c <sup>4)</sup> i l . g s r i c a e m t u m  
 c f u u f i o g n m i n  
 i c i o c o s v . d s . . r p r l i l u s  
 d u e r r e t u s u e <sup>5)</sup> t .

B, 5  
 t . c e s d i u s | t . f . l e g . u .  
 n . i u n n i u s | m . f  
 t i . l i e u s | e r e p u s  
 | l g u n u m e  
 | r i i f  
 c a i u s t i f | s e c e d u u s  
 | u i p s i u s

Gargilius Secundus nummis  
 centum et quindecim a S[t]el[o] Riiperii  
 Beeoso vila Lopetei  
 rite uti licet bovem  
 A, 5 emi teste Cesdio, centurioni  
 legionis Victricis, Muto Admeto,  
 centurioni legionis Rapacis. ius civile abesto. emtum  
 Caio Fuufio Gnaeo Min-  
 icio consulibus, ante diem quintum idus Septembres. rebus  
 10 Duerretus veteranus. praestari recte Lilus,

Titus Cesdus Titi filius legionis Victricis.  
 Numerius Iunnius Marci filius.  
 Tiberius Lievus Erepus  
 legionis Victricis Nume-  
 B, 5 rii filius.  
 Caius Tiberii filius Seceduus.  
 venditoris ipsius.



Bos empta est rite uti licet, i. e. ad praescripta, quibus in ea regione, annuente praeside provinciae Germaniae Inferioris, Romani adversus Frisios obligabantur. Ex eo quod res mancipi hic non mancipatur, apparet non ex iure civili actum esse, sed ex iure gentium. Quapropter non, ut in tabulis Dacicis, legitur: „emit mancipioque accepit”, sed: „emi”, non: „actum”, sed: „emtum”<sup>6)</sup>. Neque mirum hoc est. Nam consentaneum videtur inter Romanos et Frisios inde ab anno 28 p. C. n. non nisi ex iure gentium agi potuisse, si quidem Frisios ex illo tempore aut liberos aut peregrinos dediticios fuisse et aliis de causis veri simile ducendum et ex inscriptione Beetgumiana olim demonstratum est<sup>7)</sup>. Idcirco non dubito quin litterae i. c. a., sicut in aliis inscriptionibus<sup>8)</sup>, hic quoque significant: ius civile abesto. Quod ut adderetur fortasse non necessarium erat, sed tamen non ineptum, maxime si reputes Romanos nonnumquam peregrinis civitatem finxisse, ut eo nomine cum iis agi posset, quo nomine Romanis legibus actio constituta esset<sup>9)</sup>. Alia quaestio oritur, quas partes egerint duo viri, quorum nomina in fine tabellae leguntur quidque significant litterae r. p. r. Testes cum iam abunde nominati sint (nam in postica parte tabulae quatuor sunt, in antica duo, quorum alter Cesdus tamen idem esse videtur atque T. Cesdus T. f.), non video quid hi viri esse possint nisi fideiussores<sup>10)</sup>. Inde iam suspicior oritur nota quae est r. p. r. fideiussores designari potuisse. Atque haec

---

1) t?

2) o?

3) an?

4) signum ortum e littera c inversum ducta.

5) ad ligaturam litterarum u et e cf. Gradenwitz-Krebs, Aegypt. Urk. 2, n° 611, van Hoesen, Rom. Curs. Writing, p. 57 sq.; Wessely, Schrifttaf. 6, van Hoesen, l. l. p. 65 sq.

6) Cf. Paulus, Digest. XVIII, 1: est autem emptio iuris gentium. Labeo, Digest. XI, 7, 29: ... quoniam lex XII tabularum emptionis verbo omnem alienationem complexa videretur ...

7) Boissvain, Mnemos. 1888, p. 445 sqq.

8) Cf. Orell. Inscr. lat. sel. 4390; Wilmanns, Ex. inscr. lat. 277.

9) Cf. Cai. Instit. IV, 37; Mitteis, Reichsrecht und Volksrecht, p. 129, d.

10) Qui in fine manumissionis Dodonaeae (Dittenberger, Syll.<sup>2</sup> 839) nominabantur *Λύος* ... *Φοινατοί* non testes supra incuria omisi, sicut vult Dittenberger, esse mihi videntur, sed *βεβαιωτήρες*.

quidem nota nusquam alibi legitur, sed comperimus ex Valerii Probi iuris notarum libro et ex Notis Papinianis et Einsidlensibus <sup>1)</sup> r. r. p. esse: rebus recte praestari. Quid autem haec significant docet Ulpianus: „haec verba: his rebus recte praestari, hoc significant, ne quid periculum ex ea re stipulator sentiret” <sup>2)</sup>. In Basilicis sic sunt reddita: *ἐπὶ τούτοις πράγμασι τὸ ὄρθον παρασχεθῆναι ὁμολόγησε* <sup>3)</sup>. Itaque censeo r. r. p. idem significare atque r. r. p. <sup>4)</sup>, emptorem autem ex iure gentium <sup>5)</sup> stipulatum esse eo fere modo, quo Varro homines, qui pecora emant, stipulari solitos esse dicit: „illasce oves sanas esse habereque recte licere noxisque praestari neque de pecore morboaso esse spondesne?” <sup>6)</sup>

Constat Romanos iure suo non obligatos fuisse fideiussores dare in emptionibus venditionibus. Neque Rabelio <sup>7)</sup> concedo eos sponte dare solitos fuisse. Nam paucis scriptorum testimoniis, quibus ille nititur, hoc non demonstratur: illud tantum ex iis concludere licet nonnumquam fideiussorem datum esse in mancipiorum praediorumve venditionibus <sup>8)</sup>. Aliud tamen est mancipium, aliud bovem emere. Ceterum scimus Romanos persaepe in regionibus, ubi Graecus mos *βεβιωτῆρας* dandi vigeat, consuetudinis iuri obtemperasse <sup>9)</sup>. Quae cum ita sint, in instrumento nostro Gargilium morem Frisiorum secutum esse

1) Gramm. lat. ed. Keil, IV, p. 276, 327.

2) Digest. L, 16, 71. Cf. ibid. VI, 1 (de rei vindicatione), 19: Ulpianus libro XVI<sup>o</sup> ad Edictum: ipsi quoque reo cavendum esse Labeo dicit: „his rebus recte praestari”, si forte fundi nomine damni infecti cavit.

3) Basil. II, 2, 69.

4) Adverbium ex antiquiore consuetudine postpositum est.

Cf. Varro, rer. rust. II, 2, 6: illasce oves . . . sanas recte esse, uti pecus ovillum quod recte sanum est . . .

5) Cf. Cai. Institut. III, 92 sq.

6) Varro, rer. rust. II, 4, 5; cf. 5, 11.

7) Rabel, Die Haftung des Verkäufers wegen Mangels im Recht, I, p. 13; cf. p. 64.

8) Inprimis animum attendas velim ad Dig. XXI, 2, 4: „Ulpianus libro XXXII<sup>o</sup> ad edictum: illud quaeritur, an is qui mancipium vendidit debeat fideiussorem ob evictionem dare, quem vulgo auctorem secundum vocant. Et est relatam non debere, nisi hoc nominatim actum est”, et ad tabulam Dacicam C.I.L. III, 959, ubi in emptione ancillae a. 160 p. C. n. auctor secundus datur.

9) Cf. Mitteis, Reichsrecht und Volksrecht, I, p. 503—510.

suspitor. Nam Germani quoque in emptionibus fideiussores dare solebant <sup>1)</sup>).

Quaeres fortasse, quare ut unus bos recte emeretur, tabulae conscribendae et fideiussores dandi fuerint. Num tantopere Frisiis diffidebant Romani? Minime spernenda videtur sententia viri doctissimi H. Smilda, qui Gargilium bovem non statim abducere potuisse suspicatur.

Quod ad aetatem instrumenti emptionis attinet, inde ordiendum esse videtur, quod consulum, quorum in fine tabellae mentio fit, alteri nomen est Cn. Minicius. E nobilissima gente Minicia, quae inde a medio saeculo primo p. C. n. per centum fere annos Romae floruit, unus magistratus nobis notus est, cui praenomen Cnaeus fuit. Efficitur enim e diplomate militari aheneo, quod Mattiaci in museo servatur <sup>2)</sup>, Cn. Minicium Faustinum mense Septembri a. 116 p. C. n. consulem suffectum fuisse. Quem cum eundem esse atque consulem Cn. Minicium tabellae nostrae veri simillimum sit, sequitur ut tabula scripta sit a. d. V id. Sept. a. 116 p. C. n. Nam ex litteris V. d. s. . aliud quid elici non potest.

In diplomate Mattiaco, mutilum enim est, nomen collegae Cn. Minicii Faustini iam non exstat; in tabula Frisia collega ei est C. Fufius. Nobilis gens Fufia I<sup>o</sup> saeculo a. C. n. et I<sup>o</sup> saeculo p. C. n. floruit. C. Fufius Geminus a. 2 a. C. n. cum L. Caninio Gallo consul suffectus fuit, alius C. Fufius Geminus a. 29 p. C. n. consul ordinarius cum L. Rubellio Gemino. Praeter hos nullus Fufius, cui Caio praenomen erat, nobis hucusque notus erat.

Sed dicat quispiam non omnia nomina consulum Romanorum aetatem tulisse itaque fieri posse ut etiam alius Cn. Minicius atque ille, quem ex diplomate Mattiaco novimus, aliquando mense Septembri consul suffectus fuerit. Hoc fieri posse concedo itaque haud ab re duco circumspicere si quae praeterea aetatis indicia in instrumento nostro latent.

Imperante Nerone, senatus Romanus, ut verbis Suetonii et

1) V. Mitteis l.l., qui adfert Leg. Visigoth. V, 4, 2; Amira, Nordgerman. Obligationenrecht, I, p. 346 sqq. II, p. 352 sqq.

2) C.I.L. III, p. 870; Riese, Das rhein. Germanien in den ant. Inschr. I, 93.

Pauli utar, decrevit, ne tabulae nisi pertusae ac ter lino perforamina traiecto obsignarentur neve aliter tabulae prolatae quicquam momenti haberent <sup>1)</sup>. Quod senatusconsultum Zangemeister tabulis Pompeianis a. 60 vel 61 p. C. n. factum esse demonstravit <sup>2)</sup>. In margine quidem duo foramina habet nostra tabula, ut omnes tabulae, quae aliis adnectendae erant, sed ceteroquin pertusa non est. Sequiturne igitur ut ante annum 61 p. C. n. scripta sit? Non puto, nam nullo modo constat id quod in Italia interque cives Romanos ius esset, item religiose observatum esse, quando quis apud barbaros dediticios bovem a rustico emeret. Hac igitur via non proficimus hilum.

Litterae primum aut alterius p. C. n. saeculi initium arguere mihi videntur. Certe tabularum Dacicarum, quae inter annos 131 et 167 p. C. n. sunt conscriptae, litterae recentiores sunt. Compendia quae sunt *ci.* pro *centurioni* (A, 5, 7) et *lgs.* vel *legs.* pro *legionis* (A, 7) aetatis recentioris sunt indicia. Puncta post compendia *vet.* (A, 10) et *Ti.* (B, 3) in ima parte versus posita sunt. Post compendium *lg.* (A, 6) pro puncto linea iacens conspicitur <sup>3)</sup>. Duo viri per nomen et cognomen designati sunt, praenomine omisso (A, 1, 6). A, 2 post nomen Riperii non addita est vox *f(ilio)*; idem nonnumquam usu venit in inscriptionibus provincialibus, cum patri nomen barbarum est <sup>4)</sup>. B, 4 sq. verba quae sunt *Numerii f.* non suo loco post nomen collocata, sed ulterius traiecta sunt. B, 5 sq. praenomina *Numerius* et *Caius* totis litteris scripta sunt. Cuius rei exempla cum non ante II<sup>um</sup> p. C. n. saeculum occurrunt <sup>5)</sup>, tum in universum ex horum indiciorum copia efficimus tabulam inter annos 100 et 131 p. C. n. esse conscriptam.

Iam videamus de legionibus, quarum in tabula mentio fit.

Alteram, quae per solam litteram r designata est, legionem XXI<sup>am</sup> Rapacem esse mihi constat; nam nullius alius legionis cognomen a littera r incipit. Legio Rapax post cladem Varianam conscripta est. A. 14 p. C. n. Veteribus, a. 68 Vindonissae castra

1) Suet. Ner. 17; Paul. Sent. V, 25, 6.

2) C.I.L. IV suppl.

3) Cf. Garruccius, Syll. inser. Lat. p. 15 sq.

4) V. Cagnat, Cours d'épigraphie latine<sup>4</sup>, p. 60, 1.

5) V. Cagnat, ibid. p. 38, 4.

habebat, quo a. 40 profecta esse videtur. Claudio Civili bellum adversus Romanos moliente, rursus in patriam nostram devenit, unde recessit Mogontiacum, ubi etiam a. 90 p. C. n. eam fuisse constat. Quid deinde de ea factum sit, hodie ignoratur. Inde sequitur ut tabula non sit conscripta ante annum 9 p. C. n. neque inter a. 40 et 70, si verum est legionem Rapacem tum Vindonissae egisse. Sed etiam ultra progredi licet. Post bellum contra Civilem Romani fines Batavorum firmis praesidiis munierunt, donec periculum decrevit et bellum Dacicum plurimas copias e Germania avocavit. Sic legio X<sup>a</sup> Gemina inde ab a. 70 usque ad a. 105 Noviomagi egit. Non est autem veri simile Frisiam occidentalem, quamdiu legio Noviomagi fuerit, a militibus legionis, quae Mogontiacy castra habuerit, occupatam fuisse. Ergo etiam inter a. 70 et 105 tabula nostra conscribi non potuit.

Altera legio littera V designatur neque igitur statim clarum est, utrum legio quinta an legio Victrix intellegenda sit. In inscriptionibus latinis numero, apud scriptores saepe mero cognomine designantur legiones. Cum tamen hic legio Rapax littera R insigniatur, veri simile videtur legionem V quoque esse legionem Victricem. Sed temporum inprimis ratio habenda est. Iam legio V<sup>a</sup> Macedonica numquam in Germania adfuit, altera legio V<sup>a</sup>, Alaudae cognomine praedita, Augusti aetate illuc migravit, a. 14 p. C. n. Vetera Castra tenebat, a. 28 adversus Frisios pugnavit <sup>1)</sup>, a. 69 a Vitellio Fabio Valenti data est, ut in Gallias et Italiam invaderet <sup>2)</sup>. Alii a. 82, alii a. 92 dimissam eam esse censent. Si legio V<sup>a</sup> Alaudae hic intellegenda esset, tabulam nostram inter Augusti aetatem et a. 69 p. C. n. conscriptam esse necesse foret. Tres autem numero fuerunt legiones, quarum cognomina a littera V incipiebant. E quibus legio VI<sup>a</sup> Victrix, quae hic intellegenda videtur, tum demum cum bellum contra Civilem exarsit in inferiorem Germaniam venit. Castra habuit Novaesii et postmodo, inde ab a. 105 usque ad a. 120, ut videtur, Veteribus. Deinde Hadriano imperante in Britanniam portata est. Legio XX<sup>a</sup> Valeria Victrix, quae

1) Tac. Annal. IV, 73.

2) Tac. Hist. I, 61 sq.

aetate cladis Varianae huc venerat, iam sub Claudio in Britanniam traiecit. Legio XXX<sup>a</sup> Ulpia denique a Traiano conscripta, Hadriano imperante, in Germaniam Inferiorem devenit.

Cesdio centurioni et Ti. Lievo Erepo militi legionis Victricis nomina sunt barbara <sup>1)</sup>. Cum vero non ante Claudium cives Romani e provinciis oriundi in legionibus stipendia meruerint, sequitur ut tabella a. 40 p. C. n. recentior sit.

His omnibus perpensis, efficitur tabulam conscriptam esse inter a. 105 et a. 120 p. C. n. itaque non dubitandum videtur quin Cn. Minicius, quo consule conscripta est, idem sit ac consul suffectus a. 116. Sed si quis ea argumenta, quae ad rationem compendiorum ceterarumque rerum id genus spectant, dubia esse putet, quod non iustum tabellionis opus haec tabula sit, si legionem Rapacem non iam inde ab a. 40 Vindonissae egisse sumat, si signo V legionem V<sup>am</sup> Alaudae significari credat, concludere possit tabulam inter annos 41 et 68 p. C. n. scriptam esse. Obstaret tamen quod horum annorum consules paene omnes novimus, inter quos Cn. Minicius aliquis non est, inprimis vero quae scriptores de statu nationis Frisiorum primo p. C. n. saeculo tradiderunt. Frisii enim cum a. 12 a. C. n. a Druso in ditionem populi Romani redacti essent, a. 28 p. C. n. rebellionem facta libertatem suam recuperaverunt. A. 47 Domitius Corbulo eos terrore magis quam armis subegit et praesidium,

---

1) Pauca de nominibus virorum quae in tabula insunt hic in unum colligam. A, 1: Gargilii tantum non omnes, non solum ii, quibus Gargilius Felix nomen est (v. Kubitschek apud Dessavium, Inscr. lat. sel. 9085,1) ex Africa oriundi sunt. Gargilium Secundum nostrum negotiatorem fuisse arbitror. 2: Stelus nomen Frisium fuisse videtur; cf. J. Winkler, Friesche Naamlijst, p. 368. Riparius (aut Reperius) item nomen Frisium. 3: Bēosi fuerint tribus Frisia; cf. Dessau, l.l. 2635, 4760. Cf. nomen pagi hodierni Beetgum? Lopeteius nomen Gallicum; Gallos in terris a Romanis occupatis villas condidisse non est quod mireris; cf. Tac. Germ. 29. Iam a. 28 p. C. n. erant villae apud Frisios (Tac. Ann. IV, 73). 5: nomen quod est Cesdus nusquam alibi legitur (v. Thes. ling. lat. Onom. vol. II (1907—1913); Cestius est nomen Gallicum. 6: Muto Admeto. Prioris nominis lectio incerta. Militi Batavo in Italia nato nomen fuit Alcimacho (C.I.L. VI, 8802). 9: Lilus nomen Gallicum; cf. C.I.L. XIII, 3, 10010, 1146. 10: Duerretus nomen Gallicum, ut videtur. Quamquam pro Duerretus legere possis D. Verretus; cf. nomen ducis Frisiorum Verriti Tac. Ann. XIII, 54. B, 3: Erepus nomen Germanicum Erpo, Erp. Lievus item nomen Germanicum Liewe? 7: Secedius nomen tam mirum, ut valde dubitem num id recte legerim.

ne iussa exuerent, immunivit; sed Claudius referre praesidia cis Rhenum eum iussit. Tacitus autem, cuius haec sunt verba: „natio Frisiorum, post rebellionem clade L. Apronii coeptam infensa aut male fida, datis obsidibus consedit apud agros a Corbulone descriptos”<sup>1)</sup>, sic non locutus fuisset, nisi Frisii inde a rebellionem usque ad adventum Corbulonis continenter liberi fuissent. Atque etiam a. 58 eos liberos fuisse demonstratur Taciti Annalium l. XIII c. 54, ubi narrat duces eorum Verritum et Malorigem Romae in theatro Pompei inter senatores consedissee, cum audivissent exterarum gentium legatis, quibus cum populo Romano amicitia esset, id honoris datum esse. Rursus a. 69 eos adhuc liberos fuisse efficitur e loco Taciti, ubi dicit Civilem Frisios, transrhenanam gentem, auxilio accivisse, priusquam Romanos aggredere<sup>2)</sup>; si enim tunc temporis Romanis subiecti fuissent, milites Romanos patria sua pellere et castellum Flevum adoriri eos oportuit, priusquam vicinis opem ferre possent. Iam Plinius in Naturali Historia sua, quae a. 77 p. C. n. est edita, l. 25 c. 21 dicit: „Frisii, gens tum fida . . .”. Ergo ne illa quidem aetate Romanis subiecta erat natio Frisiorum. Tacitus denique in Germania (c. 34), quae ineunte a. 98 scripta est, Frisios liberis populis Germaniae adnumerat. Qui cum immensos eos ambire lacus scribat Romanis classibus navigatos, Romanos tunc ripas illorum lacuum nondum praesidiis occupavisse apparet. Concludendum ergo Frisios inde ab a. 28 p. C. n. usque ad a. 98 continenter liberos fuisse. Atque per totum saeculum primum p. C. n. vix ullus miles Frisius in exercitu Romano memoratur. Cum igitur etiam rerum scriptores Frisiam non ante a. 98 a Romanis occupatam esse testentur, tabulam nostram a 116 conscriptam esse iam fidenter pro certo affirmare licet. Simul cognovimus inscriptionem Beetgumianam non ante a. 98 exaratam esse.

Traianum eam partem Frisiae, in qua pagus Tzum situs est, praesidio munivisse demonstrasse mihi videor. Nec id mirum est. Hunc enim, sicubi imperator factus esset, dextram Rheni ripam

1) Tac. Ann. XI, 19.

2) Tac. Hist. IV, 15: accitis Frisiis (transrhenana gens est) . . .

sibi subiecisse apparet ex Oros. VII, 112: „apud Agrippinam Galliae urbem insignia sumpsit imperii; mox Germaniam trans Rhenum in pristinum statum reduxit” et ex Eutrop. VIII, 2: „urbes trans Rhenum in Germania reparavit”<sup>1)</sup>. Atque nunc demum illud epigramma Martialis recte intellegere continget nobis, quo Rhenum alloquitur hoc modo:

„sic et *cornibus* aureis *receptis*  
et Romanus eas utraque ripa:  
Traianum populis suis et urbi  
Thybris te dominus rogat remittas”<sup>2)</sup>.

Cornibus poetae frontem Rheni patris, sicut et aliorum fluviorum, ornare solent. Haud raro tamen etiam cornua dicuntur capita sive ostia fluminis. Cf. modo Ovid. Metam. IX, 774: „septem digestum in cornua Nilum”. Paneg. ed. Baehrens, VI, 13: „(Rhenus) immani meatu ferox et alvei unius impatiens in sua cornua gestit excedere”. IX, 21: „convexa Rheni cornua et Nili ora multifida”<sup>3)</sup>. Inde fit non solum ut hodie interpretes hic illic ambigant utrum vox speciatim an metonymice sit usurpata, sed etiam ut ipsi poetae multa ludant de cornibus fluviorum. Sic alibi Martialis:

VIII, 7, 3 „tractusque cornu iam ter improbo  
Rhenus . . .”

IX, 101, 17 „cornua Sarmatici ter perfida contudit Histri”.

His atque similibus locis permotus et simul memor, ut opinor, locutionum quae sunt „cornua sumere” et „cornua addere alicui” Friedlaender versus poetae supra allatos hoc modo explicare studuit: „das heisst etwa: mögest Du durch die Behauptung Deiner Ufer für das römische Reich Deine frühere, durch die Einfälle der Barbaren verlorene stolze Sicherheit vollständig wiedererhalten”, consentiente fere viro docto, qui in Thesauro linguae latinae de vocabulo quod est cornu egit. Verumtamen non hoc dicit Martialis, sed significat Romae nuntiatum esse Traianum Flevum, Rheni ostium septentrionale,

1) Rectius dixisset: civitates . . . recuperavit.

2) Martial. X, 7.

3) V. praeterea Valer. Flacc. VIII, 186; Sil. Ital. III, 406; Claudian. VIII, 652. Verg. Aen. VIII, 727; cf. Mela, II, 2.



occupasse, ut et olim fuerat a Romano milite occupatum. Quod si verum est, simul ex hoc epigrammate, quod a. 98 scriptum esse apparet, efficitur Traianum haec statim primo anno regni sui perfecisse. Qua de re si quis adhuc dubitet, reputato primum Traianum post hunc annum non in Germania adfuisse, sed Dacicis aliisque bellis distentum esse. Denique etiam ex ipsa tabula discimus Frisiam iam ante a. 116 aliquamdiu in ditione populi Romani fuisse, villas enim in ea a Gallis colonis aedificatas iurisque rationes quadamtenus stabilitas comperimus, quin etiam ipsum venditorem quamquam Frisium natione annulo instrumentum emptionis signasse apparet <sup>1)</sup>. Tum in eodem quo tabula agro repertae sunt lucerna fictilis et effigies Fortunae ex creta figulari saeculo primo p. C. n. exeunti tribuendae <sup>2)</sup>.

Iam difficilis quaestio oritur, quousque Traianus progressus sit. Solamne illam partem Frisiae occupavit, quae inter Flevum veteremque lacum qui medius dicebatur (Middelzee) iacebat? Omnes milites Frisii quorum saeculo II<sup>o</sup> et usque ad tertium quartumve saeculum in titulis Britannicis mentio fit, inter quos sunt etiam Aballavenses et Tuihanti, inde oriundi erant? An etiam ulterius in Frisiam penetravit? Numne per idem tempus ea pars patriae nostrae, quae inter Oceanum et Flevum se extendit, libera mansit? Vix credas. Ecquid etiam Isalae ripas concupivit? Haec quidem nunc neque affirmare neque negare ulli nostrum datur: nova documenta e terrae gremio effossa quae adhuc ignoramus nos doctura esse speramus.

---

1) B, 7: v(enditoris) ipsius. Audi: sigillum venditoris ipsius, quod iuxta cerae impressum erat. Cf. tab. Dacic. C.I.L. III, 2; p. 939: Dasi Verzonis ipsius venditoris. p. 943: Bellici Alexandri ipsius vendit(oris); p. 959: Cl(audi) Philetæ venditoris ipsius.

2) V. De Vrije Fries, 1917, p. 104 sq. 106 sq. 118.

# DE CRATINI MORTE COMICA

(ARIST. PAC. VS. 700—703).

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Pace iubente Mercurius Trygaeum, qui modo cum suis agricolis illam ex antro suo protraxit, interrogat de rebus quae Athenis evenerunt eo tempore quo dea iacuit defossa i. e. inde a Peloponnesiaci belli initio. Et respondet Trygaeus, ut decet personam comicam, ridens ludensque. Cuius colloquii et alia ad scenam pertinent et haec notissima varieque a doctis philologis tractata:

Ἑρμῆς  
τί δαί; Κρατῖνος ὁ σοφὸς ἐστίν;  
Τρυγαῖος  
ἀπέθανεν  
ὄθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον  
Ἑρμῆς  
τί παθῶν;  
Τρυγαῖος  
ᾗ, τι  
ᾠρακιάσας· οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο  
ἰδῶν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.

De quo ut recte et ita ut oportet disputetur, primus omnium nobis Leeuwenius est adeundus, cuius integram hic repeto annotationem:

„Cratino non bene esse respondet Tygaeus, sed brevi postquam illa abierit esse mortuum, cum Peloponnesii vastarent

Atticam, non enim sustinuisse aspectum vini e doliis fractis diffluentis. Quae si de vita nuper functo dicerentur, parum forent urbana vel festiva et prorsus aliter de mortuo Cratino in Ranis noster est locutus; mera autem mendacia nemini non inter spectatores visa forent, qui nescire non poterant Laconas ante decem annos Atticam vastare coepisse, tertio autem abhinc anno Cratinum e certamine scenico evasisse victorem. Quam maxime vivum tum se ostendit Cratinus, sed Aristophanes ea quam novimus impudentia usus aemulum senem, quem anno 424 ficta cum commiseratione vocaverat silicernium delirum, nunc dudum mortuum dicit. Graviter videlicet iam (etiam?) fert Nubes suam fabulam posthabitam Pytinae Cratini. Sic locum primus interpretatus est Bergk, quem secutus ultimus editor comici verba reddit: *Cratinus? mais c'est un homme mort depuis dix ans*. Alia via inita Cobetus statuit mortuum esse Cratinum eo anno quo *Lacones comoedia* scenae fuerit commissa, quam datam esse fabulam anno 422, fractum autem in ea esse dolium vini ab hominibus quibusdam temulentis; hunc aspectum poetam vinosum dici non tulisse, sed animi deliquium passum obiisse. Explicationem ingeniosam cum ceteris Cobeti discipulis aliisque multis impense semper sum admiratus, diu veram duxi, veram esse vellem etiamnunc; haud dubitanter tamen iam reicio, duas praesertim ob causas: intelligere non poterant spectatores haec verba Trygaei, si Platonis sic significabatur comoedia, neque Aristophanis erat iis in memoriam revocare aemuli fabulam et fere laudare. Non dubito autem quin inter vivos etiam fuerit Cratinus quo tempore Pax est acta fabula; inter ipsos spectatores eum sedisse opinor"

Multa mihi in hac disputatione magnopere placent, nihil tamen probo laudoque magis quam ipsam verecundiam qua hic discipulus magistro obloquitur. Discant hinc et nostra aetate et posthac iuniores qua sit adversus seniores utendum oratione! Dolet Leeuwenius quod quasi vi coactus sibi sit a Cobeto, summo viro, dissentendum. Et tamen — aut vehementer fallor — plus operae Aristophani impendit quam magister, cui Aristophanem mediocriter tantum placuisse semper sum suspicatus, interdum ex ipsis verbis efficere mihi visus sum.

Sed et de nonnullis rebus, iisque haud parvi momenti, a

Leeuwenio mihi discrepandum est. „Intelligere” ait „non poterant spectatores haec verba Trygaei, si Platonis sic significabatur comoedia”. Equidem opinor nihil non intellexisse Athenienses, rei scenicae amantissimos, quod ad rem scenicam pertineret, nulloque negotio iis novam comoediam spectantibus in memoriam revocari potuisse ludicrum spectaculum quod iis paucis abhinc annis fuerit praebitum. Annon probe et alia multa eiusmodi intellexerunt et illa *πέντε τάλαντα ἂ Κλέων ἐξήμεσεν* quid sibi vellent?

„Atenim ex ipsius Aristophanis Babylonii ista sunt”. Hoc enim alterum Leeuwenii argumentum: „non erat Aristophanis in memoriam revocare aemuli fabulam et fere laudare”. Concederem, si ipsius Cratini fabulam hic in memoriam revocari spectantibus statuisset Cobetus. Sed de Platonis hic agi fabula Cobetus coniecit, et Plato tam Cratini quam Aristophanis fuit aemulus. Cratinum laedere volebat Aristophanes. Poteratne gravius eum laedere quam commemoranda comoedia, non sua verum aliena? Nonne sic hanc fere pronuntiat sententiam: „ego neque Cratinum neque Platonem magni facio; si tamen mihi detur optio, hunc iuniorem illi seniori praeferam”? Hercle, si ex suis Nubibus vel Acharnensibus aliquid quod huic proposito aptum esset hic afferre potuisset Aristophanes, tamen a communi utriusque aemulo eiusmodi aliquid eum sumere maluisse consentaneum est. Sed quid tam erat aptum proposito quam quod nunc affertur? In comoedia quadam nuper acta in scenam proruperant homines temulenti, qui se Laconas dicebant et magno rumore magnoque molimine, fortasse post longum certamen ludicrum (cogita de illa corbe carbonibus repleta in Acharnensibus) vini fregerant dolium. Nonne iocosa ista scena tam firmiter inhaerere spectantium menti debebat ut vel multis annis postea simulatque, quamvis leviter, ad eam alluderetur, statim eam agnoscerent? Et *Lacones* Platonis proximo anno actam coniecit Cobetus.

Verum ordine procedamus et ab initio rem consideremus! „Occidit Cratinus” Aristophanes dicit, ergo . . . *vivit* etiam Cratinus. Nam aut poeta hic iocatur aut est insulsissimus. Et mortuus si iam est Cratinus, nullus est ioco locus. Egregie hoc quoque perspexit Leeuwenius: „non dubito” ait „quin inter vivos etiam fuerit Cratinus quo tempore Pax est acta fabula”.

Omnino *κατθανοῦσι κερτομεῖν ἐπ' ἀνδράσι* scurrile est et inhumanum, praesertim vero de ipsa morte iocari hominis paulo ante mortui. Atque in comicorum iocis saepe, si quid non bene intelligimus, inde est proficiscendum ut sumamus id ipsum factum *non* esse quod disertis verbis factum esse dicatur. Sic non possumus non admirari hominem per plus decem annos (inde ab Acharnensibus usque ad Aves) surripiendis atque adeo vi armata deripiendis vestimentis quaestum fecisse, sed admirari et quod inveniri iam non queat quaerere desinemus, simulatque constabit nobis in neutra fabula verum aliquem *λωποδύτην* significari. Inde latus patebit coniecturis campus, quarum quaecunque comicum dicentem faciat aliquid quod risum non ineptum movere possit, haud mediocriter legentibus proderit. Fac cuidam iuveni lauto atque opulento, sed parum inter aequales dilecto, *semel* evenisse ut ex aliquo conventu multorum hominum abiens in vestibulo aedium alienam pro sua indueret paenulam eamque pulchram novamque pro detrita simplicique; quamvis casu illud acciderit, nonne statim aderunt qui consulto et fraudulenter factum illud clament ita ut furis atque latronis ei per totam vitam inhaereat nomen? Nonne de eo identidem ita loquentur homines noti atque ignoti ut loqui solemus de homine quamprimum ad columnam Maeniam trahendo? Athenis autem *λωποδύτης* insidiatur hominibus noctu in viam solitariam prodeuntibus, clava sua incautum ambulatorem percutit ut semimortuus procumbat vestimentaue eius cum auro argentoque quod secum fert parata sint praeda raptori. Recordamur illa in *Avidus* (496 sqq.):

*ἄρτι προκύπτω*

*ἔξω τείχους καὶ λωποδύτης παίει ῥοπάλω με τὸ νῶτον·*

*καὶ γὰρ πίπτω μέλλω τε βοᾶν, ὃ δ' ἀπέβλισε θοιμάτιόν μου.*

Ante aliquot annos vir quidam gravis in senatu nostro declaraverat operarium suo iure bina sibi quotidie postulare meri pocula. Ab eo inde tempore usque ad mortem semper ipse tamquam assiduus *ἀκρατοπότης* utraque manu meri poculum tenens depingebatur. Alius quidam non minus venerabilis serra aperiri ianuam iusserat in aedibus quibusdam publicis, iniuria quidem sed bona fide id sibi licere ratus. Eodem tempore Urbs nostra infestabatur maleficorum grege qui eodem modo sibi in-

troitum in aedes alienas parabant; quid mirum subito ab omnibus qui faceti videri volebant senatorem illum isti furum esse adnumeratum catervae et tam diu in actis diurnis „illustratis” (ut aiunt) depictum serram ὑπὸ μάλης ἔχοντα donec legentes iam ultra devorare istud taedium non possent? Fac praeterea iam antea adolescentulum nostrum propter nimiam iracundiam displiuisse commilitonibus. Quodnam aptius ei agnomen excogitare poterant quam Ὀρέστην vel Ὀρέστην μαινόμενον, nonne et apud nostrates „furiosus” ille „Rolandus” in proverbium abiit? Atque Orestes ille qui semper clavam habet paratam, quam imprudenter iocantis infligat capiti, et verus λωποδύτης coaluerunt in unum:

εἶτα δ' Ὀρέστη χλαῖναν ὑφαίνειν (nos suo tempore homines iubemus) ἵνα μὴ βιγῶν ἀποδύῃ (Av. 712)

et  
 εἰ γὰρ ἐντύχοι τις ἦρω  
 τῶν βροτῶν νύκτωρ Ὀρέστη  
 γυμνὸς ἦν πληγεὶς ὑπ' αὐτοῦ  
 πάντα τὰπιδέξια (ib. 1490 sqq.)

cf. Ach. 1166 sq.

εἶτα πατάξειέ τις αὐτοῦ μεθύων τὴν κεφαλὴν Ὀρέστης  
 μαινόμενος.

Coniectura ea est, sat scio, sed quae iocos Aristophanis de eo homine de eaque re admodum reddit festivos. Atque hoc in locis festivissimi poetae obscurioribus semper est agendum ut evadat aliquid salsi atque iocosi. Quod et hic et alibi saepe tum demum obtinemus si id ipsum quod factum esse dicitur eam ipsam ob causam nunquam factum esse sumimus. Non fuit λωποδύτης noster nam λωποδύτης fuisse insimulatur, neque verum ei nomen fuit Orestes, quoniam Orestes appellatur.

Esto: mortuus esse dicitur Cratinus ergo vivit etiam . . . . atque (nam hic quoque rem acu tetigisse Leeuwenius videtur) sedet inter spectatores. Opinor et placide eum risisse cum ab adversario se satis acerbo ioco peti audiret. Nam ioci subesse aliquid sub isto: „Cratinus tunc vel tunc mortuus est” res ipsa clamat. Et qui poterat non acerbe et mordaciter iocari poeta gloriae cupidissimus de eo a quo nuper victus e certamine discessisset? An iam concoxisse eum tam brevi spatio credamus illud *Nubium* suarum infortunium? Iam aequo id nunc ferre animo?

Immo vero, si non laedere, tamen pungere cupiebat Cratinum Aristophanes. Id autem quo modo poterat? Poteratne cum contemptu de eo tamquam de malo poeta loqui? Hoc si faceret, contemneretur, opinor, ab omnibus qui sedebant in cavea. Eorum enim nemo erat quin meminisset etiam splendidae victoriae, quam nuper ille sua Pytine reportaverat de eo ipso a quo tunc lacessebatur. Tam bene id meminerant omnes quam ipse Aristophanes.

Poterat eum senem decrepitem dicere qui *olim* floruisset inter avos proavosque? Conveniebatne ergo in Cratinum *πρὶν ποτ' ἦν, πρὶν ταῦτα* illud? Nam sic locum interpretatus est Bergkius et disertius etiam editor Francogallus suo „Cratinus? mais c'est un homme mort depuis dix ans". Atque hoc probare videtur Leeuwenius, aut parum eum intelligo. Cratinumne detrudi ad aetatem praeteritam! Ut omittam illud male sic significari (ut verbis utar docti illius Francogalli) „c'est un homme *mort depuis dix ans*", quasi vero decem anni saeculum sit, duo effluerant anni ex quo iidem illi spectatores τῆ Πυτινῆ plauserant. Aequone animo tulissent nunc eum dici non esse huius aetatis hominem, an ipsum qui illud diceret poetam cum sua fabula extrusissent foras?

Non, non poterat ullo modo *poetae* Cratini *famam* laedere Aristophanes. Sed laedere poterat . . . quid? quid restat? Vitam eius moresque. Atque uno nomine male audiebant Cratini mores . . . certe apud comicos. Nam fortasse semel in vita plus iusto indulserat vino Cratinus, fortasse etiam „laudibus vini vinosus arguebatur" ut Homerus apud Horatium; hoc solum constat non turpiter ebriosum fuisse, constat ex hoc ipso loco ubi tamquam plane Baccho addictus depingitur (itemque Eqq. 400). Certe hic tamquam nimius amator vini perstringitur, quo iure quave iniuria vel, ut quam accuratissime loquar, *quanta* iniuria nunc non disputo; hoc unum mihi scire sat est tamquam temulentum eum perstringi. An non est hominis vinosi mente animoque et toto corpore deficere cum e fracto dolio vinum effluere videat?

Esto: tamquam vinosum deridet Cratinum Aristophanes atque criminis huius argumento utitur **re quadam quae semel evenit**. Nam quo modo Bergkius eo adduci poturit ut verba ἀπέθανεν

ὄθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον sic interpretaretur: „iam decem anni sunt ex quo Cratinus *in sepulcro iacet*” et Francogallus editor „Cratinus? mais c'est un homme mort depuis dix ans”, denique quomodo ista probare Leeuwenius potuerit (si tamen probavit, nam, ut iam dicebam, tota eius annotatio quorsum redeat parum mihi est perspicuum) satis equidem mirari non possum. Quis enim aequalium intelligere potuisset Aristophanem, si hoc sibi voluisset? ἀπέθανεν ὄθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον, quis unquam sic est locutus ut significaret oblivione obrui debere hominem quendam, eumque quam maxime vivum atque inter ipsos sedentem spectatores?

Immo vero, saepe enim mihi idem dicendum est, toto illo ἀπέθανεν ὄθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον nihil prorsus aliud significari potest quam certa quaedam res quae certo tempore et paene dixerim uno temporis momento evenerit. Quenam ea esse potest? Num Spartanorum in Atticam incursio? Absit! Tantumne malum quod tot agricolas ad inopiam redegerit tam ludicrum in modum commemorari! Et quid tum Spartani fecerunt? Fregeruntne dolium vini? Immo τὰ δένδρα ἐξέκοψαν, ipsas vineas ceciderunt. Quodsi forte unus et alter vinitor, qui ipse in urbem confugerat, imprudenter aut unum aut plura vini dolia in villae suae reliquit cella, ea ad unum omnia hostes non, hercle, fregerunt, ita ut humi flueret vinum, sed strenue seduloque ad ipsam usque faecem ebiberunt. An hoc quoque aequi bonique consulamus si quis πίθον vertat *dolia*?

De re certa hic agitur et quae nuper, non ante decem annos, evenit. De re certa . . . neque minus nota, ita ut statim omnes vel ex uno verbo eam agnoscerent. Omnes *spectatores* aio, ergo *in scena* ea evenit. Quod et ipsa verba, quae nunc nos legimus, significant neque minus, ut opinor, ipse actoris vultus. Rogatus enim a Mercurio τί παθῶν (ἀπέθανε Κρατίνος), cum ficta gravitate respondet Trygaeus

ὄ τι;

ἄρακιάσας· οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο

ὄρων πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.

ὄ τι: „remne tam gravem notam non habes?” ait . . . et profert rem ludicram quam poeta dum scribebat subito est commentus. Nam fictum est quod dicit Cratinum tum corpore et animo



defecisse, nam fortasse „malis alienis” risit, sed risit tamen ut ceteri omnes. At quod dicit Lacedaemonios tum irruisse, id quidem verissimum est: irruerunt; sed in scenam scilicet et de certo quodam vini dolio excitarunt proelium. Nam si non diu, aliquantisper tamen de illo dolio pugnaverunt cum adversariis in scena. Audisne poetam dicentem *πίθον καταγνύμενον*, non *πίθον κατεζγότα* vel *καταγέντα*? Nam *tandem aliquando πίθος* ille *ἀμφήριστος*, ut fieri solet, decidit fractusque est.

Denique veritatem, ipsam veritatem perspexit Cobetus, nam invenit explicationem quae totum locum Aristophane dignum redderet. Platonis *Λάκωνας* significari mera est coniectura, nam proximo ante Pacem Aristophaneam anno eam fabulam actam esse minime constat. Sed id quid refert? Significatur loco Pacis nostro res quae in scena nuper acta est; hoc scire in praesentia certe sufficiat. Dummodo illa Bergkii, Mazoni, Blaydesii sententia, qua Aristophanes fingitur adversarium ad antiqua relegans tempora, eo abeat unde male pedem intulit.

Quid vero illud est quod nunc de Cobeti coniectura in alia omnia abierunt viri docti? An imposuit iis Dionysalexandri hypothesis nuper inventa? Haud raro eiusmodi aliquid evenit ut cum humo est eruta charta aliqua vetusta et detrita vel inventa aliqua inscriptio, subito se accingant philologi ut thesauro illo usi in lucem proferant inauditi inexpectatique aliquid et ipsi. Nam quid quaeso illa hypothesis nos docet? Nihil, nihil prorsus quod in rem praesentem faciat. Sed de Leeuwenio certe eiusmodi aliquid vel suspicari paene nefas videtur. Qui hic quoque insigne dedit acuminis documentum. Vidit enim in absurdo isto δι' ἐμφάσεως (verba haec sunt: in Dionysalexandro Cratini Pericles κωμωδεῖται μάλα πιθανῶς δι' ἐμφάσεως ὡς ἐπαγχοῶς τοῖς Ἀθηναίοις τὸν πόλεμον) latere Aspasiae nomen. Sed non pro δι' ἐμφάσεως eo loco ubi nunc id legitur legendum est δι' Ἀσπασίας, sed totus locus sic refingendus: κωμωδεῖται δ' ἐν τῷ δράματι Περικλῆς μάλα πιθανῶς ὡς δι' Ἀσπασίαν ἐπαγχοῶς τοῖς Ἀθηναίοις τὸν πόλεμον. „Propter *Aspasiam* Pericles Spartanis bellum indixit” clamavit Cratinus, item ut Aristophanes (Ach. 524—534).

# DE FORMULA QUADAM ELEUSINIA.

SCRIPSIT

A. RUTGERS VAN DER LOEFF.



Epiphanius, Constantiae episcopus, in fidei Catholicae expositione <sup>1)</sup>, qua saeculo quarto exeunte Panario suo contra octoginta haereses fecit finem, de mysteriis Graecis eadem fere tradit, quae fusius in Clementis Alexandrini Protreptico leguntur. Nonnullae tamen inveniuntur discrepantiae, quae Epiphanium vel Epiphanii auctorem aut non e Clementis opere sed e Clementis fonte hausisse, aut praeter Clementis opus alio quoque fonte usum esse testantur. In quibus gravissimum est, quod *κρεανομία* Bacchica a Clemente <sup>2)</sup> quidem *ὠμοφαγία* nuncupatur, sed a solo Epiphanio Curetibus sacra dicitur. Curetes enim cum omophagia Bacchica coniunguntur in cantico illo, quod e Sophoclis Cretensibus Porphyrius <sup>3)</sup> nobis servavit:

τάς τ' ὠμοφάγους δαΐτας τελέσας  
Μητρί τ' ὀρείῳ δᾶδας ἀνασχῶν  
καὶ Κουρήτων  
βᾶκχος ἐκλήθην ὀσιωθείς.

Epiphanium igitur fonte usum esse constat optimo atque nobis ignoto. Quam ob rem testimonium eius magni aestimandum est, etiamsi nullo alio testimonio corroboretur, ut inter mysteriorum Eleusiniarum memorabilia *ἑρέα ἐξεργασμένη* ab eo commemoratur.

1) Capite decimo; in editionis Oehlerianae tomi posterioris parte priore, quae Corporis Haeresaeologici tomi secundi pars tertia est, p. 506.

2) Protr. II 12, 2.

3) De abstinencia IV 19, in Sophoclis fragmentis 475.

Lanae vis magica et religiosa notissima est, praesertim non factae <sup>1)</sup>. Lanae et frumenti usus vitam vere humanam efficit, cuius Demeter Eleusinia patrona est <sup>2)</sup>. Lana succida, hominis labore intacta, vitae animalis ipsiusque naturae vim puram retinere et transfundere videtur <sup>3)</sup>. Neque desunt testimonia lanam succidam in mysteriis adhibitam esse. A Clemente enim ad mysteria Orphica inter alia *πόκος* refertur <sup>4)</sup>; *κέρ(χ)νος*, vas multiplex et Eleusine <sup>5)</sup> et in aliis mysteriis <sup>6)</sup> usurpatum, cum cibo vario *διον ξριον ἄπλυτον* continebat <sup>7)</sup>; neque hoc loco *τὸ διον κώδιον* omittendum est, quo mysteriorum Eleusiniarum ministri ad lustrationes utebantur <sup>8)</sup>.

Sed Epiphanius solus testis est lanam in mysteriis Eleusiniis actione quadam affectam esse, unde dici posset „elaborata”.

In qua re si auctori nostro iustam fidem habebimus, eandem actionem libenter agnoscemus in formula illa Eleusinia, ubi verbum *ἐργάζεσθαι* temere mutari aut mirifice explicari solet. Apud Clementem <sup>9)</sup> sic legitur: *ἐνήστευσα, ἔπιον τὸν κυκεῶνα,*

1) J. Pley, qui anno 1911 spissum volumen „de lanae in antiquorum ritibus usu” conscripsit (Religionsgeschichtliche Versuche und Vorarbeiten XI 2), lanam intactam non satis distinxit a rebus e lana factis.

2) Iustinus (II 61) de Atheniensibus haec habet: Primi lanificii et olei et vini usum docuere. Arare quoque et serere frumenta glande vescentibus monstrant. Pausanias (I 44, 3) *τοὺς πρῶτους πρόβατα θρέψαντας Δήμητρα ὀνομάσαι Μαλοφόρον* perhibet. Sed cognomen illud Megarense (et Selinuntium) potius fortasse ad poma quam ad oves referendum est. Phigalienses *Δήμητρι Μελαίνῃ* et poma et lanam succidam sacrificasse Pausanias (VIII 11) testis est.

3) Etiam crinium usus conferendus est, de quo videatur L. Sommer, *Das Haar in Religion und Aberglauben der Griechen*, dissert. Münster 1912. Sed in eo libello de lana nihil invenies.

4) Protr. III 18, 1; ubi inter symbola Orphica etiam *ρόμβος* numeratur, quem Epiphanius l.l. ad religionem Eleusiniam refert.

5) Rubensohn, *Ath. Mitt.* 1898 p. 271.

6) Clemens, Protr. II 15, 3: *ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερναφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυν*. Quae in scholiis ad Platonis Gorgiam (497) ad Eleusinem referuntur sed ad Magnae Matris mysteria potius pertinent (cf. Dieterich, *Mithrasliturgie*, p. 216). Ab Epiphanio l.l. *κύμβαλον* et *τύμπανα*, ut *ρόμβος* (vide supra), *ἐρέα ἐξειργασμένη, πόπανα* (quae in cistis mysticis Dionysi Bassari fuisse Clemens dicit Protr. II 22, 4), ad mysteria Eleusinia referuntur.

7) Athenaeus XI c. 56 p. 478 d e Polemonis libro *περὶ τοῦ δίου κωδίου*, quem librum etiam Hesychius citavit. Conferatur Athenaei locus quem p. 363 citabo.

8) Suidas, cf. Eustath. ad *χ* 481 et Bekkeri anecd. p. 242.

9) Protr. II 21, 2 = Euseb., Praep. evang. II 3.

ἔλαβον ἐκ κίστης, ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον καὶ ἐκ κάλαθου εἰς κίστην. Sed Lobeck omnibus fere <sup>1)</sup> persuasit „ἐργευσάμενος” legendum esse, quod in Aglaophamo p. 25 proposuit.

Coniectura satis speciosa est; sed post cyceonem multo minus quam post vinum eucharisticum cibo opus est, farina enim cyceonis magna pars est; cibum autem degustatum in cista reponere, hoc vere mirificum mihi videretur, si traditum esset; neque huc facit, quod ὁ τὸν κέρνον βαστάσας varium cibum ex eo gustabat <sup>2)</sup>, unde Lobeck p. 27 coniecturam suam sumptam esse affirmat. Minorem profecto difficultatem moveret multoque melius defendi posset „θεασάμενος”, quam Reinesii coniecturam a Lobeckio l.l. spretam O. Stählin, Clementis editor recentissimus atque prudentissimus, oblivioni eripuit. Quod tamen si Clemens scripsisset, textus corruptela nullo modo posset intellegi. Mera denique petulantia est participium lacessere, quod inde ab antiquissimis temporibus in codicibus legebatur <sup>3)</sup>, cum praesertim lectio tradita minime absurda sit neque ullo modo obscurior quam pro mysteriis.

Optime igitur A. Dieterich <sup>4)</sup> textum explicandum potius putabat quam emendandum. Sed multa me dehortantur, ne viro pia memoriae credam phalli imaginem e cista sumptam et e calatho in cista reponendam per mystae sinum tractam esse, ut unio mystica animae humanae et numinis divini significaretur: primum verbi ἐργάζεσθαι sensus parum probabilis, ad quod potius obiectum idem mente supplendum est atque ad verba ἔλαβον et ἀπεθέμην <sup>5)</sup>; deinde calathi usus vix intellegendus;

1) Klotz coniecturam Lobeckianam in textum recepit. P. Foucart anno 1914 in libro de mysteriis Eleusiniis p. 379 neminem praeter Lenormantium Lobeckio restitisse perhibet. Ignorabat igitur vir doctus Mithrae liturgiam anno 1903 a Dieterichio editam, Clementis editionem, quam inde ab anno 1905 O. Stählin curavit, alios libros, quos p. 365 citabo.

2) Ammonius apud Athenaeum XI c. 52 p. 476 f, unde idem irrepisse puto post Polemonis fragmentum, quod Athanaeus XI c. 56 p. 478 citavit.

3) Arnobius (Adversus nationes V 26) participium omisit, Eusebius (Praeparatio evangelica II 3) idem habet quod Clementis codices.

4) Eine Mithrasliturgie, zweite Auflage, p. 125.

5) In Dieterichii explicatione verborum eorum obiectum τοῦ ἐργάζεσθαι instrumentum est. Verbum ἐργάζεσθαι sensu obsceno adhiberi potuisse non nego, quamquam exempla mihi non nota sunt, in formula mystica sensu Dieterichiano adhibitum esse nego, dum non demonstratum est.

tum deae Eleusinae munere virili fungentes<sup>1)</sup>; hoc denique gravissimum obsceni aliquid hic insinuaturn esse sine ulla causa idonea.

Quid enim? Apud Clementem post alia aliorum mysteriorum opprobria et ea quae Baubo fecisse dicitur, formula Eleusinia hisce verbis praeceditur: *κᾶστι τὸ σύνθημα Ἐλευσινίαν μυστηρίων*. Quae facile quidem novi cuiusdam obsceni exspectationem movere possunt; sed formula cum narratione praecedenti artius coniungitur hisce verbis, quae proxima eam sequuntur: *καλὰ γε τὰ θεάματα καὶ θεᾶ πρέποντα*. Spectaculum enim illud dea indignum nihil aliud esse potest, quam quod Baubo in hymno Orphico modo citato Cereri praebuisse dicitur, ut ieiunio soluto cyceonem acciperet. Formulam igitur de cyceone post ieiunium Eleusine potato Clemens ideo citavisse videtur, ut narrationis obscenae fidem augetet atque Baubo Orphicam religioni Eleusinae obtruderet. Quo facto acerbissime invehit in „Erechtheidas” ceterosque Graecos, qui e mysteriis, Eleusiniis praesertim, sperent salutem. Neque Arnobius<sup>2)</sup> Clementis contextum aliter intellexit, qui statim post Baubus fabulam „Erechtheidas” increpat, deinde sic pergit: „Non est ista falsa subscriptio nec delatione adpetimini calumniosa. Eleusiniorum vestrorum notae sunt origines turpes: produnt et antiquarum elogia litterarum (sc. hymnus Orphicus modo citatus!), ipsa denique symbola quae rogati sacrorum in acceptationibus respondetis: „ieiunavi atque ebibi cyceonem, ex cista sumpsi et in calathum misi, accepi rursus, in cistulam transtuli”.

Immo participium, quod est *ἐργασάμενος*, neque Clemens ex-

1) H. G. Pringsheim (Archäologische Beiträge zur Geschichte des eleusinischen Kults, Dissert. Bonn 1905, p. 49 et 59), qui hanc difficultatem optime sensit, formulam nostram a Clemente falso ad Eleusinem relatum esse putavit. Ad eandem opinionem Lobeck (Aglaphamus p. 26) vergebat. At Clemens in urbe mystarum Eleusiniarum plena formulam Eleusiniam tam graviter non citaret, nisi sciret veram esse. Neque cum Pringsheimio suspicari licet religionem Eleusiniam Alexandriae adeo corruptam esse, ut formulae alienae irrepissent. A. Körte (Archiv für Religionswissenschaft 1915, XVIII p. 116) aliam viam ingressus est, qui vulvam pro phallo et partus simulacrum pro coitus simulacro haud inepte substituit, ut Dieterichii sententiam emendaret. Quo facto tamen cetera argumenta, quibus contra Dieterichium usus sum, aut eandem vim retinent aut maiorem etiam nanciscuntur.

2) Adversus nationes V 26.

plicare neque Arnobius vertere neglexisset, si obsceni quicquam in eo odorati essent. Non magis obscenum igitur quam vitiosum habendum est, sed ad obiectum referendum, quod etiam ad verba *ἔλαβον* et *ἀπεθέμην* mente suppleatur. Quod obiectum Epiphaniae memores lanam intactam fuisse putemus, quae *ἐξειργασμένη* recte dici potuit postquam mystae eam e cista sumptam *εἰργάσαντο*.

Quae cum ita sint, lana mystice facta aptissime in calathum deicitur, quippe qui labori muliebri inservire soleat. Neque mero casu Epiphaniae loco, qui a Baubus obscenitate incipit et cyceone clauditur, inter symbola Eleusinia ante lanam factam calathus numeratur <sup>1)</sup>. E calatho autem non probabile est lanam illam in eadem cista repositam esse, unde lana nondum facta sumpta erat; neque quicquam obstare videtur, quominus formulam nostram de binis cistis agere credamus <sup>2)</sup>. Lana sacra denique ab omnibus mystis tacta (nam nihil amplius eos fecisse persuasum habeo) non minus quam farina in cyceone hausta eos inter se et cum dea patrona coniungere videbatur.

Haec cum in societate philologica Lugduno-Traiectina tamquam nova proponerem, K. H. E. de Jong noster idem fere ab alio brevius iam dictum esse monuit. Primo gaudebam, sed pudor suffudit, cum virum egregium auctorem illum iam indicavisse viderem in libro suo de mysteriis antiquis <sup>3)</sup>, quem attente olim perlectum libenter adhibere soleo, sed nunc inspicere neglexeram. I. Döllinger est. Qui quamquam in libro anno 1857 edito, cui titulus „Heidenthum und Judenthum”, p. 168 eodem

5) τὰ τε ἐν Ἐλευσίνι μυστήρια Διούς καὶ Φερεφάττης καὶ τῶν ἐκείσε (= ἐκεῖ, ut saepissime) ἀδύτων τὰ αἰσχροῦργήματα, γυναικῶν ἀπογυμνώσεις, ἵνα σεμνότερον εἶπω, τύμπανά τε καὶ πόπανα, βόμβος τε καὶ κάλαθος, ἐρέα ἐξειργασμένη καὶ κύμβαλον καὶ κυκεὼν ἐν (supplevit Jahn) ἐκπῶματι κατεσκευασμένος. Quae sane non omnia ad mysteria Eleusinia referenda sunt. Cf. p. 362 n. 4 et 6.

2) Arnobius fortasse eandem opinionem habebat, quippe qui priore loco „ex cista”, posteriore „in cistulam” verteret. Andaniae certe non una tantum cista mystica erat sed *κίσται ἔχουσαι ἱερὰ μυστικά* (in Sylloges Dittenbergerianae editione secunda n. 658 v. 30). Minime autem dicere volo *ἱερὰ μυστικά* idem esse atque lanam et probe scio cistas mysticas longe alias res continere solitas esse; sed hoc demonstrasse mihi videor: in mysteriis Eleusiniis duas certe interfuisse cistas, alteram lanae intactae plenam, alteram lana mystice facta implendam.

3) Dr. K. H. E. de Jong, Das antike Mysterienwesen. Leiden 1909, p. 20.

Epiphanii loco fretus obiectum omissum in mysteriorum Eleusini-  
 orum formula lanam fuisse iamdudum dixit, neque tamen  
 argumenta eius meis tam similia sunt neque viris doctis tam  
 nota, ut operam perdidisse mihi videar.

Contingat ergo mihi, quod tanto viro non contigisse videtur,  
 ut multis persuadeam, unde non tantum mysteria Eleusinia  
 taetriſ erroribus, sed etiam viri doctissimi opera iniusta obli-  
 vione liberentur.

AD SENECAE NAT. QUÆST. I, 3, 2.

*Idem videbis accidere, si quando volueris observare fullonem: cum  
 os aqua implevit et vestimenta tendiculis diducta leviter aspergit,  
 apparet varios edi colores etc.*

Adnotat F. Muller huius vol. p. 321: „Quid sit (*cum*) os,  
 nusquam explicatur neque alibi invenitur”. Fallitur vir doctis-  
 simus, nam ex Plut. plac. philos. IV, 19, p. 902, c: τῶν ἐμ-  
 Φυσῶντων κναφίων τοῖς ἱματίοις <sup>1)</sup> efficitur fullones non instru-  
 mento aliquo, sed ore vestimenta aspergere solitos fuisse. Quae  
 ars, si ars haec vocanda est, etiam alibi artificibus non ignota  
 fuit <sup>2)</sup>. Quid quod popellus in Graecia hodie quoque aquam ore  
 sumit, qua vestes lavatas, priusquam placentur, leviter aspergat?  
 Ipse quoque me puerum ludi causa in sole aquae guttulas ore  
 dispergere probe meminisse et nunc meos idem facere video. Qua-  
 propter Senecae verba coniectura non esse tentanda persuasum  
 habeo.

G. V.

1) Cf. Geopon. XV, 6, 1: ῥοφήσας ἐμφύσησον εἰς τὴν μελισσίαν τρίς ἢ τετράκις.

2) Cf. Blümner, Technol. und Terminol. der Gewerbe und Künste<sup>2</sup>, p. 182: „... wie  
 es früher zuweilen die Tapezierer taten ...”.

# AD S. AURELIUM VICTOREM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



S. Aurelii Victoris Liber de Caesaribus  
cet. rec. Fr. Pichlmayr. Lipsiae 1911.

## AD INCERTI AUCTORIS LIBRUM DE ORIGINE GENTIS ROMANAE.

III. 5: „Unde hodieque aleatores posito nummo opertoque optionem collusoribus ponunt enuntiandi, quid putent subesse, caput aut navem.”

Credo emendandum esse: proponunt, idem igitur hoc loco factum esse quod in Libro de Viris Illustribus 75. 10: „proscriptionis tabulas primus proposuit”, ubi in codd. vett. scriptum est: posuit.

ibid. 7: „Ac subinde:

*Ianiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.”*

Haec verba Sepp ut glossema delenda censuit, at puto suum locum iis potius reddendum esse, qui est post verba quae in initio huius capituli leguntur: „ibique haud procul a Ianiculo arcem suo nomine Saturniam constituit.”

V. 3: „Primus itaque omnium Evander Italicos homines legere et scribere edocuit litteris, partim quas ipse antea didicerat.”

Collatis iis quae in § 2 huius capituli traduntur pro partim legere velim: a matre vel in patria.



VII. 3: „Cumque inde Hercules proficiscens reliquum armentum casu praeter eandem speluncam ageret, forte quadam inclusas boves transeuntibus admugisse atque ita furtum detectum.”

Nonne sana ratio requirit ut verba forte quadam inferius traiciantur post voc. ita?

IX. 3: „cui cum a rege Agamemnone permissum esset ire, quo vellet, et humeris suis, quod potissimum putaret, hoc ferret, nihil illum praeter deos penates . . . secum extulisse.

Pro: hoc ferret scriptum fuisse arbitror: ecf ferret.

X. 1 sq.: „Addunt praeterea quidam, Aeneam . . . vetitum, ne is cognatam in Italia sepeliret Prochytam, cognatione sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat. Et postquam ad classem rediit repperitque mortuam, in insula proxima sepelisse.”

Hunc locum, quem Smit et Baehrens verba *Prochytam* . . . *reliquerat* post mortuam transponendo — Sepp inducendo vocabula cogn. s. coniunctam sanare studuerunt, exigua mutatione restituere posse mihi videor, scilicet deleta particula et (post *reliquerat*) et virgula post *sepeliret* collocata:

„Aeneam . . . vetitum, ne is cognatam in Italia sepeliret, Prochytam, cognatione sibi coniunctam, quam incolumem reliquerat, [et] postquam ad classem rediit repperitque mortuam, in insula proxima sepelisse.”

ibid. 5: „consumptoque, quod fuerat cibi, crustam etiam de farreis mensis, quas sacratas secum habebat, comedisse.”

Ad hunc locum conferantur ea, quae „ad mensas paniceas” in *Mnemos.* Vol. XXXIX (a. 1911) p. 134 a me exposita sunt.

XII. 5: „At Cato in Origine generis Romani ita docet: Suem triginta porculos peperisse in eo loco, ubi nunc est Lavinium, cumque Aeneas ibi urbem condere constituisset propterque agri sterilitatem maereret, per quietem ei visa deorum penatum simulacra adhortantium, ut perseveraret in condenda urbe, quam coeperat.”

Pro *maereret*, quod editor cum Iordano posuit pro *codi-*

cum scriptura mereret, Schott coniecit: metueret, verum lectionem veram ac genuinam esse opinor: haereret. Cf. Cic. Phil. II 74: haerebat nebulo: quo se verteret non habebat, Ter. Eun. 977: perii, lingua haeret metu.

XIII. 6: „Nec tamen amisso socero Aeneas Rutulis obsistere desiit, namque et Turnum interemit. Hostibus fuis fugatisque victor Lavinium se cum suis recepit consensuque omnium Latinorum rex declaratus est.”

Emenda: „namque et Turnum interemit <et> hostibus” e. q. s.

XVII. 4: „At Ascanius postquam excessisset e vita, inter Iulum filium eius et Silvium Postumum, qui ex Lavinia genitus erat, de obtinendo imperio orta contentio est, cum dubitaretur, an Aeneae filius an nepos potior esset. Permissa disceptatione eius rei ab universis rex Silvius declaratus est.”

Mihi quidem sana ratio postulare videtur, ut vulgaris interpunctio ita mutetur ut post verba contentio est plene distinguatur, post potior esset ponatur virgula.

XVIII. 1: „(Tiberius Silvius) inter proeliantes depulsus in Albulam flumen deperit, mutandique nominis exstitit causa.”

Pro nominis corrigendum esse suspicor: nomen eius.

XIX. 4: „Tum etiam Rheam Silviam, eius sororem, sacerdotem Vestae fieri iussit simulato somnio, quo admonitus ab eadem dea esset, ut id fieret, cum re vera ita faciendum sibi existimaret, periculosum ducens, ne quis ex ea nasceretur, qui avitas persequeretur iniurias.”

Verba periculosum ducens, quae sane moleste abundant, nescio an insiticia sint.

XX. 3: „Faustulus speculatus exponentes, ut vidit relabente flumine alveum, in quo pueri erant, obhaesisse ad arborem fici puerorumque vagitu lupam excitam, quae repente exierat, primo lambitu eos deterisisse, dein levandorum uberum gratia mammas praebuisse, descendit.”

Verba quae repente exierat alii aliter sollicitarunt,

Baehrens repente enixa erat, Smit recens enixa erat, Arntzenius raptum exierat concientes. At verba optime se habent, sed de loco suo demigrarunt, qui est in versu superiore post fici, nempe miraculum ad arborem fici pertinet.

XXIII. 1: „Cum igitur inter se Romulus et Remus de condenda urbe tractarent, in qua ipsi pariter regnarent, Romulusque locum, qui sibi idoneus videretur, in monte Palatino designaret Romamque appellari vellet” cet.

Librorum mss. lectio est appellari, Schotto autem ea debetur quam editor noster recepit: appellari vellet. Vehementer miror, non pridem correctum esse: appellaret. Quod deinde de Remo scriptum est: „contraque item Remus in alio colle, qui aberat a Palatio milibus quinque, eundemque locum ex suo nomine Remuriam appellaret” e. q. s. apud auctorem nostrum lectionem potius commendat quam dissuadet.

---

AD INCERTI AUCTORIS LIBRUM DE VIRIS ILLUSTRIBUS URBIS ROMAE.

In verbis, quibus Origo cum fine capitis primi libri de Viris Illustribus in codd. coniungitur, et alia leguntur et haec:

„quae testatur, quod auspicato Romulus ex suo nomine Romam vocavit muniretque moenibus edixit, ne quis vallum transsiliret” cet.

Pro muniretque scribendum puto: muniensque.

IV. 4: „Montem Coelium urbi addidit. Et dum Numam Pompilium sacrificiis imitatur, Iovi Elicio litare non potuit, fulmine ictus cum regia conflagravit.”

Particula et traicienda est in versum inferiorem post potuit, quo facto non opus iam erit coniecturis Gruneri imitatus neque Wygae potuit <ita> f. i.

VII. 2: „Hoc visu Tanaquil summam dignitatem portendi intellexit. Coniugi suasit, ut eum ita ut liberos suos educaret.”

Legendum est: intellexit <et> coniugi s.

ibid. 7: „Populum in quattuor tribus distribuit ac post plebi distribuit annonam.”

Lectionem ac primus, quae mihi in mentem venerat, in Arntzenii editione iam commemoratam vidi atque sane quasi ultro se offert pro insulsa illa tradita scriptura.

ibid. 10: „Quo facto bos cuidam Latino mirae magnitudinis nata, et responsum somnio datum eum populum summam imperii habiturum, cuius civis bovem illam Dianae immolasset.”

Corrigendum: nata <est> et, idemque mendum tollendum est C. X. 1, ubi pro unde Brutus dictus codicum optimorum consensus dat u. B. dictus est.

XVI. 2: „Ubi cum victoria nutaret, magister equitum equis frenos detrahi iussit, ut irrevocabili impetu ferrentur; ubi et aciem Latinorum fuderunt et castra ceperunt.”

Immo: „ibi et aciem”. ‘Ibi’ adv. temporis est ut XXVII. 3: „Quarto consulatu cum Fabio Maximo, cum Galli, Samnites, Umbri, Tusci contra Romanos conspirassent, ibi . . . se et hostes diis manibus devovit.”

ibid. 3: „Castorem et Pollucem ratus communi titulo dedicavit.”

Supplent Machaneus „<aedem> dedicavit”, Schottius <aedem> c. t. d. Maluerim: „ratus <aedem iis> c. t. d.

XVII. 1: „bellum adversus Romanos gerebant et Q. Minucium consulem in Algido monte cum exercitu obsidebant.”

Verba cum exercitu, quae codices multi omiserunt, loco suo hic non leguntur; nimirum ante verba in Alg. monte transponenda sunt.

XX. 2: „legem tulit, ut alter consul ex plebe crearetur. Lex resistente Appio Claudio tamen lata; et primus Licinius Stolo consul factus.”

Proposuit Wyga „consul <plebeius> f.” Equidem praetulerim: „et <ex plebe> primus” e. q. s.

XXIII. 3: „Veios hieme obsidio domuit deque his triumphavit” (Furius Camillus sc.).

E multis coniecturis, quas ad hunc locum viri docti protulerunt, nulla editori placuit neque mihi placet. Credo tamen, vestigium verae lectionis servatum esse in libris mss., qui inter vocabula hieme et obsidio exhibent: et, nam persuasum habeo, id ortum esse e prava interpretatione signi quod est X, et emendo: „Veios hieme <decima> obsidio domuit” e. q. s.

XXIV. 7: „Gentilitas eius Manlii cognomen eiuravit.”

Præbent codices ad unum omnes: „G. e. M. cognomine iuravit ne quis postea C. vocaretur”, in quibus M. cognomine glossam esse existimo, nomini C. a nescio quo ascriptam et loco alieno in textum receptam; legendum igitur: „Gentilitas eius iuravit ne quis postea C. vocaretur.”

XXVI. 1 sq.: „Publius Decius Mus bello Samnitico sub Valerio Maximo et Cornelio Cosso consulibus tribunus militum exercitu in angustiis Gauri montis insidiis hostium clauso, accepto quod postulaverat praesidio in superiorem locum evasit, hostes terruit. Ipse intempesta nocte per medias custodias somno oppressas incolumis evasit.”

Pro pleno viri nomine P. D. Mus libri mss. tantummodo hic habent, sub quibus litteris unum gentilicium Decius (Dec;) latere puto cl. XXVII. 1: „Publius Decius Decii filius” et XXVIII. 4: „Latinos apud Vesperim fluvium Decii collegae devotione superavit.”

Ceterum rerum concinnitatem in hac narratione ita restituo: „accepto quod postulaverat praesidio in superiorem locum <cum> [evasit, hostes terruit] ipse intempesta nocte per medias custodias somno oppressas incolumis evasit, <hostes terruit>”.

XXVIII. 2: „Secretum colloquium a tribuno impetravit et gladio stricto omittere eum accusationem terrore multo compulit.”

Conicio: terrore inlato c. Cf. Cic. Mil. 71: satis declarat se non terrorem inferre vobis, Caes. B. G. VII. 8: ut quam latissime possint vagentur et quam maximum hostibus terrorem inferant.

XXXIX. 4: „ipse cum trecentis pugnans cecidit. Postea ab Atilio semianimis inventus et sanatus magno postea terrori hostibus fuit.”

Quia in codd. plerisque exaratum est et postea, deinde idem vocabulum in versu proximo repetitur, denique temporis significatio tam indefinita in semianimi tribuno invento satis mira videtur, veram lectionem esse credo: „cecidit. <die> postero ab A.” e. q. s.

XLVII. 4: „Censor L. Flaminium consularem senatu movit, quod ille in Gallia ad cuiusdam scorti spectaculum eiectum quendam e carcere in convivio iugulari iussisset.”

Quibus de causis Klotz verba in convivio delenda censuerit non intellego, quandoquidem ea genuina esse Liv. XXXIX C. 42 et 43 satis superque comprobant.

L. 3: „Censor cum eodem collega omnes tribus excepta Metia aerarias fecit, stipendio privavit eo crimine, quod aut prius se iniuste condemnassent aut postea tantos honores non recte tribuissent.”

Verba stipendio (alt. lect. stipendiorum) privavit in marginem releganda sunt, unde male in contextam orationem irrepserunt. Cf. Liv. XXIX. 37. 13: praeter Maeciam tribum ... quattuor et XXX tribus aerarios reliquit, quod et innocentem se condemnassent et condemnatum consulem et censorem fecissent.”

LI. 2: „Quintus Flaminius ... filium eius Demetrium obsidem accepit, quem pecunia mulctatum in regnum restituit.”

Pronomen quem ad eius (h. e. Philippi) nimirum referendum est, quod cum ita sit, nonne pro quem potius: regem scriptum fuisse verisimile est?

LII 2: „Consul Aetolos ... victos et in Ambraciam oppidum coactos in deditionem accepit, tamen signis tabulisque pictis spoliavit.”

An forte: „accepit, <id> tamen”. Cf. LX. 3: Mummius Corinthus signis tabulisque spoliavit.

LVI. 2: „Rerum gestarum ordinem in tabula pictum publice posuit.”

Schott pro verbo simplici maluit proposuit, equidem exposuit praetulerim.

LXVI. 10: „Nam plebs acceptis agris gaudebat, expulsi dolebant, equites in senatum lecti laetabantur, sed praeteriti querebantur.”

Pro expulsi reponendum est: sed pulsi.

ibid. 11: „Unde Livius anxius, ut Latinorum postulata differret, qui promissam civitatem flagitabant, repente in publico concidit sive morbo comitali seu hausto caprino sanguine, semianimis domum relatus.”

Emendandum videtur: „<cum> repente”. Eadem structura in huius capituli fine est: „unde in senatu accusatus, cum domum se reciperet, immisso inter turbam percussore corruit.”

LXVII. 2: „In proximum annum consul ultro factus Cimbros ... vicit.”

Pro ultro, quod hoc loco alienum puto, legendum suspicor: iterum.

LXXIII. 7: „Huic legi multi nobiles obrogantes, cum tonuisset, clamarunt: Iam, inquit, nisi quiescetis, grandinabit.”

Protasin sic repono: „Huic legi multi nobiles obrogantes cum tonuisse clamarent, Iam, inquit,” e. q. s.

Scriptura in libris mss. turbata est, qui et clamarent, acclamavit, clamavit varie exhibent.

LXXVI. 5: „Sylla cum proelio vicit, classem eius proditione Archelai interceptit, ipsum apud Dardanum oppidum fudit et oppressit.”

Quoniam res cum historia pugnat, Schottus pro verbis proditione Archelai scribere voluit: repugnante Archelao. Si vere corruptela latet neque e Liv. Ep. LXXXII: „Archelaeus cum classe regia Sullae se tradidit” auctor noster eum

proditorem fuisse elicit, pro proditione potius praeferam: deditioe, nunc vero dubito.

ibid. 8: „Quod cum tardius combiberet, quia adversum venena multis antea medicaminibus corpus firmarat,” e. q. s.

Iure editor lectionem cod. Oxon. combiberet retinuit, quae ceterorum codicum lectionibus haud multum discrepantibus ebiberet vel biberet etiam commendatur. Attamen critici coniecturis subiret et Q. c. in se tardius esse videret locum sollicitarunt, immerito ut comprobant Hor. C. I. 37. 28: ut atrum corpore combiberet venenum, Ov. Met. XV. 275: sic modo combibitur, tecto modo gurgite lapsus | redditur Argolicis ingens Erasinus in arvis, Colum. XII. 50: testa oleum combibit, Ov. Her. 11. 54: et cogor lacrimas combibere ipse meas, e. a.

LXXVIII. 3: „Dum studiorum causa Rhodum petit, a piratis captus et redemptus, eosdem et postea captos punivit.”

Keil corrigere voluit: captus est. Redemptus eosdem postea, at est e nostri consuetudine omissum est atque ita fortasse locus restituendus trajecto vocabulo eosdem: „a piratis captus et redemptus et postea eosdem captos <capite> punivit” cl. LXXXI. 4: „consul coniuratos capite punivit.” Deinde haec sequuntur:

„Praetor Lusitaniam et post Galliam ab Alpibus usque et Oceanum bis classe transgressus Britanniam subegit.”

Schroeter recte intellexit et post Lusitaniam male insertum esse, cum coniecerit: Lusitaniam, post Galliam, verum tamen non deleri, sed suo reddi loco oportebat; retenta enim lectione cod. Oxon. usque ad O. (cod. Brux. usque O. praebet et editoris lectio Schotto debetur) scribendum esse censeo:

„Praetor Lusitaniam, [et] post Galliam ab Alpibus usque ad Oceanum <et>, bis classe transgressus, Britanniam subegit.”



## AD S. AURELII VICTORIS LIBRUM DE CAESARIBUS.

III. 1: „Igitur Claudio feбри an insidiis oppresso ... Gaius Caesar cognomento Caligula aventibus cunctis deligitur.”

Post innumeras fere coniecturas, quibus viri docti codicum lectionem aperte corruptam restituere conati sunt (est autem Claudio Ferian), editor de suo Cl. feбри an protulit.

Legendum credo: „Claudio Seiani insidiis oppresso.”

ibid. 10: „Quin etiam sororum stupro ac matrimoniis illudens nobilibus deorum habitu incedebat.”

Post stupro excidisse credo: turpis. In Epitome de Caes. haud multum est subsidii, quoniam C. 3. 4 legitur: „Denique tres sorores suas stupro maculavit. Incedebat habitu deorum suorum”, sed C. 7. 1 Otho dicitur „vita omni turpis.”

IV. 6: „Namque uxor primo passim quasi iure adulteris utebatur; eoque extincti cum suis plerique ingenio seu metu abstinentes, dum pervagatis mulierum artibus peti a se petitos criminatur.”

Repone: „petisse petitos criminatur”.

VII. 2: „Qua dies fere quinque et octoginta praecognitis moribus potitus, postquam a Vitellio ... Veronensi proelio pulsus est, mortem sibimet conscivit.”

Verba praecognitis moribus, quae nonnulli emendare voverunt, in marginem releganda sunt, ubi a nescio quo ascripta esse videntur ad verba praecedentia Neroni quondam criminose familiaris illustranda.

VIII. 3: „Namque milites praedicti, postquam Othonem praetorii, Vitellium Germanicianis legionibus factum comperere, aemuli ... Vespasianum perpulere.”

Editor Schotto obsecutus huic loco bene consuluit ratione non habita litterarum quae in altero codice post voc. Othonem pictae sunt, sc.  $\overline{\text{pr}\ddot{\text{e}}\text{d}\text{c}\text{m}}$  (h. e. praedictum), atque importune alii pro eo praedem, principem, imperatorem, prae-

sidem vel praefectum substituere studuerunt, rati nimirum verbum factum ita nude positum non recte legi. At conferant XXXVII. 1: „Qui uno mense aut altero vix retentata dominatione apud Tarsum ab suis interficitur, postquam Probum in Illyrico factum acceperet.” Iam Cicero verbum praedicato non adiecto posuit, pro Mur. 50: „Quibus rebus qui timor bonis omnibus iniectus sit quantaque desperatio rei publicae, si ille factus esset, nolite a me commoneri velle.”

X. 2: „Denique cum concessa per priores principes firmari ab insequentibus mos esset, simul imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte caviti prospexitque.”

Pro denique corrigendum esse dehinc locus in Epitome ad verbum fere repetitus demonstrat: „Dehinc cum donata concessave a prioribus principibus firmare insequentes solerent, simul imperium cepit, talia possidentibus edicto sponte caviti.”

XIII. 12 sq. Traianus „morbo periit grandaeva aetate ascito prius ad imperium Hadriano civi proprinquoque.” Deinde haec continuo sequuntur:

„Abhinc divisa nomina Caesarum atque Augusti inductumque in rempublicam, uti duo seu plures summae potentiae dissimiles cognomento ac potestate dispari sint. Quamquam alii Plotinae, Traiani coniugis, favore imperium assecutum putent, quae viri testamento heredem regni institutum simulaverat.”

Quis semel monitus non videt, verba abhinc ... dispari sint, quae rerum narratarum cursum nunc interrumpunt, collocanda esse post voc. simulaverat?

XVI. 2 de M. Aurelii Antonini coniuge sermo est „quae in tantum petulantiae proruperat, ut in Campania sedens amoena litorum obsideret ad legendos ex nauticis, quia plerumque nudi agunt, flagitiis aptiores.”

Ita cum Schotto editor recensuit pro tradita scriptura uti Campania sedens. Emenda: uti Campaniam foedans. Cf. III. 9: cum senatus atque optimi cuiusque multiplici clade terrarum orbis foedaretur, IV. 12: stupris exilio caede pro-

scriptionibus omnia foedabant, XLI. 7: defectu solis foedato iisdem mensibus die.

XX. 12: „Quo dicto factoque durius nihil bonis: cum sanctique huiusmodi dissensiones ... fortunae increpent.”

Conieceram nihil: boni cum sanctique, cum Casaubonum iam nihil: cum boni sanctique proposuisse vidi. At opus non esse puto ut vocabulorum ordo mutetur. Fieri tamen potest ut scriptum fuerit nihil bonis: cum <boni> sanctique.

ibid. 23: „Huic tanto domi forisque uxoris probra summam gloriae dempsere, quam adeo famose complexus est, ut cognita libidine ac ream coniurationis retentaverit.”

Corrige quaeso: „quam adeo famoso <amore> complexus est,” vel potius amplexus est, ut in codice altero est. Adiectivum legitur XIV. 7: flagravisse famoso ministerio, XLII. 17: captis famosis regibus, IV. 2: Dryadarum famosae superstitiones — adverbium numquam.

XXIV. 4: „Nam cum tantae severitatis vim milites inhorrescunt ..., agentem casu cum paucis vico Britanniae, cui vocabulum Sicilia, trucidavere.”

Pro cum haud dubie restituendum est: dum, quod in Arntzenii editione legi etiam video.

XXVIII. 6: „Quod frustratum iri aestimans imperator Philippus ... usum virilis scorti removendum honestissime consultavit. Verum tamen manet: quippe” e. q. s.

Immo potius destinans. Nempe responso haruspicum cognito Philippus solutionem posterorum, quam praedixerant, frustrari decrevit et tamquam primam medicinam vetuit usum virilis scorti. Pro „verum tamen manet” autem forsitan scriptum fuerit „vitium tamen manet.”

XXIX. 4: „Decii barbaros trans Danubium persectantes Bruti fraude cecidere exacto regni biennio. Sed Deciorum mortem plerique illustrem ferunt.”

Nonne Deciorum ex eorum, quod nemo non hoc loco expectet, per dittographiam ortum videtur?

XXXIII. 3: „adeo uti . . . Francorum gentes direpta Gallia Hispaniam possiderent vastato ac paene direpto Tarraconensium oppido, nactisque in tempore navigiis pars in usque Africam permearet.”

Sub lectione in tempore, quae hoc loco importuna est, nomen oppidi Hispaniae Tarraconensis sc. Emporiis latere suspicor.

ibid. 31: „At senatus comperto tali exitio satellites propinquosque per scalas Gemonias praeceps agendos decrevit, patronoque fisci in curiam + per duci effossos oculos pependisse satis constat.”

Fortasse ita locus sanari potest: „patronoque fisci in curiam perducto <duces> effossos oculos pependisse satis constat”, h. e. duces et principes senatus patronum fisci in curiam perduxerunt eique pro nummis effossos oculos satellitum propinquorumque Gallieni pependerunt, quos ex senatusconsulto per scalas Gemonias praecipitaverant.

XXXV. 1: „Ceterum Aurelianus successu tanto vehementior confestim, quasi belli reliquiae superessent, in Persas progressus est.”

Si haec lectio retinetur, scilicet cogitatione supplendum est: „quasi belli (non nisi) reliquiae (nullius momenti) superessent,” quod num scriptor voluerit vehementer dubito. Potius crediderim, pro quasi scriptum fuisse quamvis, h. e. quamquam bellum nondum confectum, ad finem perductum erat.

XXXIX. 11: „At Carinus ubi Moesiam contigit, illico Marcum iuxta Diocletiano congressus, dum victos avide premeret, suorum ictu interiit, quod libidine impatiens militarium multas affectabat, quarum infestiores viri iram tamen doloremque in eventum belli distulerant.”

Pro multas emenda: mulierculas. Cf. Cic.: suas secum mulierculas in castra ducere. Pro impatiens nescio an sit

reponendum impotens, cl. XII. 21: namque Herculius natura impotentior.

ibid. 21: „Quo bello Carausius, Menapiae civis, factis promptioribus enituit; eoque eum, simul quia gubernandi . . . gnarus habebatur, parandae classi ac propulsandis Germanis maria infestantibus praefecere. Hoc elatior, cum barbarum multos opprimeret neque praedae omnia in aerarium referret, Herculii metu . . . Britanniam hausto imperio capessivit.”

In codd. traditum est barum et Gruterus iam „quia barbarum parum multos” coniecerat, Schottus „non parum multos” vel „barbarorum multos”, Arntzenius vero probabiliter paronum. Ipse „cum <cum>barum multas” temptaveram.

ibid. 26: „His sane omnibus Illyricum patria fuit: qui, quamquam humanitatis parum, ruris tamen ac militiae miseris imbuti satis optimi reipublicae fuere.”

Pro miseris non ministeris cum Sylburgio neque infulis cum Grutero, sed mysteriis legendum esse arbitror. Cf. Cic. Tusc. IV. 55: mysteria rhetorum aperire, de Or. I. 206: illa dicendi mysteria enuntiare.

XL. 7: „Is circum muros cum ageret, desertus a suis . . . fugiens obsessusque Ravennae obiit.”

De hac obsidione quia alibi nusquam fit mentio atque hic quoque mira brevitate infertur, emendandum opinor: „fugiens oppressusque”, cl. XLI. 6: cum eum prorsus opprimere arduum videretur, ibid. 9: Ibi ad auxilium sui Martiniano in imperium cooptato una oppressus est.

ibid. 22: „Cumque specie officii dolis compositis Constantinum generum tentaret acerbe, iure tandem interierat.”

An tentaret acerbe? Neque magis placet Annae Fabri interpunctio: „tentaret, acerbe, tamen (cum Schotto) interierat.” In Epitome 40. 5 legitur: „poenas dedit mortis genere postremo fractis laqueo cervicibus”, unde sub scriptura acerbe iure aut acerbius latere credo, cl. XLI. 19: „Remotae olei fru-

mentique adventiciae praebitiones, quibus Tripolis ac Nicaea acerbius angebantur", aut servili more, cl. XLI. 5: „Licinio ne insontium quidem ac nobilium philosophorum servili more cruciatus adhibiti modum fecere", ibid. 12: „Quo excruciato, ut fas erat, servili aut latronum more."

ibid. 23: „Maxentius atrocior in dies tandem urbe in Saxa rubra milia ferme novem aegerrime progressus, cum caesa acie fugiens semet Romam reciperet, insidiis, quas hosti apud pontem Milvium locaverat, in transgressu Tiberis interceptus est."

Adverbio aegerrime locum suum reddendum esse puto, qui inter Romam et reciperet esse mihi videtur. Praeterea, si quid video, pro hosti scribendum est hostis.

XLI. 20: „Quorum superiores Severi imperio gratantes civi obtulerant, verteratque gratiam muneribus in perniciem posterorum dissimulatio."

H. e. Quorum Tripolitanorum maiores Severo, civi suo, illas frumenti et olei praebitiones gratulandi causa obtulerant et posterorum dissimulatio verterat gratiam in perniciem i. e. imperatores, qui Severum secuti sunt, dissimulantes hanc praebitiones a Tripolitanis gratuito Severo oblatam esse, quasi debitam postea exegerunt multumque etiam auxerunt. Quibus igitur posterorum dissimulatio gratiam in perniciem verterat? Nempe munerantibus.

XLII. 3: „Nam cum magna parte utrimque exercitus convenissent, habita ad speciem iudicii contione, quod fere vix aut multo sanguine obtinendum erat, eloquentia patravit."

An forte: quod ferro vix?

ibid. 18: „Quae quamquam vi eius, fortuna principis tamen et consilio accidere."

Auctore Freinshemio editor vi eius recepit pro tradita lectione in eius, aliis alia suadentibus: [in] eius fort. (Gruter, Maehly), eius f. principis, tamen et cons. acc. (Maehly), <auspicio> et consilio (Sylburg).

Legendum credo: „Quae quamquam in eius <sorte>, fortuna” cet. Cf. Cic. Planc. 27: numquam ex urbe afuit nisi sorte, Liv. XXXV. 6: comitia suae sortis esse, XLII. 28: ut uni (praetori) sors integra esset. Ita Liv. XLII. 31 Macedonia sors vocatur h. e. provincia sorte data.

## AD ARISTOPHANEM.

Av. 994 *τίς ἢ ἴπνιοι, τίς δὲ κόθορνος τῆς ὁδοῦ;*

Distinguendum est:

*τίς ἢ ἴπνιοι (τίς δὲ κόθορνος;) τῆς ὁδοῦ;*

„Quod est consilium itineris tui? (cothurno enim te calceatum video).” Sic grammaticos quoque interpretatos esse, licet eorum verba non integra tradita sint, apparet ex scholiis:

*Δίδυμος οὕτω· πρὸς τί ὑποδέχεται τὸ δεξιόν; τίς ἐστίν ἢ ἴπνιοι τῆς ὁδοῦ; τίς δὲ κόθορνος; οἶον· τί ὑποδησάμενος πάρει;*

Saepe singulari numero τὸν κόθορνον dici, ubi bini cothurni intelleguntur, satis notum est.

Eq. 526 *εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῶν βεύσας ποτ' ἐπαίνῳ διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίῳν ἔρρει ...*

Aoristum *ἔρρευσα* atticum esse neque offendere nos oportere in repetitione eiusdem verbi (*βεύσας, ἔρρει*) summo iure monuit Willems <sup>1)</sup>. Sed non plane assentior eidem vertenti: „... qui jadis regorgeant de louanges roulait à travers les plaines unies ...” <sup>2)</sup>. *βεύσας* enim participium aoristi ingressivi qui dicitur esse mihi videtur. Dicit poeta: „... qui cum olim omnibus plaudentibus profluxisset (ut amnis ex monte)”, i. e. comoedias scribere coepisset. Ut pulcherrima poetica imago recte intellegatur, tenendum est flumina in Graecia tantum non omnia non perennia esse, sed interdum repente magno cum fragore profluere. Alterum exemplum eiusdem aoristi ingressivi exstat apud Ps. Demosth. in Neaer. 99: *ὕδωρ γὰρ γενόμενον τῆς νυκτὸς πολὺ ἐκάλυσεν αὐτοὺς πάντας εἰσελθεῖν. ὃ γὰρ Ἀσωπὸς ποταμὸς μέγας ἔρρῃ ...*

G. V.

1) Revue de l'instr. publ. en Belg. 1903: „Du choix des mots chez les Attiques”.

2) Revue de l'Université de Bruxelles, 1912.

# AD PLATONIS REMPUBLICAM

SCRIPSIT

J. L. V. HARTMAN.



Post curas ab Hermanno et Baitero Platonis *Reipublicae* adhibitas praecipue Britanni huic dialogo operam navarunt. Ex his Campbell Adam Burnet mihi laudandi sunt. Quorum editiones non modo lectu dignissima commentaria et perite selectas codicum lectiones, verum etiam textum ceteris emendatiorem praebent. Eisdem vero, licet saepe Platonis purum nitidum lepidum sermonem a librariis pessumdatum et argumentationem labefactam esse luculente docuerint, nonnumquam fraus latuit. Utriusque rei exempla e libris quinque posterioribus prolata hic me proponere iuvat.

P. 484 A: Codicum Par. A et Ven. Π lect. *διεξεληθόντος* Hermann, Madvigius, Baiter, Burnet iure improbarunt. Ob duas enim causas vulgata displicet: primum opus fuisset *διεξεληθόντος* <τοῦ V.L.> λόγου (gen. abs.), quod Iw. Mueller (Symbolae etc. <sup>1</sup>) p. 5), Herwerd. (Mn. 1891), Campbell requirunt, deinde duae inter se haud eleganter mixtae sunt imagines (altera orationis longam viam emensae, altera philosophorum tanquam e tenebris emergentium). Itaque unice l. Cod. Vindob. F *διεξεληθόντες* probanda est, qua in eadem eaque lepida imagine versamur. Sine causa neque eleganter Herwerd. l. c. dubit. coniecit *διεξεληθοῦσι* (sc. ἡμῖν) probante Richardso (Class. Rev. 1894). Statim post eidem (Mnem.) *δοκοῦσιν* pro *δοκεῖ* postulanti non assentior. Quidni subiectum sit τὸ πρᾶγμα (οἱ εἰσιν ἑκάτεροι)?

---

1) Symbolae criticae et exegeticae ad Platonis de Rep. librum VI. Erlangae 1866.



P. 484 B: Omnes fere editt. l. πάντως receperunt, soli Stallb. (ed. Goth.) et Burnet παντοίως (sic etiam in marg. A et Π) ediderunt, quibus assentior. Πάντως enim significat *omnimodo, quocumquemodo* (conf. Lach. 199 B και μελλόντων και πάντως έχόντων, ibid. § C, Resp. 465 C, Phaedr. 228 C, Gorg. 495 B 527 A), ut τὰ πάντως έχοντα etiam formam τοῦ νοητοῦ comprehenderent. Itaque rectius ut τῷ ἐνὶ τὰ πολλά, sic τῷ ὡσαύτως έχοντι opponitur τὸ ἄλλοτ' ἄλλως έχον (Phaedon. 78 C 80 B). Generis immutabilis contrarium est id quod mutatur. Voci πολὺς saepe παντοδαπὸς additur, conf. 378 C 381 E πολλοῖς ξένοις και παντοδαποῖς, 493 C ult. τῶν πολλῶν και παντοδαπῶν ξυνιόντων 579 B. Ipsi di apud Homerum dicuntur παντοῖοι τελέθοντες ἐπιστροφῶν πόλης et Plato in Sophistae in. philosophos παντοίους φαντάζεσθαι dixit. Obiter corrigatur ἐν <τοῖς> πολλοῖς.

P. 484 C: Dub. suadeo και πῶς, ἔφη, οὐ [δῆλον]. In subsequentibus Naber (Mnem. 1908) malebat πρὸς (pro eis) τὸ ἀληθέστατον ἀποβλέποντες, sed videatur 490 D et Badham (Phaedri praef. p. vi) conferens Phaedr. 237 D εἰς τοῦτ' ἀποβλέποντες και ἀναφέροντες τὴν σκέψιν ποιῶμεθα. Verba τε και θεώμενοι ὡς οἶόν τε ἀκριβέστατα spuria mihi videntur: post αἰεὶ ἀναφέροντες (intenti intuentes) ista ὡς οἶ. τ. ἀκριβ. plane frigent (cf. Cic. Orat. 2, 9 quam intuens in eaque defixus).

P. 484 D: Cobetus (prob. Herwerd. Mnem. 1884) iure (cf. 467 D et Stallb. ad Phaedr. 234 E) τίθεσθαι post δέη expunxit. In Legg. 695 A legendum εἰ [στρατεύεσθαι] δέοι, στρατεύεσθαι. In sequentibus eidem τὰ ante κείμενα delenti assentior, quum obiectum quod dicunt τοῦ σώζειν sit τὰ ἐνθάδε νόμιμα, quae verba ad utrumque sententiae membrum pertinent, quippe quod coniunctionibus τε — και praemissa sunt (τίθεσθαι τε — και σώζειν). Paulo post cum aliis Adam (ed. I) γ<sup>nm</sup> l. διαφέρειν (pro -ρει) recepit; collato 506 C οὐδὲν ἔφη (sc. δοκοῦσι διαφέρειν) mihi διαφέρει suspectum est. In proximis Cobetus (nota m.s.) [ἐλ]λείποιντο, Herwerd. (Mnem. 1884) autem ἐλλείποιεν suasit. Mutatum genus Campbell defendit loco in Legg. 853 C νομοθετούμενοι — ἐνομοθέτου. Sensu τοῦ ἠττάσθαι dicitur ἐλλείπεσθαι in Amator. 136 A. Dubit. conicio [τῷ] μεγίστῳ. In sententiae initio

Naber (Mn. 1908) postulavit ΦύλαΚΑΣ <ΚΑΤΑ>στησόμεθα, quod vulgata non pedestris orationis sit; sed vid. 503 A et Herodotum.

P. 485 A: Soli Hermann Iw. Mueller (Symb. etc. p. 12) Campb. lectionem (codd. Α et Π) δεῖν pro δεῖ probarunt, recte ni fallor. Nostro loco similis est Phaedr. 272 D παντάπασι γάρ, ὁ καὶ κατ' ἀρχὰς εἶπομεν τοῦδε τοῦ λόγου ὅΤΙ κτλ. — In § B Astius dub. suasit δηλοῖ ἐκείνην τὴν οὐσίαν τὴν . . οὔσαν . . πλανωμένην (ut memoriter Themistius tradidit) pro δ. ἐκείνης τῆς κτλ., sed genitivus ille partitivus esse videtur. In proximis per (ὅτι πάσης) αὐτῆς intellige οὐσίαν. In eadem sententia dub. commendo σμικ<ροτέ>ρου.

P. 485 C: Recte Hirschigius (ed. Phaeton. p. vii 1853) post ὃ φίλε verbum εἰκὸς delevit. De ellipsi post οὐ μόνον γε Stallb. videatur ad Phaeton. 107 B Euthyph. 6 C Phil. 23 B; cf. praeterea Xen. Cyrop. I 6. 17 ἢ καὶ σχολή, ἔφη, ἔσται . . . .; οὐ μὰ Δί' — οὐ μόνον γε, ἀλλὰ καὶ ἀνάγκη. — In § D ad αὐτῆς καθ' αὐτὴν cogita οὔσης. Cupiditates quae ad animi voluptatem se converterant, corporis delicias deserere dicuntur. Schneidero περὶ ad τὰς mente supplenti ut voci ἐκλείπειεν vim intransit. tribueret, assentiri nequeo; in locis enim quos comparavit (428 C Phaeton. 64 D) non diversa praedicata sunt.

P. 485 E: Verba εἰ μὴ πεπλασμένως, ἀλλ' ἀληθῶς Φιλόσοφος τις εἶη suspecta mihi sunt. Primum τις neque cum Φιλόσοφος iungi neque subiectum esse potest, quia subiectum sententiae est ille ᾧ δὴ . . ἐρρηήκασι (ἐπιθυμῖαι). Deinde verbis ᾧ δὴ . . ἐρρηήκασι vere philosophus (s. discendi cupidus) significatur, nam eius cupiditates, qui τὴν Φιλόσ. φύσιν μιμεῖται (490 E ult.), non in μαθήματα et σκέψεις περὶ τῆς ἀληθείας conversa sunt. Simile emblemata Cobetus in Sophistae initio detexit οἱ μὴ πλαστώς, ἀλλ' ὄντως Φιλόσοφοι id est „non sophistae, sed vere philosophi” (Mnem. 1860 p. 351). — In sententiae fine ὦν γὰρ ἕνεκα κτλ. vocem σπουδάζειν abesse malo, ut προσήκει absolute positum (cf. 443 A μοιχεῖται μὴν . . τῷ τοιούτῳ προσήκουσιν) orationem venustiore reddat. Sensus est hic: ea (voluptates, libidines,

amor potentiae, luxuria, alia) ob quae magnos sumptus afferentia divitiae expetuntur (cf. 580 E ult. διὰ χρημάτων μάλιστα ἀποτελοῦνται αἱ τοιαῦται ἐπιθυμίαι), in alium potius quam in hunc conveniunt. Videatur praeterea Herwerd. ista μετὰ πολλῆς δαπάνης in Mnem. 1884 „μετὰ π. δ. ἐπιθυμίας”, in Mnem. 1891 (p. 333 sq.) „cum magno sumptu” interpretatus.

P. 486 A: Masculinum τούτῳ post ἤ . . . . διανοίᾳ (sic editt. omnes praeter Ast. 1822 et Stallb.) illatum non magis offendere potest quam αὐτοῖς in 485 A τῶν φιλοσόφων φύσεων περὶ . . . . ὃ ἂν αὐτοῖς δηλοῖ. — In § B dub. suadeo φιλοσόφον <τε> καὶ μὴ coll. § A et Themistio. Continuo post ν<sup>am</sup> l. δυσκοινώνητός <τε> καὶ ἄ. (sic Steph. Ast.) iam Themistius cognitam habuisse videtur; utrique scriptori <τε> reddendum esse Cobetus (Mnem. 1862 p. 237) non inepte suspicatus est. — In § C Richardsio (Cl. Rev. 1894) postulanti <εἰ> s. <πότερον> εὐμαθῆς κτλ. iure Campb. oblocutus est.

P. 486 D: J. Vahlen (Hermes XII 1877 p. 195 sqq.) vulgatam μνημονικὴν αὐτὴν ζητῶμεν δεῖν (v. l. δεῖ) εἶναι defendi posse collatis 375 E οὐ παρὰ φύσιν ζητοῦμεν εἶναι τὸν φύλακα, 443 B ἔτι τι οὖν ἕτερον ζητεῖς δικαιοσύνην εἶναι, Alcib. 107 C ζητήσουσιν ἰατρὸν εἶναι κτλ. iure contendit. Displicet autem mihi δεῖν et pro eo δὴ suadeo (v. l. δεῖ). Iusto audacius Madvigius (probante Baitero) coniecit ἀλλὰ μνημ. αὐ, ἣν ζητοῦμεν, δεῖ εἶναι („αὐ refertur ad εὐμάθειαν ante postulatam”) et Herwerd. (Mnem. 1884) [δεῖν εἶναι] s. [αὐτὴν] ζητ. [δ. εἶν.], etsi infra legimus ἔμμετρον ἄρα καὶ εὐχαριν ζητῶμεν . . . . διάνοιαν. Multi vero verba ζητῶμεν (postulemus) δεῖν ad pleonasmum referent, qualem libri m. s. praebent 350 A ἐθέλειν αἰρεῖσθαι . . . . πράττειν, 347 A τοῖς μέλλουσιν ἐθέλησειν ἄρχειν, 347 C εἰ μέλλουσιν ἐθέλειν ἄρχειν, 473 A μὴ ἀνάγκαζέ με . . . . δεῖν (malo δὴ, v. l.) . . . . ἀποφαίνειν, 535 A ἐκεῖνας τὰς φύσεις οἷου δεῖν (malo δὴ) ἐκλεκτέας εἶναι, quibus adde quos I. Vahlen (Zeitschr. f. oest. Gymn. 1872 p. 529 sq.) conguessit locos Phaedon. 101 E ἱκανοὶ . . . δύνασθαι . . . ἀρέσκειν, Legg. 929 A ὃν ἂν θυμὸς ἐπὶ . . . ἐπιθυμεῖν ἀπαλλάξαι, Soph. 267 C σφόδρα ἐπιχειροῦσι . . . προθυμεῖσθαι (delet Madvig) φαίνεσθαι ποιεῖν, Symp. 185 E δοκεῖ . . . ἀναγκαῖον

εἶναι . . . . δεῖν ἐμὲ (delet Hirschig) <sup>1)</sup> πειρᾶσθαι (cf. Alcib. II 144 D 146 B). Accedat Apol. 28 E. θεοῦ τάττοντος . . . . Φιλοσοφούντά με δεῖν ζῆν (ubi vide recentes interpretes) necnon Demosth. „in Neaer.” 106 οὐκ ἐᾷ γίγνεσθαι Ἀθηναίων ἐξεῖναι, ὅς ἂν κτλ. Iniuria Stallbaumius talia (quae lectorum interpretamenta esse mihi videntur) ad σχῆμα ἐκ παραλλήλου (cf. διὰ τέλους αἰ, ἔπειτα μετὰ τοῦτο, alia) referenda duxit. — Vox φύσει non ad ἔμμετρον pertinet (sic enim sequens τὸ αὐτοφύες ridicule abundaret), sed est dativus commodi et verbis φύσει, ἦν ἐπὶ τὴν τοῦ ἄντος κτλ. significatur φύσις Φιλόσοφος, quae nisi multis animi mentisque dotibus innatis praedita est, veritatem assequi non potest. Pro ἰδέαν legatur θέαν (cf. 532 C).

P. 486 E: Noli οὐδ' ἐπόμενα pro καὶ ἐπόμε. corrigere; οὐκ ad utrumque adiectivum referendum est. Dubitanter suadeo ut legatur [τε καὶ τελείως], cf. § D ταῖς ἱκανῶς Φιλοσόφοις (sc. φύσει), 505 E 519 D. Fortasse praeterea ordo verborum sic mutandus erit μεταλήψεσθαι ψυχῆ.

P. 487 A: De verbis μεγαλοπρεπῆς et εὐχαρις copiose Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 16 sqq.) egit vertens „mit Sinn für das erhaben und anmuthig Schöne”. Mihi sensus vocis μεγαλοπρεπῆς ex iis quae 486 A leguntur, cognosci posse videtur et vocem εὐχαρις praegressa (486 D) explicant (non valet „affable” ut Bastien interpretatus est, sed „plein de grâce et de mesure”). Cur Glaucō post Socratis verba ἀλλ' . . . ἐπιτρέποις conticuerit eumque Adimantus exceperit, audi Muellerrum (l. c. p. 19) explicantem. Cobetus (Mnem. 1858 p. 280) correxit τελεωθῆσι (cf. 377 B τελεωθῶσιν) probante Herw. in Mnem. 1884.

P. 487 B: Verba ἃ νῦν λέγεις Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 21) explicat οἱ ἀκούοντες ἐκάστοτε τοιαῦτα οἷά ἐστιν ἃ νῦν λέγεις, sed ne sic quidem commode Socratis disputandi morem significatum existimo. Ego νῦν a lectore additum propter praecedens ἐκάστοτε censeo (cf. 490 D καὶ σοῦ ἐπιλαβόμενου ὅτι πᾶς

1) Schanzius praeterea delet ἀναγκαῖον εἶναι, quamquam δοκεῖ οὖν χρῆναι saepius occurrit. In 415 E v. v. ἱκανὰς εἶναι abundant (cf. 499 A οἶων ζητεῖν).

μὲν ἀναγκασθήσεται ὁμολογεῖν οἷς λέγομεν). Minus probo Alb. de Bambergii (Philologus 1866) C<sup>am</sup> ἂ νῦν ἡμεῖς [λέγεις]. Praeterea commendo πάσχουσιν ἐκάστοτε οἱ ἀκούοντες (cf. Apol. 23 A οἶονται γὰρ μ' ἐκάστοθ' οἱ παρόντες) ἂ λέγεις (s. ἂ ἄν λέγῃς, cf. Apol. 33 B ἀκούειν ἂ ἄν λέγω). Post pauca Cobetus (nota m.s.) σμικρὸν <τι> παραγόμενοι coniecit, quod propter sequens τῶν σμικρῶν mihi non displicet. Richards (Class. Rev. 1894) παραγομένοις proposuit anacoluthi vitandi causa, sed propter interpositum genitivum absolutum ἀθροισθέντων τῶν σμικρῶν vulgata ferenda mihi videtur. Accedit quod pronomen (σφίσι) abest et in subsequentibus oratio ad casum nominativum redit (οὕτω καὶ σφεῖς). Nolo igitur commendare ἀναφαίνειν.

P. 487C: Cobetus (nota m.s.) reposuit ἀποκλῆνται (vid. Meisterhans Gramm.). In eadem sententia Naber (Mnem. 1908) mavult οὐκ ἔχειν ὅτι φέρωσιν (pro λέγωσιν) et [οὐκ ἐν ψήφοις, ἀλλ' ἐν λόγοις]. Cui non assentimur, ne sic cogamur etiam verba ὑπὸ πεττείας αὐ τ. τ. ἐτέρας resequare.

P. 488A: Valde mihi placet Cobeti c<sup>a</sup> (nota m.s.) ἴν' . . . εἶδῃς pro ἴν' . . . ἴδῃς. Paulo post Richards (Class. Rev. 1894) rectissime pro γενόμενον correxit γιγνόμενον (γιν.), vide infra 488E τοιούτων . . . γιγνομένων. Frustra A. Prandtl<sup>1)</sup> oblocutus est. Non probo Stallbaumium (1859) τοιούτόν τι pro τοιουτοῖ commendantem; vid. Aristoph. Eq. 884 τοιουτοῖ Θεμιστοκλῆς οὐπάποτ' ἐπενόησεν, eiusdem Plut. 361 σὺ μηδὲν εἰς ἔμ' ὑπονδῆι τοιουτοῖ. Aliis locis idem editor τοιούτο(ν) non addito τι ferendum duxit.

P. 488C: Verba αὐτοὺς δὲ αὐτῶ ἀεὶ τῶ ναυκλήρω κτλ. neque ab aliis neque a me sana habentur, cum illud αὐτῶ τῶ ναυκλήρω plane ridiculum sit. Itaque Bywater (Journ. of Philol. 1881) dub. coni. αὐτοὺς δ' αὐ (hos autem, pro αὐτῶ) ἀεὶ τῶ ν., Herwerdenus (Mnem. 1884) αὐτῶ expunxit, I. Adam (ed. II) dub. [τῶ ναυκλήρω] suasit idemque Naber (Mnem. 1908). Non displicet mihi Bywateri inventum, etsi ex ἀεὶ τῶ facile per dittographiam

1) Analecta Critica ad Plat. de Re Publica libros 1903 München.

αὐτῶ ἀεὶ τῶ nasci potuit. In proximis J. J. Hartman (De Emblem. in Platonis textu obviis 1898 p. 111) non iniuria postulavit τοὺς μὲν [ἄλλους]; cf. 474 B τοῖς μὲν . . . τοῖς δ' ἄλλοις, 516 C τοὺς δέ, alia. Continuo post cod. Par. A praebet ἀποκτινύοντας (ινου in litura; A<sup>2</sup> mg. κτεινὸ), sed corrigendum puto ἀποκτείνοντας et ἐκβαλόντας (v. l.). Postquam ἀποκτείνοντας in ἀποκτίνοντας abiit, corrector quidam ἀποκτινύοντας scripsit. Ἄρχην enim duobus consequuntur: τῶ ἀποκτείνειν et τῶ συμποδίσαι; vel unae particulae μὲν — δὲ hanc correctiunculam commendant. In sequentibus Cobetus (probante Herw. Mnem. 1884) coniecit ὡς [τὸ] εἰκὸς τοὺς τοιούτους, sed vide Euthyph. 3 A ὡς γε τὸ εἰκὸς ξυμβῆναι ἐκ τοιαύτης κτλ., Resp. 465 A ὡς τὸ εἰκὸς, ibid. 610 E ὡς γε τὸ εἰκὸς, Legg. 659 B ὡς γε τὸ δίκαιον, ibid. 681 A τὸ γοῦν εἰκὸς ταῦθ' οὕτως γίγνεσθαι. Herwerdenus praeterea l. c. suasit ὡς τὸ εἰκὸς: [τοὺς τοιούτους], quod non magis necessarium mihi videtur. Post pauca Cobetus participium ἐπαινοῦντας, quod prorsus friget, iure delevit; suspicor aliquem non male ratum propter sequens ψέγοντας participio καλοῦντας subesse notionem laudandi in margine annotasse ἐπαινοῦντας, quod dein in textum illatum esse. Richards (Class. Rev. 1894) mavult ἐπαινοῦντας μὲν ναυτικὸν καλοῦντας, quo nil proficimus. Miror Adamum, licet vocem molestam esse senserit, Cobeto non accessisse.

P. 488 D: H. Jackson in „Proceedings of the Camb. Philol. Soc.” (March 1882) hoc loco (quocum conferri iussit Xen. Mem. III 9. 11 et Aristot. Pol. IV—VII—2. 1324 b 24. 30) Isocratem, qui τῶν πραγμάτων οὐχ ἀπτόμενος iuvenes doceret τὸν δῆμον sibi conciliare atque ita civitatis moderationem consequi, tecte significatum esse suspicatur. Eundem et 493 A sqq. et 495 B sqq. notatum putat. — Varias l. l. ἐπαῖοντας et οἰόμενους Bekker Ast Stallb. Baiter Madvig <sup>1)</sup> Richards (Class. Rev. 1894) probarunt. Ego optimorum codd. (ΑΠF<sub>1</sub>) l. genuinam duco Socrate, ut saepius, ab oratione indirecta ad directam transeunte, ut a verbis τοῦ δὲ ἀληθινοῦ novam partem longioris periodi incipere significaret (cf. 426 C προαγορεύουσι τοῖς πολιταῖς . . . μὴ κινεῖν . . . ; ὅς δ' ἂν σφᾶς . . . δεινὸς ἢ ἀποκληροῦν,

1) Is nominativum οἰόμενοι „errore ad βούλωνται accommodatum” putavit.

οὗτος ἄρα ἀγαθός τε ἔσται pro τούτων ἄρα ἔσεσθαι); similiter in 399 B δεομένου ἢ εὐχῆ ... ἢ τούναντίον ἄλλω ... ὑπέχοντα anacolutho usus est Socrates, ut novam προσφῆδας speciem proferret. H. Sidgwick (Journ. of Philol. 1874) probante I. Adamo (edit. I 1897) coniciens οἰομένῳ servato ἐπαίοντας sententiam non intellexisse videtur („the construction”, inquit, „thus resulting would have a slight irregularity — ἀνάγκη αὐτῷ ... ποιῆσθαι ... ὅπως δὲ κυβερνήσει ... οἰομένῳ —, but one, I think, easely admissible in such a style as Plato's”). In eadem sententia Naber (Mnem. 1908) legi mavult ἐπιμέλειαν ποιῆσθαι ἐνιαχοῦ (pro ἐνιαυτοῦ) καὶ ὥρων quam ἐνιαυτοῦ [καὶ] ὥρων. Collatis 527 D περὶ ὥρας ... ἐνιαυτῶν et Legg. 906 C ἐν δὲ ὥραις ... ἐνιαυτῶν posterior defendi potest, sed fortasse ἐνιαυτοῦ voce ὥρων accuratius definitur, ut οὐρανοῦ voce ἄστρων. — Lectio ὅπως τε (pro δὲ) deterioribus codd. debetur. Particula δὲ oratio continuatur.

P. 488 E: Subiectum verbi κυβερνήσει est ὁ ἀληθινὸς κυβερνήτης. Non solum τῆς νεῶς ἀρχικὸν esse eum oportet, sed etiam τῶν ναυτῶν (τούτου ὅπως κυβερνήσει, εἰάν τε τινες βούλονται εἰάν τε μὴ, τέχνην). Imaginis enim sensus est hic: Platonicὶ βασιλῆς sunt Φιλόσοφοι, qui veram sapientiam, quae recte gubernandae civitatis disciplinam procreat, cum regia potestate coniungant; cf. 473 D καὶ τοῦτο εἰς ταύτῳ ξυμπέση δύναμις τε πολιτικὴ καὶ φιλοσοφία. Iniuria Richardsius (Class. Rev. 1894) coniecit ἀδύνατον pro δυνατόν. — In sequentibus Porsonus (teste Dobraeo in *Adv. Crit.*) probante Cobeto (Mnem. 1873 p. 117 sq. et 130 sq.) coniecit μετεωροκόπον, quod coll. 489 C μετεωρολέσχης et voc<sup>o</sup> κόπις (nugator) receptum oportuerat (Arist. Pac. 92 μετεωροκοπεῖς).

P. 489 B: Optimorum codd. l. λέγεις (pro λέγει) Schneider Campbell (*dub.* vid. vol. II p. 124) Adam Burnet propter sequentia (§ D) καὶ ἐγὼ συνεχώρησα ἀληθῆ σε λέγειν probarunt. At primum Hermannus recte „personae mutationem a toto loci colore alienam” iudicavit, deinde ipsa illa ἴν § D ἀληθῆ σε λέγειν eandem ob causam non magis sana mihi videntur; invenuste enim orationis tenorem abrumpunt nec cum praegressis οὐκ οἶδ' (487 D) congruunt. Praebent autem in § D aliquot codd.

ἀληθές s. τᾶληθές τε λέγειν, unde suspicari licet τε e sequenti ΛΕγειν dittographia ortum esse et ab aliis in σε mutatum. Schleiermacher l. ἀληθῆ γε λέγειν probans non sensit γε hinc alienum esse. Itaque in § B λέγει pro λέγεις (σ e sequenti ὡς ortum est) et in § D ἀληθῆ λέγειν vel [ἀληθῆ σε λέγειν] legendum censeo. Praeterea commendo ὡς ἄχρηστοι ταῖς πόλεσι pro τοῖς πολλοῖς (cf. Men. 89 B χρήσιμοι γίνονται ταῖς πόλεσιν).

P. 489 C: R. Kunert („Die doppelte Recension des Platon. Staates” 1893 Prog. Spandau) Schleiermacheri sententiam (quam inter alios Zeller pravam duxit) τοῦτο Aristippum κομψεύσασθαι non improbavit. Aristoteles (Rhet. II 16, 1391 a, 8 ὅθεν καὶ τὸ Σιμωνίδου εἶρηται περὶ τῶν σοφῶν κτλ.) Simonidis illud dictum fuisse perhibet. Scholiasta, ubi Naber θυραυλοῦντας pro καθεύδοντας correxit, alia rursus praecipit.

P. 489 E: Ἀκούωμεν δὴ etiam Legg. 694 A sic occurrit; conf. μανθάνομεν pro μανθάνεις et 621 C ἂν ἐμοὶ πειθώμεθα. Ad ἀναμνησθέντες (quo ἐκέϊθεν pertinet) mente τοῦ λόγου suppleatur; ὅθεν dictum per attractionem pro οὖ (adv.). Pro διῆμεν Naber (Mnem. 1908) suasit ἐξῆμεν, vereor ut recte. Verba sic sunt construenda οἶον ἀνάγκη τὴν φύσιν Φῦναι τὸν κ. τ. κ. ἐσόμενον (sc. Φιλόσοφον), sed suadeo corrigatur τὴν <Φιλόσοφον> Φύσιν, quae sequentibus οἶον κτλ. definiuntur.

P. 490 A: In verbis τοῦτο σφόδρα οὕτω vox οὕτω spuria mihi videtur (mire Schneider annotavit „praecise dictum est pro οὕτω λεγόμενον ἦν”). Video Adamum quoque in ea voce haesisse. In Soph. 235 B κάμοι τοῦτό γ’ οὕτω περὶ αὐτοῦ ξυνοκεῖ corrigendum censeo κάμοι [τοῦτό] γ’ οὕτω κτλ. (ex ΓΟΤΤΩ dittographia natum esse τοῦτο). In Theast. 160 E pro vulg. Φῶμεν τοῦτο cod. Vind. W τοῦτο οὕτω Φῶμεν praebet. In Politic. 257 A malo εἶεν· οὕτως, ᾧ Φίλε pro οὕτω τοῦτ’, ᾧ Φίλε. — Post pauca Madvigius (probantibus Baitero et Hellero Cur. Crit. p. 20) ἀπελογισάμεθα pro ἀπολογησόμεθα correxit, quod corruptum esse iam Ast monuerat. Primum praeteritum requiritur (Ast ἀπελογησάμεθα) propter sequentes optativos et quia Socrates ult.<sup>am</sup> l' V partem respicit, deinde ἀπολογεῖσθαι minus aptum, si 473 E sq.



παρὰ δόξαν ῥηθήσεται . . . πειρῶ τοῖς ἀπιστοῦσιν ἐνδείξασθαι et 501 E πεπεισθαι diligenter consideraveris; etiam quae 490 C leguntur καὶ δὴ τὸν ἄλλον τῆς Φιλοσόφου φύσεως χορὸν τί δεῖ ΠΑΛΙΝ ἐξ ἀρχῆς ἀναγκάζοντα τάττειν Madvigii c<sup>ae</sup> favent. Quam saepe in Par.<sup>o</sup> A litt. H et I confusae sint, sat notum est.

P. 490 B: In verbis αὐτοῦ ὃ ἔστιν ἐκάστου illud ὃ ἔστιν valet τὸ ὄν, ut dicitur τὸ ὄν ἐκάστον, ἕκαστον τὸ ὄν, αὐτὸ ἕκαστον τὸ ὄν (480 A), αὐτὸ ἕκαστον ὃ ἔστι [τὸ ὄν] (Phaedon. 78 D), ἐκάστου τῶν ὄντων ὃ ἔστι (Parm. 134 A), αὐτὸ τὸ καλόν, ὃ ἔστι (ibid. 134 B). Haud tamen scio an corrigendum sit αὐτοῦ ὃ ἔστιν ἕκαστοΝ (vid. Phaedon. 65 D ἀπάντων τῆς οὐσίας, ὃ τυγχάνει ἕκαστον ὄν), in quibus ὃ non subiectum quod dicitur est, ut in talibus αὐτὸ τὸ ὃ ἔστιν ἴσον (Phaedon. 74 D), αὐτὸ ὃ ἔστι κερκίς (Cratyl. 389 B), αὐτοῦ δούλου, ὃ ἔστι δούλος (Parm. 133 E). Nihilominus dicitur per compendium tam αὐτὸ ἕκαστον quam αὐτὸ καλόν. In Resp. 480 A malo legi αὐτὸ ἄρα ἕκαστον [τὸ ὄν]. — Variam l. προσήκοι sine causa Stephanus recepit. Paulo post suadeo πλησιάζας [καὶ μιγείς], quia πλησιάζειν de re veneria adhiberi potest. In § ult. Madvigio qui voce τι offensus dubitanter coniecerat τούτῳ ἐπιμελὲς ἔσται, recte I. Vahlen (Hermes XII, 1877) adversatus est conferens 606 B et Sophoc. El. 536. Illud τι significat „forte”. I. Adam (ed. I) ψεύδους ἀγαπᾶν dub. postulaverat, male, ni fallor.

P. 490 C: V<sup>am</sup> l. Φαμέν, quam Adam (ed. I) commendaverat, iure Burnet in textum recepit. Sine causa Richards (Class. Rev. 1894) v. l. ἀκολουθήσειν probavit. — In proximis optimorum codd. l. ἀναγκάζοντα, quam Schneider Herm. Campb. Adam Burnet amplexi sunt, frustra a viris doctis sollicitatam esse recte Iw. Mueller (Symb. crit. p. 25) demonstravit (confer 611 B ult., Gorg. 472 B cum schol., Parm. 133 C, Tim. 40 E ἀναγκαίων ἀπεδείξων et voc. πειθανάγκη necnon Schneideri <sup>1)</sup>

1) Is vertit „cum necessitatis demonstratione”, Campbell (recte) „at each step compelling your assent”, H. Jackson (Journ. of Philol. 1884) „and now what need is there again to marshal the remaining characteristics of the philosophic nature and again to insist upon their necessity”.

notam). Itaque non modo Ven<sup>1</sup> 184 scriptura ἀναλαμβάνοντα (sic Steph. Ast Stallb. Heller in Cur. Crit. p. 20), quae coniectura potius — vid. infra ἀνειλήφαμεν — quam vetus lectio mihi esse videtur, improbanda est, sed etiam Madvigii inventum ἀναβιβάζοντα Baitero iniuria placuit. Fortasse ἀναγκάζοντα<ς> (sc. ἡμᾶς) reponendum, quia in praegressis (inde a verbis ἀκούωμεν κτλ. 489 E) ubique plurali numero scriptor usus est.

P. 490 D: Richards (Class. Rev. 1894) praeunte Astio (1804) optime correxit ΦΑΙΗ <AN> ὄρᾶν (conf. 487 C νῦν γὰρ Φαίη ἄν τις κτλ.); Plato Φήσει scribere potuerat, sed bis futuro uti noluit. Continuo post codicibus A et F ἤδη ante διαβολῆς omissis Herm., Iw. Mueller (Symb. Cr. p. 27) Bait. Campb. Adam Burnet festinantius paruerunt, etsi ἤδη corruptum est. Optime autem Stephanus δὴ correxit, quod δι scriptum ante διαβολῆς evanuit. Δὴ post praegressum gen. absolutum hic aptissimum mihi videtur. Adam annotavit „Perhaps Plato wrote τῆς διαβολῆς ἤδη”. — Verba ἐξ ἀνάγκης, quae vulgo „necessario” significant (vid. Tim. 28 A), hic interpretor „veritati consequenter”. Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 26) vertit „und ebendeshalb haben wir. . . und seiner innern Nothwendigkeit nach bestimmt”.

P. 491 A: Malim οἶων (pro οἶαι) οὔσαι [Φύσεις] ψυχῶν κτλ., nam vulgata invenusta est. Suspicio Φύσεις in margine ad καθισταμένας adscriptum fuisse et postea in textum post οὔσαι translatum, quo facto οἶων in οἶαι mutatum esse. — Pro ἀνάξιον Benedictus ἀντάξιον, Herwerd. autem (Mn. 1891) ἀνοίκειον coniecit annotans „Plato scribere potuit οἶαι οὔσαι Φ. ψ. καὶ ὡς ἀνάξιοι εἰς μεῖζον κτλ., sed malo οἶαι οὔσαι Φ. ψ. εἰς ἀνοίκειον καὶ μεῖζον coll. 501 D τὴν φύσιν αὐτῶν εἰκείαν εἶναι.” At cur mutatione opus sit non intellego, quum ἀνάξιον cum ἑαυτῶν (quod ἀπὸ κοινοῦ positum est) iunctum optimum sensum praebet, vid. ex gr. Sophocl. Phil. 1009 παῖδα τόνδ’ ἀγνώτ’ ἐμοί | ἀνάξιον μὲν σοῦ (Ulyss.), κατάξιον δ’ ἐμοῦ (Phil.). — Cobeto (Mnem. 1875 p. 200) verba εἰ τελέως μέλλοι Φιλ. γενέσθαι ut spuria delenti nemo paruit, recte ni fallor.

P. 491 B: Stephani c<sup>am</sup> ὀλίγοις s. ἐν ὀλίγοις (pro ὀλίγαις), quam et Valckenarius (nota m.s.) improbarat, a Richardsio (Class. Rev. 1894) iterum commendatam esse (coll. Aristot. Eth. 7. 9. 1151 b. 30 διὰ τὸ τὴν ἐτέρην ἐν ὀλίγοις καὶ ὀλιγάκις εἶναι Φανεράν) miror. Ad sequens τούτων δὴ τῶν ὀλίγων mente suppleas Φύσεων, non ἀνθρώπων. — In § C Naber (Mnem. 1908) coniecit ὅλου αὐτοῦ ἀθρώως (pro ὀρθῶς), quod pauci opinor probabunt.

P. 491 D: Richardsio l.l. corrigenti εἶτε <τῶν> ἐγγείων plane assentior; facillime inter EITE et ΕΓΓΕΪΩΝ articulus intercidere potuit. Post pauca Madvigii C<sup>a</sup> πλεῖον pro πλειόνων iniuria a recentibus editt. spreta est, nam τὰ πρόποντα (res, quae ad vitam sustinendam pertinent) sunt ea ipsa, quorum animalia vel plantae μὴ τυχεῖν dicuntur; itaque hanc patet esse Platonis sententiam: τὸ τῶν προπόντων μὴ τυχὸν ζῶον (s. ἐγγεῖον) τοσούτῳ πλεόν τούτων ἐνδεῖ ὅσῳ ἂν ἐρρωμενέστερον ἤ (eo magis hoc defectu afficitur quo est robustius). Reponatur igitur πλεόν sive πλείω (cf. 417 B Phil. 45 C). In proximis fortasse reponatur <τῶ> ἀγαθῶ s. τᾶγαθῶ. Post pauca in verbis ἐν ἀλλοτριωτέρα vox ἀλλοτριωτέρα est „nimis ἀλλοτρία”. Stallbaumium (ed. Goth.) Boeckhii C<sup>am</sup> κακίον probantem iure Cobetus (Mnem. 1862 p. 168) reprehendit; iam forma κακίον pro κακίω vitiosa est. — Ad interrogationis formam in § E ἢ οἶε . . . ἀλλ' οὐκ cf. 492 A ἢ καὶ σὺ ἡγεῖ . . . ἀλλ' οὐκ et 344 E ἢ σμικρὸν οἶε . . . ἀλλ' οὐ (ubi male Burnet ὅλου v. l. pro ἀλλ' οὐ recepit), ut recte refutaverit Iw. Mueller (l.l. p. 30) interpretem Germanum (H. Muellerum) εἶτε — εἶτε pro οὔτε — οὔτε postulantiem.

P. 492 A: Astius verba σπαρεῖσά τε καὶ φυτευθεῖσα secluserit, sed φύσιν φιλόσοφον hic Plato cum σπέρματι (cf. 491 D in. 497 B) comparavit. Σπείρειν et φυτεύειν in Phaedro quoque (276 E) copulata occurrunt. In subsequentibus deleantur verba ὑπὸ σοφιστῶν.

P. 492 B: Hermanni c<sup>am</sup> ἀθρώοι <οἱ> πολλοὶ Baiter Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 32) Campb. Adam (ed. I) male probarunt: cum enim οἱ ταῦτα λέγοντες (i. e. οἱ πολλοί) ad πότε δὴ (sc. ἀπεργά-

ζονται καὶ παιδεύουσι) *supplendum sit, minime opus est ut ad ψέγωσι iteretur οἱ πολλοί.* Iam Wiegand Hermannum recte refutaverat. Quae cum ita sint, spurium esse πολλοί (cf. 493 A τῶν πολλῶν δόγματα, ἃ δοξάζουσιν ὅταν ἀθροισθῶσι) rectissime Cobetus (Var. Lect.<sup>2</sup>) et Naber (Mnem. 1908) monuerunt. In sequentibus lege [εἰς] δικαστηρία. Verba καὶ ἐκβοῶντες καὶ κροτοῦντες explicandi causa praegressis πολλῶ θορύβῳ adiecta sunt.

P. 492C: In verbis πρὸς δ' αὐτοῖς voc. αὐτοῖς verte „ipsis”, sed fortasse corrigendum erit πρὸς δ' [αὐτοῖς] s. πρὸς δ' αὖ. In eadem sententia lege διπλάσιον <τὸν> θόρυβον. Sequentia τοῦ ψόγου καὶ (v. l. τε καὶ) ἐπαινοῦ Cobeto (Var. Lect.<sup>2</sup>) ad marginem releganti quo elegantiae sermonis consuleret, non totus obsto. Per se intelligitur tam ψόγου quam ἐπαινοῦ θόρυβον duplicari. Non audeo commendare διπλάσιον [θόρυβον] παρέχῃσι τὸν ψόγον τε καὶ ἔπαινον. — V<sup>sm</sup> l. τίνα <ἄν> οἶε Bywater (Journ. of Philol. 1881) et Herwerd. (Mnem. 1884) probarunt, quod propter sequentia futura (ἀνθέξειν et οἰχήσεσθαι) recipiendum mihi videtur. In proximis vero ἄν (post ποίαν) Cobetus (Mnem. 1862 p. 169) et Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 27. 1865) rectissime eiecerunt probantibus Baitero Bywatero (l. c.) Herwerdeno Campb<sup>0</sup> H. Richardsio (1894) Adamo (ed. I) Burneto. Puto in antiquo exemplari ἄν, quod post τίνα (οἶε κτέ.) excidisset, in margine adscriptum fuisse hunc in modum

τὸ λεγόμενον, τίνα  
ἄν  
οἶε καρδίαν ἴσχειν; ἢ ποίαν

P. 492D: Cobetus (nota m.s.) ci. [λόγῳ] μὴ πειθόντες, at propter antithesin λόγῳ ferri potest. Parisini A l. τὸ μὴ πειθόμενον unus Hermann (coll. sequentibus in § E ὅ,τιπερ ἄν σωθῆ) probavit, sed masculinum usitatius mihi videtur.

P. 492E: Legendum οὐδ' αὖ μὴ pro οὐδ' οὖν μὴ. Verba γένηται ἄλλοιον ἦθος κτλ. sic sunt construenda: γένηται ἦθος παρὰ τὴν τούτων π. πεπ. ἄλλοιον πρὸς ἀρετήν, in quibus ἄλλοιον significat *diversum* a vulgo s. vulgi pravitate et παρὰ (ut 529 C) valet *contra*, *diverse*. Dicit enim Socrates *in corrupta civitate*

(ἐν τοιαύτῃ καταστάσει πολιτειῶν) ne illos quidem, qui παρὰ (contra) τὴν τῶν πολλῶν παιδεῖαν instituti sint, aliter atque οἱ πολλοὶ vivere nisi deus adiuverit i. e. nisi divinae fere indolis sint. Eam esse loci sententiam satis declarant praegressa (§ C) ποῖαν αὐτῷ παιδεῖαν ἰδ. ἀνθέξειν, ἣν οὐ κατακλυσθεῖσαν κτλ. et verba quae in § E sequuntur ὅτι περ ἂν σωθῆ κτλ. E. Wuest (Beiträge zur Textk. u. Exeg. der Plat. Politeia 1902 Dillingen) eandem sententiam protulit. Qui vero παρὰ interpretantur „secundum” (inter alios Schneider, Hermann — si bene eum intellego —, Stallbaum, Iw. Mueller — Symb. Crit. p. 28 —, Richards κατὰ commandans), ii nec leges sermonis Graeci observant nec Socratem praegressis καὶ (i. e. vel) τὸ ἐπιχειρεῖν ἐναντία τούτοις — i. e. τῆ τούτων παιδείᾳ — τείνοντα κρατεῖν πολλὴ ἄνοια consequenter loquentem faciunt. Locum coniecturis tentarunt Heusdii discipulus quidam suadens τέλεον pro ἄλλοιον, Naegelsbach <οὐκ> ἄλλοιον, Hermann <ἄλλο ἢ> ἄλλοιον vel ἄλλο ἢ ὄνειδος pro ἄλλοιον ἠθός, M. Vermehren ἀξιόλογον non improbantibus Baitero et D. Peipersio (Philol. Anz. III 1870), D. Peipers (l. c.) ἀνθρωπεῖον pro ἄλλοιον deleta in fine voce ἀνθρωπεῖον, Richards (Class. R. 1894) denique ἀλήθινον (et κατὰ pro παρά). — In proximis Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 28) corrigendum censuit <ὅτι> ὅτι περ σωθῆ, sed conferri possunt σάφ' ἴσθι, οἶδα, alia huiusmodi παρενθέτως posita. Si quid mutandum sit, suaserim ὅτι ὅπερ κτλ. In 328 D ὡς εὖ ἴσθι ὅτι ἔμοιγε ὅσον αἱ ἄλλαι codex Vind. F praebet ὡς εὖ ἴσθι ὅσον ἔμοιγε αἱ ἄλλαι omisso ὅτι.

P. 493 A: V<sup>am</sup> l. ἕκαστον (pro -ος) Stephanus et Baiter probarunt, at conferas 334 B τοῦτο μέντοι ἔμοιγε δοκεῖ ἔτι, ὠφελεῖν μὲν τοὺς φίλους ἢ δικαιοσύνη, 517 B τὰ δ' οὖν ἔμοι κτλ. — In § B Groenii van Prinsterer lenissimam emendationem (Φωνὰς δὴ ἐφ' οἷς ἐκάστας (pro -ος) iure inde ab Hermanno editt. necnon Stallb. (1859) probavit. Post pauca Cobetus (nota ms.) non male (propter τε — καὶ) τραποῖτο correxit. Verbo ὀνομάζοι δὲ ad imperfectum (supra κατεμάνθανεν) redit. — In § C exspectabatur τοῦ ἀνγκαίου καὶ <τοῦ> ἀγαθοῦ φύσιν, ὅσον διαφέρει, ut in 376 B complures codd. τό γε φιλομαθές καὶ <τὸ> φιλόσοφον ταύτόν praebent.

P. 493 D: Frustra vulgatam ὅτι μὲν γάρ, εἰάν τις κτλ. nonnulli anacoluthon vel ellipsin statuentes tueri conati sunt, ut admodum veri sit simile Herwerdenum (Mnem. 1884) probantibus Adamo (edit. I) et Burneto corrigentem ἔστι μὲν γάρ ἄν<sup>1)</sup> τις κτλ. rem acu tetigisse, quae coniectura lenior esse mihi videtur quam Richardsii (Class. R. 1894) suspicio, nisi quae excidissent, ἔστι μὲν γάρ, εἰάν τις κτλ. legendum esse. Reliqua sana ducam, si verbis τοὺς πολλοὺς expunctis αὐτοῦ (i. e. τοῦ ἐπιδειχθέντος) cum Par<sup>o</sup> A (sic Ast, Stallb. in ed. Goth., Hermann, Iw. Mueller in Symb. Crit. p. 33, Campbell) pro αὐτοῦ correxeris, quo magis oratio cohaereat<sup>2)</sup>. Imprimis cum hoc loco componas Legg. 658 BE, 659 BC. Plura Herwerdenus et Cobetus vitiosa interpunctione decepti moliti sunt, quorum hic (Mnem. 1862 p. 169) κυρίους αὐτοῦΣ πιῶν [τοὺς πολλοὺς πέρα τῶν ἀναγκαίων], ἡ Διομήδεια (sic accentuavit idem nota m.s. neque aliter Schneider Hermann Adam 1902) coniecit, ille (Mnem. 1884) praeunte Stallbaumio (1830; in ed. II 1859 in vulgata acquievit) ἐστὶ ad πέρα τῶν ἀναγκαίων cogitans verba ἡ Διομ. λεγ. ἀνάγκη delevit; at quis hercle talia in textum illaturus fuerat? Conf. porro C. Ritter „Staat” p. 80.

P. 493 E: Ad αὐτό τι ἕκαστον cf. Parm. 133 C ὅστις αὐτὴν τινα καθ' αὐτὴν αὐτοῦ ἐκάστου οὐσίαν τίθεται εἶναι, ibid. 134 C εἴπερ ἔστιν αὐτό τι γένος ἐπιστήμης, 135 A ὀριεῖται τις αὐτό τι ἕκαστον εἶδος (ubi malo coll. § B ἐκάστου).

P. 494 B: G. de Geer et Astius εὐθύς ἐν παισίιν (pro πᾶσιν) correxerunt omnibus editt. (praeter Bekk. Schneiderum Stallb. ed. Goth.) recte probantibus. Simile mendum H. Wolfius in 431 C sustulerat. Cobetus (nota m.s.) Φύη pro Φυῆ emendavit. Post pauca cum Stephano Astioque malo γένηται (v. l., cf. editt. ad 613 D). In § ult. Herwerdeno (Mnem. 1884) pro ὑποκείσονται suadenti ὑποπεσοῦνται (cf. 576 A) non assentior.

1) Saepius ἄν a pronomine seiungitur, cf. Legg. 862 D ὅτι τις ἄν ἀδικήσῃ, 920 D, Politic. 298 A ἄν μὲν γάρ ἄν κτλ.

2) Verte „eorum iudicium de eo pluris quam necesse faciens” sive „eorum approbationem vel reprobationem magis quam necesse curans”.

P. 494 D: V<sup>am</sup> l. ἐξπρεῖν etiam Cobetus (Mnem. 1862 p. 169) probavit. Verba *ἄνευ νοῦ*, quae Groenius van Prinsterer dubitans (putabat enim vir d. hic fortasse lusum verborum esse) Badhamo Cobeto Baitero probantibus eiecit, et mihi post *κενοῦ* valde frigere nec genuina videntur. — In sequentibus optimi codd. praebent *εἰς αἰσθάνηται* (sic fere omnes editi. necnon Cobetus nota m.s.), alii *εἰσαισθάνηται* (Burnet) alii *διαισθάνηται* (Stallb. 1830). Cum autem verba τῷ δὴ οὕτω διατιθεμένῳ speciem indicent idemque valeant ac τοῖς οὕτω διατιθεμένοις, mihi *εἰς* (i. e. vix unus) post πολλοῦ γε δεῖ (i. e. minime εὐπετεῖς) non officit. *Εἰς* igitur indicat tale quid perraro futurum esse (vid. Schneideri notam). Fuere tamen qui Stallbaumii (1830) verbis praepropere fidem tribuentes vulgatam l. corruptam censerent; itaque I. Richter (Fleckeis. Jbb. 1867) ci. *εἰσαῦθις*, Madvigius („Pravum esse *εἰς* exposuit Stallb.”) *εἴσω*, Richards denique (Class. R. 1894) dub. <εἰσακούσας> s. <εἰσακούσας>, quarum emendationum nulla mihi probabilis aut necessaria videtur.

P. 494 E: Grave mendum Herwerdenus (Mnem. 1884) e Platone sustulit corrigendo *ἐκείνους* [τοὺς] *ἡγουμένους*: (verto „quid facturos esse illos censemus reputantes etc.”). Non serio Adam scripsisse mihi videtur haec „The voice should pause a little between *ἐκείνους* and *τοὺς ἡγουμένους*.” Post pauca Richards (Class. R. 1894) Stephano praeunte coniecit ἔπος <διατελεῖν> λέγοντας κτλ., at non difficilia explicatu illa participia sunt: scripsit auctor λέγοντας pro λέξειν, cum illud τί οἰόμεθα δράσειν praecise dictum sit pro τί οἰ. δράσειν καὶ πῶς ἐναντιώσεσθαι. Itaque nil mutandum est.

P. 495 B: Miror Adamum scripsisse „Jowett wrongly connects *εἰς* with *βελτίστης*”. In proximis Naber (Comment. Plat. I 1862 et Mnem. 1908) conī. ἔταν (sc. οὔτοι οἱ ἄνδρες) ταύτη pro οἱ ἄν ταύτη, sine causa (cf. § D οἱ ἄν κομψόταται κτλ.); vertendum est „scilicet ex illorum hominum numero ii, qui etc.”. Utrumque dici potest.

P. 495 C: Heusdio corrigenti οἱ μὲν οὐδενὸς <ἀγαθοῦ>, οἱ δὲ πολλοὶ πολλῶν κακῶν ἄξιοί εἰσιν Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 34 sq.)

recte adversatus est; tum enim αἴτιοι legendum fuerat (cf. Euthyph. 3 A, Lysiae orat. c. Erat. 48 ἀγαθοῦ μὲν οὐδενὸς μετέσχευεν, κακῶν δὲ πολλῶν). Cum vero vulgata l. nullam praebeat antithesin, ἀγαθοῦ inserto ἄξιοι in αἴτιοι mutandum est. Fallitur Naber (Mnem. 1908) putans mutando ἄξιοι in αἴτιοι iam omnia se bene habere. Inter ΟΥΔΕΝΟΣ et ΟΙΔΕ πολλοὶ facillime ἀγαθοῦ excidere potuit. — V<sup>m</sup> l. καθορῶντες γὰρ <αὐ> ἄλλοι Stallb. in edit. II iure deseruit. De more ἄλλοι abundanter additum videtur.

P. 495 D: Part. ἐφιέμενοι ad τυγχάνουσιν referri oportet, nisi forte Plato εἰσὶ ad ἐφιέμενοι cogitans (conf. 368 B λελειμμένοι sc. εἰσί, Legg. 782 D καὶ σφόδρα λεγόμενα sc. ἐστί) negligentius alteri membro ὑπὸ δὲ κτλ., quod in longum excreverat, τυγχάνουσιν pro τυγχάνοντες (v. l.) addidit. Utut est, verba ἢ οὐκ ἀνάγκη ad οὕτω καὶ τὰς ψυχὰς . . . βαναυσίας spectant, quod Adam (ed. I) non animadvertens sequentibusque (496 A) τί δέ; τοὺς ἀναξίτους κτλ. vim praeipiens dub. coniecit ἀποτυγχάνουσιν. — In § E Naber (Mnem. 1908) ci. Φαλακροῦ καὶ σιμοῦ (pro σιμικροῦ) conferens Theaet. 143 E, cui assentiri dubito. De lusu verborum λελυμένου . . . λελουμένου vide me ad 363 D. Addas velim Prot. 336 B οὐ καλῶς λέγεις, ἔφη, ὦ Καλλία, Legg. 792 E τὸ πᾶν ἦθος διὰ ἔθος, Cratyl. 405 B ὁ ἀπολούων τε καὶ ἀπολούων. Cum risu scriptor ea de re se excusavit in Symp. 185 C dicens διδάσκουσι γὰρ με λέγειν οὕτως οἱ σοφοί.

P. 496 A: Herwerdeno (Mnem. 1891) in paragraphi principio verbum διαφέρει delenti non adversor; vide me ad 484 D. Οὐ πάνυ sine verbo fortius est negantis (cf. 495 A in.). V<sup>a</sup> l. τί δαί a recentissimis editoribus iure spreta est. Post pauca Astio vocem ἄξιον (cod. Vind. F exhibet οὐδὲ Φρονήσεως ἀληθινῆς ὡς ἄξιον ἐχόμενον) spuriam esse iudicanti recentes editores (praeter Schneiderum) recte assensi sunt; vid. praeterea Cobetum (Mnem. 1862 p. 165) et I. I. Hartmanum (De Emblem. etc. p. 95) et conferas Euthyd. 306 C ult. λέγει ἐχόμενον Φρονήσεως πᾶνγμα. Fuerunt tamen — et fortasse existent — qui ἄξιον dimittere non ausi alii alia commenti sint: v. c. Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 38) οὐδὲν γνήσιον οὐδὲ <οὐδενὸς> ἄξιον, ὡς (v. l.) οὐ Φρονήσεως



ἀλ. ἐχ., Campbell *Φρονήσεως ἀξίως* (v. l. *ἄξιον ὡς*) ἀλ. ἐχ., quae citasse sufficit.

P. 496 B: Optimorum codd. l. ὑπὸ Φυγῆς καταλειφθέν editores probarunt exceptis Astio (*καταλειφθέν* — v. l. — edidit) et Baitero, qui Madvigii c<sup>sm</sup> recepit. Sed interpretatio „cohibitum, retentum, impeditum sc. quominus philosophiam deserat” (sic Schneider Campbell <sup>1</sup>) Adam — „arrested by exile” — sequentia μείναν ἐπ’ αὐτῇ otiosa reddit. Quod Herwerdenus (Mnem. 1884) sentiens coniecit Ἀπὸ Φυγῆς καταλειφθέν . . . <ῆ> ἀπορία κτλ. <sup>2</sup>), at sic causa τοῦ καταλειφθῆναι deest neque Φυγῆ commode pro *fuga philosophiae* dici potest. Ipse cum aliis Stallbaumium verentem „ab exilio comprehensum” probans corrigatur suadeo που [ὑπὸ] Φυγῆ (pro Φυγῆς); ὑπὸ e praegresso που natum esse mihi videtur. Verbum καταλαμβάνεσθαι de periculis sive calamitatibus afflictis non est inusitatum (cf. 387 E Tim. 43 C). Futurum διαφθερούντων indicat illarum rerum vim homines effugere non posse. Quattuor autem τῶν κατ’ ἀξίαν ὀμιλούντων Φιλοσοφία genera a Platone respiciuntur: unum eorum qui e magna civitate expulsi ἀπορία τῶν διαφθερούντων μένουσιν ἐν τῷ ἐπιτηδεύματι, alterum τῶν in exigua civitate τῶν πολιτικῶν μὴ ἀπτομένων, tertium verbis βραχὺ δέ πού τι κτλ. significatur, quarti denique exemplum Theages proponitur. Quae docti viri praeterea excogitarunt, sunt haec: Astius ὑπὸ Φυγῆς καταλειφθέν (v. l.) interpretatus est „propter exilium a communiōne hominum destitutum”, sed vereor ut καταλειφθέν pro μόνον καταλειφθέν sive μονωθέν dici possit; Faehse et Heusdius ἀπὸ Φυγῆς καταλειφθέν suaserunt, Madvigijs (probante Baitero) coniecit ὑποφυγῆ καταλειφθέν („suffugio relictum”), Naber denique (Mnem. 1908) ὑπὸ σχολῆς, quod continuo sequatur ἀπορία τῶν διαφθερούντων κτλ. — In eadem sententia Cobetus (nota ms.) Φύη pro Φυγῆ correxit et ἐν αὐτῇ pro ἐπ’ αὐτῇ (conf. 494 A) postulavit, sed plurimi loci l. ἐπὶ tuentur.

1) „Detained by exile sc. from deserting philosophy”.

2) „A fuga cohibitum” i. e. „alios retinet praeter indolis praestantiam bona educatio”. Tria genera vir. d. hic respici putabat; secundum genus est eorum, qui „deficientibus qui corrumpant, indole sua in philosophia perseverant”.

P. 496 C: Cobeto (Mnem. 1862 coll. Herod. 3.140 Xen. Cyr. 7. 5. 45; vid. praeterea exempla a Stallb. ad Plat. Apol. 17 B congesta) *τινι* [ἄλλω] ἢ οὐδενί corrigenti unus Baiter iure paruit (requiritur enim „vix uni”). Hirschigius (Gorgiae edit. p. 54) conferens Gorg. 471 E (ὁ δὲ τὰναντία λέγων <ἦ> ἕνα τινὰ παρέχεται ἢ μηδένα) propter ἡμέτερον illud ἄλλω ferri posse iudicabat. In subsequentibus C. Liebholdus (Philologus 1876) pro vulgato *οἱ γενόμενοι* sine causa neque eleganter *οἱ ἐλόμενοι* excogitavit.

P. 496 D: Primus Schneider l. τῷ δικαίῳ pro τῶν δικαίων recepit. C. Liebholdus (l.l.) *σπουδάζει* pro *σώζει* contra sententiam suasit. Continuo post Herwerdenus (Mnem. 1884) coniecit ὡςπερ εἰς θηρία ἀνθρώπους (pro -πες, i. e. εἰς τοὺς πολλοὺς) ἐμπεισῶν, male ni fallor; nam primum opus erat <τοὺς> ἀνθρώπους (illos homines), deinde maior vis in verbis inest, si τὸ ἐναντιοῦσθαι τοῖς πολλοῖς cum τῷ εἰς θηρία ἐμπίπτειν quam si tantummodo οἱ πολλοὶ cum θηρίοις componuntur. Vulgatae enim sensus est hic: ut homo in bestias incidens perit, sic et ille vir, quia neque una iniuste facere vult neque unus cunctis obsistere potest, certo certius peribit (προαπολόμενος). Idem (l. c.) mavult legi ἀγρίοις <οὔσιν>, at vide § B εὐφυὲς (sc. ὄν) ἐπ' αὐτήν, 387 E ult. σπουδαίαις (sc. οὔσαις). In proximis Heusdii c<sup>m</sup> ξυνδάκνειν omnes iure spreverunt. — Post pauca Hemsterhusius in suo Platonis exemplari Lugduni Bat. asservato annotavit „scribendum οἶον ἐν χειμῶνι καὶ ζάλη κονιορτοῦ, nisi potius plane sit omittendum χειμῶνι καὶ (sic: οἶον ἐν ζάλη κονιορτοῦ ὑπὸ πν. Φερ.)”. Posterius, quod et Herwerdenus (Mnem. 1884) excogitavit et Themistius (qui quinque fere saeculis ante Suidam et Photium vixit) Or. 8 p. 104 C — nisi quod ὡςπερ pro οἶον scripsit — exhibet <sup>1)</sup>, mihi perplacet; prius (ἐν χ. καὶ ζάλη κον. σ. κον. ζάλη) Richards (Class. R. 1894) quoque coniecit mendique originem luculente indicat. Vulgata hanc ob rem non ferenda est, quod ζάλη <sup>2)</sup> i. e. μεγάλη ἄελλα (quam saepe imber comitatur) nequit ὑπὸ πνεύματος φέρεσθαι dici. Astius ζάλης

1) Vid. etiam Max. Tyr. Diss. 21 p. 416 ζάλη καὶ ἀμηχανία κυκωμένους.

2) Plat. Tim. 43 C ζάλη πνευμάτων ὑπὸ ἀέρος φερομένων καταληφθείη.

interpretatus est „Regengüsse”, at tum *Φερομένων* opus esset. Quis Adamo scribenti „It is not well to mar the wonderful force and beauty of writing such as this by tasteless and inept coniectures” assensusus est?

P. 497 B: Distinguendum sic *Φιλοσόφου Φύσεως*, διὸ . . . αὐτήν· ὥσπερ (sc. γὰρ) κτλ. Codicum APF l. ἦθος pro εἶδος inde a Schneidero omnes editt. iure receperunt; voci δύναμιν enim magis ἦθος quam εἶδος convenit. Illud ἐξίτηλον valet „vim suam amittens”.

P. 497 C: Vindob. F l. <τὰ> τῶν ἐπιτηδεύματων Astius (1814) probrat, fortasse recte; sunt enim *Φύσεις* agentia, *ἐπιτηδεύματα* vero ea quae aguntur. V<sup>am</sup> l. εἰ αὐτῇ pro εἰ αὕτη Stallbaum (1859) recepit, quod ferri posset, nisi in responso αὕτη legeretur.

P. 497 D: In verbis *Φόβω ὧν ὑμεῖς ἀντιλαμβάνόμενοι* κτλ. istud ὧν est τούτων, ἃ ὑμεῖς ἀντιλαμβάνόμενοι scilicet μου: non res quarum ἀντελάβοντο significare voluit scriptor, sed τὰς ἀντιλήψεις i. e. ea quae ἀντιλαμβάνόμενοι dicebant (sic Ast et Campbell). Eiusmodi ἀντίληψις occurrit 419 A (vid. 465 E ult. οὐκ οἶδα ὅτου λόγος ἡμῖν ἐπέπληξε ὅτι τοὺς Φύλακας οὐκ εὐδαιμονας ποιοῖμεν); conferatur etiam 504 E ult. αὐτὸς διανοεῖ ἐμοὶ πράγματα παρέχειν ἀντιλαμβάνόμενος. Adam contra cum aliis explicans ὧν per ἐκείνων ὧν — „the topics to which cleaving you etc.” — scriptoris consilium pervertit: non τόπους, sed λόγους Socrates respicit. Herwerdeni (Mnem. 1884) dubitantis c. *Φόβω Ὡς* (*quia*) orationem nimis ieiunam reddit. — In praegressis ὅτι δεήσοι τι αἰεὶ ἐνεῖναι ἐν τῇ πόλει λόγον ἔχον τῆς πολιτείας τὸν αὐτόν, ὅνπερ κτλ. voce τι ἔχον significantur magistratus, οἱ ἐπιστάται (412 A ult.), quos eadem ratione politica uti oportet, qua Adimantus usus erat sive quos de legibus atque institutis eodem (i. e. ratione innixo) consilio uti oportet, quo A. usus erat. Imprimis enim τὸ τῇ ὄλῃ πόλει βέλτιστον καὶ ξυμφοράτατον assequi magistratuum esse dicitur 412 DE 413 C 519 E 521 B 540 D ult. alibi. Philosophiae opera eo perveniunt. Itaque necesse est philosophos πόλεως ἐπιστατεῖν. Sed non recte philosophiae studium instituitur (497 E sqq.) neque ἰκανῶς (*Φόβω*

ὧν ὑμεῖς ἀντιλ. κτλ.) magistratum (Φυλάκων) ἐκλογὴν (quo spectant ista δεήσοι τι ἀεὶ ἐνεῖναι) tractaverat, quam ob causam τὸ τῶν ἀρχόντων ὡσπερ ἐξ ἀρχῆς μετελθεῖν (502 E) δεῖν se dicit. Iam in praegressis libris Socrates τῇ τῶν Φυλάκων παιδείᾳ τε καὶ τροφῇ eorumque ἐκλογῇ tractatā philosophis civitatem administrandam esse idque δυνατόν εἶναι γίγνεσθαι ostenderit, sed fusius nunc haec omnia se tractaturum esse declarat. — Bekkeri c<sup>sm</sup> πάντων pro πάντως Baiter Campbell Burnet iure probarunt (cf. Soph. 218 C 244 C); οὐ πάντως ῥᾶδιον dici potest.

P. 497 E: Miror Naberum (Mnem. 1908) coniecisse εἶπερ <ἄρα>, τὸ μὴ δύνασθαι κτλ.; vulgata sanissima est.

P. 498 A: In verbis οἱ καὶ ἀπτόμενοι (sc. Φιλοσοφίας) istud καὶ valet „revera”. Verba ἄρτι ἐκ παιδῶν ad μειράκια ὄντα pertinent. Sequentia τὸ μεταξὺ οἰκονομίας καὶ χρηματισμοῦ Richards (Class. Rev. 1888) recte interpretatus est „in the interval before keeping house and engaging in business”, Campbell „before they begin to manage property or conduct business” (vulgo prave explicant „interea dum rei familiari et quaestui student”). Prorsus eandem vim locutio τὸ s. τὰ μεταξὺ τινος habet etiam ap. Sophocl. O. C. 291. — Pro μεγάλα (sc. ταῦτα) ἡγούνται sine causa Cornarius coniecit μεγάλα ἀγίονται s. μ. ἀρνούνται, J. A. C. van Heusde (Diss. inaug. 1836 M. T. Cicero Φιλοπλάτων) μεγαλαυχούνται, C. G. Montijn (Diss. inaug. 1864) μέγα τι ἡγούνται. — In scholio ad hunc locum Cobetus (Mnem. 1873 p. 431) corr. Ἡράκλειτος ΒΛΟCωνος (pro ΒΑΘΕωνος) ἘΦέσιος.

P. 498 B: Recte maior pars editorum sic distinxit πᾶν τούναντίον· μειράκια κτλ. — In Legg. 747 B ἡ περὶ τοὺς ἀριθμοὺς διατριβὴ vocatur παιδειον μάθημα. Continuo post v<sup>sm</sup> l. ἀδρῶται Stephanus Bekker Ast Stallb. (1830) iure probarunt, quia sic in eadem imagine versamur. Verbis ὑπηρεσίαν Φιλοσοφία κτωμένους Basilius usum esse Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 2) monuit. — Post pauca Richards (Class. Rev. 1894) coniecit (ἡλικίας) ἐν ᾧ pro ἐν ἧ annotans „ἡλικία: their years, not any particular time of life”<sup>1)</sup>, optime ni fallor: Plato scripturus

1) Dicitur tamen ἡλικία γάμου et alia huiusmodi.

fuerat ἡκούσης δὲ τῆς ἡλικίας, ἐν ἣ κτλ. neque commode προϊούσης et ἄρχεται in vulgata l. coniunguntur (προϊούσης δὲ τῆς ἡλικίας valet πρεσβυτέρως δὲ γιγνομένου). Non veri est simile vulgatam, ut Campbell putat, praecise dictam esse pro προϊούσης δὲ τῆς ἡλικίας καὶ ἀρχομένης ταύτης τῆς ἡλικίας, ἐν ἣ κτλ. Burnetus qui c. Bekkero Stallb. Herwerd. (Mnem. 1884) recte τελεωθῆσαι scripsit, in 487 A τελεωθῆσι, in 377 B τελεωθῶσιν edidit!

P. 498 C: Verba ἀφέτους νέμεσθαι bene Γρου interpretatus est „se livrer en entier à la philosophie”. — Particulam γε post λέγειν in duobus codd. omissam hic ferri non posse iure Herwerdenus (Mnem. 1891) censebat. Ad προθύμως cf. 497 E. Continuo post Stephani c<sup>am</sup> ἀντιτενεῖν (pro praesenti) rectissime Ast Cobetus (Mnem. 1875 p. 346) Baiter Adam (ed. I 1897) probarunt (cod. Mon. q<sup>2</sup> ἀν ἀντιτείνειν), sed praeterea commendo πειθομένους pro πεισομένους. A. Bastien vocem διάβαλλε non male interpretatus est „Ne va pas, je te prie, nous brouiller”.

P. 498 D: Hirschigio (Argum. Socrat. etc. 1862 et edit. Gorg. 1873) corrigenti οὐδένα (sc. χρόνον) pro οὐδέν (Mon. q corr. οὐδέν) iure Madvig Baiter Herwerd. (Mnem. 1884) assensi sunt. Fallitur Adam putans huic coniecturae obstare 608 C οὐδέν μὲν οὖν, ἔφη, ubi Hirschigius l. c. postulabat οὐδεῖς. — In sequentibus, § D οὐ γὰρ πώποτε usque ad 499 A ult. πόρρωθεν ἀσπαζομένων, Plato primum sophistarum orationis formam, deinde eorum argumenta et sententias notat. Verbis autem οὐ γὰρ πώποτε εἶδον (οἱ πολλοὶ) γενόμενον τὸ νῦν λεγόμενον, ἀλλὰ πολὺ μᾶλλον τοιαῦτ' ἄττα ῥήματα ἐξεπίτηδες ἀλλήλοισι ὁμοιωμένα, ἀλλ' οὐκ ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου ὥσπερ νῦν συμπεσόντα Plato eorum orationis formam variis figuris (σχημάσι) exornatam carpit, sed quo ista τοιαῦτ' ἄττα ῥήματα referenda sint docti dubitant. Quibus verbis alii significari existimant sermones de eisdem fere argumentis habitos, quae opinio vituperanda est propterea quod inauditum propositum et forma orationis inter se componi nequeunt; alii τοιαῦτ' ἄττα (ῥήματα) sequentibus ἐξεπίτηδες . . . συμπεσόντα explicari putant, sed ita verba ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου, ὥσπερ νῦν, συμπεσόντα (sponte, ut nunc, inter se congressa) sensu cassa sunt; Adam denique ista τοιαῦτ' ἄττα ῥήματα (eius-

modi fere dicta) ad proxima γενόμενον τὸ νῦν λεγόμενον, quae δμοιοτέλευτον continent, retulit. Postrema opinio unice vera mihi videtur: ridet enim iterum Socrates sophistarum consuetudinem orationes suas ampullis <sup>1)</sup> exornandi simplicitatem sermonis extollens (vid. Apol. 17 BC) <sup>2)</sup> et sic demum istud ὡς περ νῦν (casu enim, οὐκ ἐξεπίτηδες, dixerat δμοιοτελεύτῳ usus γενόμενον τὸ νῦν λεγόμενον) intelligi potest. V<sup>a</sup> l. cod. Par<sup>i</sup> A τσιαυτὶ ῥήματα memorabilis est.

P. 499 A: Par. A ἐπήκοι superscripto ο super οι praebet. In veteribus editionibus καὶ ante μηδάμοσε deletum est Astio non improbante, at sic paene puerilis oratio fit. Nec tamen textus sanus mihi videtur, quum post ἐριστικὰ ista καὶ ἔριν ferri nequeant, quae hanc ob causam delenda censeo καὶ ante μηδ. servato.

P. 499 B: Ad οὔτε πόλις οὔτε πολιτεία οὔδ' ἄν' ἄν' ἄν' ἄν' conferas 449 A in. Ἀγαθὴν μὲν τοίνυν κτλ. — Praeter Hermannum, Iw. Muellerum (Symb. Crit. p. 39) <sup>3)</sup> Campbellium, Adamum (ed. I, male simul ἀνάγκην commendantem) Burnetum omnes editores l. codd. deteriorum παραβάλη pro περιβάλη receperunt non veriti optimos codices deserere, quod l. περιβ. perdura esset (cf. Legg. μοι δόξῃ τις παραπεπτωκέναι καιρός). — Post pauca Schleiermachers c<sup>sm</sup> κατηκίω pro κτήκοι Madvig Baiter Campb. Adam Burnet iure probarunt, nam ἡ τῶν Φιλοσόφων ἀχρηστία (489 B) culpa ipsorum τῶν μὴ χρωμένων αὐτοῖς effecta erat (vid. 502 B εἰς ἱκανὸς γενόμενος πόλιν ἔχων πειθόμενην πάντ' ἐπιτελέσαι τὰ νῦν ἀπιστούμενα). Dub. suadeo κατήκοον.

P. 499 C: Baitero ἄλλως in verbis ὡς ἄλλως εὐχαῖς ὁμοία λέγοντες pro additamento habenti neminem assensum fuisse

1) Audi Dionysium de Isocrate αἱ τε παρομοιώσεις καὶ παρισώσεις καὶ τὰ ἀντίθετα καὶ πᾶς ὁ τῶν τοιοῦτων σχημάτων κόσμος κτλ. et videatur imprimis F. Blass, Die Attische Beredsamkeit.

2) Apol. 17 B οὐ μέντοι ... κεκαλλιεπημένους γε λόγους, ὡς περ οἱ τούτων ... ἀλλὰ (ἀκούσεσθ') εἰκὴ λεγόμενα τοῖς ἐπιτυχούσιν ἐνόμασιν.

3) „Transitive ita dictum esse statuas ut infin. ἐπιμεληθῆναι obiecti vices gerat“, cui opinioni sequentia ἐμπέση, ἀνάγκη γέγονεν non favent.

vehementer miror. Paulo post ἢ [καί] νῦν ἔστιν legatur velim. In sequentibus ἐκτὸς interpretamentum vocis πόρρω mihi esse videtur. — Ad τῷ λόγῳ διαμάχεσθαι in § D conf. Phaedon. 106 C Thucyd. 3. 42 in., ubi τῷ λόγῳ omissum est.

P. 499 E: Languet v. l. ἀλλ' οἶαν (τοι δόξαν κτλ.), quam pro vulgato ἀλλοίαν post Stephanum et Astium (dubitantem) unus ni fallor Hermannus (sic distinguens κατηγορεῖ, ἀλλ' οἶαν κτλ.) in-  
vitis optimis codicibus recepit. In eius editionis praefatione post ἀλλ' mente λογισζόμενος supplebat.

P. 500 A: Quum verbis ἀλλοίαν δόξαν, quae in 499 E in melius mutatam sententiam declarant, in proximis (500 A) *preius* iudicium magno cum Platonici sermonis perspicuitatis detrimento significetur, optimorum codicum lectioni <sup>1)</sup> ἢ καὶ ἐὰν οὕτω (an, si vel sic) θεῶνται, ἀλλοίαν τοι φήσεις αὐτοὺς δόξαν λήψεσθαι καὶ ἄλλὰ ἀποκρινεῖσθαι; vitium subesse suspicati multi quam lenissima mutatione mederi conati sunt: Schleiermacher haec sine interrogatione enuntiata censens varias l.l. [ἢ] καὶ et ἀλλοίαν τε probavit, Astius ἢ καὶ, ἐὰν κτλ. edidit, Stallbaum (1830) — probantibus Campb. et Adamo (1897) — ἢ οὐκ (v. l.), ἐὰν . . . ἀλλοίαν τε (v. l.) φήσεις κτλ.; Madvigius iusto audacius ἢ καὶ ἐὰν οὕτω . . . ἀπιστεῖς (pro τοι φήσεις) coniecit, Vermehren (Plat. Stud.) ἢ γάρ, ἐὰν κτλ., D. Peipers (Philol. Anz. III) ἢ καὶ σύ, ἐὰν κτλ., Baiter denique ἢ καὶ ἐὰν οὕτω θεῶνται, ἀλλοίαν τ' οὐ φήσεις (i. e. negabis) κτλ. Postrema c<sup>a</sup> mihi, ut Adamo (1902 ed. II) maxime placet. Burnetus totam sententiam ἢ καὶ ἐὰν . . . ἀποκρινεῖσθαι excludens abruptum sermonem reddidit. Pro οὕτω θεῶνται Richards (Class. Rev. 1894 coll. 500 DE) οὕτω sive τοῦτ' αἰσθάνται sine causa opinor coniecit.

P. 500 B: Schneideri c<sup>am</sup> λοιδορουμένοις τε αὐτοῖς Ast. (Lex. Platonic.) Stallb. (1850) Adam C. Ritter („Der Staat” p. 85 in calce) recte probarunt non quo sic salsius falsi illi philosophi

1) Hanc secuti sunt in suis editionibus Bekker Schneider Hermann (in praegressis — 499 E — ἀλλ' οἶαν edens) Stallb. (ed. Goth. II 1859), nisi quod duo postremi τε (v. l.) pro τοι praebent.

notentur, sed quia eorum non intererat τοῖς πολλοῖς λοιδορεῖσθαι (absurde Stallb. 1830 αὐτοῖς ad Φιλοσόφους retulit: Φιλολοιδόρους istos homines Plato dicit et Φιλαπεχθήμενας). Paulo post v<sup>m</sup> l. πρέποντα pro πρέπον, quod linguae usui convenientius est, unus Stallb. rectissime recepit. Ad πολὺ γ' mente suppleatur ἤκιστα πρέπον(τα), ut Campbell et Adam praecipunt; cf. 402 D 453 A. — Ad περι ἀνθρώπων B. Aubé (La République, VI livre 1898) annotavit „Platon indique le caractère plus polémique que scientifique de la sophistique”.

P. 500 D: Conferas ad εἰς τὸ δυνατόν ἀνθρώπῳ ea quae 383 C leguntur καθ' ὅσον ἀνθρώπῳ ἐπὶ πλεῖστον οἶόν τε. Sequentia διαβολὴ δ' ἐν πᾶσι πολλὴ significare videntur „sed nusquam obtrectatio abest”. I. Adam annotat „ἐν πᾶσι is neuter: albeit misrepresentation is rife everywhere”. Conferatur 502 D εἰδότες ὡς ἐπιφθοροὺς τε καὶ χαλεπὴ γίγνεσθαι ἢ παντελῶς ἀληθῆς. — Ad δημοτικῆς ἀρετῆς quodammodo conferri potest Phaedon. 61 A ult., ubi Φιλοσοφία (summae musicae) opponitur ἢ δημῶδης μουσικῆ. — In § E sub finem malo οὐ<κ>, ἣ δ' ὄς, ἐάνπερ κτλ. deleto χαλεπανοῦσιν; conf. e multis 480 A καὶ ἄρα ... χαλεπανοῦσιν ...; Οὐκ, ἂν γ' ἐμοὶ πείθωνται.

P. 501 A: Omnium fere codd. l. διενεγκεῖν (pro διενέγκοιεν) unus Schneider iniuria servavit (vid. Iw. Mueller Symb. Crit. p. 40 sqq.). In eadem sententia Cobetus (Mnem. 1862) solo Baitero probante ἐγγράφειν (cf. § B ἐγγράφοιεν) pro γράφειν corrigendum censuit, quae coniectura comparisonem mancam reddit. Componuntur enim hic Platonici νομοθέται cum τοῖς ἄλλοις. Utrique γράφουσι νόμους, sed in hoc uno οἱ ἄλλοι differunt (εὐθύς, inquit, τῶν ἄλλων διενέγκοιεν), quod non priusquam munere legum scribendarum (τῷ γράφειν νόμους) fungi incipiant, civitatis constitutionem, qua cives utuntur, quasi tabulam radunt. Mendo tamen textum vulgatum inquinatum esse Richards (Class. R. 1894) intellexit, nam ἰδιώτου καὶ πόλεως ἔψασθαι nihil aliud significat quam γράφειν νόμους de iure privato et iure publico. Rectissime igitur Richards verba μήδε γράφειν νόμους pro interpretamento habuit.



P. 501 B: Ad ἀποβλέποιεν πρὸς τε τὸ Φύσει δίκαιον conf. imprimis 484 C εἰς τὸ ἀληθέστατον ἀποβλέποντες . . . οὕτω δὴ καὶ τὰ ἐνθάδε νόμιμα καλῶν τε πέρι . . . τίθεσθαι κτλ. Miror (Stephanum) Schneiderum Baiterum Adamum in verbis καὶ πρὸς ἐκείνο αὖ τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐμποιοῦεν<sup>vsm</sup> l. αὖ ὁ (sic etiam Eusebius, Hierocles ap. Photium) servasse, cum illud δίκαιον ὁ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐμποιοῦσι (constituunt) iam ipsius divini<sup>1</sup>) δικαίου sit imago ad hominum imbecillitatem accommodata<sup>2</sup>). Itaque unice vera est omnium fere codd. l. πρὸς ἐκείνο αὖ τὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις (sc. δίκκιον), qua significatur modus iustitiae quem natura humana capere possit sive qui humanam indolem ac naturam non excedat, ut uno verbo dicam, *infirmata hominum natura*. Defectum autem copulae, quam admissa lectione αὖ τὸ verborum nexus postulat, aliter alii resarcire conati sunt: Ast <καὶ> [ἐμ]ποιοῦεν suasit, Stallbaum ἀποβλέποντες, Schleiermacher (probante Iw. Muellero Symb. Cr. p. 43) ἐμποιοῦεν<τε>. Postrema mutatio mihi maxime placet. Obiectum quod dicitur participiorum ξυμμειγνύντες τε καὶ κερχνύντες non τὰ ἐπιτηδεύματα esse puto, sed duo δικαίου genera. Verba ἐκ τῶν ἐπιτηδευμάτων, nisi spuria (prorsus enim abundant), cum ἐμποιοῦεν iungenda censeo, ut significetur: „et e variis studiis quae tum constituerint, τὸ ἀνδρείκελον, efficient”. In ult. sententia argumentationi subvenias legendo [θεοειδές τε καὶ] θεοείκελον.

P. 501 C: In proximis Badhami verissimam ac lenissimam c<sup>sm</sup> θεοειδῆ pro θεοφιλή Baiterum recepisse gaudeo: respiciuntur praegressa ἀπ' ἐκείνου τεκμαιρόμενοι κτλ. Audiatur etiam Cobetus (Mn. 1862 p. 171) „Proponitur enim pictoris imago (πολιτειῶν ζωγράφος 501 C), qui λαβῶν ὡσπερ πίνακα πόλιν τε καὶ ἤθη ἀνθρώπων (501 A) primum extremis lineis describit, deinde coloribus illuminat civitatis formam sic ut deorum referat similitudinem”. — Verba ὅτι μάλιστα ad ἀνθρώπεια pertinere Schleier-

1) Τὸ ἐν φύσει est τὸ ὄν, τὸ ὄντως ὄν coll. Parm. 132 D ἐν τῇ φύσει ἐστάναι et Theaet. 176 E ἐν τῷ ὄντι ἐστάναι. Videatur et Resp. 597 B-E, Parm. 134 D τὰ παρ' ἡμῖν, alia.

2) C. Liebhöldi (Philologus 1876) emendandi conatus πρὸς τὸ ἐκείνο αὐτὸ ἐν τοῖς ἀνθρώποις ἐμποιοῦν sensu caret. Barneti emendatio ἐκεῖν' pro ἐκείνο nullius momenti mihi videtur.

macher et Schneider iudicabant, sed homo et vitia et virtutes habet, deus vitiis caret. Ceteri editores ὅτι μάλιστα . . . εἰς ὅσον ἐνδέχεται inter pleonasmos (cf. 499 A ξυντεταμένως ἐκ παντός τρόπου) ponunt. Mihi ista suspecta sunt, sed utique <τὰ>, quae est varia l., vel τάνθ. legendum erit. — Ad verbum ἔφησθα (ἰέναι) A. Bastien monuit in annotatione non Adimantum, sed Glauconem id dixisse.

P. 501 D: Verbum Φήσειν, quo facile caremus neque explicari potest nisi duriore anacolutho admissio Madvigius (uno Baitero probante) interpolatori reddidit. Adam Φήσει (non adversante Burneto) suasit (v.v. l.l. Φήσεις et Φύσει) mente supplens τις; quamquam sequitur plur. ἀγριανούσι, singularis (Madvig annot. „rectum erat Φήσουσι”) defendi potest loco in 380 B τὸν ποιητὴν (post pluralem αὐτοῖς illatum sequente plurali λέγοιεν). Quum vero saepius Φήσειν, Φάναι, Φήσει e margine in textum irrepserint, malo Madvigium sequi. An forte in praegressis legendum τὴν τοιαύτην <Φύσιν> τυχοῦσαν delete Φήσειν (ex Φύσιν a correctore in margine addito nasci potuit Φησιν, Φήσειν, Φύσει)?

P. 501 E: Ellipsin vocis ἀγριαίνειν post μὴ ἦττον Φῶμεν non ferens Herwerdenus (Mnem. 1884) post αὐτοὺς intercidisse χαλεποὺς v. πικροὺς vel simile quid, Richards autem (Class. R. 1894) ἀγρίους suspicatus est. Magis mihi Richardsi c<sup>o</sup> αὐτοὺς <ἀγρίους> placet. Ellipsis orationem obscuram reddit, quia etiam πράους supplere licet. — Verba καὶ πεπεισθαι deleantur, ne sequens δμολογήσωσιν inutile fiat.

P. 502 A: Astii c<sup>am</sup> εἰ μὴ τι, ἀλλὰ (pro εἰ μὴ τι ἄλλο) iure soli Schneider (in notis ed. Lips.) Hermannus Burnet probarunt. Hac enim locutione significatur non id fieri quod aequum vel optabile videatur. Conferas Menon. 86 E εἰ μὴ τι οὖν, ἀλλὰ σμικρόν γε . . . χάλασον (non σμικρόν, sed πολὺ χαλᾶν debuerat), Demosth. 50 § 16 εἰ μὴ τι, ἀλλ' οἷ γ' ἐκ καταλόγου . . . παρέμενον (non hos tantum, sed πάντας μένειν oportuerat), Resp. 502 A ἴνα, εἰ μὴ τι, ἀλλὰ αἰσχυνθέντες . . . δμολογήσωσιν (non erubescentes tantum, sed laetos ac laudantes δμολογεῖν eos aequum erat), ibid. 509 C καὶ μηδαμῶς γ', ἔφη, παύσῃ, εἰ μὴ τι, ἀλλὰ

τὴν περὶ τὸν ἥλιον κτλ., alia. Fere igitur εἰ μὴ τι, ἀλλὰ „saltem” significat.

P. 502 B: Inde ab Astio editt. — praeter Campb. et Burnetum — v. l. (ὅστις) ἀμφισβητήσῃ pro ἀμφισβητήσῃ iure probarunt. In sequentibus ἀλλὰ μὴν, ἣν δ' ἐγώ, εἰς ἰκανὸς γενόμενος alii ad γενόμενος cogitant τοιοῦτος (Iw. Mueller Symb. Cr. p. 30; Ficinus vertens „natura sic institutus”) vel φιλόσοφος (Stallbaum „ubi natus fuerit philosophus”), alii vocem absolute dictam putant (Schneider „si exstiterit”, Campbellius „were he to arise”). Posterius sententiarum decursui aptius est. Coniecturis locum vexarunt Baiter (ed. III<sup>a</sup>) post ἀπιστούμενα in textu ἰκανὸς iterans et Richards (Class. Rev. 1894) postulans <σῶς> γενόμενος vel γενόμενός <τε καὶ σ. γ.> vel simile quid.

P. 502 D: Pro ἐνέσονται, cui voci Cobetus in suo Platonis exemplari Lugduni Bat. asservato dubitationis signum apposuit, Richards (Class. Rev. 1894) γενήσονται v. ἐγγενήσονται commendavit (coll. ex. gr. 521 C τίνα τρόπον οἱ τοιοῦτοι ἐγγενήσονται). Ipse nil mutandum censeo; vid. 497 C ult. ὅτι δεήσοι τι αἰεὶ ἐνεῖναι ἐν τῇ πόλει κτλ. In proximis, ni fallor, propter τὴν τε — καὶ corrigere praestat παιδογονίας (genit.) pro — γονίαν; etiam in § E τὰ μὲν δὴ τῶν γυναικῶν τε καὶ παιδῶν illas res coniunctas invenimus. — In § E δεῖν αὐτοὺς κτλ. voce αὐτοὺς significantur ii, qui futuri sunt ἄρχοντες; vid. 503 A τὸν δὲ . . . στατέον ἄρχοντα.

P. 503 A: Propter τε — καὶ alterum φαίνεσθαι (post μεταβολῆ) mihi displicet. In sequentibus ὥσπερ χρυσὸν dictum est pro ὥσπερ χρυσός, cf. Phaedon. 104 A τοῦ περιττοῦ ὄντος οὐχ οὐκ ἐπὶ τῆς τριάδος, Xenoph. Cyr. I 4 § 15 Κύρω ἦδετο οὐ δυναμένῳ σιγαῖν ὑπὸ τῆς ἡδονῆς, ἀλλ' ὥσπερ σκύλακι γενναίῳ ἀνακλάζοντι. — Cobeto verba καὶ ἄλλα exsulare iubenti editores obtemperare oportuerat, nam ἄλλα vivis tantum dari possunt. Etiam in 414 A mortuis non ἄλλα, sed γέρα tribuuntur. Dubito Nabero (Mn. 1908) in sequentibus περικυμπτομένου postulanti pro παρακυμπτομένου (in Par<sup>o</sup> A λυ scriptum esse ita ut facile pro μ haberi possit Duebner monuit) assentiri. Nam primum sensu intransitivo potius κάμπτειν quam κάμπτεσθαι dicitur (cf. Enthyd. 291 C

περικάμψαντες), deinde παρακαμπτομένου aptius foret quam περικ., postremo bis idem verbis παρεξιόντος et παρακμπτομένου diceretur. Imago, quam vox παρακαλύπτεσθαι (oculos manu vel vestimento tegere) exprimit, etiam 439 E ult. occurrit.

P. 503 B: Codd. l. δκνος (pro δκνον) praeter Bekk. et Astium omnes editt. necnon Stallbaum (1859) recte probarunt (in 450 D legitur δκνος sine ἐστὶ); frustra hic Richards <ἦν> ἔφην et in 484 A Herwerdenus (Mnem. 1884) μὴ πολλὰ <ἦν> τὰ λοιπὰ postulasse mihi videntur. — Par' A l. διεσπασμένη (sic omnes fere codd.) editores (praeter Stephau. et Astium) iure servarunt coll. Phil. 15 B εἴτε διεσπασμένην (μονάδα) καὶ πολλὰ γεγонуῖαν θετέον. Si vero μέρη subiectum esset, tum διεσπαρμένα, quod Bywater (Journ. of Philol. 1881) et Naber (Mnem. 1908) commendarunt, opus esset (cf. 455 D, Legg. 945 C Phaedr. 265 D).

P, 503 C: Codd. lectionem Εύμαθεῖς καὶ μνήμονες καὶ ἀγχινοὶ καὶ δξείς καὶ ὄσα ἄλλα τούτοις ἔπεται οἶσθ' ὅτι οὐκ ἐθέλουσιν ἄμα Φύεσθαι καὶ νεανικοὶ τε καὶ μεγαλοπρεπεῖς τὰς διανοίας οἶο κοσμίως μετὰ ἡσυχίας καὶ βεβχιότητος ἐθέλειν ζῆν servarunt Bekker Schneider Hermann (post διανοίας distinxit) Stallbaum (c. Bekkero post Φύεσθαι dist.) Burnet. Textum mutarunt Heindorfius <sup>1)</sup> (pro-bantibus Astio Campbellio Adamo in ed. I) corrigens Φύεσθαι [καὶ] νεανικοὶ τε καὶ μεγαλοπρεπεῖς τὰς διανοίας <καὶ> οἶο κτλ., Baiter (in Annot. Crit.) transponens verba νεανικοὶ τ. κ. μ. τ. διανοίας ante οἶσθ' ὅτι, quem secutus Adam in ed. II etiam καὶ transtulit, J. J. Hartman (De Emblematis in Plat. textu etc. 1898 p. 42) delens verba νεανικοὶ . . . διανοίας. Etenim diverse haec viri docti interpretati sunt <sup>2)</sup>: Schleiermacher <sup>3)</sup> (cui Susemihl, Iw. Mueller — Symb. Cr. p. 43 sqq. —, Baiter, Adam <sup>4)</sup> assensi sunt) verba καὶ νεανικοὶ τ. κ. μ. τ. μεγ. τὰς διανοίας pro subiecto habuit, Heindorfius contra [καὶ] νεανικοὶ τ. κ. μ. τ. δ.

1) In annotat. ad Theaet. 144 A.

2) Praetereo silentio ineptias a Schneidero et Stallbaumio prolatas

3) Is vertit „Die gelehrigen, undsw. . . , weisst du wohl, pflegen eben nicht, sowie auch die von kühner und grossartiger Gesinnung, zugleich undsw.“

4) „Plato means that natural intelligence and vivacity, with their accompaniments of spirit and highmindedness, rarely go with moral stedfastness“.

〈καί〉 οἷοι praedicative dicta censens τοὺς εὐμαθεῖς simul Φύεσθαι νεανικῶς negavit.

Quibus praemissis meam sententiam dicam. Manifestum est Platonem hic, ut in Theaet. 144 A sqq., exemplo demonstrare voluisse mentis s. ingenii bona (νοῦν) non solere sociari cum animi bonis s. καλοῖς ἤθεσι (ἀρετῇ) Quaerendum igitur videtur utro τὸ νεανικὸν τε καὶ μεγαλοπρεπέες pertineant. In 402 CD Plato μεγαλοπρέπειαν in ἡβῶν numerum refert, in 486 A vir generosus ἀνελευθερίας et σμικρολογίας expers dicitur, in 536 A μεγαλοπρέπεια in ἀρετῆς μερῶν numero est. Vocem νεανικὸν hic propter particulas τε καὶ potius μέγας, γενναῖος (Campbell vertit „a robust . . . character”; cf. Demosth. Ol. 3, 32 ἔστι δ' οὐδέποτε οἶμαι μέγα καὶ νεανικὸν Φρόνημα λαβεῖν μικρὰ καὶ Φαῦλα πράττοντας) quam *ardens*, *fervidus*, *audax* (Adam „full of youthful vigour”) significare veri simile est. Etiam in 535 A sqq. οἱ εὐμαθεῖς opponuntur τοῖς βεβαιοτάτοις, ἀνδρειοτάτοις, γενναίοις τε καὶ βλυσουροῖς τὰ ἦθη. Utrumque igitur ἦθος est. Quae si recte disputata sunt, perspicuum est, si Schleiermacheri (Baiteri, Adami) sententia probetur, Platonem non idoneo exemplo demonstrare τὴν Φιλόσοφον Φύσιν διεσπασμένην solere Φύεσθαι, et *Hein-dorfium* sequatur necesse esse. Iis, qui obiciunt τὸ νεανικὸν τε καὶ μεγαλοπρεπέες non respici in sequentibus οὐκοῦν τὰ βέβαια αὐτὰ ταῦτα ἦθη κτλ., respondeo τὸ ἦσυχον item praeteriri. I. I. Hartmano (loco cit.) verba (καί) νεανικοί τε καὶ μεγ. τὰς διαν. uncis includenti („adscriptit”, inquit, „ista aliquis qui demonstrare vellet cur felicis ingenii homines vulgo non sint placidi otiique amantes”) assentiri dubito, quamquam in vicinis alia additamenta (κοσμίως mihi suspectum, καὶ δυσμαθῶς delet I. I. Hartman, ἄξιον τὸ διανόημα Astius expunxit) deprehensa sunt. Quae si spuria sunt, in malam partem ea adhibuit qui adscriptit.

In eadem sententia κοσμίως interpretamentum mihi esse videtur verborum μετὰ ἡσυχίας (in vulgata enim et μετὰ ἡσ. et μετὰ βεβαιότητος voci κοσμίως apposita sunt) neque adversor C. Liebholdo (Philologus 1877) verbum ἐθέλειν (ante ζῆν) exturbanti: οἷοι sufficit et ἐθέλειν in praegressis alio sensu bis usurpatum est. Quae praeterea idem suasit 〈καλῶς καί〉 κοσμίως et ἄλλ' ὅτι οἱ τοιοῦτοι refutare supersedeo.

P. 503 D: Post pauca putidum emblemata καὶ δυσμαθῶς I. I. Hartmano (De Emblematis etc. p. 73) expungenti nemo sanus adversabitur. In sequentibus Burneto v<sup>am</sup> l. γέ Φαμεν (pro γ' ἔφαμεν) probanti assentior. Subiectum enim verbi μετέχειν non est ἡ Φιλόσοφος Φύσις (nam Φύσις nequit Φιλόσοφος dici, nisi ἀμφοτέρων μετέχει), sed ἡ Φύσις eius qui philosophus est instituendus (cf. supra § B τοὺς ἀκριβ. Φύλακας Φιλοσόφους δεῖ καθιστάναι). Vocabulo αὐτῷ significari eum qui ad philosophiam informandus sit Adam quoque censebat („the pronoun refers to the philosophic guardian that is to be"). Sic praeterea in sequentibus ad δυνατὴ ἔσται facilius ἢ Φύσις αὐτοῦ (i. e. eius qui ἀρχῶν futurus est) cogitari potest. Αὐτὸ significat talium hominum (Φιλοσόφων) genus (ad σπάνιον conf. § B ὀλίγοι ἔσονται σοι sc. οἱ Φιλόσοφοι). Quas ab causas Stallbaumius in § E incaute v<sup>am</sup> l. δυνατός, quae lectori alicui debetur, recepisse et Bywater (Journ. of Philol. 1881 p. 76) iusto audacius δυνήσεται mihi, ut Adamo, videtur coniecisse.

P. 504 A: Adam Casp. Orellii c<sup>am</sup> ἄθλοις (pro ἄλλοις), qua exercitationes faciliores cum γυμνασίοις, difficiliores cum ἄθλοις (certaminibus) componuntur, cum Hermanno et Baitero probavit conferens Axioch. 365 A ὡς γὰρ ἀγωνιστῆς δειλός, ἐν τοῖς γυμνασίοις γενναῖος Φαινόμενος, ἀπολέλοιπας ἐν τοῖς ἄθλοις atque arbitratus insipidam comparisonem institui, sive ἄλλοις ad πόνους φόβους ἠδονάς referatur sive γυμνασίοις mente suppleatur. Mihi textus sanus esse videtur. Spectat enim ἄλλοις ad τὰ γυμνάσια, quibus magistratus explorant an ἀνδρεῖοι et κόσμιοι sint οἱ νέοι et τὸ ἀποδειλιᾶν tam in γυμνασίοις quam in ἄθλοις locum habet (cf. 535 B). Paulo post dub. commendo legatur μαθήματα <τὰ> μέγιστα.

P. 504 B: In sequentibus ὡς μὲν δυνατὸν ἦν κάλλιστα i. e. ὡς μὲν οἶόν τε κάλλιστα verbum ἦν inter ceteros optativos ferri non posse Madvigio primo recte monenti Baiter et Richards assensi sunt. Richards (improbante Adamo) post μὲν excidisse ὡς s. ὅσον s. εἰς τὸ censebat. — In proximis Naber (Comment. Platon. I 1862) et Bywater (Journ. of Philol. 1881) ἐχομένους pro ἐπομένους sermonis elegantiam non curantes suaserunt. Ad

ἐπομένως, de cuius sensu videas 461 E 486 E, αὐτοῖς (i. e. τοῖς προειρημένοις) cogitetur.

P. 504 C: Non illepide Socrates Adimanti responsum ἀλλ' ἔμοιγε μετρίως reprehendit. Sine causa Iw. Mueller (Symb. Cr. p. 48) verba τοῦ ὄντος sollicitavit conciendo τοῦ δέντος; quum τὸ ὄν significet id quod verum ac perfectum sit, mensura ἀτελής a vero recedere dici potest. Verba significant τὸ ἀτελής exemplo aliis esse non posse. — In § D Herwerdenus (Mnem. 1884) concinnitatis gratia παρεῖναι pro παριέναι postulavit.

P. 504 D Astio (1814) verba ἄξιον τὸ διανόημα, quae frigidissime adhaerent, delenti iure assensi sunt (Schleiermacher) Cobetus (Orat. de arte interpret. p. 138, 1847 et Mnem. 1859) Baiter Adam Burnet. Est exclamatio admirantis lectoris, qualem iamprehendimus 496 A. — Richards (Class. R. 1894) verba ὁ μέντοι ... λέγεις ... ἐρωτήσαντα τί ἐστίν vix sana esse demonstrans coniecit ὁ μέντοι μέγιστον μάθημα καὶ περὶ τοιοῦτων (i. e. μεγίστων) λέγεις κτλ.; praestat ni fallor delere verba τί ἐστίν, ut ὁ (in ὁ μέντοι κτλ.) sit ὅ,τι (interrog.), nisi malis corrigere τὸ μέντοι μ. μ. [καὶ] περὶ ὅ,τι αὐτὸ λέγεις deletis verbis τί ἐστίν. Idem vir doctus post pauca recte correxit ἀλλὰ καὶ σὺ ἐρωτᾷς (c. signo interrog.) [pro ἐρώτα, qua emendatione sequentia πάντως κτλ. commode annectuntur.

P. 505 A: In proximis Par<sup>us</sup> A praebet ἢ δίκαια καὶ τᾶλλα (sic Schneider Hermann Adam), codd. Π et F ἢ καὶ δίκαια καὶ τᾶλλα (sic Bekker Ast Stallb. Campb.), Proclus ἢ καὶ τὰ δίκαια καὶ τᾶλλα, quattuor denique codd. non optimae notae ἢ δὴ καὶ τᾶλλα (sic Baiter; Burnet edidit ἢ δὴ καὶ δίκαια καὶ τ.). Propter ea quae 504 D leguntur οὐ γὰρ ταῦτα, ἔφη, μέγιστα, ἀλλ' ἔτι τι μεῖζον δικαιοσύνης τε καὶ ὧν διήλθομεν, lectio ἢ καὶ<sup>1)</sup> δίκαια καὶ τᾶλλα defendi potest (recurrit δίκαια in § D et 506 A). Cum vero in sequentibus (§ A ult., B, E) nudum τᾶλλα voci τῶραθὸν opponatur, nonnullis voc. δίκαια spurium est visum. Itaque Madvig ἢ [δίκαια] καὶ τᾶλλα suasit („δίκαια”,

1) In Parisino A καὶ facillime excidere potuit.

inquit, „insertum ut voci τᾶλλα responderetur”, Cobetus (Var. Lectt.<sup>2</sup>) autem ἢ δὴ καὶ τᾶλλα (quae est v. l. Baitero recepta) iotacismi memor (in Phaedr. 235 A multi codd. δικαιῶν pro δὴ καὶ οὖν praebent, contra Par<sup>us</sup> A in Resp. 352 B δικαίους in δὴ καὶ οὖς mutavit). Ipse v<sup>am</sup> l. ἢ δὴ καὶ τᾶλλα sequar, quae coniecturae deberi mihi videtur et sensum vocis τᾶλλα auget, sed multos hic dubios haesuros esse sat scio. — Post pauca Cobeto (cui J. J. Hartman — De Emblem. etc. p. 38 sq. — assensus est) delenti verba εἰ δὲ μὴ ἴσμεν ne bis idem diceretur, ex editoribus unus Baiter iure paruit.

P. 505 B: In eadem sententia Bekker (quem Schneider Stallb. 1850 Hermann Adam 1902 non secuti sunt) propter praegressum optativum (ἐπισταιμέθα) postulavit κεκτήμεθα (pro -ήμεθα). Non male Adam annotat „To possess a thing ἄνευ τοῦ ἀγαθοῦ is matter of common and daily occurrence; to know everything (except the Good) is not”. — In sequentibus post ἢ πάντα τᾶλλα Φρονεῖν Morgensternio verba ἄνευ τοῦ ἀγαθοῦ inducenti ne bis idem diceretur iure Stallbaum Hermann Cobetus (Mnem. 1862 p. 166) Baiter Iw. Mueller (Symb. etc. p. 37) assensi sunt. Est annotatio eiusdem scioli qui supra ἄνευ δὲ ταύτης verbis εἰ δὲ μὴ ἴσμεν recte interpretatus erat. Paulo post alterum Φρονεῖν deletur; in ultima sede positum μηδὲν sententiae vim addit.

P. 505 C: Par<sup>us</sup> A l. τί θαί, quod mirantis vel indignantis est, male hic recentis editt. (praeter Bekker. Ast. Adam. Burnetum) receperunt. Burnet sic distinxit τί δὲ οἱ τὴν ἡδ. ἀ. ὀριζόμενοι; μῶν κτλ. Idem recte c. Baitero ἐμπλεω (pro -οι) edidit.

P. 505 D: Dub. suadeo legatur ἀγαθά <θ> εἶναι κτλ. Sequentia τί δέ, τὸδε οὐ Φανερόν ... δοκεῖν vitium alere primus Ast suspicatus δοκεῖν in διώκειν mutavit, sed post κεκτῆσθαι verbum διώκειν languet. Sanavit locum Cobetus (Mnem. 1862 p. 166 et Var. Lectt.<sup>2</sup> p. 531) legendo [τὰ δοκῶντα] et [καὶ] δοκεῖν, cui editores praeter Baiterum non assensus esse valde



miror<sup>1)</sup>. Ad *δοκεῖν* conferas 361 B. Verba *καὶ δοκοῦντα* sunt interpretantis ista *κἄν μὴ ἤ* et *τῷ δοκεῖν* respondet infra vox *δέξα*. Improbanda igitur c<sup>a</sup> A. de Bambergii (Philologus 1866) verba *καὶ δοκεῖν* delentis istis *τὰ δοκοῦντα* servatis. Pro *κἄν μὴ ἤ* optini codd. praebent *κἄν μὴ εἶη*, quare Ast (probante uno Burneto) ci. *κἄν <εἶ> μὴ εἶη*, quod non displicet.

P. 506 B: In praegressis (§ A) soli Bekker et Stallb. (1830) Par<sup>a</sup> A l. *παντελῶς* (cf. 502 D) pro *τελέως* receperunt. In § B media optimorum codd. l. *οὗτος, ἦν δ' ἐγώ, ἀνὴρ! καλῶς* ab omnibus fere editoribus iure probata est, sed praeterea legendum *ἀνὴρ* i. e. „heus tu, mi homo”, cf. Aristoph. Ran. 40 *ὁ παῖς*, Theocrit. V 102 *οὗτος ὁ Κώναρος ἄ τε Κιναιῖθα*. Ad *καλῶς* conf. Arist. Lysist. 919 *δήλη ὅτιν καλῶς (προβε)*. Varia l. *οὗτος, ἦν δ' ἐγώ, ἀνὴρ καλός! ἦσθε κτλ.* (sic Ast) non unam ob causam mihi displicet. — Campbellio hic et paulo post (§ C) *τί δαί* pro *τί δέ* edenti non adversor, cum Socrates hic indignationem simulans inducatur, ut novam *σκέψιν* evitet. Conticescens Adimantus cur a Glaucone excipiat Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 20) recte explicavit..

P. 506 C: Hermanno<sup>2)</sup> *σκότια* pro *σκολιά* in § ult. postulanti nemo assensus est. Equidem voce *σκολιά* (manca) *τὰ μὴ ὄρθα* aptius significari puto quam voce *σκότια* (tenebris involuta). Nolo conicere [*τυφλά τε*] *καὶ σκότια* (506 A *ἔσκοτῶσθε*, 508 D *τῷ σκότῳ κεκραμένον*).

(Continuabuntur)

1) R. Kunert (Diss. „Quae inter Clitoph. dial. et Platonis Rempub. intercedat necessitudo” 1881) *καὶ* ante *δοκεῖν* debebat servatis verbis *τὰ δοκοῦντα*.

2) „Eodem modo” inquit „Democritus *σκοτίην γνώμην* a *γνησίῃ* distinguit ap. Sext. Emp. adv. Math. VII 139”.

# SENECA ET IUVENALIS.

SCRIPSIT

JACOBUS VAN WAGENINGEN.



## I.

Legimus apud Hieronymum adversus Iovianum 313 C (c. 47; Migne 23, 289):

„fertur aureolus Theophrasti liber de nuptiis, in quo quaerit, an vir sapiens ducat uxorem”, quae verba catalogum bonarum uxorum (306 B—313 C) excipientia, ipsa brevi libri Theophrasti expositioni (313 C—315 E) praemissa sunt. Theophrastea sequitur altera exemplorum series, malarum uxorum dico, usque ad 318 B, ubi haec verba inveniuntur:

„scripserunt Aristoteles et Plutarchus et noster Seneca de matrimonio libros, ex quibus et superiora nonnulla sunt et ista, quae subiecimus”.

In iis quae subiciuntur (318 B—320 C) agitur de nimio formae amore, qui insaniae proximus dicitur. In priore catalogo semel (307 D) nomen Senecae laudatur: „inquit Lucani patruus”, in ultima parte bis, sc. 318 D: „refert praeterea Seneca” et 319 B: „ait Seneca”. Olim totam fere hanc Hieronymi disputationem praeter pauca Aristotelea et Plutarchea <sup>1)</sup> ex Senecae de matrimonio libro desumptam esse viri

---

1) Felix Boch, Leipz. Stud. 1899, Aristoteles Theophrastus Seneca de matrimonio p. 6, 17 sqq.

docti praeunte Haasio <sup>1)</sup> putabant, quin etiam Friedlaenderus <sup>2)</sup> in praeclaro illo de moribus Romanis libro haud dubitavit fragmentis operis Annaeani deperditi, quae Haasius collegerat, omnibus promiscue uti ad feminarum Romanarum indolem illustrandam, sed nuper Bickelius <sup>3)</sup> in commentatione egregia et luculenta, quamquam in utroque catalogo multa Annaeana inesse confessus est idque novis argumentis confirmavit, tamen epitomam libri Theophrasti, etsi inter duos catalogos intercedit, non per Senecam, verum per Porphyrium ad Hieronymum pervenisse demonstrare conatus est <sup>4)</sup>. At non fugit virum sagacem, quanta sit similitudo inter permultos Iuvenalis versus saturae sextae et Theophrasti de nuptiis epitomam, sed dissentiens a Friedlaendero <sup>5)</sup>, qui hanc similitudinem casui tribuit, Iuvenalem Hieronymo Theophrastea a Porphyrio suppeditata Latine vertenti exemplo fuisse statuit. Mira profecto sententia <sup>6)</sup>, nam si re vera Hieronymus Theophrasti libellum a Porphyrio excerptum in sermonem Latinum vertens Iuvenalis sextam perlegit atque ex ea locos idoneos cum opere suo contexuit, qui fieri potest, ut eius genus dicendi non Iuvenalem redolet, sed colorem duxerit Annaeano tam similem, ut Haasius, vir stili Senecae peritissimus, haud gravatus sit Theophrastea philosopho Cordubensi adiudicare, ipse Bickelius <sup>7)</sup> confiteri cogatur: „nullus ipse nego primo obtutu gravia videri indicia locutionis Annaeanae in loco Theophrasti.” Itaque si similitudo illa, quae inter Iuvenalis saturam sextam et Hieronymi Theophrastea intercedit, neque neganda neque casui tribuenda est, multo veri similis mihi videtur Iuvenalem Senecae de matrimonio librum, in quo

1) Ed. Sen. Haase, Supplem. p. 26—32 (fr. 45—88).

2) Friedländer, Sittengeschichte Roms I\* p. 464, 6; 470, 1, 10; 473, 4; 475, 1.

3) E. Bickel, Diatribe in Senecae philosophi fragmenta; I fragmenta de matrimonio (Lipsiae 1915). P. 382—394 Hieronymi textum (306 B—320 C) rursus edidit, litteris diductis verba, quae Senecae esse censet, significans.

4) l.l. 1—10; 20.

5) Friedländer ad Iuv. Sat. VI (praef.) p. 281; R. Bloch de Ps.-Luc. Am. 301, 5.

6) Bickel, l.l. p. 10—11.

7) Quod hoc loco dat, alibi retractare studet Bickelius demonstrans etiam in aliis Hieronymi operibus eiusmodi locutiones Annaeanas inveniri, sed hoc argumento potius probatur, quam studiosus fuerit Senecae Hieronymus.

iam illa Theophrastea <sup>1)</sup> inerant, adisse, quam Hieronymum in Porphyrii ecloga reddenda saturae sextae memorem fuisse <sup>2)</sup>. Quam ob causam, licet iam Bockius <sup>3)</sup> Iuvenalem cum Seneca comparaverit, tamen quoniam eius argumenta augere me posse spero, novam comparationem inter Hieronymi Theophrastea et Iuvenalis saturam sextam instituere decrevi. Accedit, quod argumenta ad Senecae auctoritatem probandam non modo petiturus sum e verborum usu consimili, sed etiam ex eo quod ecloga Theophrastea — id quod Bickelius negat <sup>4)</sup> — saepe continet picturam morum matronarum, quae Senecae aetate Romae vivebant, potius quam feminarum Theophrasti aequalium; qui loci iure nos in eam opinionem ducunt, ut interpretem Latinum exemplum suum amplificasse putemus.

Ergo ut dilucide appareat, qua ratione et quoties saturarum poeta cum Hieronymo conveniat, in altera paginae parte textum scriptoris ecclesiastici plenam dabo, idem locutiones eius nonnullas explicans et cum Senecae genere dicendi, quantum fieri poterit, conferens; in altera eos locos saturae sextae transcribam, quos cum Theophrasteis componere licet.

II.

HIER. ADV. IOV. I c. 47.

IUV. SAT. VI,

**313 C** fertur aureolus Theophrasti  
liber de nuptiis, in quo quaerit,  
*an sapiens ducat uxorem* <sup>5)</sup>. et

28:  
*certe sanus eras: uxorem, Postu-  
me* <sup>6)</sup>, ducis?

1) Quomodo Seneca Theophrasti scriptis in quaestionibus naturalibus usus sit, ipse docet Bickelius p. 12.

2) Theophrastum ipsum a Iuvenale esse lectum et consultum non facile quis affirmaverit, cf. Friedländer ed. Iuv. praef. p. 36—38. Contra Seneca ter a Iuvenale laudatur V 109, VIII 212, X 16.

3) Bock l.l. p. 44—47. Cf. etiam Schütz, Iuv. ethicus (diss. Greifswald 1906) p. 35—46.

4) Bickel l.l. p. 16, 1.

5) Cf. Bickel, l.l. p. 215, qui fretus loco Stobaei II 7, 2 p. 41, 7: *διττός δὲ καὶ περὶ βίαν λόγος, ὁ μὲν ἴδιος, ὁ δὲ κοινός· ὢν τὸν μὲν ἴδιον ἐπισκοπεῖν δέον ἐστὶ τὰ πρὸς ἄκαστον, ὅσον εἰ ... γαμητέιον τῷ σέφῳ* Theophrasti de nuptiis disputationem, non a Diog. Laert. V 42 separatim commemoratam, partem fuisse putat maioris operis *περὶ βίαν αβγ*.

6) Alloquitur poeta Postumum amicum, quaerit autem Theophrastus, quid sit sapienti faciendum, sed hoc discrimine omisso mirum in modum exordia inter se conspirant.

cum definisset, si *pulcra* esset, si *bene morata*, si *honestis parentibus*, si ipse sanus ac dives, sic sapientem inire aliquando matrimonium, statim intulit: 'haec autem raro in nuptiis universa concordant <sup>1)</sup>. non est igitur uxor ducenda sapienti.

**D** primum enim impediri studia philosophiae nec posse quemquam libris et uxori pariter inservire. multa esse quae matronarum usibus necessaria sunt, *pretiosae vestes, aurum, gemmae, sumptus, ancillae*, supellex varia, lecticae et *essedae* deauratae <sup>3)</sup>. dein *per totas noctes garrulae conquestiones*: „illa ornatio procedit in publicum”, „haec honoratur ab omnibus, ego in conventu feminarum misella despicio” <sup>4)</sup>. „cur aspiciebas vicinam?” „quid cum ancillula loquebaris?” „de foro veniens quid attulisti?” *non amicum habere possumus, non sodalem. alterius amorem suum odium suspicatur*. si doctissimus praeceptor in qualibet urbium fuerit, nec

161—166:  
nullane de tantis gregibus tibi  
digna videtur?  
sit *formosa decens* dives fecunda,  
*vetustos*  
porticibus disponat *avos*, intactior omni  
crinibus effusis bellum dirimente  
Sabina,  
*rara avis* <sup>2)</sup> in terris nigroque  
simillima cyeno:  
quis feret uxorem cui constant  
omnia?

45—46:  
quid quod et *antiquis uxor de moribus* illi  
quaeritur?

149—152:  
*poscitque maritum*  
pastores et ovem Canusinam  
ulmosque Falernas,  
quantulum in hoc? pueros omnes,  
*ergastula tota;*  
*quodque domi non est, sed habet vicinus, ematur.*

155—156:  
grandia tolluntur crystallina,  
maxima rursus  
myrrhina, deinde adamas.

1) Sen. ep. 75, 3: 'concordet sermo cum vita'; Dig. 43, 30, 1 § 5: 'concordans matrimonium'.

2) Cf. paulo infra 315 B (fr. 56 Haase): „aut si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen *rara avis* est.”. Concedo hoc argumentum ad imitationem probandam ipsum per se non esse firmum (cf. Pers. I 46: 'quando hoc *rara avis* est'), sed haec similitudo aliis, quae in vicinia sunt, addita, haud spernenda est.

3) Sen. ep. 56, 4: '*essedae* transcurrentes'; ep. 76, 14: '*deauratus* ... balteus' (sic olim edebatur, hodie: *auratus*) Bickel l.l. p. 4.

4) Non facile quis contendat *conventum* illum *feminarum* ad Graecos pertinere mores; est consuetudo matronarum Romanarum propria, Friedländer S.G.R. I<sup>o</sup> p. 473.

uxorem relinquere nec cum  
sarcina ire possumus <sup>1)</sup>).

pauperem alere difficile est,  
*divitem ferre tormentum.* adde

**314A** quod nulla est uxoris electio,  
sed qualiscumque obvenerit,  
habenda. si iracunda, si fatua,  
si deformis, si superba, si fae-  
tida, quodcumque vitii est, post  
nuptias discimus. equus, asinus,  
bos, canis et vilissima mancipia,  
vestes quoque et lebetes, sedile  
ligneum, calix et orceolus fic-  
tilis probantur prius et sic  
emuntur; sola uxor non osten-  
ditur, ne arte displiceat quam  
ducatur <sup>2)</sup>). attendenda *semper*  
*eius est facies et pulcritudo lau-*  
*danda*, ne si alteram aspexeris,  
se aestimet displicere. *vocanda*  
**B** *domina* <sup>3)</sup>), celebrandus natalis <sup>4)</sup>  
eius, iurandum per salutem il-  
lius, ut sit superstes optandum.  
honoranda *nutrix* eius et ge-  
rula <sup>5)</sup> servus paternus et alum-

34—36:

nonne putas melius, quod tecum  
pusio dormit?  
pusio qui *noctu non litigat, exi-*  
*git a te*  
nulla iaceus illic *munuscula.*

268—269:

*semper habet lites* alternaque  
iurgia *lectus*,  
in quo nupta iacet.

214—215:

*haec dabit affectus: ille excluda-*  
*iam senior.* [*tur amicus*

510:

*amicos coniugis odit.*

460:

*intolerabilius nihil est quam fe-*  
*mina dives.*

178—179:

quae tanti *gravitas, quae forma,*  
*ut se tibi semper*  
*imputet?*

30:

ferre potes *dominam* salvis tot  
restibus ullam?

1) „In ethopoeia, qualis per querellas uxoris in Theophrasto instituitur p. 313 D *‘illa ornatior procedit in publicum’, ‘haec honoratur ab omnibus’* cet. plurimum versatus est Seneca” (Mus. Rhen. LX p. 195). Hoc ipse Bickelius l.l., p. 9 confitetur, sed addit hanc ethopoeiam etiam Hieronymo in deliciis fuisse.

2) Totum hunc locum expressit Friedlaenderus S.G.R. I p. 464: „jedes Thier und jeder Sklav, sagt Seneca, Kleider und Geschirre werden vor dem Kauf geprüft, nur die Frau wird nicht gezeigt, damit sie dem Bräutigam nicht miszfallt, ehe er sie heim führt.” Iure optimo Friedlaenderus illud *‘inquit Seneca’* interposuit, nam etsi sunt Theophrastea, tamen èt tota illa enumeratio *equus asinus* cet. èt sententia brevis ad finem reservata *‘sola uxor’* cet. dilucide ostendit, quis fuerit Theophrasti interpres.

3) Friedländer ibid. p. 474, 3; Epict. Ench. c. 40.

4) Bauer, Privatalt. der Gr. p. 450 C: „über eine alljährlich wiederkehrende Feier des Geburtstags, wie sie bei Persern und Römern üblich, schweigen die Schriftsteller der klassischen Zeit” sc. apud Graecos.

5) *‘gerula substantive prae ceteris Hieronymus de nutrice dixit’* Bickel l.l. p. 6.

nus et formosus *adsaecula* <sup>1)</sup> et procurator <sup>2)</sup> *calamistratus et in longam securamque libidinem excutis spado*; sub quibus nominibus adulteri delitescunt. quoscumque illa dilexerit, ingratis amandi.

**C** *si totam ei domum regendam commiseris, serviendum est.* si aliquid tuo arbitrio reservaveris, fidem sibi haberi non putavit et in odium vertitur ac iurgia et nisi cito consulueris, parat *venena*. anus <sup>3)</sup> et aurifices et *hariolos* et institores <sup>4)</sup> *gemma- rum sericarumque vestium si intromiseris, periculum pudicitiae est*, si prohibueris, suspicionis iniuria <sup>5)</sup>. verum *quid prodest*

**D** *etiam diligens custodia, cum uxor servari impudica non possit, pudica non debeat* <sup>5)</sup>. infida enim custos est castitatis necessitas, et illa vere pudica dicenda est, cui licuit peccare si voluit <sup>5)</sup>. pulcra cito adamatur, foeda fa-

353—354:  
conducit *comites sellam cervical nutricem* [*amicas*  
366—367; 372—373; 376:  
sunt quas *eunuchi imbelles ac mollia semper oscula delectent.*  
*testiculos . . . . rapit Heliodorus.*  
*a domina factus spado.*  
dormiat ille cum domina.

206—208:  
si tibi simplicitas uxoria, deditus uni  
est animus, *summitte caput cervicis vice parata ferre iugum.*

611:  
*philtra*, quibus valeat mentem vexare mariti.

659:  
et nunc res agitur tenui pulmone *rubetae.*

511—512:  
*ecce furentis*

1) Iuv. IX 48: 'humili adseculae'.

2) Friedländer S.G.R. I\* p. 469: „Seneca schilderte in seinem Buche über die Ehe das Gefolge, das die junge Frau in ihr neues Haus mitbringt. Darunter ist auch der Procurator mit gekräuselten Locken, unter welchem Namen sich ein Liebhaber verbirgt.“ *procurator calamistratus* praebet Hieronymus etiam ep. 54, 13, 2 et 79, 9, 1 (Bickel p. 6), dixitque Seneca ep. 14, 18: 'fit ex domino procurator'. Apud Plaut. As. 627: 'cinaede calamistratae', Cic. post red. in sen. § 13: 'huius calamistrati saltatoris'. Suspicio Hieronymum et rem et nomen e Senecae operibus sumpsisse, nam officium *procuratoris* non Graecum sed Romanum est.

3) „Vox anus . . . Senecae ad manum est dial. X 7, 7; de clem. II 5, 1 Phoen. 411 al.“ (Bickel p. 9).

4) Rursus mores Romani, non Graeci describuntur, cf. Ov. a. a. I 421 sqq.:  
*institor ad dominam venit* distinctus emacem cet.

et loci, quos affert Brandt p. 38 ad h. l.

5) Formam sententiarum brevium, quali Seneca uti solet, animadvertite!

cile concupiscit <sup>1)</sup>. *difficile custoditur quod plures amant* <sup>1)</sup>. molestum est possidere, quod nemo habere dignetur. minore tamen miseria deformis habetur quam formosa servatur. nihil tutum est, in quod totius populi vota

**E** suspirant <sup>1)</sup>. alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate sollicitat. aliquo modo expugnatur, quod undique incessitur <sup>2)</sup>. quod si propter dispensationem domus et languoris <sup>3)</sup> solacia et fugam solitudinis ducuntur uxores, *multo melius servus fidelis dispensat* oboediens

**315 A** auctoritati domini et dispositioni eius obtemperans, *quam uxor quae in eo se aestimat dominam, si adversus viri faciat voluntatem, id est quod placet, non quod iubetur.* adsidere autem aegrotanti magis possunt amici et vernaculae beneficiis obligati quam illa, *quae nobis imputet lacrimas suas* et hereditatis spe vendat illuviem et sollicitudinem iactans languentis animi **B** mum desperatione conturbet. quod si languerit, coaegrotan-

*Bellonae matrisque deum chorus intrat.*

347—348:

*'pone seram, cohibe'. sed quis custodiet ipsos custodes? cauta est et ab illis incipit uxor.*

34:

*nonne putas melius, quod tecum pusio dormit?*

223—224:

*'hoc volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas'. imperat ergo viro.*

272—273:

*aut ficta paelice plorat uberibus semper lacrimis.*

1) Formam sententiarum brevium, quali Seneca uti solet, animadvertet!

2) Friedländer S.G.R. I° p. 475: „Nichts ist sicher, sagt Seneca, wonach unzählige Wünsche schmachten; der eine reizt durch Schönheit, ein Anderer durch Geist, ein Dritter durch Witz, ein Vierter durch Freigebigkeit: was von allen Seiten angegriffen wird, wird irgendwie und irgend einmal erstürmt“. Omnia incisae dicta, ut Seneca loqui solet.

3) Sen. ep. 74, 33: 'in corporibus infirmis (Kronenberg) languoris signa praecurrunt'; Bickel l.l. p. 6: 'usus nominis languor sollempnis est apud H.'.



dum <sup>1)</sup> est et numquam ab eius lectulo recedendum. aut *si bona fuerit et suavis uxor, quae tamen rara avis est*, cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. sapiens autem numquam esse solus potest <sup>2)</sup>. habet secum omnes qui sunt quique umquam fuerunt boni, et animum liberum quocumque vult, transfert. quod corpore non potest, cogitatione complectitur. et si hominum inopia fuerit, loquetur cum deo <sup>3)</sup>. numquam minus solus erit quam cum solus fuerit <sup>2)</sup>. porro *liberorum causa uxorem ducere, ut vel nomen nostrum non intereat vel habeamus senectutis praesidia et certis utamur hereditibus*, stolidissimum est. quid enim ad nos pertinet recedentes a mundo, si nomine nostro alius non vocetur, cum et filius non statim <sup>4)</sup> patris vocabulum <sup>5)</sup> referat et innumerabiles sint qui eodem

165:

*rara avis in terris nigroque simillima cyeno.*

38—39:

sed placet Ursidio lex Iulia,  
*tollere dulcem*  
cogitat heredem.

1) Bickel l.l. p. 9: 'propenso ... animo Senecae tribueres in sententia p. 315 A: *'quod si languerit, coaegrotandum est*, verbum in litteris Latinis singulariter dictum *coaegrotandi* versum ex Graeco *συνορσείν* ... sed cave ne te praetereat Hieronymum quoque luxuriavisse verbis eiusdem formationis'.

2) Cic. rep. I 27; de off. III 1.

3) Bickel l.l. p. 9: 'legenti tibi dictionem quae in Theophrasteis p. 315 B *loquetur cum deo* facile veniet in mentem Sen. ep. 9,5 *loquere cum deo*, sed eadem dictio solet esse in ore Hieronymi (ep. 3,4.4)' unde apparet mea quidem sententia, quam studiosus Hieronymus fuerit Senecae.

4) *non statim* sed per ambages, quoniam patris nomen adiungitur, velut apud Graecos, qui filios ab avo appellant. Reddidit interpres Latinus morem Graecum a Theophrasto commemoratum.

5) Tac. ann. XII 66: 'deligitur artifex talium vocabulo Locusta' (Nipperdey).

**D** appellentur nomine? aut quae senectutis auxilia sunt nutrire domi, qui aut prior te forte moriatur, aut perversissimis moribus sit, aut certe, cum ad maturam aetatem venerit, tarde ei videaris mori? heredes autem meliores et certiores sunt amici et propinqui, quos iudicio eligas, quam quos velis nolis <sup>1)</sup> habere cogaris, licet certa hereditas sit, dum advivis <sup>2)</sup>, bene abuti substantia tua, quam tuo labore quaesita in incertos usus relinquere." Haec et huiusmodi Theophrastus disserens quem non suffundat Christianorum, quorum conversatio in caelis est.

Haec tabula, quam supra posui, plus viginti locos esse in Iuvenalis satira sexta, qui cum Theophrasteis comparari possint, docet, qui numerus similitudinum non casui tribui potest. Nam etsi fortasse quis dubitet, num omnes illi versus imitationis vestigia praebeant, tamen semper restat numerus satis magnus locorum congruentium, unde effici liceat Iuvenalem Theophrastea cognita habuisse. Neque obliviscendum est scriptorem Graecum pedestri oratione de viro sapiente egisse, essetne ei uxor ducenda, poetam Latinum cum amico suo de eadem re colloquium finxisse. Ergo similitudo, si qua statuitur, non illa quidem in operibus diversi generis potest esse fortuita, sed necesse est ab alterutro auctore quaesita sit. Iam supra (p. 419, 2) monui Iuvenalem primis vel ne primis quidem labris philosophiam Graecam gustasse, quare haud veri simile est eum e fonte Graeco ipso hausisse et Theophrasti de nuptiis librum adijisse. Contra, quae

1) Sen. ep. 117, 4: *'velint nolint'*.

2) Bickel l.l. p. 4: *'advivis utique alienum ab Annæo ut omnino a Latinitate argentea'*.

similitudo inter Theophrastea et saturam sextam intercedit, facile explicatur, si Iuvenalis iam in opere, quod Seneca de matrimonio scripsit, eclogam Theophrasteam invenit. Accedit alterum argumentum. Non modo enim in iis, quae Hieronymus Theophrasto eiusve interpreti debuit, sed etiam in parte antecedente atque in iis quae sequuntur, quae partim ipso Hieronymo affirmante, partim Bickelio concedente Annaeana continent, non pauca insunt, quae nobis Iuvenalis versus in satura sexta occurrentes in memoriam redigunt. Hoc modo argumentatio nostra corroboratur, siquidem etiam alia ratione apparet Iuvenalem philosophi Cordubensis de matrimonio disputationem haud sprevisse. Ecce exempla!

**282 A** Unde pulchre Varius Geminus <sup>1)</sup> sublimis orator: '*qui non litigat, inquit, caelebs est*'.

**311 E** *Alcestin* fabulae ferunt pro Admeto sponte defunctam <sup>2)</sup>.

**317 C** quid referam Pasiphen, *Clytemestras* et *Eripyllas*, quarum prima deliciis fluens quippe ut regis uxor <sup>3)</sup>, tauri dicitur expetisse concubitus, alia occidisse virum ob amorem adulteri, tertia prodidisse Amphiarauum et saluti viri monile aureum praetulisse. *quidquid tragoediae tument* et domos urbes regnaque subvertit, uxorum paelicumque contentio est. armantur parentum in liberos manus, nefandae

268—269:

*semper habet lites alternaque iurgia lectus in quo nupta iacet.*

652—656:

*spectant subeuntem fata mariti Alcestim, et similis si permutatio detur, morte viri cupiunt animam servare catellae. occurrent multae tibi Belides atque Eriphylae mane, Clytaemestram nullus non vicus habebit.*

643—644:

*credamus tragicis, quidquid de Colchide torva dicitur et Procne.*

1) Varius Geminus per neminem alium Hieronymo notus fieri potuit nisi per Senecam eiusque patrem (Schanz R.L.G. II 1 p. 309), qui soli eius mentionem faciunt, cf. Sen. ep. 40, 9: „nam Geminus Varius” ait „quomodo istum disertum dicatis, nescio: tria verba non potest iungere”. Sen. C. VI 8; IV 8; VII 8, 10; S. VI 11; 12. Cf. Bickel l.l. p. 267: „oratorum Augusteae aetatis eorum Geminus est, quorum memoria operibus patris Senecae contr. et suas. paene solummodo propagatur”.

2) Hanc sententiam Bickelius quoque Senecae tribuit.

3) Cf. Sen. Phaedr. 204—205: „quisquis secundis rebus exultat nimis | fluitque luxu, semper insolita appetit”.

**D** adponuntur epulae <sup>1)</sup>, et propter unius mulierculae raptum Europae atque Asiae decennalia bella configunt. *quasdam repudiatas altero nuptiarum die, statim nupsisse legimus* <sup>2)</sup>. uterque reprehendus maritus, et cui tam cito displicuit et cui tam cito placuit <sup>3)</sup>.

**320 B** notior est marito suo *Tanaquil* <sup>4)</sup>. certe qui dicunt se causa rei publicae et generis humani uxoribus iungi et liberos tollere, imitentur saltem pecudes, et *postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios* . . .

**B** 'nam quid', ait Seneca, '*de viris pauperibus dicam, quorum in nomen mariti et ad eludendas leges, quae contra caelibes datae sunt, pars magna conducitur*'?"

224—226:

sed mox haec regna relinquit  
*permutatque domos et flammea*  
conterit, inde  
avolat et sprete repetit vestigia  
lecti.

566:

ante tamen de te *Tanaquil* tua.

594—597:

sed iacet aurato vix ulla puer-  
pera lecto;  
tantum artes huius, tantum  
medicamina possunt,  
quae steriles facit atque *homines*  
*in ventre necandos*  
conducit.

140—141:

*libertas emitur*; coram licet in-  
nuat atque  
rescribat: *vidua est, locuples quae*  
*nupsit avaro.*

His omnibus locis perpensis et consideratis Haasium non puto temere et audacter fecisse, cum totum hunc locum Hieronymi, Theophrasteis non exceptis, Senecae adscriberet. Verum est Hieronymum esse compilatorem, qui undique bona sua corradere solet, sed addendum est eiusmodi compilatores plerumque nimium laborem fugere ac potissimum eos auctores eligere imitandos, qui plurima et diversissima sibi praebeant. E quibus unus erat Seneca, qui sine dubio in libro de matrimonio conscri-

1) A *quidquid* usque ad *epulae* Bickelius dedit Senecae.

2) Sen. de ben. III 16, 2: 'numquid iam ulla repudio erubescit, postquam illustres quaedam ac nobiles feminae non consulum numero sed maritorum annos suos commutant et exeunt matrimonii causa, nubunt repudii?'

3) A *repudiatas* usque ad *placuit* rursus Senecae dedit Bickelius.

4) Senecae tribuitur a Bickelio.

bendo scriptores Graecos, imprimis Theophrasti librum aureum, non neglexit. Sed Hieronymus, ut facere consuevit <sup>1)</sup>, ex Senecae opere etiam nomen scriptoris Graeci (Theophrasti) sibi sumpsit simulans se ipsum opus Graecum consuluisse. Futuro igitur editori Friedlaenderi de moribus Romanis libri nihil erit mutandum neque omittendum in capite egregio, quod ille de feminis Romanis scripsit. Tuto enim nobis licet locos, quos Iuvenalis iam legit, quos Friedlaenderus in usum suum convertit, Neronis praeceptorum adiudicare.

### III.

Restat, ut pauca dicam de Bickeli coniectura. Scribit autem vir doctissimus p. 18: „in condendo libro II adv. Iovin. Hieronymum Porphyrii scrinia compilavisse, reticuisse tamen nomen eius callide, ‘locos longiores ex opere *περι ἀποχῆς ἐμψύχων* etiam nobis servato in sermonem suum transferentem (sc. viderunt Bernaysius aliique). quid multa? de matrimonio eclogam Theophrasti, quam in sermonem Latinum convertisse ipsum Hieronymum eclogae elocutio clamat <sup>2)</sup>, eam non ex Latina Senecae oratione transcriptam esse, sed ex deperdito aliquo opere Porphyrii translata esse ab Hieronymo suspicio gravissima est.” — p. 19: „tamen ultro fateor inauguratam potius esse interim quam profligatam quaestionem de Porphyrio eclogam Theophrasti *περι γάμου* Hieronymo suggerente. praecipue illud hoc loco nondum indicare valeo, quo ex opere Theophrasti Porphyrius eclogam petiverit ab Hieronymo transcriptam.” Qui haec accurate legit, una pagina interposita ex ‘suspensione gravissima’ iam factam esse rem exploratam et certam videt.

1) Similiter Hieronymus ep. LX 5 §2 scribit: ‘Platonis Diogenis Clitomachi Carneadis Posidonii ad sedandos luctus opuscula percucurrimus’, quae nomina in Ciceronis de consolatione libro legit, sed quod ad Carneadem attinet, in errorem ductus est, nam illius opusculum ne potuit quidem legere, cum nihil litteris mandatum reliquerit, cf. v. W. de Ciceronis libro Consolationis p. 3, 3.

2) Non ‘clamat’, nam supra animadvertimus multa Annaeana in Hieronymi sermone inesse etiam concedente Bickelio, sed consentaneum est Hieronymum interdum sermonem Senecae immutasse eique alium colorem dedisse, quod etiam factum est, ubi Hieronymus Ciceronem imitatur, cf. v. Wag. l.l. p. 14/5.

Quaestio enim dicitur „inchoata”, nondum „profligata”, sed profligata erit, simulatque apparuerit, ‘quo ex opere Theophrasti Porphyrius eclogam petiverit’. Sed ante erat argumentis demonstrandum per Porphyrium Theophrastea ad Hieronymum pervenisse, sed haec manet suspicio, quae quamvis ‘gravissima’ a Bickelio appelletur, tamen toto libro neque ratiocinatione neque argumentatione ulla stabilitur. Optimo igitur iure huic suspicioni aliam opponere nobis licet, quae certe non minus probabilis est. Seneca enim praeter Aristotelis opus *περὶ συμβιώσεως ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν* <sup>1)</sup> nullum scriptum praeclarior de matrimonio adhibere potuit quam Theophrasti, indolis humanae peritissimi aestimatoris. Itaque si Hieronymus in spatio tam parvo libri adversus Iovinianum ter quaterve Senecam nominatim laudat, iam per se probabile est etiam partem interiectam, Theophrastea dico, ei ab eodem Seneca esse suppeditatam. Haec vero probabilitas veritati proxime accedit, si Iuvenalem iam Theophrastea illa cognita habuisse nobiscum reputamus.

Magnopere dolendum est, quod in Theophrasti fragmentis (Wimmer tom. III p. 207) nullum invenitur, quod ad eius de nuptiis disputationem referri possit. An forte fragm. CLVII et CLVIII, quae Stobaeus Serm. 72 p. 439 et 83 p. 481 nobis servavit, aliquando in libello aureo locum obtinebant? Quorum alterum: *οὐ χρὴ δὲ τὴν γυναῖκα δεινὴν ἐν τοῖς πολιτικοῖς ἀλλ’ ἐν τοῖς οἰκονομικοῖς εἶναι* sane dignum est, quod sententiae loco in eiusmodi dissertatione legatur. Etiam Iuvenalis VI 398—401 damnat mulierem, quae

totam pervolet urbem  
audax et coetus possit quae ferre virorum  
cumque paludatis ducibus praesente marito  
ipsa loqui recta facie siccisque mamillis.

---

1) Bock l.l. p. 20 sqq., Bickel l.l. p. 123.

# OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(Continuantur ex p. 165).



CIX.

## DE PUBLICIS DETERMINATIONIS MONUMENTIS.

Decrevit aliquando Senatus, ut in lite domini vel finium <sup>1)</sup> *census et monumenta publica* <sup>2)</sup> *potiora testibus essent* <sup>3)</sup>. Hinc descendit responsum Papiniani <sup>4)</sup>: *in finalibus controversiis vetera monumenta, census auctoritas ante litem inchoatam ordinati sequenda est*. Intelliguntur utrubique *determinationis veteris monumenta* <sup>5)</sup>, id est, formae agrorum <sup>6)</sup>, qui agri in mensuram, divisionem, adsignationem venerint, quae memorantur inde a P. Cornelii Lentuli praetura urbana, quam gessisse videtur anno urbis 589 (ante Chr. 165); is enim agri Campani *formam . . . in aes incisam ad Libertatis fixam reliquit, quam postea Sulla corrupti* <sup>7)</sup>. Sequens est commemoratio in lege agraria, quam

1) Generalis quidem sermo est senatusconsulti sed pertinet utique ad hanc quoque speciem.

2) Cf. l. 3 § 2 D. 22. 5; nam l. 4 § 2 D. 50. 15 *in publicis tabulis* intrusum videri potest.

3) L. 10 D. 22. 3.

4) L. 11 D. 10. 1.

5) c. 2 C. 3. 39.

6) Ex diverso intelligit Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 229<sup>14</sup> *veteres terminos*.

7) Hoc debemus Grano Liciniano (Weber, *Agrargesch.* (1891) p. 30, qui remittere debuerat ad C.I.L. X pag. 366). — Itaque manebat Lentuli Campaniae divisio Sullae

habemus <sup>1)</sup>, ubi maxime nostra interest id, quod statuitur <sup>2)</sup> de stipendiariis Afris agro dando adsignando: (*dumvir*) *det adsignetve, idque in formas publicas facito ut(i) referatur*). Apud agrimensores iam frequens est commemoratio, quo tempore nulla fiebat adsignatio vel *per universitatem populis* <sup>3)</sup> vel *viritim nominibus* <sup>4)</sup> citra formam, quae publice proponebatur in aere, ita tamen, ut exemplar esset penes Caesarem: *omnium enim agrorum . . . adsignatorum formas. . . principatus in sanctuario habet* <sup>5)</sup>. Quod confirmatur ipsa notitia, quae superest, de Patulcensium et Galillensium controversia agraria <sup>6)</sup>, supervixerunt praeterea ad hunc usque diem Arausionensis formae particulae <sup>7)</sup>, quam tamen recte negant Mommsen, Schulten, veteris inter adsignationis primordia <sup>8)</sup>, sed secundo post Christum saeculo ille <sup>9)</sup>, hic <sup>10)</sup> sub Augusto propter Galliarum censum conditam existimat. Habentur autem ad id formae, ut ex iis repeti possit vel locus vel modus, secundum quod inscriptum sit; nam docet quidem Hyginus agrimensor de locis numquam *ad formam* litigari <sup>11)</sup>, sed refellit eum quum divi Claudii auctoritas, quem perhibet lapis <sup>12)</sup> (*l*) *oca a pilis et columnis, quae a privatis possidebantur,*

temporibus, et mira res est Gracchanae limitationis monumentum exstare (*Notizie degli scavi* 1897 p. 123 = C.I.L. X 3861 = I 552). Quod explicasse non videtur Mommsen, quum doceat (C.I.L. X pag. 366) agrum Campanum a Gracchis divisum esse *ut loca(re)tur*. Ex diverso Beaudouin, *Nouv. rev. histor.* XVII (1893) p. 468-469, ut adsignaretur divisum esse credit, licet adsignatio perfecta non sit (Cic. de lege agr. II 29 § 81). Quod facilius admitti potest, quia sic intelligitur, cur pristina divisio obtinuerit.

1) Lin. 7, 78, 80.

2) Lin. 78.

3) Gromat. p. 5 lin. 1 (= Thulin 2, 2/3).

4) Gromat. p. 160 lin. 22 (= Thulin 125, 10/1). — "Ovoμα = persona in papyris frequens est. Cf. e. g. P. Rain. sine no. (*Studien zur Palaeogr.* etc. (4) p. 71) lin. 160, 169, 175, 181, 202b.

5) Gromat. p. 154 (Thulin 119) (cf. *Feldm.* II p. 405).

6) Bruns (1909) no. 71a.

7) Publicavit eas (ex C.I.L.) Weber, *Agrargesch.* (1891) *Anl.* 1, sed partem principalem Iulcentius Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I p. 291 (cum phototypo: *Anl.* 31).

8) Sub divo Iulio (Mommsen, *röm. Gesch.* III (1857) p. 533).

9) Herm. 27 (1892) p. 103.

10) Herm. 41 (1906) p. 2, p. 25, p. 42-44. Non recte docet (p. 2) ante se de aetate formae Arausionensis quaesivisse neminem. Quaesiverat Mommsen.

11) Gromat. p. 129 (= Thulin 92).

12) C.I.L. VI 919 (= Orell. 3133; Wilmanns 853; Dessau 211).



*causa cognita ex forma in publicum restitu(isse)*, tum Vespasiani similiter <sup>1)</sup>: *fines locorum* <sup>2)</sup> *dicatorum Dianae Tifatensi ex forma divi Augusti*. Ergo crimen est, tabulam aeream, qua forma agrorum contineatur, refixisse vel quid inde mutavisse <sup>3)</sup>, quia scilicet ea *publicae fidei . . . testimonium redd(i)t* <sup>4)</sup>. Ut autem *ad aea . . . perveniri po(ssi)t*, id est, ut possit secundum formam iudicari, tria concurrere oportet: ut sit, qui petit, successor eius, cui adscriptum est <sup>5)</sup>; ut constet, nihil inde alienatum usuve captum <sup>6)</sup> esse, alioquin *arbitrio possessorum fines mutati* <sup>7)</sup> non patiuntur ad aea recurri, nisi quis forte ad mensuram transscripserit <sup>8)</sup>; tertio, ut lapides extent, nam, ubi lapides interciderunt, *limites quoque ipsi, vel certe regiones* <sup>9)</sup>, *non parentibus lapidibus difficile inveniuntur* <sup>10)</sup>. Per hos igitur modos et per longi temporis praescriptionem reditur ad occupatoriam agrorum condicionem <sup>11)</sup>; potuit enim opponi ex forma suum petenti longi temporis possessio <sup>12)</sup>, sed in Occidente post annum

1) Orell. 1460 et *Ann. épigraph.* 1894 no. 146 (= Dessau 3240).

2) *Agrorum* habet C.I.L. X 3828 (= Wilmanns 862 = Dessau 251).

3) L. 10 (8) pr. D. 48. 13.

4) *Gromat.* p. 138 lin. 12 (= Thulin 102, 10).

5) Exigitur, ut de tota successione constet, non, quod excidere sibi passus est Weber, *Agrargesch.* p. 71, ut, quatenus constet, constet.

6) Usucapiuntur loca biennio (*Gromat.* p. 130 = Thulin 93).

7) L. 11 D. 10. 1; c. 2 C. 3. 39; cf. l. 21 D. 42. 8.

8) *Gromat.* p. 131/2 (= Thulin 94/5); cf. *ibid.* p. 45 lin. 22-25 (Thulin 35, 22-26).

9) Limites inveniri, qui hodierno quoque die in Orbe quondam Romano passim cernuntur (*Feldmesser* II (1852) p. 418<sup>\*\*\*</sup>; Neumann, *die Hellenen im Skythenlande* (1855) p. 403/4; Réclus, *Nouv. géogr. univ.* I (1879) p. 344; Beloch, *Campanien* (1879) p. 263, p. 309/10; Weber *Agrargesch.* (1891) p. 204<sup>\*\*\*</sup>; Beaudouin, *Nouv. rev. histor.* XVII (1893) p. 408/9; Meitzen, *Sied. und Agrarw.* I (1895) p. 320/1, p. 425/6; Schulten, *Abhandl. der Ges. der W. zu Gött.* II 7 (1898) p. 15-38 (cf. *Lit. Centralbl.* 1899 nr. 42 p. 1440/2); *id. Bulletin archéologique* 1902 p. 140-171; nam Brugii, *Atti dell' istituto Veneto* 58 p. 57-70, nihil adfert novi), nullius est adiuventi, quum dicere non possis, in qua parte agri sis, veluti citrata dextrata.

10) *Gromat.* p. 153, p. 154 (= Thulin 116/7; 118). — Non obstant, quae scripsit Nipsus de limitis repositione (*Gromat.* p. 286-289. Tractatum illustraverunt (*Notices et extraits* XIX (1858) p. 272 sqq.) Heronis *περὶ τῆς διόπτρας* veteres editores).

11) Ita factum commemorat Gromaticus (p. 178, 4-9 = Thulin 142, 14-19) in Campania finibus Minturnensium citra Lirem, *ubi iam opportunarum finium commutatione relicti primae adsignationis terminis more arcifinio possidentur*.

12) *Gromat.* p. 45, p. 115/6 (Thulin 35; 78/9); Bruns (1909) no. 82. Novo iure in finali quaestione tricennali tantummodo praescriptioni locus est (*Tribon. c. 6 C. 3. 39*).

385 in finalibus controversiis posse desiit, postquam placuit alteri Valentiniano <sup>1)</sup> in his nulli locum esse temporis praescriptioni, quod mox veteris iuris <sup>2)</sup> exemplo coartavit Theodosius <sup>3)</sup>, penes quem tunc erat totius orbis Romani legitimum imperium vi Occidentem detinente Eugenio, ad quinquepedales vel minores controversias. Prioris constitutionis auctor decreverat, ut esset omnibus <sup>4)</sup> finalibus controversiis *una praescriptio*, id id est, defensio <sup>5)</sup>: . . . *si veteribus signis limes inclusus finem congruum erudita arte praestiterit*, id est: ubi vetera signa apparent limitis finem facientis — non enim omnis limes finem facere creditur <sup>6)</sup>, sicut ne hodie quidem via publica vel agger <sup>7)</sup> — ab eo limite ne abiretur. Cuius constitutionis <sup>8)</sup> mirabilis fortuna fuit: migravit enim e corpore Gromaticorum in acta concilii Hispalensis anni 619, inde in Gratiani decretum <sup>9)</sup>. Ex superioribus autem apparet adsignationem diu stare non posse, si arbitrio possessorum fines permutari licebit; quod utique eveniet, si singulae acceptae non ad mensuram in frustra concidantur. Itaque credebat Niebuhr <sup>10)</sup> initio <sup>11)</sup> ius fuisse, ne ulla

1) Gromat. p. 269, 1-13 (= c. 4 C. Th. 2. 26). Occidentalem esse constitutionem observavit Cug, *Atti del congresso internaz. di scienze storiche* (1903) IX p. 342, quum data sit ad praef. praet. Italiae. Eandem ob causam verba subscriptionis pp. *Alexandriae*, quae servaverunt Codex Iustinianus (c. 5 C. 3. 39) et agrimensorum codex E, recusasse arbitror Theodorum Mommsen atque Gothofredum.

2) Usucapionum (Tab. VII 4). De longi temporis praescriptione nihil tale legitur (cf. Consult. IX 4).

3) Gromat. p. 269, 14 sqq. (= c. 5 C. Th. 2. 26).

4) Hoc significatur verbis: *quinque pedum praescriptione*, id est, definitione sive distinctione, *summola*, dissentiat licet Karlowa, *Beiträge* (1865) p. 154/5.

5) „*Verjährung*“ vertit hic quoque Karlowa, *Beitr.* cit. p. 155 ima.

6) Gromat. p. 14 lin. 5, p. 169, 6 (ubi pro *fnitimi* legendum videtur *fnitimis*) (= Thulin 5, 21; 134, 7); Rudorff, *Ztschr. f. gesch. Rechtswiss.* X (1842) p. 360. — Renuit Mommsen, *Westdeutsche Ztschr.* XIII (1894) p. 136: „*die Limitation (ist die Feststellung) des immer zugleich als Grenze dienenden Weges.*“

7) Harksen, *das preussische Kataster* (1896) p. 21.

8) c. 4 cit. (C. Th. 2. 26).

9) Cf. Savigny, *Gesch. des röm. Rechts* II (1834) p. 278; Rudorff, *Feldmesser* II p. 442; Conrat, *Gesch. der Quellen* I p. 150.

10) *Röm. Gesch.* II (1836) p. 458 (post notam 896), p. 708: „*dies führt auf die Vermuthung, dass ein assignirter fundus als eine geschlossene Hufe, als ein Ganzes in unveränderlichen Gränzen, anzusehen ist.*“

11) Nam postea non obtinuisse, certum est (Gromat. p. 40 lin. 5 sqq. = 10, 21 sqq. = Thulin 59, 12 sqq.).

in agro limitato acceptarum singularum divisio rata esset; quod ius deinde in lege Burgundionum Romana <sup>1)</sup> invenire sibi visus est Savigny <sup>2)</sup>, nam intelligit de agro limitato, quod ibi praescribi videtur: ne inter consortes divisio fiat. Sed magis est, ut ibi cohibeatur divisionis instauratio agri cuiuslibet <sup>3)</sup>, quemadmodum fit lege Visigothica X 1 § 1 (*ut valeat semel facta divisio*) et § 2 (*de non revocand(a) divisione inter fratres* etc.). Ergo suo iure scribunt Mommsen <sup>4)</sup> et Rudorff <sup>5)</sup>: apud Romanos nulla esse vestigia talium fundorum, quales in agro limitato Niebuhr deprehendisse se existimabat, id est, quorum fines immutabiles observentur, quos appellant *clausos* vocabulo sane ambiguo. Nam alio modo clausum („*geschlossen*“) id appellatur, quod continuum, non in diversis locis, possideatur <sup>6)</sup>; tertio, quod nullam divisionem recipiat, ne intellectu quidem <sup>7)</sup>. Ceterum, quod vestigia non comparent, id hodie non terret: licet enim vestigia desint, tamen ex *analogia* defenditur <sup>8)</sup>, Romanae quoque initiō loca alienare non licuisse, sed aut integrum fundum aut ratam partem. Quod non per se vituperandum est sed cum cautione, an vera sit analogia, examinandum. Examinabitur autem sequenti capite (CX).

---

1) XVII 4.

2) *Gesch. des röm. Rechts* II (1834) p. 34.

3) Divisionem permittit lex (*agri communis nullis terminis delimitati*, id est, secundum quod ego existimo, quin ad Compilatoris mentem ipse Savigny (p. 35), nondum positus terminis proportionalibus inter socios distributi.

4) *Feldmesser* II (1852) p. 154: „*die Römer (kannnen) geschlossene Hufen überall nicht*“; *Röm. Gesch.* I (1861) p. 87: „*das römische Recht weiss (Nichts) von Geschlossenheit der Liegenschaften.*“

5) *Feldmesser* II p. 381: „*Nichts kann . . . unrömischer sein als Niebuhr's Annahme geschlossener Hufen.*“

6) Mommsen, *röm. Gesch.* I (1861) p. 183<sup>1</sup>; Steppes, *das Grundbuch im Entwurfe* (1892) p. 20/1, qui propterea confusionis evitandae causa, cuius fines immutabiles observentur, id appellat (ibid.) „*gebunden*“.

7) Weber, *Agrargesch.* p. 69<sup>22</sup> (cf. Waitz, *Verfassungsgesch.* I (1880) p. 128 not. 4), sed p. 83<sup>22</sup>: cuius fines immutabiles observentur.

8) Veluti a Maximiliano Weber, *Agrargesch.* (1891) p. 80, p. 81 (ante not. 63). Neque Bartholdum Georgium hic laudat neque Fridericum Carolum neque Burgundiones nec aliud quidquam praeter *analogiam*.

## CX.

## QUID VINDICARI POSSIT.

Vindicari hereditates <sup>1)</sup>, servitutes, res corporales, quae modo sint in commercio <sup>2)</sup>, liberos homines <sup>3)</sup>, greges <sup>4)</sup>, ignorare puto neminem. Sed non satis animadverterunt viri docti esse praeterea modi, id est, quantitatis vindicationem <sup>5)</sup>, non absolute, sed si quis ex acervo, quem alius detineat, certam quantitatem sibi defendat. Dabitur enim, si frumentum forte fuerit, *in rem actio . . . pro modo frumenti* <sup>6)</sup>, id est: *in quantum paret in illo acervo suum cuiusque esse* <sup>7)</sup>; in qua actione iudex adiudicat non quantitatem tantum, sed bonitatem quoque: continetur enim arbitrio huius iudicii ut aestimetur, *quale cuiusque frumentum fuerit* <sup>8)</sup>. Condemnat igitur, nisi restituatur quantitas aestimata, id est, non aere aestimata sed bonitate sui <sup>9)</sup>. Eodem sensu in hac actione aestimata quantitas *pet(i)* dicitur <sup>10)</sup>. Datur autem haec actio etiam de pecunia numerata <sup>11)</sup>, eritque utilis non tantum, si duorum acervi postea mixti sint, sed etiam, si acervus unius propter do lego legatum pro portione quantitatis legatae ad

1) De tutela quaerit Mitteis, *Privatrecht* I p. 76/7, adhibitis Gai. I § 168; Ulp. XI § 6, non adhibito Theoph. IV c. 285.

2) De Latino cf. Gai. II § 195 io. Plin. Epist. X 104 (Mitteis, *Privatrecht* I p. 78 not. 14).

3) *Adiecta* scilicet *causa* (l. 1 § 2 D. 6. 1). — Cf. praeterea l. 37 pr. D. 50. 1.

4) Diversum observatur in peculio (l. 56 D. 6. 1), praeter castrense (l. 20 § 10 D. 5. 3), quum *pro hereditate habetur* (l. 2 D. 49. 17). Non debet movere c. un. C. Th. 2. 22.

5) Scribit Windscheid (1891) § 226a (not. 2), quantitatis nullum esse dominium (*„dingliche(s) Recht an einer generisch bestimmten Sache (ist unmöglich)“*). Quantitatis esse sub certa definitione, vindicationem, non dicit. Dicit Ferrini, *Pandette* (1900) p. 376<sup>1</sup>. Eam cum proprietate confundit Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 210 (p. 486).

6) § 28 Inst. II 1.

7) L. 5 pr. D. 6. 1.

8) § 28 Inst. II 1.

9) Cf. l. 4 § 1 D. 19. 1.

10) Gromat. p. 45 lin. 18/19 (= Thulin 35, 16) (cf. infra).

11) L. 37 § 1 D. 15. 1. Haec Iuliani responso ne obstiterit Iavoleni l. 78 D. 46. 3, sequenda erit in l. 78 cit. Italorum interpretatio (Ferrini, *Pandette* (1900) p. 376 not. 1 = Barsanti, *Archivio giurid.* 58 (1897) p. 204/5) vel manus danda Cuiacio, Obs. XIII c. 28.

legatarium, non legatae ad heredem spectare coeperit<sup>1)</sup>. Quantitatis vindicatio inprimis de rebus mobilibus competit, quae res pondere mensura numeroque constent, sed etiam de rebus immobilibus<sup>2)</sup>, sive quis *in centuria*<sup>3)</sup> sive in alia certa regione<sup>4)</sup>, velut *in territorio*<sup>5)</sup> vel *ἐν τόπῳ*<sup>6)</sup>, (*modum*) *aestimatum*<sup>7)</sup>, id est, certum iugerum numerum certa bonitate<sup>8)</sup>, aut adsignatum aut adiudicatum<sup>9)</sup>, aut accessionis iure debitum<sup>10)</sup> sibi vindicet<sup>11)</sup>. Agitur autem hac actione, quatenus sunt formae, velut in adsignatis et quaestoriis, semper *secundum formam*<sup>12)</sup>, quocirca evanescit ea, quum ad formam perveniri iam non potest, quod quando fiat, superiore capite (CIX) vidimus. Exigunt praeterea mensores, (*ut*) *loci natura indicetur et cultura*<sup>13)</sup>, scilicet

1) Cf. Gai. II § 196; Ulp. XXIV § 7.

2) Pertineatne eo *Ann. épigr.* 1901 no. 240, dubitari potest. Certa res est de *GU* (Hübner) 1270: *de quantum minus veniret ad ipsum modium complerent illum et voverent terminos.*

3) Gromat. p. 293 lin. 21/2.

4) Gromat. p. 22/3; p. 46-48 (= Thulin 9; 36-38) (cf. *ibid.* p. 160 lin. 18/9 = Thulin 125, 6/7).

5) Modest. L. 7 D. 10. 1.

6) Pap. Berol. (*BGU*) 616, quo de papyro cf. Mitteis, *Herm.* XXXII (1897) p. 656-658. *Τόπῳ* restituit Grenfell, *P. Tebt.* II pag. 385.

7) Gromat. p. 45 lin. 18/9 (= Thulin 35, 16).

8) Alio rem deducit Weber, *Agrargesch.* p. 74 not 49.

9) C.I.G. 1733b ia. 1733a.

10) Cf. Waitz, *Verfassungsgesch.* I (1880) p. 125: *„An die Hofstätte war das Recht auf (Acker)land von bestimmter Größe, wenn auch nicht immer von bestimmter Lage gebunden.“*

11) Talein actionem esse in edicto Lotharingico (*Ordonnance de Lorraine donnée par Léopold en 1707* tit. 1 art. 8) recte docet Robernier, *Preuve du droit de propriété* I (1843) p. 79/80. Nam, quod putat Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I (1895) p. 89 (cf. Weber, *Agrargesch.* p. 75 not. 51), modi vindicationem (*„die Berechtigung . . . sein . . . Maass im Gewanne zu fordern“*) inveniri in veteribus Danorum legibus id refellit ipse, dum scribit (p. 101/2), in eam actionem nomine tenus venire modum (*„ei(n) nominelle(s) M(aass)“*), revera autem ratam partem (*„(ei)nen aliquot(en) Theil“*), sicut in lege rustica Byzantina, quam exponit Zachariae, *Gesch. des griechisch-römischen Rechts* (1892) p. 252/3. — Hodie apud Gallos agri modus absolute vindicatur, eo colore, quasi finium causa agatur (Robernier, *op. cit.* I p. 264-273).

12) Gromat. p. 131 lin. 13 (= Thulin 94, 19) cf. *ibid.* p. 45 lin. 11, lin. 18 (= Thulin 35, 11. 18/9).

13) Gromat. p. 45 lin. 17/8 (= Thulin 35, 18). — Cur indicanda sit *cultura*, non dicit Weber, *Agrargesch.* p. 74<sup>1)</sup>.

cet, ne simpliciter modum vindices sed simul èt modum èt locum, id est, locum cum adiectione modi. Erit igitur modi vindicatio quasi loci petitio, *cuius loci modus a petente . . . propon(a)tur* <sup>1)</sup>, quem modum *forma praescri(pserit)* <sup>2)</sup>; natura autem et cultura ideo indicanda est, quia loci controversia *ex similitudine fere culturae* dirimi solet <sup>3)</sup>. Vinces igitur, si ex accepta tua, cuius verbi gratia dodrantem possides, *huic similem quartam adversarius habeat* sive in eadem centuria sive *in quacumque proxima*, in qua acceptae tuae quadrantem sortitus sis <sup>4)</sup>, restituetque tibi ad petitionem tuam non simpliciter modum, sed *ad modum arbiter locum* <sup>5)</sup>. Ex hac doctrina de modo nemo obtinere potest, nisi ante obtinuerit de loco, quo fit, ut aequè prosit de modo in rem agere, atque de rivo reficiendo interdicto, in quo exigitur, ut duas res actor doceat: *èt hoc anno se usum èt [ei] servitutem competere* <sup>6)</sup>. Sane non placuit doctrina Siculo Flacco, qui scribit: ubi secundum formam litigetur, ibi petitori *nihil . . . nocere debe(re) varietates . . . culturarum* <sup>7)</sup>. Litigatur autem secundum formam non tantum de modo, sed etiam de loco <sup>8)</sup>, si *specie(s)* per formam indicata sit <sup>9)</sup>, sicuti legimus <sup>10)</sup> in Pannonia adsignatorem quemdam formis adscripsisse non tantum modum, quem adsignaret, sed (quae mensuralis est obligatio parallelogrammi rectanguli) longitudinem quoque et latitudinem singularum acceptarum, quae a ceteris terminari quidem solerent in agro <sup>11)</sup>, non solerent in forma

1) Gromat. p. 13 lin. 2 (= Thulin 5, 11/2).

2) Gromat. p. 43 lin. 22 (= Thulin 33, 16).

3) Gromat. p. 129 lin. 15/6 (= Thulin 92, 20/1).

4) Gromat. p. 14 (= Thulin 5). — Vidit Mommsen (Herm. XXVII (1892) p. 116), quem sequitur Thulin, eo loco, quem interpretamur, de una sorte, non vidit, quod viderat Lachmann, de duobus agi possessoribus.

5) Gromat. p. 55 lin. 13/4 (= Thulin 47, 6/7).

6) L. 8 § 3 D. 43. 19. Cf. Dernburg, *Pandekten* I (1892) § 257<sup>11</sup>.

7) Gromat. p. 161 (= Thulin 125/6).

8) Quod docuimus superiore observatiuncula (CIX).

9) Cf. Gromat. p. 46 lin. 13 (= Thulin 36, 17); p. 47 lin. 15, 19 (= Thulin 38, 9, 13). — Speciem fundi cum culturae genere confundit Weber, *Agrargesch.* p. 17 lin. 7

10) Gromat. p. 121 (= Thulin 84) (Weber, *Agrargesch.* p. 25/6).

11) Gromat. p. 172 lin. 6/7; p. 199 lin. 16/8 (= Thulin 137, 2/3; 162, 18/9).

scribi <sup>1)</sup>. Ex tali igitur forma non magis modus quam locus restituetur, quod semper eveniet, ubi *more antiquo* <sup>2)</sup> *per proximos possessionum rigores* <sup>3)</sup>, id est, per strigas et per scamma adsignatum sit. Itaque vehementer errat, qui putat <sup>4)</sup> in adsignato antiquam esse modi vindicationem, cui locus non fuit, quamdiu per strigas et per scamma adsignabatur, quae adsignatio *antiqu(a)* est, sed locus esse coepit, posteaquam *more colonico* <sup>5)</sup> centuriae delimitari coeperint <sup>6)</sup>, in centuriis autem modus <sup>7)</sup> adsignari. Multo magis errat, inde qui deducit <sup>8)</sup> mancipatione antiquitus *modum transferre* ordinarium fuisse. Nec video; quid ad hanc sententiam conferat, quem ille solum laudat <sup>9)</sup>, Ulpianus, ubi <sup>10)</sup> promittit quidam intra certum diem *adsignaturum se modum*, id est, de modo agri obligat se usque ad certum diem <sup>11)</sup>,

1) Formis inscribi solent centuriae, centuriis modi distributio, id est: quot iugera enique data sint intra limitationem (e. g. Gromat. p. 155 lin. 8-11 = Thulin 119, 13-16). Olim ne in agro quidem acceptas terminari solitas, opinio est Maximiliani Weber, *Agrargesch.* p. 26: „Gegenstand der Assignment . . . war nur der modus“.

2) Gromat. p. 3/4 (= Thulin 1 lin. 15).

3) Gromat. p. 3 lin. 1 (= Thulin 1 lin. 8/9). *Proximos rigores esse fines*, dividit Weber, *Agrargesch.* (1891) p. 26: „die [nächstliegenden] Besitzergrenzen“. Tulit adsensum quum Augusti Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I (1895) p. 292 (rigores vertit „Grenzwege“) tum vero hactenus Adolphi Schulten, *Bonner Jahrb.* CIII (1898) p. 15 (vertit „Grenzraue“); *Bulletin archéologique* 1902 p. 134, quum non tulisset Mommseni, *Herm.* XXVII (1892) p. 82<sup>a</sup> (vertit „die die Wegbreite einschliessenden Doppellinien“). Quorsum igitur genitivus *possessionum*, qui a rigoribus pendet?

4) Weber, *Agrargesch.* p. 80.

5) Gromat. p. 205 lin. 1 (= Thulin 168, 1/2).

6) Coeperunt utique a C. Graccho. Cf. lex agr. inscr. lin. 44, 66, 89; C.I.L. X 3861 (= I 552); Gromat. p. 165 (= Thulin 129/30), 209-261 (passim).

7) In modum quo minus cedat rata pars centuriae, veluti tertia, nihil obstat (Gromat. p. 200 sq. = Thulin 163/4), quod quum frequens tum fortasse initio moris („sehr häufig“) und vielleicht ursprünglich überwiegen(d)“) fuisse putat Mommsen (*Westdeutsche Ztschr.* XIII (1894) p. 136) atque sic locum communi dividendo iudicio (Herm. XXVII (1892) p. 82), a quo prudenter abstinet Weber, *Agrargesch.* p. 16 ima.

8) Weber, *Agrargesch.* p. 79: „(weil) die forma bei der Assignment nur den modus enthielt.“ Sie loquitur, quasi Romani ab initio adsignationes in formas retulerint, a qua sententia proxime abest Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I (1895) p. 305/6.

9) *Agrargesch.* p. 77 not. 57. — Non monet Weber, se contra et Pisanam et Mommsenianam literam pro *liberetur* edere *laederetur*.

10) L. 5 pr. D. 11. 6.

11) L. 40 pr. D. 18. 1.

post eum diem de loco, quem demonstraverat <sup>1)</sup>. Potest sane auctore locupletissimo <sup>2)</sup>, sicut locus ita modus, id est, certus iugerum numerus *ex fundo* <sup>3)</sup> certo mancipio dari, sed num propterea iure contendit Weber, hoc genus alienandi antiquitus fuisse moris? Qui vel gravius peccat, modi mancipationem quum confundit cum pro parte mancipatione <sup>4)</sup>, ut ex analogia, quam vocant, rem obtineat <sup>5)</sup>, deinde postquam lectoris corrumpit iudicium suam utrique negotio appellationem furtim restituit <sup>6)</sup>. Scilicet scribit, apud omnes populos, apud quos ager initio rerum ita communis fuerit, ut singulis fundus deberetur, quam agrorum constitutionem appellant „*Hufenverfassung*” ideo, quia fundum debitum ipsum appellant „*Hufe*” <sup>7)</sup>, ibi ubique ante permitti solitum, ut rata pars fundi cuiusque alienetur quam locus <sup>8)</sup>; proinde apud Romanos — nam apud Romanos agrum

1) Sic apud Ciceronem pro Tullio c. 7 venditor *modum proscribit*(t) . . . *finis* . . . *demonstra*(t), vel apud Paulum l. 45 D. 21. 2: *qui fundum (dix)erat iugerum centum, fines multo ampli(ores) emptori demonstra*(t), quod cum damno aerarii ne fiat, cavetur Pap. Hibe 75. Sane demonstrari *modus* quoque dicitur (l. 36 § 1 D. 50. 1).

2) Papinian. l. 64 § 4 D. 21. 2 (Paling. 133). — Cf. Lamprecht, *Wirtschaftsleben im Mittelalter* I 1 (1886) p. 342.

3) Hoc supplebimus cum Theodoro Mommsen.

4) Fundi pro parte mancipationem admittunt Cic. ad Att. XIII 50 § 2; Cels. fr. Vat. 80. Cf. Bruns, font. (1909) no. 133.

5) *Agrargesch.* p. 80 not. 62.

6) *Agrargesch.* p. 81 (post notam 63).

7) Alioquin „*Hufe*” etiam dicitur praedium, quod pro locorum consuetudine plus minusve iugerum capiat (Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I p. 75) et „*Hufenverfassung*” non agrorum sed census secundum has hobas („*Steuerhufen*”) ordinatio, quae census ordinatio apud Germanos inde a Carolo Magno usque ad hoc saeculum frequentissima fuit (Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I p. 72/3, 75, 439; Savigny, *Verm. Schr.* II p. 174<sup>1</sup>, 212/3). Modo hanc modo superiorem „*Hufenverfassung*” vel „*Hufeneinteilung*” intelligit Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I p. 72, 433, 439, 538, et nimis celeriter, ubi fuerint „*Hufen*”, ibi fuisse statuit „*Hufenverfassung*” (I p. 533/4), quod ita procederet, si „*Hufe*” semper esset vel fundus debitus vel „*Steuerhufe*”.

8) Cf. Maurer, *Einleitung* etc. (1854) § 94; Meitzen, *Siedelung und Agrarwesen* I p. 107: „*das Wesen der Hufen als genossenschaftliche Antheile an der Flur bedingte als natürlichste und ursprünglichste Art der Veräusserung die nach Ganzen oder nach Bruchtheilen*”; Weber, *Agrargesch.* p. 75 not. 51. Ceterum alienari loca a colonis fiscalibus vel ecclesiasticis vetat Carolus Calvus in Edicto Pistensi (Capitul. 273) § 30, *ne villae destructae atque confusae fiant* atque hoc modo debita pensio intercidat.



ea lege communem fuisse, de qua diximus, non dubitat <sup>1)</sup> — eodem prorsus modo cum tempore ius mutatum esse credi oportere („es ist anzunehmen, dass dies in der römischen Rechtsentwicklung [vermuthlich] ganz ebenso sich vollzogen hat“). Pergit: Romanos ab alienatione ratae partis prius ad modi, deinde ad locorum alienationem processisse <sup>2)</sup>. Hoc vero sic idem est, quod superius, ut nihil interest inter tria et duo. Illud prorsus commentitium est, quod huic velut fundamento superstruxit <sup>3)</sup>: quia apud Romanos licuerit modum alienare — licuisse confiteor — ideo credi oportere, in Urbe Romana praeter fora, quae omnes novimus: boarium, olitorium, piscatorium, quoddam fuisse agrarium, ubi incredibili celeritate, ut syngraphae, sic solida iugera per manus emptorum ambulaverint, nisi dicendum est: volaverint, et quidem sine signo <sup>4)</sup>, nam de signo nihil exprimit. Cuius iuris unicum vestigium superesse dicit l. 5 pr. D. 11. 6, quum fuisset utique ad Papinianum <sup>5)</sup> provocandum, vel, si tota res iocandi genere continetur, ad Suetonium <sup>6)</sup>. Nec me praeterit apud populum Americanum, paulo post quam sui iuris factus esset, vacui agri immensam copiam nactum iugeribus vendendis fora pullulasse <sup>7)</sup>.

1) *Agrargesch.* p. 49-51.

2) Rursus confundit pro parte alienationem et modi op. cit. p. 85.

3) Op. cit. p. 99.

4) Signum requirebat in eam rem Mirabeau (apud: Laferrière, *Principes de la révolution française* (1850/1) p. 159: „comme . . . on ne peut pas faire circuler en nature des arpents de terre, je pense qu'il est égal d'en faire circuler le signe“) Signum autem requiritur publicum, ne quis unius rei multa simbola emittendo fallat. Attamen et Romanis privata tessera sufficere visa est in mancipiorum venditionibus (c. 1 C. 8. 53 [54]) et Germanis (*Handelsgesetz.* (1870) § 649) in mercium, quae sub instrumento navigent, quin immo (cf. nostra *Beginselen van Grondboekwetgeving* (1892) p. 54/5) hypothecarum translationibus. Cf. praeterea § 45 Inst. II 1 (sed etiam l. 74 D. 18. 1).

5) L. 64 § 4 D. 21. 2.

6) VI § 11 (*sparsa et populo missilia omnium rerum . . . novissime naves, insulae, agri*). Ibi quae missilia, dicuntur σύμβολα apud Dionem Cassium XLIX 43 § 4, tesserae apud Orell. 3994. Dabit plura Pernice, *Ztschr. der Sav.-St.* V (1884) p. 110/1.

7) H. Verloren van Themaat, *Een studie over het grondbezit in de Vereenigde Staten*, Diss. Leid. 1912 p. 93 lin. 33/4. Ibi de symbolo nihil exprimitur.

# DE EXORDIO OEDIPODIS TYRANNI SOPHOCLEAE.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



ὦ τέκνα, Κάδμου τοῦ πάλαι νέα τροφή,  
τίνας ποθ' ἔδρας τάσδε μοι θαάζετε  
ἰκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι;

De versu secundo vix quidquam est quod dicam. Aequi bonique enim consulendum censeo si magnus poeta in verborum usu sibi aliquid largitus est, atque adeo in uno vocabulo, idque paululum. Putidum mihi videtur rogare annon hic *θάσσετε* fuerit scribendum. Imperant poetae non serviunt, minime vero serviunt edictis et decretis grammaticorum. Neque mihi Hermanni probatur ratio qui hic quoque *festinandi* et *properandi* vim habere *θαάζειν* arbitratur ideoque locum nostrum sic fere interpretandum censet: „quid ad has sedes properatis festinatisque?” Nam neque omnino *gravium* virorum, senum senatorumque, est curriculo currere et rex, suae sibi conscius dignitatis, tum demum cives alloqui incipit cum eos suo sibi loco manentes cernit, sive stantes, sive sedentes sive denique procumbentes. Accedit quod ipsum illud *τίνας τάσδε* documento est *ἔδρας* esse accusativum „obiecti interni”, ut aiunt Aristarchi filii, ut *ἔδρας θαάζειν* nihil aliud esse possit quam *ἔδρας καθῆσθαι*. Conferantur haec verba comici, sed poetam tragicum loquentem inducentis (Ar. Thesm. 889):

τί δὴ σὺ θάσσεις τάσδε τυμβήρεις ἔδρας;

Nonne ei haec scribenti ipse versus noster obversabatur? Et quid *sibi voluisset* Sophocles quis melius quam Aristophanes intellexisse censendus est?

Sed de versu tertio in medium mihi proferre posse videor aliquid quod et novum sit et verum neque proreus spernendum.

Vocem *ἔξεστεμμένοι* non esse posse idem quod Latinum *coronati*, ut opinor, sentiunt omnes. Ut mittam olivae ramum non facile ita flecti curvarique posse ut coronam efficiat, nunquam is fuit rami supplicis usus ut supplex eum capiti suo imponeret, sed aut manu eum tenet aut . . . Statim dicam!

Hoc, ut dicebam, iam sentiunt omnes. Quid ergo faciunt viri docti ut tamen ex illo *ἔξεστεμμένοι* aptum extendant sensum? Ipsum illud „manu tenentes” in eo inesse adseverant. Sic enim fere ratiocinantur:

*ἔξεστεμμένος* est *κεκοσμημένος*, atqui qui aliqua re *ornatus* dicitur ea *instructus* esse intelligendus est, ergo qui *κλάδοις ἔξεστεμμένος* esse dicitur recte sic describitur non solum si capiti eos habet impositos sed etiam si manu eos tenet vel alio quocunque tandem modo secum fert.

Vides quam belle hic inter se permisceantur omnia, latina cum Graecis, primae vocabulorum significationes cum derivatis, rariora cum usitatis, et quantopere negligatur id quod ante oculos est: quis enim sive verbum *στέφειν* sive *στεφανοῦν* legit, *coronae* significationem missam facere potest?

Fac tamen hic factum esse quod fieri nullo modo potuit quodque nusquam alibi factum esse pro certo constat ut verbo *ἔξεστεμμένοι* nobis proponerentur homines aliquid *manu tenentes* . . . **non** tenent manibus ramos suos supplices senes nostri Thebani. Argumentum quaeris? Clara illud voce ipse pronuntiat poeta. Postquam enim Cleon oraculi responsum retulit et Oedipus denuo asseveravit se nihil intentatum relicturum ut Laii percussores investigentur deprehendanturque, hac ille ad supplices nostros allocutione suae imponit finem orationi illosque a se dimittit:

ἀλλ' ὡς τάχιστα, παῖδες, ὑμεῖς μὲν βάθρων  
ἴστασθε, τοῦσδ' ἄραντες ἰκτῆρας κλάδους,  
ἄλλος δὲ κτέ..

*Tollere ramos suos supplices iubentur et surgere ipsi. Ergo hactenus genibus nitebantur (id quod poeta iure suo καθῆσθαι dicit) ramosque illos . . . nimirum humi deposuerunt.*

Iam hinc aliquo modo efficere possumus illi rami supplices quid sibi velint, quae sit illorum vis et efficacia. Sed et multi alii loci eam rem illustrent; tamen nescio an nullus clarius disertiusque quam prima *Supplicum Euripidearum* scena.

Eleusina se contulerunt matres septem regum, qui ante Thebarum moenia ceciderunt, Aethram imploraturae ut a Theseo filio auxilium petat ipsis adversus crudele et impium Thebanorum decretum quo sepeliri illi vetantur.

Audiamus ipsam (vs. 20 sq.):

καιὸν δὲ Φόρτον ταῖσδ' (mulieribus Argivis) ἔχων χρείας  
 Ἄδραστος ὄμμα δακρυόεις τέγγων ὄδε ἐμῆς  
 ΚΕΙΤΑΙ

non iam genibus nititur legationis dux sed humi se prostravit. Idemque et Thebanae faciunt anus, quarum haec sunt preces:

ἱκετεύω σε γεραία  
 γεραιῶν ἐκ στομάτων  
 πρὸς γόνυ πίπτουσα τὸ σόν.

Quid ramis suis fecerunt? Non, ut opinor, manibus eos retinuerunt. Satis absurdum id foret spectaculum sic iacentium. Sed item ut senes Thebani in Oedipode eos deposuerunt. Quo modo et quo consilio? Eadem nobis ad hanc quaestionem respondebit Aethra. Sic enim narrat: pro patriae meae fertilitate hic in ipsa frugum patria rem divinam modo feci (iamque domum redire, templo relicto cupiebam)

δεσμὸν δ' ἄδραμον τόνδ' ἔχουσα Φυλλάδος  
 μένω πρὸς ἀγναῖς ἐσχάραις δυσὶν θεαῖν  
 Κόρης τε καὶ Δήμητρος, οἰκτείρουσα μὲν  
 πολιάς ἄπαιδας τάσδε μητέρως τέκνων  
 σίβουσα δ' ἱερὰ στέμματα.

Procedere eam vetant prohibentque rami sic scilicet dispositi ut hemicyclium efficiant cuius imus templi gradus cardo est et eodem ordine procubuerunt supplices. Transgredi illud vel calcare pedibus ramos insignis foret impietas, *vinculorum* ergo vim rami supplices sic dispositi habent eumque qui precibus aditur

tam diu retinent donec p̄ces illas exaudiverit <sup>1)</sup>). Ita et senes Thebani fecerunt egregieque a poëta (nam cum poeta nobis res est qui non vim quidem afficit vocabulis sed tamen iure suo leviter ad suum usum ea deflectit, praesertim is qui lectum nuptialem Iocastes *τεκνοῦντα καὶ τεκνούμενον* appellet!) dicuntur

*ἰκτηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι*

hoc est „qui ramis *vestris* coronam” (sic enim illud hemicyclium dicit, minime iusto audacius) „effecistis” sive „qui cum ramis vestris ipsi in coronae formam procubuistis”. Est enim „verbum medium” hic *ἐκστέφεται*.

Ramos supplices *manu tenent* qui singuli singulos precibus adeunt, ut Calchas Agamemnonem, sed et ille quominus rex se inauditum relinquat prohibere potest: stat enim et ramum *προτείνει* eumque dextrorsum sinistrorsumve movebit prout rex huc vel illuc iter flexerit.

---

1) Conferantur eiusdem Aethrae verba haec (vs. 36 sqq.):

*δίχεται δέ μοι  
κήρυξ πρὸς ἄστν δούρο Θεοῖα καλλῶν,  
ὡς ἢ τὸ τούτων λυπρὸν ἐξέλη χθονὸς  
ἢ τάσδ' ἀνάγκας ἰκεσίονες λύση θοοῦς  
ὑσιὸν τι δράσας,*

---

AD CARM. PRIAP. LXIII, 15 sqq.

Narratur puellam in Priapi sacellum venire solere cum suo amatore,

quae tot figuras, quot Philaenis enarrat,  
non inventis pruriosa discedit.

Simul metro et sententiae consulemus scribendo:

quae tot figuris, quot Philaenis enarrat,  
novisq̄ue iunctis, pruriosa discedit.

G. V.

# DE CATONIANIS LIBRARIORUM MEMORIIS DUABUS.

SCRIPSIT

M. B O A S.



Singulare committitur errorum genus a librorum manuscriptorum scribis, cum quae apud alios lectitaverunt auctores enuntiata, facultate data sui auctoris verbis substituunt inviti atque subiciunt. Quae quidem res saepius in Homeri Sacraeque Scripturae verbis immerito suppletis suppositisque est notata; ex Catonis vero petita libro, quem memoria a puero haud raro tenuisse librarios certum est, nescio an observata iam non sint exempla ac proposita. Quapropter unum, alterumve fortasse, haud abs re sit laudare.

Postquam in cod. Vat. Barb. Lat. 41, saec. XIII, quem sex illos auctores complecti nuper (Mnem. 1914 p. 19) monui, Catonis Distichorum haud parvi momenti recensionem deprehensam excussi, reliquum librum manu pervolvens in Aviani de leone et capella incidi fabulae 26<sup>ae</sup> epimythium interpolatum, quod in Froehneriana editione (1862 p. 53) audiens:

ne properes blandis cuiusquam credere dictis,  
sed si sint fidei, prospice quis monuit<sup>1)</sup>

hac exhibetur forma innovatum:

*noli tu blandis cuiusdam credere dictis,  
sed si sint fidei, prospice qui veniunt.*

---

1) „Respice que D (= Par. 8302), quid moneat Z (= liber typis impressus)” Froehner. In cod. Campensi (Mn. 1914 p. 39) legitur: non nimium verbis cuiusdam (non cuiusquam, ut est in Nodellii ed. Aviani 1787 p. 41) credito blandis, sed si sint fidei prospice quae moneant.

Ut prioris versus immutationem glossatoris interpolatorisve pro-  
dere studium manifestum est, ita ultima verba videntur esse  
repetenda ex Catoniana memoria Dist. II. 24, 1:

prospice qui veniunt hos casus esse ferendos,  
deteriores enim codices novi complures, qui contra ac meliores  
(*veniant*) praebeant indicativum (*veniunt*); post quod verbum  
inciditur sententia in omnibus praeter Veronensem codicibus,  
cuius auctoritate perductus (cf. Mnem. 1915, p. 307 sqq.) Baehrens  
iniuria verba *casus hos* virgula interposita traiecta edidit.

Alterum atque, quo magis codex in quo legi perhibetur a  
Catone est alienus, eo insignius haberemus exemplum, nisi le-  
viorem faceret fidem lectionis auctorum discordia. Ovidius de  
hominis gradibus aetatibusque *Metam. XV. 214* cum alia tum  
haec vs. 225 sqq. disserit:

inde valens veloxque fuit spatiumque iuventae  
transit; et emeritis medii quoque temporis annis  
labitur *occiduae* per iter declive senectae.

Longa alia subministratur cum in Riesiano tum in Korniano  
apparatu critico lectio ex uno hausta codice Hauniensi 2008  
olim Hamburgensi saec. XIII:

labitur *exiguae* per iter declive senectae.

Quae nullam habet explicationem nisi ex memoria Catoniani  
Dist. II. 17, 2:

labitur *exiguo* quod partum est tempore longo.

Atqui credibile est eam non tam deberi ipsi multis sane locis  
interpolato codici quam „libri collationi in Bonnensi Burman-  
nianae editionis exemplari extanti a P. D. Longolio accurate  
ut videtur factae”, ex qua eam se petivisse testatur Riese (praef.  
*Met.*<sup>2</sup> p. ix). Nullam enim variam lectionem huic adscripsit loco  
in novissima ed. crit. qui vir Ovidianus ipse se codicem contu-  
lisse confitetur (praef. xx), Hugo Magnus; quem putari temere  
lectionem a vulgata traditione omni abhorrentem neglexisse vetat  
ea qua eius editio exarata est cura ac diligentia. Quocirca  
nunc relicta in medio hac in re codicis Hauniensis auctoritate  
Catonianam utique memoriam indicavisse satis esto.

## AD HORATHII C. III, 4, 2.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Ecce iterum Polenarius meus! Qui nuper et alia ad me scripsit et se, cum post aliquod tempus (gravissimo enim casu fuerat afflictus) denuo in manus sumsisset Horatium, denuo esse miratum tam multis illum poetam esse commaculatum vitiis.

En aurea iam haec acutissimi viri verba. Falsum, immo falsissimum est quod credere iubemur tantum non tale ad nos poetae Venusini opus pervenisse quale reliquerit ipse. Nam si quis vel illos solos collegerit locos qui nostra aetate a sagacibus sunt emendati philologis, idque emendationibus non certis minus quam necessariis, satis magnus existet acervus.

Tum unum in notissimo versu indicat vitium tam manifestum ut nunc demum esse observatum plane sit incredibile. Orat Calliopen poeta ut *longum* dicat melos. Unquamne quidquam vidisti ineptius? Quid vero Polenarius? Ipsam me iudice Horatii manum restituit legendo: tibia . . . longã.

Atque annotat: „carmen componit Horatius *in templo* recitandum, in qua re *longa* adbibetur tibia. Et ad Richium nos relegat cuius haec sunt verba (in Dictionnaire des antiquités Romaines et Grecques):

„la *tibia longa* est la tibia que l'on employait dans les temples pendant les sacrifices pour faire entendre une musique éclatante et solennelle au moment de la libation”.

Denique totam sententiam suam his comprehendit verbis,



quae, quoniam vel sic satis clara est etiam iis qui nostrum sermonem ignorant, vernacule ita repetere iuvat ut sunt scripta ab ipso:

„de eerste strofe van c. IV l. 3 is te beschouwen als een *opschrift*, hetwelk (ontdaan van de alliteratieve en andere versieringen) luidt: voor declamatie met begeleiding van *tibia longa*, voor zang door een sopraanstem, a capella, of voor recitatief met gitaar”.

Equidem unde illud de *tibiae longae* usu habeat Richius nunc non quaero, quoniam, etiam si illud *longa* nihil aliud est quam epitheton ornans, tamen gratissima et venustissima est ipsa dispositionis symmetria: „*tibia longa, voce acuta, fidibus Phoebi*”.

Sed hoc tamen nomine vel maxime laudandum Polenarii inventum quod is primus mortalium vidit quam ridiculum esset istud *longum melos*, quod, semel convictum damnatumque, nullis iam argutiis quisquam defendere et in integrum restituere conabitur. Si *ingens* vel *grande* hic legeretur (fac metrum illas voces admittere), aequi bonique consuleremus. *Longum* vero melos quid aliud est quam melos quod *taedium pariat* et satietatem? Et nihil, ut opinor, magis hic vitandum quam eiusmodi cogitatio suspicioque.

SOPH. OED. REG. VS. 80 SQ.

ἄναξ ἄπολλον, εἰ γὰρ ἐν τύχῃ γέ τω  
σωτήρι βίη, λαμπρὸς ὥσπερ ὄμματι.

Herwerdenus coniecit: λαμπρὸς ὥσπερ ὄμμα σόν. Optime quod ad sententiam, sed quidni scribamus: λαμπρὸς ὥσπερ ὄμματ' εἶ? In eadem vocabula exit eiusdem fabulae vs. 371:

τυφλὸς τὰ τ' ὄτα τὸν τε νοῦν τὰ τ' ὄμματ' εἶ.

G. V.





# M N E M O S Y N E.

---

BIBLIOTHECA PHILOLOGICA BATAVA.

COLLEGERUNT

P. H. DAMSTÉ, J. J. HARTMAN, C. W. VOLLGRAFF.

OPERAM SUAM POLLICITI SUNT

K. KUIPER, J. C. NABER, M. C. VALETON, I. VAN WAGENINGEN.

---

NOVA SERIES.

VOLUMEN QUADRAGESIMUM SEXTUM.

---

**LUGDUNI-BATAVORUM**

**E. J. BRILL.**

---

LIPSIAE,  
O. HARRASSOWITZ.

1918.

---

**EX OFFICINA TYPOGRAPHICA ET BIBLIOPOLIO QUAE ANTEHAC E. J. BRILLII FUERUNT.**

# INDEX.



	Pag.
Ad Carmina Ovidi in Exilio Composita, scripsit P. H. DAMSTÉ.	1.
Ad Sophoclis Indagatores, scripsit G. V. . . . .	37.
Ad Platonis Rempubicam, scripsit J. L. V. HARTMAN . . .	38—52.
Ad Ciceronis pro Roscio Amerino Or. § 44, scripsit J. J. H.	52.
Ad Senecae Epistulas, scripsit F. MULLER I.FIL. . . . .	53—72.
Ad Sophoclis Antigonam, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF .	73—82.
Lugdunum Batavorum et Forum Hadriani, scripsit A. W. BIJVANCK . . . . .	83—100.
Ad Menandri Heroëm, scripsit J. J. HARTMAN. . . . .	101—104.
Ad Plinii Epistulam III, 21, scripsit J. J. H. . . . .	104.
De Prima Propertii Elegia, scripsit J. J. HARTMAN. . . .	105—110.
Emendatur Scholion ad Horatium, scripsit J. J. H. . . .	110.
Ad Lucretium, scripsit J. VAN WAGENINGEN . . . . .	111—112.
Observatiunculæ de Iure Romano, scripsit J. C. NABER S.A.FIL.	113—126.
Crepusculi Notio, scripsit P. H. D. . . . .	126.
De Menandro et Terentio Disputatiunculam scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	127—134.
Seneca Fatidicus, scripsit P. H. D. . . . .	134.
Etymologiae Graecae, scripsit F. MULLER IAC.FIL. . . . .	135—155.
Ἐπεὶ καὶ ὄσια, scripsit G. V. . . . .	155.
De Catulli c. I vs. 8—10, scripsit J. J. HARTMAN . . . .	156—160.
Hodie, scripsit IACOBUS VAN WAGENINGEN . . . . .	161—164.
Varia III, scripsit P. GROENEROOM . . . . .	165—171.
Ad. Plat. de Republ. p. 421, C., scripsit G. V. . . . .	171.
Loculi, scripsit IACOBUS VAN WAGENINGEN . . . . .	172—173.
Ad Sophoclis Antigonam, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF .	174—183.
Ad Ovid. Tr. IV 3, 83, scripsit P. H. D. . . . .	183.
Ad Senecae Phaedram, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . .	184—200.
Quo tempore exarata sit tabella emptionis in Frisia nuper reperita, scripsit A. G. ROOS . . . . .	201—215.
Quaestiunculæ Annaeanae scripsit H. WAGENVOORT . . . .	216—224.
De Nonno Evangelii Johannei interprete, scripsit K. KUIPER.	225—270.
Κάθαρσις τῶν καθημάτων, scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	271—280.

	Pag.
Ad schol. Hom. II, 1, 189, scripsit G. V. . . . .	280.
Ad Senecae Herculem Oetaeum, scripsit P. H. DAMSTÉ . . .	281—301.
Ad Verg. Ecl. VII vss. 14—17, scripsit J. BERLAGE . . . .	301.
Ad Platonis Rempublicam, scripsit J. L. V. HARTMAN . . . .	302—319.
Unde Vergilius hauserit praecepta de re apianaria? Georg. IV 1—280.), scripsit G. PIEPERS . . . . .	320—326.
IV. Ad Theocriti Id. III, 32, scripsit J. J. H. . . . .	326.
Ad Senecae Epist. 27, scripsit J. BERLAGE . . . . .	327—328.
Ad Nemesianum, scripsit F. MULLER JAC.FIL. . . . .	329—333.
Varia ad varios, scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	334—336.
Ad Ovidii de Ceyce et Alcyone narrationem, scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	337—357.
Ad Sophoclis Antigonam, scripsit GUILIELMUS VOLLGRAFF .	358—367.
Polenarianum ad Hor. C. III, 29, 62—64, scripsit J. J. H. . .	367.
Ad Senecae Thyesten, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . .	368—373.
De quattuor temperamentis, scripsit JACOBUS VAN WA- GENINGEN . . . . .	374—382.
Polenarianum ad Hor. C. IV, 4, 68, scripsit J. J. H. . . . .	382.
Quo tempore Phaedrus Platonicus scriptus sit, scripsit H. D. VERDAM . . . . .	383—402.
Polenarianum ad Hor. C. III, 24, 58, scripsit J. J. H. . . . .	402.
Ad Senecae Medeam, scripsit P. H. DAMSTÉ . . . . .	403—414.
Ad Pindari Ol. XIII, 53, scripsit J. J. H. . . . .	414.
De lege collegii cantorum Milesii, scripsit GUILIELMUS VOLL- GRAFF. . . . .	415—427.
Ad Senecae Herculem Furentem, scripsit P. H. DAMSTÉ. . .	428—434.
De origine participii futuri linguae latinae, scripsit F. MUL- LER JAC.FIL. . . . .	435—444.
Emendatur locus Gellianus (II, 21, 8), scripsit P. H. D. . . .	444.
Annotatiunculas criticas ad Pindari locos quosdam, scripsit J. J. HARTMAN . . . . .	445—451.

# AD CARMINA OVIDI IN EXILIO COMPOSITA.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



P. Ovidi Nasonis Tristia Ibis Ex Ponto  
libri Halieutica fragmenta rec. S. G. Owen.  
Oxonii MDCCCXV.

Scriptorum classicorum opera, quae in Bibliotheca Oxoniensi prodeunt, cum omni tempore iucunda acceptaque ad me deferuntur, tum hoc volumen nuper praeter cetera voluptate eximia me affecit. Videlicet primum carmina illa continet, quae a puero legere, relegere, diligere solebam, deinde recognovit ea brevique adnotatione critica instruxit vir in republica literaria celeberrimus deque poeta nostro optime meritus, denique vero ab ipso editore donum ad me missum est exoptatissimum. Laeto igitur animo nitidum inspexi libellum nec habui quicquam antiquius quam ut ad umbilicum quantocius eum revolverem. Iam tunc expectationem me non frustratam esse facile agnovi, sed ipsa editionis praestantia et formae venustas ad relegendum me adduxerunt neque facere potui quin ea quae attentius diligentiusque legenti mihi in mentem veniebant in margine annotarem. Quas notulas cum postea percensuissem, nonnulla fortasse haud indigna esse putavi quae scriptis mandarem et tamquam *ἀντιδωρον* quaecumque, certe grati mei animi documentum Owenio, viro doctissimo et poeseos Ovidianae arbitro maxime idoneo, offerem, hoc nimirum sperans fore ut aliqua ex inventis meis ei probarem itaque ex iis ad carmina poetae, quem uterque pariter diligimus, emendanda ac melius intellegenda boni aliquid re-



dundaret. Quodsi mihi contingat ut nonnulla haud spernenda ei videantur, fortasse illas quoque elucubrationes inspicere velit quae in *Mnemosynes* nostrae Vol. XXXIII a. 1905 p. 1—56 ad *Heroides* — Vol. XXXIX a. 1911 p. 441—6 ad A. A. et Rem. Am. a me vulgatae sunt.

Antequam ad proposita mea patefacienda transeo, profiteri lubet in lectionum varietate iudicium sanum subtileque editoris locis tantum non omnibus mihi aut statim aut re penitus deliberata probatum esse; si tanti videbitur cognoscere quibus locis alteram lectionem praeferam, hi sunt: Tr. I 1. 21—22 *te . . . dabis*, 2. 63 *poenam . . . pendere*, 9. 42 *istam*, III 4. 72 *protrahet*, V 6. 36 *quereris*, Ex P. II 3. 44 *sors* (Heinsii coni.), IV 8. 71 *mavis*, 12. 11 *nec*, 12. 13 *ducatur*. Coniectura censoris in *The Athenaeum*, ad Tr. I 2. 86 memorata, *exul iens* lusus sane ingeniosus est, at lusus merus neque ullam veritatis speciem prae se ferre mihi quidem videtur.

Ne hoc quoque praetermittam, menda typographica nulla fere inveni: Tr. IV 5. 29 pro *de* legendum est *te*, ad Tr. V 6. 35 in app. crit. lectio altera omissa est, ad Ex P. I 3. 85—86 in app. crit. pro *p. 32* corrigendum est *p. 22*, in Indice Nominum s. v. *Martius* numerus 25 mutetur in 52. Accedit quod Burmanni nomen una littera *n* scribendum est: Batavus fuit, non Teutonius. Denique in Indice Nominum s. vv. *Eteocles* et *Polynices* addi potest: *Ib.* 35. Iam vero animadversiones meas proferre liceat.

## TRISTIUM LIBER PRIMUS.

### V.

25. scilicet ut flavum spectatur in ignibus aurum,  
tempore sic duro est inspicienda fides.

Editor *flavum* scripsit; in cod. L legitur *saluum* — in cett. codd. *fuluum*. Veram lectionem esse puto: *solidum*.

31. atque haec, exemplis quondam collecta priorum,  
nunc mihi sunt propriis cognita vera malis.

Immo *coniecta*, quo verbo reposito iusta demum oritur

oppositio: haec, quae quondam e priorum exemplis tantummodo a me coniciebantur, nunc propriis malis pro veris mihi cognita sunt.

VIII.

37. non ego te genitum placida reor urbe Quirini,  
 urbe, meo quae iam non adeunda pede est,  
 sed scopulis, Ponti quos haec habet ora Sinistri,  
 inque feris Scythiae Sarmaticisque iugis.

Legendum puto: *dure, meo quae iam e. q. s.*

Cf. vs. 11 supra:

ut neque respiceres, nec solarere iacentem,  
 dure, neque exequias prosequerere meas?

et vs. 46 infra: duritiaeque mihi non agerere reus.

Etiam cf. III 13. 3:

dure, quid ad miseros veniebas exulis annos?

XI.

13. saepe ego nimborum dubius iactabar ab Haedis,  
 saepe minax Steropes sidere pontus erat,  
 fuscabatque diem custos Atlantidos Ursae,  
 aut Hyadas seris hauserat Auster aquis.

Describit poeta, quam gravibus difficultatibus epistulas huius libri composuerit. Lectio autem *seris* inepta est et corrigendum opinor: *saevis*, cl. I 10. 7:

et pariter fluctus ferit atque silentia longe  
 aequora, nec saevis victa madescit aquis.

LIBER SECUNDUS.

77. a, ferus et nobis crudelior omnibus hostis,  
 delicias legit qui tibi cumque meas,  
 carmina ne nostris quae te venerantia libris  
 iudicio possint candidiore legi.

In libris mss. huic loco parum est subsidii, quandoquidem optimi et plurimi *ne ... quae te* — ceteri *nunc vel nam ... quae te* exhibeant.

Editor illam retinuit, sed bonam interpretationem eam admittere non credo neque alii credidisse videntur, cum Merkel *de ... cum te*, Elwald *nam ... quot te*, Ellis *ne ... te de-venerantia* coniecerint. At potius legendum esse suspicor:

carmina non nostris quasi te venerantia libris  
iudicio possint candidiore legi.

h. i. quasi candidiore iudicio (quam tibi est) in nostris libris carmina legi non possint quae te venerantur. Talia carmina et alibi saepe indicat et vs. 61—66 supra. Cf. etiam vs. 557 sqq.:

atque utinam revoces animum paulisper ab ira  
et vacuo iubeas hinc tibi pauca legi,  
pauca, quibus prima surgens ab origine mundi  
in tua deduxi tempora, Caesar, opus:  
aspicies, quantum dederis mihi pectoris ipse,  
quoque favore animi teque tuosque canam.

83. cum coepit quassata domus subsidere, partes  
in proclinatas omne recumbit onus,  
cunctaque fortuna rimam faciente dehiscunt,  
ipsa suoque eadem pondere tracta ruunt.

Sic Owen nunc locum constituit, cum in Postgatii CPL ediderit:

cum quae fortuna rimam faciente dehiscunt,  
ipsa suo quodam pondere tracta ruunt.

Neutra tamen lectio placet: tam *eudem* quam *quodam* panniculi instar loco nostro insutum esse mihi videtur et etiam pronomen *ipsa* importunum est. At vero quid in codd. exaratum sit primum videamus.

Scriptura hexametri inter omnes fere constat neque incerti quicquam habet. Cod. L sane *cumq*; — cod. G *cunctaque* pro *cunctaque* praebent, verum vulgatam lectionem recte se habere editor iam agnovit nec non I 5. 27 sq. demonstrat:

dum iuvat et vultu ridet Fortuna sereno,  
indelibatatas cuncta secuntur opes.

Fieri etiam potest ut I 9. 19 lectio *cunctaque*, quae in codd. nonnullis pro *cautaque* reperitur, ex his locis nata sit:

at simul impulsa est, omnes timuere ruinam,  
cautaque communi terga dedere fugae.

Nunc vero disce, qualis pentameter in libris mss. legatur:  
 ipsa (ipse *cod. L*) suo quodam (quondam *vel* quaedam  
*var. lect.*) pondere tracta ruunt.

Partem igitur priorem in libris minime constare vides.

Quid autem ibi factum esse verisimile est?

Verbum, quod ad *pondere* nunc desideratur et in versus  
 initio olim positum erat, a librario male divisum est et pro  
 pluribus vocabulis habitum. Scriptum nempe fuit *imposi-*  
*toque*, sed ille legere se credidit *ipse* (vel *ipsa*) suo et syl-  
 labam ultimam *que* sequenti vocabulo, quod fuit *etiam*, per-  
 peram adiunxit, e quo errore *quodum, quondam, quaedam* orta  
 sunt. Genuinam igitur lectionem esse credo:

cunctaque fortuna rimam faciente dehiscunt

inpositoque etiam pondere tracta ruunt,

h. e. primum, ubi fortuna rimam facit, cuncta dehiscunt, deinde  
 vero, cum pondere imposito etiam deorsum trahuntur, ruunt.

Cf. III 4<sup>b</sup>. 61:

ingravat hoc, quod abest; levat hoc, quod praestat amo-  
 inpositumque sibi firma tuetur onus. [rem

Obiter addo, dudum me fovisse coniecturam meam (cl. l.l.  
 supra):

impulsoque etiam pondere tracta ruunt,  
 quae ipsa quoque bonam interpretationem admittit: „primum,  
 ubi fortuna rimam facit, cuncta dehiscunt, deinde vero, cum  
 pondus etiam impellitur, trahuntur ruuntque”, verumtamen  
*impositoque* melior nunc mihi videtur lectio.

279. ut tamen hoc fatear, ludi quoque semina praebent

nequitiae: tolli tota theatra iube:

peccandi causam multis quam saepe dederunt,

Martia cum durum sternit harena solum.

tollatur Circus; non tuta licentia Circi est:

hic sedet ignoto iuncta puella viro.

Poeta igitur deinceps tria loca enumerat, quae animos virgi-  
 num laedere possint: theatrum, amphitheatrum, circus, e  
 quibus theatrum et circus nominatim significantur, amphithea-  
 trum minus quidem diserte indicatur, sed indicatur tamen.  
 At manca oratio est, nempe deest verbi *dederunt* subiectum,

quod esse non potest *ludi* vs. 279: hoc enim vocabulo communi tria genera Naso complexus est, neque potest esse *theatra*, nam haec quasi missa fecit verbis *tolli tota theatra iube* neque *theatra harena sterni* solebant. Ehwald quoque subiectum desiderasse videtur, quippe qui *mimi quam* scribere voluerit, at videat num ea quae in pentametro adduntur ad mimos pertinere possint.

Ceterum editor Riesii coniecturam *multis quam* recepit, quae unius cod. L lectione *multi quam* nititur, cum reliqui omnes *quam multis* praebeant. Equidem emendandum credo:

peccandi causam quam multis saepta dederunt

Martia, cum durum sternit harena solum.

'Saepta Martia' amphitheatrum optime definit; simul eo, quod adiectivum *Martia* substantivo *saepta*, quod in hexametro est, nunc additur, soluta est copulatio illa molestissima *Martia harena*, quam vix neque vix quidem ferendam semper duxi, nam 'harena' h. l. non tropice dictum est ut Martial. II 75. 8:

Martia non vidit maius harena nefas,

sed propria significatione sabulum denotat et epitheton 'Martia' non admittit.

---

## LIBER TERTIUS.

### I.

57. quandocumque, precor, nostro placere parenti

isdem et sub dominis aspiciare domus!

In pentametro editor cum Ehwaldo *et*, quod in libris mss. non legitur, addidit. Nescio tamen an potius scribendum sit:

isdem sub dominisque aspiciare domus!

Continuo sequuntur:

inde tenore pari gradibus sublimia celsis

ducor ad intonsi candida templa dei.

Displicet epitheton duplex *sublimia candida templa*. Fortasse:

inde tenore pari gradibus sub limina celsis

ducor ad intonsi candida templa dei.

VII.

- In Epistula ad Perillam filiam data haec sunt:  
 nam tibi cum fatis mores natura pudicos  
 et raras dotes ingeniumque dedit.  
 hoc ego Pegasidas deduxi primus ad undas,  
 ne male fecundae vena periret aquae;  
 primus id aspexi teneris in virginis annis,  
 18. utque pater natae duxque comesque fui.  
 ergo si remanent ignes tibi pectoris idem,  
 sola tuum vates Lesbia vincet opus.  
 sed vereor, ne te mea nunc fortuna retardet,  
 postque meos casus sit tibi pectus iners.  
 23. dum licuit, tua saepe mihi, tibi nostra legebam;  
 saepe tui iudex, saepe magister eram:  
 aut ego praebendam factis modo versibus aures,  
 aut, ubi cessares, causa ruboris eram.  
 forsitan exemplo, quia me laesere libelli,  
 28. tu quoque sis poenae fata secuta meae.  
 pone, Perilla, metum.

Versus 23—26 reponantur post vs. 18! Id pluribus exponere vix opus esse videtur: monere satis sit, poetam, postquam vs. 19 voc. *ergo* significavit se studia poetica quae cum filia communicavit satis iam commemorasse, nunc verbis *dum licuit* e. q. s. subito et importune ad magisterium suum describendum redire.

De vs. 28 pauca addere liceat.

Quamquam libri meliores ad unum omnes praebent *facta*, editor e codicibus deterioribus *fata* recepit et e meliorum consensu *secuta* scripsit reliquis *ruina* exhibentibus. Inde mirum non est, multos varie locum temptasse: Muretus *facta* . . . *remissa*, Ellis et Zingerle *facta* . . . *retusa*, auctor elect. Eton. *facta* . . . *severa* proposuerunt. Hi igitur lectionem *facta* omnes tuendam censuerunt idque merito, nam causam nullam video propter quam codicibus optimis fides neganda sit. Quod ad ambiguum lectionem *secuta* — *ruina* attinet, utramque spuriam esse persuasum mihi est: verba enim *exemplo poenae meae* omnino iungenda sunt, ita ut adiectivum aliquod quaerendum

sit quod in illa vocabula sive sit corruptum seu eis detrusum.  
In mentem mihi venit:

forsitan exemplo, quia me laesere libelli,  
tu quoque sis poenae facta caduca meae.

h. e. forsitan exemplo meae poenae tu quoque facta sis caduca  
i. e. ne mox casura sis metuis. Bene iam sequitur illud: Pone  
P. metum.

Cf. Verg. Aen. X 622:

si mora praesentis leti tempusque caduco  
oratur iuveni.

Iam lectio *ruina* explicari potest: primum glossa fuit supra  
voc. *caduca* scripta, quod postea detrusit.

## IX.

Medea navem patris appropinquantem videt.

19. ergo ubi prospexit venientia vela 'tenemur,  
et pater est aliqua fraude morandus' ait.  
dum quid agat quaerit, dum versat in omnia vultus,  
ad fratrem casu lumina flexa tulit.

Corrigendum est: *aut pater est.*

## X.

9. at cum tristis hiems squalentia protulit ora,  
terraque marmoreo est candida facta gelu,  
dum prohibet Boreas et nix habitare sub Arcto,  
tum patet has gentes axe tremente premi.

Editor, qui in ed. Oxon. 1889 scripserat *parat et*, nunc edidit  
*prohibet* pro librorum omnium scriptura *patet et*, quod nimirum  
e vs. sq. illatum est. Ellis *petit et* coniecit, Ehwald et Vogel  
etiam voc. *habitare* sollicitarunt, fortasse quia in codd. non-  
nullis deterioribus pro eo *iniecta* exaratum est; ille enim  
voluit: *cum parat et Boreas et nix regnare sub arcto*, hic  
autem: *dum volat et Boreas et nix agitata sub Arcto*.  
Emendandum est, ut Merkel iam vidit:

dum vetat et Boreas et nix habitare sub Arcto,  
tum patet has gentes axe tremente premi.

Cf. V 12. 19:

at timor officio fungi vetat ipse quietum.

Iamque librario oscitanti errorem facile ignosces, quod similia verba confudit.

## XI.

29. me quoque, quem noras olim, non esse memento:  
ex illo superant haec simulacra viro.

Immo: *ex illo superant heu simulacra viro!*

Cf. III 10. 76: heu loca felici non adeunda viro! IV 5. 10: excidit heu nomen quam mihi paene tuum! V 7. 21: vivit in his heu nunc, lusorum oblitus amorum.

Perillus bovem aeneum Phalaridi offerens loquitur.

43. munere in hoc, rex, est usus, sed imagine maior,  
nec sola est operis forma probanda mei.

Lege: *vel imagine maior.*

61. crede mihi, si sit nobis collatus Vlixes,  
Neptunine minor quam Iovis ira fuit?

Owenii scripturam *Neptunine* pro tradita *Neptunique* semper miratus sum atque etiam nunc non video quomodo sic non contraria Nasonem affirmantem faciat eorum quae sentit. Qui quid voluerit patet ex I 5. 78:

cumque minor Iove sit tumidis qui regnat in undis,  
illum Neptuni, me Iovis ira premit.

Neptunus igitur Iove minor est, ergo Neptuni ira minor esse debet quam ira Iovis, itaque Ulysses, qui Neptuni ira pressus est, minora tulit quam Ovidius, qui Caesaris sive Iovis iram patitur. Ellisii coniectura *Neptuni levior* sententiae loci optime quidem satisfacit, sed respuenda est propter rationem palaeographicam. Vereor etiam ut post *crede mihi* sequi possit interrogatio, cum apud nostrum semper et ubique affirmatio sequi soleat, vid. II 353, III 4. 25, 14. 49, IV 6. 39, Ex P. II 7. 23, 9. 11, IV 12. 47. Accedit quod *que* in codd. omnibus nomini *Neptuni* affixum est. Quae cum ita sint, proponere velim:

Neptuni usque minor quam Iovis ira fuit.

## XII.

27. at mihi sentitur nix verno sole soluta,  
quaeque lacu durae non fodiantur aquae.



Libri variant in *quaeque* — *quodque*, *fodiantur* — *fodiuntur*.

Quid sit legendum me quidem docet III 10. 25:

quid loquar, ut vincti concrecant frigore rivi,  
deque lacu fragiles effodiantur aquae?

quo loco fretus scribo:

deque lacu durae non fodiuntur aquae.

## LIBER QUARTUS.

### I.

19. me quoque Musa levat Ponti loca iussa petentem:  
sola comes nostrae perstitit illa fugae.

Latet me, qua de causa Lachmanni coni. *tenentem* in app.  
crit. memorata sit: eam falsam esse vs. 60 infra comprobat:

mala, quae toto patior iactatus in orbe,  
dum miser Euxini litora laeva peto.

### II.

53. ipse sono plausuque simul fremituque canente  
quadriugos cernes saepe resistere equos.

Est varia lectio *canente* — *canentum* — *calentes*, e quibus ultimum sententiae loci aptissimum videtur, verum omnia excogitata credo ad lacunam explendam, quae propter similitudinem verborum ultimarum in versus fine orta sit. Ita enim verum vere Ovidianum restitue:

ipse sono plausuque simul fremituque frementes  
quadriugos cernes saepe resistere equos.

Equi nempe animosi fremebant territi sono tubarum et plausu  
fremituque spectantium turbac. Cf. Met. III 704:

ut fremit acer equus, cum bellicus aere canoro  
signa dedit tubicen, pugnaeque adsumit amorem

et Verg. Aen. XI 496:

arrectisque fremit cervicibus alte  
luxurians, luduntque iubae per colla, per armos.

et 599: fremit aequore toto

insultans sonipes et pressis pugnat habenis.

## III.

83. utere temporibus, quorum nunc munere facta est  
et patet in laudes area lata tuas.

Lectio *facta est* Ehwaldo debetur, qui forsitan ex Am. III 1. 26:

haec animo, dices, area facta meo est

ita scripserit, sed codices *freta es* et unus *ficta est* habent.

Nescio an sit legendum: *creta est*. Ceterum poeta h. l. mire  
se repetit ex Her. I 72: et patet in curas area lata meas.

## VI.

37. nos quoque quae ferimus, tulimus patientius ante:  
vae, mala sunt longa multiplicata die.

Libri mss. universi *quae* praebent — Owen *vae* scripsit. At  
corrigere non dubito Merkelio praeunte:

nos quoque quae ferimus, tulimus patientius ante  
quam mala sunt longa multiplicata die.

## LIBER QUINTUS.

## IV.

27. nec patriam magis ille suam desiderat et quae  
plurima cum patria sentit abesse sibi,  
quam vultus oculosque tuos, o dulcior illo  
melle, quod in ceris Attica ponit apis.

Malim: *o dulcior illi*. Cf. vs. 23 supra:

o, si quid credis mihi, carior illi  
omnibus.

## VII.

35. quaeque modo Euboicis lacerata est fluctibus, audet  
Graia Capheream currere puppis aquam.

Scripturam multorum codicum vetustissimorum *Capherea ... aqua*  
tueri videtur Ex P. I 3. 76:

qua duce trabs Colcha sacra cucurrit aqua.

## IBIS.

Inter dira fere innumerabilia, quae inimico suo poeta imprecatur, haec quoque sunt:

117. accedat lacrimis odium, dignusque puteris  
 qui, mala cum tuleris plurima, plura feras.  
 sitque, quod est rarum, solito defecta favore  
 fortunae facies invidiosa tuae.

Ex his versibus primus corruptus est, quamquam nemini umquam, quantum scio, suspicionem movit ullam. Quod non ita mirum est, quoniam verba *accedat lacrimis odium* si quis parum diligenter legit, satis sunt perspicua neque quicquam salebrosi habere videntur. Attamen locus vitio laborat, imprecatio inscite composita, modo Nasone omnino indigno enuntiata est. Quid enim adversario nunc exoptat? Nempe ut odium *accedat lacrimis*, h. e. ut motus sive affectus animi *accedat lacrimis*, quae non nisi affectus cuiusdam significatio sunt: ergo res genere inter se diversae hoc loco inepte copulantur. Omitto iam, ad *lacrimis* cogitatione supplendum esse *tuis* — ad *odium* vero *hominum*, quamquam hoc quoque dubii aliquid et incerti afferre censeo, id quod a poeta nostro alienissimum est. Eum autem scripsisse aio:

accendas lacrimis odium, dignusque puteris  
 qui, mala cum tuleris plurima, plura feras.

h. e. lacrimis tuis odium accendas pro misericordia, homines vel lacrimantem te odio habeant et miseria tua excitet invidiam. Corruptelae origo manifesta est: postquam lineola transversa, quae supra *e* litteram olim fuit ad litteram *n* omissam indicandam, evanuit, in promptu iam erat litterae finalis *s* in *t* mutatio. Vestigium quamvis leve verae lectionis Ellisii deflorationes Atreb. 65 et Paris. 17903 fortasse ostendunt eo, quod in lectione sua *accipias* saltem formam secundae personae servarunt.

191. hic et erit ramos frustra qui captet et undas:

hic inconsumpto viscere pascet avis.

Tityos igitur in pentametro significatur, qui ob vim Latonae illatam per novem iugera porrectus est et cuius iecur cotidie

a vulture comeditur, quod nocte renascitur ne desit materia dolori. At de eodem Naso vs. 179 iam intulit:

iugeribusque novem summus qui distat ab imo  
visceraque assiduae debita praebet avi,

ubi de uno tantum vulture sermo est, ut vulgo. Quandoquidem autem verisimile non est, poetam postquam primum fabulam vulgarem secutus est, deinde et suorum verborum et mythologiae immemorem post duodecim versus subito avium numerum auxisse, dubitandum non est quin scripserit:

hic inconsumpto viscere pascet a v e m.

Misere pereas (ita poeta pergit) ut et alii perierunt multi et  
371. ut qui tecta novi formam celantia monstri  
intrarunt caecae non redeunda domus.

Hic versus mutilatus nullam interpretationem admittit qualis nunc legitur. Quid tamen in hac execratione desideratur? Non omnes qui Athenis in Cretam insulam missi labyrinthum intrarunt, ibi perierunt, cum Theseus salvus et integer inde redierit. Deest igitur in voto ad verba *qui intrarunt* aliquid quale est *et ibi perierunt* vel *neque redierunt umquam*. Quidni igitur scribimus, ut saltem sana evadat sententia:

ut qui tecta novi formam celantia monstri  
intrarunt caecae nec rediere domus.

413. qualis Achaemenidae, Sicula desertus in Aetna  
Troica cum vidit vela venire, fuit,  
qualis erat nec non fortuna binominis Iri,  
quique tenent pontem, vae tibi talis erit.

Lectio *aetna* in tribus libris mss. est — *ora (hora)* in ceteris omnibus. Quarum illa plane absurda mihi videtur: Achaemenides enim, quamvis Polyphemum metuens, facile per fugium vel speculam tutiorem sibi eligere potuit quam montis cacumen flammam evomentis.

Emendandum nimirum est:

qualis Achaemenidae, Sicula desertus in a c t a  
Troica cum vidit vela venire, fuit.

Perspicua iam est utriusque lectionis origo. Propterea quod voc. *acta* pro litore haud ita frequens est et ea de causa minus

notum fuit librariis, ne dubitaverunt quidem quin *acta* in exemplari, quod describebant, per errorem pro *aetna* esset exaratum, cum praesertim de Sicilia insula sermo esset, ubi Aetnam montem esse probe sciebant, itaque nomen montis confidenter substituerunt.

Altera autem lectio *ora* videlicet glossa est vocabuli minus triti *acta*. Ceterum cf. Verg. Aen. V 614:

at procul in sola secretae Troades *acta*  
amissum Anchisen deflebant.

Suspicio locum ap. Ov. Met. XIV 160 causam esse propter quam editores etiam nunc lectionem *aetna* tuentur:

Neritius Macareus, comes experientis Ulixei,  
desertum quondam mediis qui rupibus Aetnae  
noscit Achaemeniden,

sed parum credibile est, Achaemeniden cum in Cyclopiis territorio ab Ulysse desertus esset, ibi permansisse donec Aeneae navis eum servavit.

## EX PONTO LIBER PRIMUS.

### I.

13. quid veniant, novitate roges fortasse sub ipsa.

De huius lectionis sinceritate dubitandum non esse olim Heinsius, nuper Ehwald et Schreuders satis superque ostenderunt, at tamen editor Krafferti coniecturam *quidve ferant ad calcem* paginae commemoravit. Hanc autem omnino reiiciendam esse ipsius etiam Ovidii locus demonstrare potest, nam Tr. III 7. 6 quoque poeta ita epistolam suam alloquitur:

quicquid aget, cum te scierit venisse, relinquet,  
nec mora, quid venias quidve, requiret, agam.

Cf. etiam Tr. III 12. 34:

sedulus occurram nautae, dictaque salute,  
quid veniat, quaeram, quisve quibusve locis.

Si quid mutandum esset, scribere utique praestaret: *quidve vehunt*, utpote ad lectionem traditam propius accedens, et Tr. III 12. 6:

rustica quae nullo nata serente venit  
in codd. deterioribus nonnullis ita exaratum est:

rustica quas nullo terra serente vehit,  
sed, ut vs. 34 eiusdem elegiae supra descriptus comprobatur,  
nihil est mutandum.

65. mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exul:  
ut non peccarim mors quoque non faciet.

Ita Owen scripsit secutus manum secundam in codice uno  
C saec. XII, cum in Postgatii CPL cum libris mss. fere  
omnibus (unus cod. A *nec non* praebet) edidisset:

ne non peccarim, mors quoque non faciet.

Distichon, quod Heinsius et Bentley eiecerunt, alii, quos editor  
in app. crit. nominat, genuinum esse argumentis firmissimis  
coarguerunt, neque verbum de ea quidem re addere iam opus est.

At vitium locum inquinat, quod Dinter iam sensit, sed velare  
quam tollere maluit. Nempe particula negativa *ne* sententiam  
profert contrariam eius, quam in mente habuisse poeta putandus  
est, unde factum esse credo ut manus illa altera in cod. C  
pro *ne* substituerit *ut*. At non ita locum emendandum esse  
aio neque tamen negationum repetitionem membrorum aequa-  
bilitati inservire Schreudersio credo; licet verum sit, quod ille  
admonet, Nasonem non grammaticis scripsisse, eum scripsisse  
pro certo habeo:

mors faciet certe, ne sim, cum venerit, exul:

ne modo peccarim mors quoque non faciet.

„hoc tantummodo vel mors mea efficere non poterit, ne pec-  
carim” — est haec versus sententia, quae eleganter expressa  
erit, si suum poetae reddiderimus. Particula *modo*, nimirum  
compendio *in* picta, quam facile in *non* depravari potuerit  
nemo non videt; contra voc. *ut*, in versus initio positum, per  
scribae negligentiam in *ne* abiisse mihi persuaderi nequit:  
lectio *ut*, ut supra monui, correctori debetur, qui iudicio suo  
sed male usus est.

## II.

De hostibus, inter quos versatur, poeta affirmat:

15. qui, mortis saevo gement ut vulnere causas,  
omnia vipereo spicula felle linunt.

Epitheton *omnia* frigidissimum h. l. semper mihi visum est atque aliud quoddam quale est *horrida* vel *lurida* potius expectabam cl. Tr. V 7. 16:

telaque vipereo lurida felle gerat.

Verum ipse hic locus quid legendum sit me docuit, nam plenum distichon est:

in quibus est nemo, qui non coryton et arcum  
telaque vipereo lurida felle gerat.

Cf. etiam Ex P. IV 13. 34:

et caput et plenas omnes movere pharetras  
et longum Getico murmur in ore fuit.

Restituendum igitur est:

omnes vipereo spicula felle linunt.

21. tecta rigent fixis veluti velata sagittis,  
portaque vix firma summovet arma sera.

Lectio *veluta* tantum uni codici debetur, reliqui omnes *vallata* exhibent, unde verbum iam olim obscure scriptum fuisse manifestum est. An tibi, lector, ulla domus sagittis ab hoste iniectis aut velata aut vallata probabiliter dici posse videtur, ut de Phaetontis sororibus optime dictum est vs. 32:

vos quoque felices, quarum clamantia fratrem  
cortice velavit populus ora novo.

Immo, legendum esse *celata* docet Tr. V 6. 37:

quam multa madidae celantur harundine fossae,  
quo verbo restituto sententia est: tecta rigent densa telorum  
iniectorum copia ita ut quasi cerni et videri non possint.

97. di faciant igitur, quorum iustissimus ipse est,  
alma nihil maius Caesare terra ferat,  
utque fuit sub eo, sic sit sub Caesare terra,  
perque manus huius tradita gentis eat.

Editor Ehwaldi coniecturam *fuit* recepit pro lectione in codd. omnibus tradita *diu* — immerito, nam hanc satis tuentur Tr. II 57: optavi, peteres caelestia sidera tarde.

„ V 2. 51: sic habites terras et te desideret aether,  
sic ad pacta tibi sidera tardus eas!

„ V 5. 61: di tamen et Caesar dis accessure, sed olim,  
aequarint Pyllos cum tua fata dies.

Tr. V 11. 25: iure deos, ut adhuc caeli tibi limina claudant,  
teque velint sine se, comprecor, esse deum.

Cf. etiam Tr. V 5. 24: consumatque annos, sed diuturna, suos.

Quoniam ex his locis satis constare puto, lectionem *diu* sollicitandam non esse, Korn autem probavit mendum non latere in verbis extremis huius versus depravati, quae primum librarii — deinde critici varie mutarunt, restat ut corruptelam subesse accipiamus verbis *sub eo*, pro quibus mihi in mentem venit *salvo*, quod postea cognovi Kornium in editione a. 1868 iam edidisse. Nihilominus facere non possum quin hanc coniecturam, quam unice veram esse opinor, etiam nunc paucis commendem. Qua recepta haec evadit sententia:

Di faciant (ut) terra Caesare nihil maius ferat utque terra diu salvo sub Caesare sic sit (uti nunc est) et perpetua successione per manus gentis Iuliae eat.

Cf. Ex P. II 3. 98: ut tibi sit salvo Caesare salva parens. Quaenam tandem omnium difficultatum et corruptelarum causa fuit? Hanc credo. Quandoquidem in versu

utque diu salvo sic sit sub Caesare terra  
primum vocabulum est *ut* et paulo post sequitur *sic*, praeterea vero post *di faciant* . . . . (*ferat*) coniunctio *ut* omissa est, nemo non putavit *ut* . . . *sic* inter se respondere debere et scripturam traditam ideo ita torquere voluit ut iusta comparatio evaderet. Nostra vero lectione recepta videbis *utque* a verbo *faciunt* apte dependere et particulam *sic*, uti nunc posita est, vice sua optime iam fungi.

Ceterum de loco cf. Schreuders p. 20 sq.

### III.

85. quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti:

quae facit ex dictis, non ita multa, tuis.

Hoc distichon, quod Bentley et Korn deleverunt, Dinter defendit, Schreuders fuse et acute vindicavit et explicavit p. 22 sqq.

De uno tamen vocabulo pauca disserere lubet.

Editor retinuit codicum scripturam *quae*, Ehwaldi interpretationem in app. crit. afferens: „ea, quae amicus tuus, qui dolet, facit secundum dicta tua non ita multa sunt.” Ista qualiscumque asseveratio sane admodum inscite neque ex Ovidii



dicendi genere enuntiata est, neque miror iam olim T. Fabrum proposuisse *qui facit*, quod multi editores receperunt: Dinterum postea altero quoque vocabulo mutato legisse *qui faciam*.

Quamquam Schreuders Dinteri opinionem, *dolenti* substantivi vice fungi non posse, refutavit, eam verbi vim ab hoc loco alienam esse existimo, quippe quae sententiam pentametri obscurat et omnium molestiarum in hoc versu causa existat. Immo mutatione quod ad palaeographiam attinet perexigua illata sic uno tenore scribendum esse arbitror:

quo magis ignoscat sapientia vestra dolenti,  
quod facit ex dictis non ita multa tuis.

Ita neque mira quadam interpunctione neque interpretatione longe petita opus est ut sententiam qualemcumque e poetae verbis eliciamus, sed omnia clare et concinne sunt expressa: „quo horridiora haec loca sunt, eo magis pro sapientia tua mihi ignosces ultro dolenti, quod ex praeceptis tuis non ita multa facio.” De *vestra* — *tuis* deque verbi *facere* significatione, in quibus nonnulli offenderunt, hic nihil addere opus est, cum Schreuders ea omnia plana iam fecerit.

#### IV.

35. nos fragili ligno vastum sulcavimus aequor:

quae tulit Aesoniden, densa carina fuit.

Hanc lectionem editor recepit ex excerptis Scaligeri, libri mss. praebent *sa carina* A, *saccarina* C, *sacra carina* B (sed *sacra* in rasura!) C<sup>2</sup>, *firma carina* EO<sup>ω</sup>, e quibus ultima lectio, si quid video, unice vera est. Qui *densa carina* legit, non aliter, credo, attributum intelletget quam III 9. 4:

et quam sim denso cinctus ab hoste loqui,

at vero poeta modo dixit de eodem Iasone:

ille habuit comites primos telluris Achivae:

at nostram cuncti destituere fugam,

ita ut bis idem enuntiaret, si *densa* posuisset, neque verba *fragili ligno* et *densa carina* iustam oppositionem efficiunt, nam nihil vetat ne navis hominibus repleta vetus sit ac fragilis. In scriptura mutilata codicum vetustissimorum *sa* vestigia verae lectionis *firma* supersunt, quae tamen male intellecta partim in *sacra*, partim per dittographiam extremae syllabae

voc. *Aesoniden* in *densa* abierunt. Verum *firma carina* unica lectio est quae verbis *fragili ligno* in hexametro respondeat et legitur vs. 17 huius epistulae:

firma sit illa licet, solvetur in aequore navis,  
quae numquam liquidis sicca carebit aquis.

V.

9. haec quoque, quae legitis, siquid mihi, Maxime, credis,  
scribimus invita vixque coacta manu.

Coniecturis Heinsii *properata* vel *perarata* et Riesii *subacta* spreitis Schreuders bene se habere lectionem meliorum codicum *coacta* contendit cl. P. IV 2. 27:

vix venit ad partes, vix sumptae Musa tabellae  
imponit pigras paene coacta manus

et Met. VI 628:

invitique oculi lacrimis maduere coactis,  
qui loci quid ad nostrum confirmandum ac stabiliendum faciant nullus video: illic Musa paene coacta manus pigras sumptae tabellae vix imposuisse dicitur, hic quoque in lacrimis coactis nihil est insoliti. At nostro loco quid tandem cogatur ambiguum est, cum modo manum (*invita . . . manu*) — modo verba (*haec . . . scribimus . . . coacta*) poeta nunc dicat, neque tamen ipsum verbum est quod offendet plurimum, sed constructio mire distorta atque ab Ovidio prorsus aliena; neque enim ea quae de imparibus coordinatis Dinter egit Comm. I p. 21 neque locus a Schreudersio allatus Tr. I 8. 24:

cernere supremo dum licuitque die  
me umquam adducere potuerunt ut locum sanum esse crederem.  
Quid de eo factum esse suspicer iam eloquar. Credo poetam scripsisse:

scribimus invita vixque sequente manu,  
deinde interpretatorem nescio quem supra verba *vixque sequente* appinxisse: *coacta*, quae glossa postea a scriba sequenti pro voc. *sequente* recepta sit. Quo verbo reposito et versum Nasone dignum me restituuisse et originem corruptelae probabilem aperuisse autumo.

83. sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc,  
 fama que cum domino fugit ab urbe suo.  
 vosque, quibus perii, tunc cum mea fama sepulta est,  
 nunc quoque de nostra morte tacere reor.

Voc. *fama*, quod vs. 84 legitur, in vs. sequenti redire cernis: quae cum modo cum domino suo ab urbe fugisse dicatur, continuo post sepulta esse perhibetur! Fortasse quispiam inferat, idem de poeta factum esse, qui cum vs. 84 se Roma fugisse, deinde vs. sequenti se periisse contendat. At qui ita argumentatur, non satis attendit ad ea quae verbum *perii* comitantur; dicit enim: *vosque quibus perii* h. e. vos, amici, quibus tum nullus iam factus sive ademptus sum, cum exsilium famam meam sepelivit. Nunc vero ad alium locum huius epistolae te, lector, voco, sc. vs. 67 sqq.:

quo mihi diversum fama contendere in orbem?  
 quem fortuna dedit, Roma sit ille locus.  
 hoc mea contenta est infelix Musa theatro:  
 sic merui, magni sic voluere dei.

Quo loco collato e quidem vix et ne vix quidem dubito quin poeta vs. 84 scripserit:

Musa que cum domino fugit ab urbe suo.

Id nimirum factum est quod in libris mss. saepe factum esse nemo non novit: ordo syllabarum in voc. *musa* a scriba confusus erat et voc. *fama* iam natum erat!

Nonne post illud *sed neque pervenio* e. q. s. quisvis exspectat: et *musa* mea mecum Roma in exsilium abiit? Nasonis *musa* èt eum ab Urbe fugavit, cf. III 5. 21:

at nisi peccassem, nisi me mea Musa fugasset,  
 èt ipsa eum in exsilium comitata est, ut affirmat I 5. 84:

Musa que cum domino fugit ab Urbe suo.

Sic legitur *Musa mea* III 4. 66, 5. 21, 9. 6 et 49, IV 13. 13, Tr. II 354, V 1. 20, 9. 26, Ib. 2; *nostra Musa* IV 15. 40, Tr. II 313, V 12. 59; *tua Musa* IV 16. 30; *sua Musa* Tr. II 496. Denique afferre liceat III 4. 45:

adde quod assidue domini meditata querelas  
 ad laetum carmen vix mea versa lyra est.

VII.

51. ipse suas etiam vires inhiberet Achilles,  
missa gravis ictus Pelias hasta dabat.

Pro hac codicum optimorum lectione *etiam* libri deteriores exhibent *quamvis*, quae lectio quomodo nata sit satis patet: detrussit nempe veram *ut iam*, postquam ad eam illustrandam a sciolo superscripta est.

57. nec tamen officium sensit domus altera nostrum  
sic illic: vestro sub Lare semper eram.

Editor Ehwaldo obsecutus est *sic illic* scribere iubenti pro *hic illic*, quod in libris mss. cunctis exaratum est. Maluerim distinctione in pentametro sublata:

nec tamen officium sensit domus altera nostrum,  
istic sed vestro sub Lare semper eram.

Poeta enim ad amicos, quos in Urbe reliquit, scribens hoc pronomine fere utitur, cuius rei e multis pauca exempla affero, quae simul docent, duo illa pronomina in libris mss. saepius inter se confusa esse:

I 5. 83: sed neque pervenio scriptis mediocribus istuc.

„ 9. 46: hoc solum est istic quod licet esse meum.

II 2. 95: si tamen haec audis et vox mea pervenit istuc  
(*alt. lect. illuc.*)

„ 10. 51: redde vicem, et, quoniam regio felicior ista est,  
istic me memori pectore semper habe.

IV 10. 35: qui veniunt istinc, vix vos ea credere dicunt.

Tr: III 3. 25: ergo ego sum dubius vitae, tu forsitan istic (*alt. lect. illic*)

iucundum nostri nescia tempus agis?

„ 10. 1: siquis adhuc istic meminit Nasonis adempti.

„ 12. 17: otia nunc istic, iunctisque ex ordine ludis  
cedunt verbosi garrula bella fori.

V 1. 79: cur mittam, quaeritis, isto?

63. quod si permittis nobis suadere quid optes,  
ut des quam reddas plura precare deos.

idque facis, quantumque licet meminisse, solebas  
officii causae pluribus esse datis.

Versus ultimus in codd. ita legitur :

officii causa (*dett.* causam) pluribus esse dati (*alt. lect.* dari). Multi in eo emendando iam desudarunt. Schreuders p. 36 Merckelii, C. Schenklii, Madvigii coniecturas argumentis refellit, sed deinde Purser hanc novam medelam obtulit :

officii causae (casu dativo!) pl. e. dati, quae Owenio primum tantopere placuit ut in Postgatii CPL eam reciperet, deinde vero de suo novam protulit emendationem *dati*s, quam confirmare studet Met. VI 463, ubi etiam *dati*s substantive positum est :

impetus est illi nec non ingentibus ipsam  
sollicitare *dati*s.

Ista autem coniectura, quamvis ingeniosa, probabilis mihi non videtur. Quid enim? Owen videlicet *pluribus dati*s iungendum esse et cogitatione supplendum iudicat: *quam redditis*. Ita vero versus noster frigidissima evadit iteratio versus 64: accedit quod sic duo iam vocabula sc. *causa* et *dati* mutantur. Elegantior multo versus est, si Purseri lectione recepta voc. *pluribus* sc. hominibus interpretari licet. Ceterum mihi in mentem venit, poetam fortasse scripsisse :

solebas

officii in causa pluribus esse dati.

Praepositio *in* post *officii* facile omitti potuit, unde haec coniectura ratione palaeographica maxime commendatur. Probe scio *in causa* haud ita frequens esse pro simplici apposito vel dativo, sed ap. Plin. in Epp. saepe occurrit et etiam ap. Cic. Fam. I 1. 1 et Liv. XL 26. 5 invenitur. Quoniam vero ipse Ovidius scripsit Tr. I 3. 68:

in lucro est quae datur hora mihi,  
nihil obstare opinor quominus eum etiam *in causa* usurpasse statuamus.

---

## LIBER SECUNDUS.

### I.

Te iudice, Fama, de triumpho a Tiberio celebrato et alia multa didici

35. quaque ierit, felix adiectum plausibus omen,  
 saxaque roratis erubuisse rosis.

Pro *roratis* in codd. deterioribus legitur *iactatis*, quod fortasse e glossa male lecti *rôtatis* ortum est, Owen coniecit *odoratis* cl. Tr. V 3. 3, ubi odorata sarta memorantur. Quamvis dubitans propono:

quaque ierit, felix adiectum plausibus omen,  
 saxa coloratis erubuisse rosis.

Ita verba *felix...omen* sequentium verborum appositio fit: quacumque via triumphator incessit, saxa, quibus viae stratae sunt, erubuerunt rosis coloratis s. rubris, id quod plausibus spectantium bene ominantibus velut novum ac felix omen adiectum est.

III.

33. te, nihil exactos nisi nos peccasse fatentem,  
 sponte sua probitas officiumque iuvat.

Infeliciter editor Ehwaldi coniecturam *exactos* pro vulgata lectione *ex acto* recepit, ut antea quoque perincommode accidit quod in Postgatii CPL in hoc loco recensendo T. Fabri *peitentem* pro codicum lectione haud dubie sincera *fatentem* substituit. Ehwaldum secutus interpretatur: „te, qui fateris, nos, qui nunc exacti sumus, peccasse solum, non scelus commisisse”. Quis, rogo, umquam hunc vocabulorum ordinem *nihil exactos nisi nos peccasse* ab Ovidii manu profectum, quis poetam id *exactos* invita Minerva addidisse credat? Neque Alton credit, qui in menstruo libello Class. Rev. Vol. xxx (a. 1916) censuram editionis Owenii egit, sed melius non esse iudico id quod ipse suasit; cl. enim Am. III 7. 16: „et non exactum, corpus an umbra forem”, et Fast. III 637: „non habet exactum quid agat” emendandum esse contendit: *exactum*, interpretans: „you acknowledging that there is nothing conclusive (definite) except that I have sinned”.

Humana, hercle, benignaque sententia! Nonne ista sonant, quasi dicat: te fatentem, cum testimonia feliciter deficerent, nihil exactum esse nisi nos peccasse? Talis confessio invidiae potius et malignitatis quam benevolentiae plena fuisset!

Emenda quaeso una littera paululum mutata:

te, nihil ex alto nisi nos peccasse fatentem,  
 cf. nostrum 'hartgrondig' et Am. II 4. 16:  
 aspera si visa est rigidasque imitata Sabinas,  
 velle, sed ex alto dissimulare puto.

## IV.

13. saepe tuas venit factum modo carmen ad auris  
 et nova iudicio subdita Musa tuo est.  
 quod tu laudaras, populo placuisse putabam:  
 hoc pretium curae dulce regentis erat.

Libri meliores partim *regentis*, partim *recentis* exhibent: utra eligenda sit lectio e loci sententia discerni debet. Owen cum hanc primum praetulisset, nunc illam recipere maluit *Riesium* secutus, cuius interpretationem addit: 'loquitur de amici cura poetae operam regente'. At non de Attici emolumentis Naso loquitur, sed in sua opera describenda totus est et est haud dubie haec versus significatio: hoc (h. e. tua approbatio) pretium dulce erat curae *recentis* h. e. facti modo carminis (vs. 13) sive novae *Musae* (vs. 14).

Cf. IV 8. 87: unde tuas possim laudes celebrare recentes.

## V.

11. optastique brevi solvi mihi Caesaris iram,  
 quod tamen optari, si sciat, ipse sinat.

Iterum editor Postgatii coniecturam *brevi solvi* recepit, cum tamen suam *brevem statui*, quam olim in ed. Trist. evulgavit, satis dignam habuerit quam in app. crit. etiam nunc commemoraret. Alton legendum censet: *brevi <minui> mihi*, cl. I 10. 43, II 1. 47, III 9. 27, sed obstat omnium librorum scriptura *brevem*. In hac enim scriptura codices ad unum omnes consentiunt — in alterius vocabuli lectione non ita, quoniam *salvi* — *saluo* — *feri* varie tradita sunt. Housman in Class. Rev. X 143 lectionem *brevem salvi* defendit idemque Schreuders fecit p. 48, quibus libenter assentirer, nisi pentameter identidem scrupulum mihi iniceret; hic enim, imprimis voc. *tamen*, me inducit ut pro *salvi* vel *saluo* vel *feri* olim vocabulum aliquod scriptum fuisse credam quale est: *tacitus*. Cf. Tr. I 1. 29:

et tacitus secum, ne quis malus audiat, optet,  
 sit mea lenito Caesare poena levis.  
 Etiam cf. Tr. V 1. 50: et tacitus casus dissimulare tuos.

VIII.

Hac epistula Ovidius Cottae, amico suo, gratias agit pro Augusti, Tiberii, Liviae imaginibus sibi missis et quantum subsidiū gaudiique sibi attulerint exponit et aliis verbis et hisce:

53. Caesaris adventu tuto gladiator harena  
 exit, et auxilium non leve vultus habet.  
 nos quoque vestra iuvat quod, qua licet, ora videmus:  
 intrata est superis quod domus una tribus.

Hanc recensionem, quae coniectura editoris partim nititur, Alton vehementer impugnavit: scripsit nempe Owen de suo *tuto* pro codicum *tota* vel *tuta*, cl. Tr. V 10. 39, Am. II 14. 43, sed lectionem *victus*, quam eius censor ipse commendat, veram esse nullus credo. Tribus locis, quos affert, sane de victo gladiatore sermo est,

Tr. II 17: scilicet ut victus repetit gladiator harenam,

Tr. IV 6. 33: integer est melior nitidis gladiator in armis  
 quam cui tela suo sanguine tincta rubent,

Ex P. I 5. 37: saucius eurat pugnam gladiator, et idem  
 inmemor antiqui vulneris arma capit,

verum ad locum nostrum eos nihil facere puto. Poeta sicubi imagines suas desumpsit a gladiatore sive victo seu lasso sauciove, non opus est ut eandem imaginem semper repetat ubi de gladiatore sermo est, neque opportunam eam hoc loco esse censeo.

Primum statuamus quid libri mss. praebeant.

*adventu* in cunctis est praeter A, in quo *adventum* exaratum est, unde Riese *ad nutum* coniecit probante Schreudersio; *tota* et *tuta*, ut iam dixi, in libris variant et pro hac scriptura Rappold *tincta*, Merkel *tactu*, Owen *tuto* proposuerunt.

Haud quidem spernenda est cod. vetustissimi lectio *adventum* neque tamen dubito quin scribae debeatur, qui fortuitam quandam maculam supra litteram *u* pro lineola litteram *m* designante interpretatus sit, cum praesertim *adventu* in reliquis sit



omnibus. Neque causa ulla est propter quam lectio cod. A *tota* sollicitetur. Hexameter igitur utique sic legendus est:

• Caesaris adventu tota gladiator harena  
exit et auxilium non leve vultus habet.

Haecine autem interpretationem admittant probabilem prius videamus quam mutationem qualemcumque inducamus. Poeta igitur dicit: „Domus mea quod statuas trium principum iam continet quodque eorum vultus, quatenus licet, videre nunc possum, mirum in modum animo confirmor delectorque” seque comparat cum gladiatore, qui ubi Caesarem intrare amphitheatrum vidit eiusque vultum conspexit, ex imperatoris praesentia novas vires haurit ita ut per totam harenam conspicius fiat.

Haud inepte locus ap. Suet. Aug. 92 confertur, apud insulas Capreas veterrimae ilicis demissos iam ad terram languentesque ramos convaluisse Augusti adventu. Cf. Ex P. III 1. 91:

fortibus adsuevit tubicen prodesse, suoque  
dux bene pugnantis incitat ore viros.

Haec quamquam bene inter se comparantur neque quicquam est quod desideretur amplius, haeremus in verbo *exit*, quod num significare possit id quod supra scripsi fortasse dubitabis. Duo quidem loci paululum me tenuerunt

Ex P. III 3. 101: livor, iners vitium, mores non exit in altos  
Tr. III 12. 11: herbaque, quae latuit Cerealibus obruta sulcis,  
exit et expandit molle cacumen humo,

sed verbum *exit* nostro loco nude collocatum est, quin etiam abl. *tota* — *harena* legentem inducere posset ut de notione cogitaret: *tota harena egredi* vel *missione donari*, quae huic loco minime esset idonea. Quae cum ita sint, non de hexametro sed de pentametro potius dubitandum est et verba quidem *exit et* suspicionem mihi maxime movent. Enuntiatum alterum per *et* alteri adnexum vim sententiae haud parum imminuit, quod non ita foret, si utriusque verbi *exit et habet* subiectum unum esset idemque. Quoniam igitur èt verbum *exit* non aptum mihi videbatur èt copula *et* non e more Ovidiano posita, suspicio mihi nata est fortasse scribendum esse:

Caesaris adventu tota gladiator harena  
exsilit: auxilium non leve vultus habet.

Nisi forte verior sit lectio:

exstat et auxilium non leve vultus habet

i. e. eminent, in oculos incurrit.

Cf. Her. 16. 4: et plus quam vellem iam meus exstat amor.

Cic. de Or. III 26: quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. Brut. 15 pr.

LIBER TERTIUS.

I.

59. quidquid ages igitur, scaena spectabere magna,  
et pia non paucis testibus uxor eris.

In cod. vetustissimo A et in E legitur *paruis*, quod in ed. Oxon. editor recepit, nunc vero praetulit lectionem codd. recentiorum. Mihi vero *paruis* corruptum videtur e *parcis*, cl.

I 2. 98: paene etiam merito parciior ira meo est.

Her. 21. 79: questaque sum vento lintea parca dari.

69. ad medicum specto venis fugientibus aeger:  
ultima pars animae dum mihi restat, ades.

Pro *fugientibus* editor in app. crit. annotavit se coniecisse: *frigentibus*. At traditam lectionem satis tuentur:

I 3. 10: ut solet infuso vena redire mero.

I 6. 36: nec spes huic vena deficiente cadit.

II.

Postquam inconstantiam amicorum, qui in re adversa eum destituerant, excusavit et quodammodo probabilem fecit, poeta addit:

23. sint hi contenti venia, iactentque licebit  
purgari factum me quoque teste suum.

Quod editor edidit *iactentque*, e coniectura Kornii posuit cl. Met. IX 23:

nam, quo te iactas, Alcmena nate, creatum  
Iuppiter aut falsus pater est aut crimine verus,  
qui locus amplius nil probat quam verbum iactandi apud Na-  
sonem occurrere.

In cod. vet. A legitur: *sientque*, reliqui *signentque* vel *fugiantque* praebent, unde Merkel *sperentve*, Bentley *iurentque*, Ellis *perstentque* elicuerunt. Vestigia codicis vetustissimi secutus legere iubeo: *cieantque*.

Cf. Fast. IV 484: alternis nomen utrumque ciet.

## IV.

63. quid mirum, lectis exhausto floribus horto,  
si duce non facta est digna corona tuo?

Editor *tuo* scripsit pro codd. *suo*, at cf. vs. 102:

ipsa potest solitum nosse corona caput  
et II 2.90: venit honoratis laurea digna comis.

Poeta nimirum voluit: si corona digna non facta est duce cui debetur.

89. inrita votorum non sunt praesagia vatam.

Heinsii emendatione *motorum* spreta editor *uotorum* e codd. optimis praetulit, quam lectionem, a Guethlingio quoque receptam, iam Schreuders iure reiecit: locis quos attulit addere liceat:

I 1.43: ipsa movent animos superiorum numina cunctos.

Si quid in loco incerto mutandum est, ubi *notorum* — *mag-norum* — *verorum* in reliquis codd. leguntur, equidem *sacrorum*, quod Owen olim temptavit, scribere maluerim collatis èt locis, quos ille in Postgatii CPL conferri iubet Am. III 9.17 et A. A. III 539, èt

IV 2.25: impetus ille sacer, qui vatam pectora nutrit,  
qui prius in nobis esse solebat, abest.

Tr. IV 10.19: at mihi iam puero caelestia sacra placebant.

„ V 3.15: tu tamen e sacris hederæ cultoribus unum  
numine debueras sustinuisse tuo.

91. nec mea verba legis, qui sum summotus ad Histrum,  
non bene pacatis flumina pota Getis:  
ista dei vox est, deus est in pectore nostro,  
haec duce praedico vaticinorque deo.

Pro *ista* corrigendum est: *iusta*.

Pronomine aliquo si poeta uti voluisset, non *iste* sed *hic*

requireretur ut in vs. sequenti est. Cf. Ib. 166: respuet invisum iusta cadaver humus.

99. crede, brevique fides aderit. geminabit honorem  
filius, et iunctis, ut prius, ibit equis.

Immo: *niveis* ... *equis*. 'Equos iungere', quod dicitur pro 'ad currum iungere' non triumphantium privilegium erat. Conferas quaeso

II 8. 49: sic tibi mature fraterni funeris ultor  
purpureus *niveis* filius instet equis.

Tr. II 177: hic tibi sic redeat superato victor ab hoste  
inque coronatis fulgeat altus equis.

Tr. IV 2. 11: vinclaque captiva reges cervice gerentes  
ante coronatos ire videbit equos.

Tr. IV 2. 53: ipse sono plausuque simul fremituque canente  
quadriugos cernes saepe resistere equos.

V.

De orationibus, a Maximo Cotta Romae habitis, poeta loquitur.

9. quae quamquam lingua mihi sunt properante per horas  
lecta satis multas, pauca fuisse queror.

Nonne emendandum est: *laeva* ... *properante*? De scripto si quis legit, non lingua sed manus in volumine evolvendo opera fungitur.

Cf. etiam IV 13. 33: haec ubi non patria perlegi scripta Camena,  
venit et ad digitos ultima charta meos.

39. ecquid, ubi aut recitas factum modo carmen amicis,  
aut, quod saepe soles, exigis ut recitent,  
quaeror, ut interdum tua mens, oblita quid absit,  
nescio quid certe sentit abesse sui?

Moneo Schreudersium p. 58 locis Ex P. IV. 4. 47 et Tr. V 3. 49 allatis ad Merkelii coniecturam *ut interdum pia mens redarguendam simul luculenter ostendisse, lectionem et pro ut, quae in fragm. Lovaniensi servata est, veram esse ac genuinam, id quod Owen ipse censuit in Postgatii CPL.*

## VI.

27. Iuppiter in multos temeraria fulmina torquet,  
 qui poenam culpa non meruere pati.  
 obruerit cum tot saevis deus aequoris undis,
30. ex illis mergi pars quota digna fuit?  
 cum pereant acie fortissima quaeque, vel ipso  
 iudice dilectus Martis iniquus erit.  
 at si forte velis in nos inquirere, nemo est  
 qui se, quod patitur, conmeruisse neget.
35. adde quod extinctos vel aqua vel Marte vel igni  
 nulla potest iterum restituuisse dies.  
 restituit multos aut poenae parte levavit  
 .Caesar: et in multis me, precor, esse velit.  
 at tu, cum tali populus sub principe simus,
40. adloquio profugi credis inesse metum?

Bentley iam vs. 33 sq. cum eis, quae antecedunt, non bene cohaerere perspexit, qua de causa legere proposuit *in eos . . . quin se*, Guethling *ædedit in nos . . . quin se* et in adn. crit. ascripsit: „fort. *qui me, quod patior* scribendum; nam quomodo vv. 33 sq., nisi eiusmodi quid restitueris, cum eis, quae antecedunt, cohaereant non intellego”. At frustra operam impenderunt disticho emendando, quod non emendatione sed traiectione eget. De suo enim loco deturbatum est et reponendum post vs. 38!

Sic poeta argumentatur:

Et Iuppiter et Neptunus et Mars multos insontes neci dant neque ulla dies eos ad vitam reducere potest. Contra Caesar èt multos restituit, in quibus utinam me quoque esse velit, èt tamen ex eis nemo est qui neget se quod patitur conmeruisse.

Causa turbati ordinis manifesta est; ordo cum esset

- at si forte velis in nos inquirere, nemo est  
 qui se, quod patitur, conmeruisse neget.  
 at tu, cum tali populus sub principe simus,  
 adloquio profugi credis inesse metum?

scribae oculi a versu, qui verbis *at si forte e. q. s. inchoat*, aberrarunt in eum, cuius initium est *at tu cum* cet. Qui cum deinde errorem suum detexit, distichon omissum in margine

addidit, unde postea rursus in contextam orationem sed loco non suo receptum est.

59. tu modo, quem poteras vel aperte tutus amare,  
 si res est anceps ista, latenter ama.

Pro *ista* repone: *visa*.

VII.

21. spem iuvat amplecti, quae non iuvat inrita semper:  
 et, fieri cupias siqua, futura putes.  
 proximus huic gradus est bene desperare salutem,  
 seque semel vera scire perisse fide.

Verba *quae non iuvat inrita semper* tum modo interpretationem admittent, si ita ea construes: „quae, non semper inrita, aliquando iuvare possit”, id quod ratio Latinae linguae vetare mihi quidem videtur. Suspicio igitur, verbum *iuvat* per errorem a librario repetitum esse atque ita verbum aliquod periisse quale est *manet* vel *cudit*.

IX.

23. corrigere ut res est tanto magis ardua quanto  
 magnus Aristarcho maior Homerus erat,  
 sic animum lento curarum frigore laedit  
 et cupidi cursus frena retentat equi.

Credo Ehwaldo, verbum *corrigere* tam verbi *retentat* quam verbi *laedit* subiectum esse, non ita vero eius interpretationem loci traditam lectionem satis iam tueri: „das *corrigere* (hier = der Versuch des Reiters, den Gang des Pferdes nach seinem Willen zu ändern) hält die Zügel des Rosses, das nach Laufen (= flotten Gang) verlangt, zurück”. Mihi cum Schreudersio duplex genitivus in vs. 26 valde displicet neque tamen arridet eius propositum: *ut cupidi gyrus*, atque etiam attributum *cursus* adiectivo *cupidi* frigidissime adiectum puto: in ipsis sane libris mss. lectio *cursus* parum constat, cum in uno vetustissimorum codicum vocabulum crasum sit, in altero *in cursus* scriptum sit. Quae cum ita sint, nescio an vera sit lectio:

et cupidi quamvis frena retentat equi.

Cf. II 6. 37: quae tu cum praestes, remo tamen utor in aura,

nec nocet admisso subdere calcar equo.  
Tr. V 14. 43: vela damus, quamvis remige puppis eat.

## LIBER QUARTUS.

## II.

35. excitat auditor studium, laudataque virtus  
crescit, et inmensum gloria calcar habet.  
hic mea cui recitem nisi flavis scripta Corallis  
quasque alias gentes barbarus Hister habet?

Poeta ubi duos pentametros continuos eodem verbo claudit,  
consulto id fecit ut effectum aliquem moveret, e. g. Tr. III 12. 13:

quoque loco est vitis, de palmite gemma movetur:  
nam procul a Getico litore vitis abest;  
quoque loco est arbor, turgescit in arbore ramus:  
nam procul a Geticis finibus arbor abest.

Hic vero verbum *habet* bis repetitum non solum legentis auribus  
est molestissimum, sed etiam flumen quaecumque gentes ha-  
bere mire dictum est. Quid sit emendandum docet IV 10. 22:

nec tu contuleris urbem Laestrygonos umquam  
gentibus, obliqua quas obit Hister aqua.

Non solum hoc loco verba *obit* et *habet* a librariis inter se  
confusa sunt, sed etiam Tr. II 230:

bellaque pro magno Caesare Caesar obit,  
ubi *obit* in quattuor — *habet* in reliquis codd. legitur. Similiter  
Tr. IV 3. 22:

lenis ab admonito pectore somnus abit  
pro *abit* in aliis libris *abest* — in uno *habet* exaratum est.

## IV.

11. nam mihi, cum fulva solus spatiarer harena,  
visa est a tergo pinna dedisse sonum.  
respicio, nec erat corpus, quod cernere possem,  
verba tamen sunt haec aure recepta mea:

Lectio *fulva solus* non constat: est in nonnullis libris mss.,  
sed alii *fulva tristis* — alii *spatiarer tristis* exhibent. Legen-  
dum puto:

nam mihi, cum sola tristis spatiarer harena,  
 atque hisce quidem de causis: verba quae proxime antecedunt sunt  
 qua tamen inveni vultum diffundere causa  
 possim, fortunae nec meminisse meae.

Haec autem efficiunt ut potius exspectemus tristitiam poetae  
 et vastam litoris solitudinem in sequentibus commemorata esse  
 quam huius colorem, qui huius loci non est. Porro cf.

Her. 10. 129: me quoque narrato sola tellure relictam

„ 11. 84: iusserat in solis destituique locis.

Cic. Div. I 28: cum in locis solis maestus errares.

Sen. Hippol. 66: quicquid solis pascitur arvis.

27. cernere iam videor rumpi paene atria turba,  
 et populum laedi deficiente loco,

templaque Tarpeiae primum tibi sedis adiri,

30. et fieri faciles in tua vota deos.

colla boves niveos cerno praebere securi,

quos aluit campis herba Falisca suis:

cumque deos omnes, tunc hos inpensius, aequos

esse tibi cupias, cum Iove Caesar erunt.

Editor propter asyndeton vix ferendum in vs. 31 pro *certae*,  
 quae lectio est librorum omnium, de suo edidit *cerno*, qui  
 cum asyndeton iure damnarit, medelam tamen minime proba-  
 bilem loco adhibuisse mihi videtur. Immo, poeta postquam  
 vs. 27—30 caerimonias descripsit, quas cernere sibi videtur,  
 a vs. 31 oratione quae directa dicitur pergit; studio amici  
 ardenti ita iam se auferri sinit ut rem quasi praesentem  
 suisque visam oculis proponat, unde *erunt* vs. 34, *excipiet* vs.  
 35 et sqq. Quoniam igitur in cunctis libris mss. est *certae*,  
 equidem nullus dubito quin scripserit:

colla boves nivei certant praebere securi,

quos aluit campis herba Falisca suis:

Iam vero mihi inspicias Fast. I 83, ubi haec invenies:

colla rudes operum praebent ferienda iuveni (*alt. lect.*

quos aluit campis herba Falisca suis. [securi],

Nonne pentameter e Fastorum loco ad verbum repetitus et  
 totum Fastorum distichon confirmare videtur lectionem *certant*,  
 quam loco nostro poetae reddendam esse censeo?



Nunc vero ut disticho sequenti animum attendas rogo, quod in codd. ita est traditum:

cumque deos omnes, tum (*vel tunc*) quos impensius aequos esse tibi cupias, cum Iove Caesar erunt (*vel erit*).

Infausto die Ehwald pro *quos* substituit: *hos*, quod Owen recepit. Ita enim enuntiatum conflavit inscite impoliteque constructum ac Nasone prorsus indignum. Verba *tum . . . erunt* tangenda non sunt, cum optimam sententiam praebeant atque verissimam integritatis speciem, haec prae se ferant: tum Caesar cum Iove erunt, quos aequos tibi esse impensius cupias. Ergo sequitur, vitium latere oportere — nam locum corruptela laborare Ehwaldo concedo — in priore hexametri parte: *cumque deos omnes*. De vocabulis *cumque deos* nimirum cogitandum non est, unde sequitur mendosum esse voc. *omnes*. Atque sane ita est.

Iam hoc rogare velim: si in periodo composita, cuius partes a *cum . . . tum* incipiunt, verbum partis alterius (*erunt*) ad partem priorem accommodatum non est, nonne huic parti suum verbum attributum olim esse exspectamus? Vocabulis igitur *cumque deos* suum verbum aliquando fuisse pro certo habeo et per librariorum negligentiam in *omnes* corruptum esse, quod etiam abundat, cf. Tr. III 1. 77:

di, precor, atque adeo (neque enim mihi turba roganda est)  
Caesar, ades voto, maxime dive, meo.

Deinde quale verbum quaerendum sit monere vix opus est, verbum videlicet precandi vel orandi, iamque repone:

cumque deos ores, tum quos impensius aequos  
esse tibi cupias, cum Iove Caesar erunt.

Verbum ap. nostrum legitur Tr. I 5. 43, II 577, Ex P. IV 15. 27 et cf. Hor. A. P. 200: deosque precetur et oret.

## VI.

31. scilicet eiusdem est, quamvis pugnare videntur,  
supplicibus facilem, sontibus esse trucem.  
cum tibi suscepta est legis vindicta severae,  
verba velut tinctu singula virus habent.

Ehwaldo rursus obsecutus editor pro codicum omnium scriptura *tinctum* substantivum *tinctu* posuit, quod apud Plinium

maiolem me legere memini, apud Ovidium numquam; verbum quidem apud eum invenitur e. g. IV 10. 31:

hic agri infrondes, hic spicula tincta venenis  
nec non adiectivum Tr. III 10. 64:

nam volucri ferro tinctile virus inest,  
verum isti loci iustam causam non praebent propter quam nomen  
alibi quoque rarum poetae obrudatur neque hoc opportunum  
est. Minus etiam Merkelii propositum *tinguat* placet. Scribe  
verba velut *tetrum* singula virus habent.

Cf. Lucret. II 475: linquit enim supera taetri primordia viri.  
Sil. It. XI 560: non tarde agnoscas et virus futile linguae.  
Prop. II 24<sup>b</sup>. 27 (cf. II 17. 14): taetra venena libens et nau-  
fragus ebibat undas.

## VII.

15. tenditur ad primum per densa pericula pilum,  
contigit ex merito qui tibi nuper honor.  
sit licet hic titulus plenus tibi fructibus, ingens  
ipsa tamen virtus ordine maior erit.

Ita editor Ehwaldum secutus cum duobus codd. EO scripsit  
libris ceteris *plenis* exhibentibus. At sunt multa quae hanc  
lectionem unice veram esse mihi persuadeant, qua retenta  
nimirum virgula non post *fructibus*, sed post *ingens* ponenda est:

sit licet hic titulus plenis tibi fructibus ingens,  
atque primum quidem copulationem illam *ingens ipsa virtus*  
fastidio, deinde epitheton *ingens* voci *virtus* inscite additum  
iudico, immo ipsa iam virtus honoribus omnibus maior erit,  
denique locus quem *tamen* obtinet lectionem *plenis* tuetur.  
Locos etiam nonnullos afferre lubet, quibus eam defendam:  
de honore consulatus legitur IV 9. 65: qui quamquam est  
ingens, et IV 10. 75 est: qui quamquam est factis ingens.

Quod ad adiectivum *plenus* absolute usurpatum attinet, cf.  
Her. 20. 142:

officio merces plenior ista suo est,  
ad quae Ruhnkenius Dictat. p. 112: „*plenior* i. e. maior,  
amplior. *Plenus* saepe pro magno dicitur, ut ap. Cic. p. Rosc.  
Am. 2: in alienam pecuniam, tam plenam atque praeclaram,  
invadere”.

Cf. II 7. 77: sustineas ut onus, nitendum vertice pleno est.

Tr. V 4. 47: plena tot ac tantis referetur gratia factis.

Quibus omnibus consideratis Owenio auctor sum ut ad lectionem quam in Postgatii CPL receperat redeat.

## IX.

15. illa, confiteor, sic essem luce superbus,  
ut caperet fastus vix domus ulla meos.

Huic loco vitium inhaeret, quod paucis indicabo. Dicit poeta, si sibi licuisset illo die Romae amico Graecino, consulatum ineunti, adesse, se tam superbum futurum fuisse ut vix ulla domus fastus suos capere posset. An ulla domus? Cur non: ulla navis vel regio vel alius quis locus? Nonne ratio exigit ut certam quandam domum magnificentissimam significaverit quae alioquin fastos vel tumidissimos posset explere? Ideo emenda: *domus alta* i. e. Palatium.

Cf. Tr. I 1. 69: forsitan expectes, an in alta Palatia missum  
scandere te iubeam Caesareamque domum.

Tr. IV 2. 3: altaque velentur fortasse Palatia sertis.

Ex P. IV 6. 19: quae prosit pietas utinam mihi, sitque malorum  
iam modus et sacrae mitior ira domus.

115. Pontica me tellus, quantis hac possumus ara,  
natalem ludis scit celebrare dei.

In uno cod. B *ara* — in ceteris *ora* est, quod editor receperat in Postgatii CPL. Legendum credo: *quantis hac possumus arca*, cl.

vs. 121 infra: fortuna est impar animo, talique libenter  
exiguas carpo munere pauper opes.

IV 1. 23: numquam pigra fuit nostris tua gratia rebus  
nec mihi munificas arca negavit opes.

IV 8. 32: carpsit opes illa ruina meas.

Tr. IV 10. 44: non facit ad nostras hostia maior opes.

## XVI.

27. et qui Maeoniam Phaeacida vertit, et une  
Pindaricae fidicen tu quoque, Rufe, lyrae.

Vocabulum in versus fine *une* iam pridem corruptum fuisse videtur: *une* BH Ehwald — *uni* C: *ime* Lipsiensis — *una* ω praebent. An forte *alte* emendandum est? Et tu quoque, Rufe, alte fidicen Pindaricae lyrae.

Cf. II 3. 63: quique dolor pectus tetigisset Caesaris alti.

Hor. Ep. II 1. 58: aufert Pacuvius docti famam senis, Accius alti.

AD SOPHOCLES INDAGATORES.

Vs. 209 sq. supplent editores:

[μισ]θδ[ν δ]όμοισιν δλβίσης.

Quod cum sensum praebet nullum, proposuerim:

[μισ]θσ[ῦ γ]όμοισιν δλβίσης.

Cf. Xenoph. Symp. IV, 64: σεσαγμένος . . . πλούτου.

Vs. 154 sq. ψόφω νεώρει κόλακι ποιμένων ποθέν,

. . . δὴ φοβεῖσθε παῖδες ὡς πρὶν εἰσιδεῖν.

Mnem. 1914 p. 88 dixi mihi non ὄν, sed οὔς supplendum esse videri. Quod si spatium non sinit, commodius per attractionem scripseris: ὄν.

G. V.

## AD PLATONIS REMPUBLICAM

SCRIPSIT

J. L. V. HARTMAN.



(Continuantur ex Vol. XLV p. 416)

P. 507 A: Verba τοῦτον δὲ δὴ οὖν κτλ languidissima erunt, nisi correxeris τοῦτον [δὲ] δὴ οὖν τὸν τόκον [τε καὶ ἐκχρονον] αὐτοῦ τοῦ ἀγαθοῦ κομίσασθε. In sequentibus J. J. Hartmano (De Emblem. in Plat. etc. p. 74) verba τὸν λόγον τοῦ τόκου delenti pauci opinor assensuri sunt. Respondent iis quae paulo ante leguntur τοῦ πατρὸς ἀποτείσσεις τὴν διήγησιν. In proximis legatur suadeo τὰ [τ'] ἐν τοῖς ἐμπροσθεν βῆθέντα καὶ (etiam) ἄλλοτε κτλ, quia de una re, variis tractata temporibus, sermo est. Plato fortasse scripserat τὰν.

P. 507 B: Dubium utrum construendum sit (τὰ) καλὰ εἶναι πολλά Φαμέν καὶ (τὰ) ἀγαθὰ πολλά καὶ ἕκαστα οὕτως (i. e. ὡσαύτως s. πολλὰ) an (τὰ) πολλὰ καλὰ εἶναι Φαμέν eo sensu quo Socrates dixit 476 C ὁ οὖν καλὰ μὲν πράγματα νομίζων, αὐτὸ δὲ κάλλος μήτε νομίζων et 493 E αὐτὸ τὸ καλόν, ἀλλὰ μὴ τὰ πολλὰ καλὰ... ἔσθ' ὅπως πλῆθος ἀνέξεται ἢ ἡγήσεται εἶναι. Mihi posterius placet. — Ad proxima καὶ αὐτὸ δὴ καλὸν καὶ αὐτὸ ἀγαθὸν καὶ οὕτω (i. e. ὡσαύτως) περὶ πάντων ἃ τότε ὡς πολλὰ ἐτίθεμεν cogito εἶναι Φαμέν τε καὶ διορίζομεν. Sequentia πάλιν αὖ κατ' ἰδέαν μίαν ἐκάστου κτλ verbis οὕτω (i. e. ὡσαύτως) περὶ πάντων κτλ apposita sunt; obiectum quod dicitur vocis τιθέντες ista πολλὰ sunt, sed corrigendum ἕκαστον pro ἐκάστου. Dubitanter suadeo legatur <ἃ> πάλιν αὖ vel ἐτίθεμεν, πάλιν

<δ'> αὖ κτλ, ut *ἀ* (ante τότε) etiam ad τιθέντες pertineat (vel sic ἕκαστον legatur). Adam in ed. I ἕκαστον edidit, in altera (1902) τιθέντες· πάλιν αὖ καὶ (pro κατ') ἰδέαν, sed καὶ ferri nequit („reversing” inquit „our procedure — πάλιν αὖ — we postulate also one Idea of each believing that there is but one, and call it the essential so-and-so”<sup>1)</sup>). Ad verba δ ἔστιν conferas Phaedon. 75 CD περι ἀπάντων οἷς ἐπισφραγιζόμεθα τὸ (sic Iamblichus pro τοῦτο) δ ἔστι, ibid. 92 D ἡ οὐσία ἔχουσα τὴν ἐπωνυμίαν τὴν τοῦ δ ἔστιν. — In § C πάντα τὰ αἰσθητὰ dictum est pro πάντα τᾶλλα αἰσθητά, quod fortasse reponendum erit (cf. Theaet. 156 C καὶ ταῖς ἄλλαις αἰσθήσεσι τὰ ἄλλα αἰσθητὰ ξυγγενῆ γιγνόμενα).

P. 507 D: Corrigendum censeo ἵνα μὴ εἶπω [ᾗτι] οὐδεμίᾳ; vid. dicta ad 509 D ἵνα μὴ οὐρανοῦ εἰπῶν. In § ult. verba ἐν αὐτοῖς, si genuina essent, ad praegressum ὀμμασιν referenda essent. Quod cum nullo modo fieri possit, Platonis verba librariis corrupta esse iure multi suspicati sunt. Stallbaumii c<sup>a</sup> [ἐν] αὐτοῖς ambiguum sensum praebet (cf. 509 B καὶ τοῖς γιγνωσκομένοις τὸ γιγνώσκεσθαι φάναι ὑπὸ τοῦ ἀγαθοῦ παρῆναι). Astius corrigens ἐπ' αὐτοῖς (praeter ὄψιν et τὴν τοῦ χρῆσθαι ἐπιθυμίαν) non inepte loco providisse mihi videtur (cf. 342 A ὥσπερ ὀφθαλμοὶ ὄψεως καὶ ὠτα ἀκοῆς — sc. προσδεῖται — καὶ διὰ ταῦτα ἐπ' αὐτοῖς δεῖ τινος τέχνης κτλ.), sed magis placet Richardsi (Class. Rev. 1894) inventum ἐν αὖ τοῖς <ὄρατοῖς> (αὖ etiam 371 D et 577 B traiectum et ὄρατὰ res quae sensibus percipiuntur, recte dicuntur). Fallitur Adam putans eam coniecturam propterea quod χροᾶ ad ὄρατὸν γένος pertineat, improbendam esse. In editione priore Adam ἐν αὖ τοῖς <ὄρωμένοις> sive ἐν αὐτοῖς <τοῖς ὄρωμένοις> coniecerat, in altera (1902) suasit παρούσης δὲ χροᾶς, ἐν (pro ἐν) αὐτοῖς ἐὰν μὴ παραγένηται γένος τρίτον vel potius παρούσης δὲ χροᾶς, ἐὰν (s. ἢν) αὐτοῖς (ὄψει et χροᾶ) μὴ παραγένηται sine dubio falsus. Verba ἐπ' αὐτὸ

1) In notis addit „It will scarcely be denied that δ ἔστιν ἕκαστον, taken by itself, is most easily and naturally understood as the generalised form of the idiom δ ἔστιν καλόν, δ ἔστιν ἀγαθόν etc. We postulate one Idea of each and call it what each is”.

τούτο πεφυκός voce εἰν μὴ et sequentibus ἢ τε ὄψις οὐδὲν ὄψεται τά τε χρώματα ἔσται ἀόρατα explicantur.

P. 507 E: Ad τίνος δὴ λέγεις, ἔφη, τούτου nonnulli περι cogitant; ipse e praegresso ὅτι προσδεῖται; Πῶς; (sc. προσδεῖται) mente suppleo προσδεῖσθαι. Schneider genitivum a voce γένος τρίτον suspensum putabat, sed tum legendum foret τούτο. Adam dub. τίνος δεῖν (pro δὴ) λέγεις commendavit. — Verba δὲ δὴ σὺ καλεῖς ... Φῶς significant „quod tu, quem tale quid rogare miror, vocas Φῶς”, ut iure Adam Herwerdeno (Mnem. 1891) conicianti δὲ δὴ <καὶ> σὺ κτλ (coll. 508 A ὄνπερ καὶ σὺ, ἔφη, καὶ οἱ ἄλλοι) adversatus sit. Praeter Astium editores recentes omnes l. σμικρᾶ — ἰδέα recte probarunt.

P. 508 A: Fortasse verba ἄτιμον εἶναι (post πολλοῦ γε δεῖ) spuria sunt. Sequentia τίνα οὖν ἔχεις ... ὀρθῶσαι miserrime languere et vitium alere primus Astius suspicatus nullam tamen plausibilem medelam (coniecerat τοῦ ἡμῖν ... ποιεῖν) prompsit. Corrigendum arbitror (coll. 517 C ἔν τε ὀρατῶ Φῶς καὶ τὸν τούτου κύριον τεκοῦσα) hunc in modum δὲ (pro οὖ — v. l. ὅς —) ἡμῖν [τὸ Φῶς] ὄψιν κτλ. Adscipserat ad δὲ aliquis τὸ Φῶς, quo in textum illato pron. δὲ mutatum est in οὖ, ne constructio periret. Voce τούτου igitur Φῶς significatur. — Nabero (Mnem. 1908) in § B corrigenti τοιοῦτον τοίνυν, ἣν δ' ἐγώ, φάναι με λέγειν pro τούτον κτλ non assentior (cf. 507 A τούτον [δέ] δὴ οὖν τὸν τόκον κτλ). — In § C legatur ἀλλ' ὦν <ἄν> νυκτερινὰ φέγγη (sc. ἐπέχη).

P. 508 D: Variam l. (ὦν ὁ ἥλιος) καταλάμπει (pro — πη) iure Bekker Ast Stallbaum Adam Burnet probarunt. In eadem sententia v<sup>am</sup> l. ὄμμασιν <ὄψις> ἐνοῦσα soli Bekker Ast Stallbaum (1830) receperunt omissionem vocis ὄψεως, quae in praegressis in sententia secundaria collocata est, non ferentes. Si ὄψις tantum supplendum esset, textus sanus esset, sed „ὄψις καθαρὰ, non solum ὄψις supplendum” esse Schneider monuit. Hinc Herwerdenus (Mnem. 1884) coniecit ὄμμασιν <ὄψις> ἐνοῦσα <σαφῆς> φκίνεται (cf. Phaedon. 65 B καίτοι εἰ αὐταὶ — ἀκόη et ὄψις — τῶν περὶ τὸ σῶμα αἰσθήσεων μὴ ἀκριβεῖς εἰσι

μηδὲ σαφεῖς κτλ). Quum vero post σαφῶς ὁρῶσι (sc. ὀφθαλμοῖ) iteratum σαφῆς absonum videri alicui possit, ipse dub. commendo ἄμμοσιν <ὄψις ἐναργῆς> ἐνοῦσα φαίνεται. — Post pauca dub. [ᾧδε] νόει suadeo (οὔτω est ὡσαύτως); post ἔγνω delendum αὐτό: si vertimus ἴρησιν (nom.), etiam ἀλήθεια γυνῶναι dicitur, sin autem ἰδ (acc.), νοεῖν et γινώσκειν non absolute dicta erunt. — In eadem sententia perperam Faehse malebat κεκρυμμένον pro κεκραμμένον: τὸ enim σκότῳ κεκραμμένον non prorsus caliginosum est (τὸ δοξαστὸν μετέχει — 478 E — τοῦ εἶναι τε καὶ μὴ εἶναι), verum τὸ σκότῳ κεκρυμμένον penitus tenebris obscuratum est. Nabero (Comm. Plat. III 1865, vid. Mnem. 1908 et {1900 p. 361) legendum censebat ἄνω [καὶ] κάτω τὰς δόξας μεταβάλλον, quia opinioniones non invertantur, sed misceantur (Phaedon. 96 A καὶ πολλακίς ἐμαυτὸν ἄνω κάτω μετέβαλον σκοπῶν κτλ, Gorg. 481 E in. ἄνω καὶ κάτω μεταβαλλομένου). Ipse utrumque recte dici posse existimo.

P. 508 E: Vocem τὴν ἀλήθειαν (παρέχον) Zeller vertit „Wahrheit des Seines“, „Wirklichkeit“. Post pauca τὴν δύναμιν est τὴν δύναμιν τοῦ γινώσκειν sive τὴν γνῶσιν. — Miror viros doctos Astio (1814) verba αἰτίαν δ' ἐπιστήμης οὔσαν καὶ ἀληθείας, ὡς γινωσκομένης μὲν διανοοῦ (v. l. διὰ νοῦ, sic Ast) delenti utpote quae partim inepte abundant (αἰτίαν δ' . . . ἐπιστήμης), partim sensu cassa (ὡς γινω. μὲν διανοοῦ) sint, tam acriter ad-versatos esse <sup>1)</sup>. Serione contendunt hanc esse constructionem διανοοῦ δὲ αἰτίαν MEN οὔσαν ἐπιστήμης καὶ ἀληθείας ὡς γινωσκομένης (Adam 1902 — μένην), οὔτω ΔΕ κτλ et verba ὡς γινωσκομένης significare sive ut cognoscendae (Schneider) sive quae quidem cognoscitur (Iw. Mueller Symb. Cr. p. 53 sqq.) sive so far as the latter is known (Campb.)? Adam (1902) corrigens ὡς γινωσκομένην μὲν διανοοῦ vertit „and being the cause (αἰτίαν δ' οὔσαν) of Knowledge and Truth, I would have you conceive of it (διανοοῦ) as apprehended by Knowledge (γινωσκομένην) <sup>2)</sup>, but beautiful as is Knowledge and beautiful

1) Stallbaum 1850 edidit εἶναι, αἰτίαν [δ'] ἐπιστήμης οὔσαν καὶ ἀληθείας· ἐπιστήμην δὲ καὶ κτλ omissis verbis ὡς γινωσκομένης usque ad ἡγήσει.

2) Διανοεῖσθαι ὡς c. partic. saepius occurrit.



though Truth be, you will be right in thinking (ἡγήσει) etc.” Sed apage nugae et noli genuina ducere verba quae reliquiae sunt annotationis marginalis, non ineptae fortasse cum integra esset, nunc vero frigidissimae ac sensu cassae. Num putas Socratem vereri potuisse ne audientibus dictum illud (τὸ ἀγαθὸν παρέχειν τὴν ἀλήθειαν κτλ (i. e. αἰτίαν εἶναι ἀληθείας καὶ ἐπιστήμης) obscurum foret, postquam in praegressis (§ D ὅταν μὲν, οὐ καταλαμβάνει ἀλήθεια κτλ) diserte dixisset τῷτε γιγνωσκομένοις (s. νοουμένοις) προσεῖναι ἀλήθειάν τε καὶ τὸ ἔν? Obtemperandum est igitur Astio licet διὰ νοῦ legerit et abstinendum ab interpolatoris verbis coniectura emendandis <sup>1)</sup>). Platonem hoc igitur dicere manifestum: ut ὁ ἥλιος ἐν τῷ ὄρατῷ est κύριος τοῦ φωτός (cf. 517 C Φῶς καὶ τὸν τοῦτου κύριον τεκοῦσα) et eo ipso αἴτιος (cf. 508 B) τῆς ὄψεως i. e. τῷ ὀφθαλμῷ τὴν τοῦ ὄραν δύναμιν ἀποδίδωσιν, sic in mundo intelligibili ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα est κυρία τῆς ἀληθείας (καὶ τοῦ ὄντος) et eo ipso αἰτία τῆς γνώσεως (ἐπιστήμης, νοήσεως, νοῦ) id est τῷ γιγνώσκοντι sive τῇ γιγνώσκουσῃ ψυχῇ τὴν (sui propriam) δύναμιν (sc. τοῦ γιγνώσκειν) ἀποδίδωσιν (s. παρέχει). Sequentia οὕτω δὲ καλῶν ἀμφοτέρων ὄντων . . . ἡγήσει Stallbaum e textu non eiecisset, si reputasset haec infra (509 A ἀμήχανον κάλλος) a Glaucone respici et explicari subsequentibus ἐπιστήμην δὲ (autem) καὶ ἀλήθειαν κτλ. Quamquam ista ἐπιστήμην δὲ καὶ ἀλήθειαν supervacanea sunt et ἡγήσει ὥσπερ (ut enim) ἐκεῖ κτλ sufficit, tamen ea ad marginem relegare dubito. Sic ergo legendum Τοῦτο τοῖνον τὸ . . . φάθι εἶναι· οὕτω δὲ (sed quamquam etc.) . . . ἡγήσει· ἐπιστήμην δὲ κτλ.

P. 509 B: Inepte O. Schneider (Versuch einer genetischen Entwicklung des Plat. ἀγαθόν p. 16) legendum putavit οὐ <μόνον> οὐσίας pro οὐκ οὐσίας: ut ἐν τῷ ὄρατῷ ὁ ἥλιος nec γένεσις nec Φῶς neque ὕψις est, sic ἐν τῷ νοητῷ τὸ ἀγαθὸν neque οὐσία neque ἀλήθεια nec γνώσις (s. νοῦς) est. — Omnes

<sup>1)</sup> Heusdius Baitero et Adamo (1897) probantibus transposuit ὡς γιγνωσκομένην μὲν διὰ νοῦ, αἰτίαν δὲ κτλ. Richter (Fleckeisen Jahrb. 1867) coniecit αἰτίαν δι' ἐπιστήμης οὖσαν καὶ ἀληθείας et διὰ νοῦ. Utrumque ineptum mihi videtur.

fere editores recte in § C *εἰ μή τι, ἀλλά* ediderunt; vide dicta ad 502 A.

P. 509 D: Parisini A l. οὐρανόν (pro — νοῦ) Hermann Baiter Campbell (dub., vid. vol. II p. 124) perperam probarunt: cf. Gorg. 521 D *ἵνα μὴ εἶπω μόνος*, Phil. 38 B med. Resp. 487 D *ἵνα μὴ παμπονήρους εἴπωμεν*, Soph. Ai. 569 *Τελαμῶνι δείξει μητρί τ', Ἐριβοία λέγω*. — In proximis editores recentes praeter Astium et Stallbaumium <sup>1)</sup> necnon Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 56 sqq.) vulgatam *ἄνισα* servarunt, recte: nam primum veri est similis librarii negligentia *ἄνισα* in *ἴσα* (post λαβΩΝ syllaba AN facile excidere potuit) transiisse quam contrarium accidisse, deinde verba *ἴσα τμήματα* post *δίχα τέμνειν* frigerent, cum *τὸ δίχα τέμνειν*, si nude positum sit, significare soleat (cf. Menon. 84 E ult.) „in aequales partes dividere”, postremo nulla probabilis aequalitatis partium causa vel allata est vel excogitari potest. Unice igitur lectio probanda quam omnes fere codices nostri praebent *ἄνισα*, qua Socrates indicatur imaginem amicorum oculis proponere voluisse qua *τὸ ὄρατὸν γένος* praestantia superari *τῷ νοητῷ γένει* ostenderet. De hac quaestione Jackson in Journ. of Philol. X 1881 p. 132 sqq. „the Line” videatur. — Parisi A l. *ἐκάτερον* [τὸ] *τμήμα* uni Hermann Baiter Campbell receperunt, at *ἐκάτερος* (ut οὐδέτερος, ἀμφότερος ἕκαστος) ap. Platonem articulum assumere solet (vid. 547 B *ἐκατέρω τῷ γένει* Apol. 36 A, alia). Ad dativum (*ἔσται*) *σαφανεῖα καὶ ἀσαφεῖα* (πρὸς ἄλληλα) cf. 510 A *διηρῆσθαι ἀληθεία τε καὶ μῆ*. Schneider vertit „per claritatis et obscuritatis inter utraque obtinentem rationem”.

P. 510 B: In praegressis (§ A) expectatur *ἐθέλοις ἂν αὐτὰ* (i. e. τὰ τμήματα) *Φάναι . . . διηρῆσθαι*, quia praecedit *ᾗ* (τμήματι) *τοῦτο* (τμήμα) *ἔοικε*. et sequitur *τὸ ὁμοιωθὲν πρὸς τὸ ᾗ ὁμοιώθη*. Etiam Sophist. 266 A *μέρη* dicuntur *διηρῆσθαι*. In vulgata *αὐτὸ* indicat *τὸ ὁρώμενον γένος*. Post *ὁμοιώθη* mente supplendum est *εἶναι*, quod verbum etiam in 508 C post *τὰ ὁρώμενα* cogitan-

1) Stallbaum 1830 *ἀν' ἴσα* probante J. Richtero in Fleck. Jbb. 1867, in ed. altera (1859) [*ἂν*] *ἴσα* edidit. Ast ridicule *ἂν* (v. l.) *ἴσα* edidit.

dum. — Vulgata lectione τοῖς τότε τμηθεῖσιν designatur, ut in § D verbis τοῖς ὄρωμένοις εἶδεσι, τὸ τοῦ ὄρατοῦ γένους τμήμα, quamquam ex iis, quae in § E αὐτὰ μὲν ταῦτα, ἃ πλάττουσι κτλ et in 511 A ult. εἰκόσι δὲ χρωμένῃν αὐτοῖς τοῖς ὑπὸ τῶν κάτω (sic codd.) ἀπεικασθεῖσι leguntur, patet Socratem de σκευαστοῖς et Φυτευτοῖς, non de εἰκαστοῖς (εἰκόσι et σκιαῖς) cogitasse. Quam ob causam recte opinor Adam et Burnet Parisini A (et Procli) lect. μιμηθεῖσι, quam et Campbell (vol. II p. 124) accuratius examinandam putabat, receperunt. Τὰ μιμηθέντα sunt τὰ σκευαστά. Ex lectione μιμηθεῖσι nata est l. Vind. F τιμηθεῖσι, unde τμηθεῖσι ortum videtur, quemadmodum ipse Par. A in 511 A τετμημένοις pro τετιμημένοις perperam praebet. — In proximis Astii <sup>cam</sup> τὸ δ' αὖ ἕτερον [τὸ] ἐπ' ἀρχὴν optimo iure Stallbaum Herm. Bait. Adam (Campbellio in notis non adversante) receperunt; Schneideri inventum τὸ δ' αὖ ἕτερον (sc. ἐστιν), ὁ (pro τὸ) haud elegans est. Burnet edens τὸ δ' αὖ ἕτερον — τὸ ἐπ' ἀρχὴν ἀνυπόθετον — ἐξ κτλ ista τὸ ἐπ' ἀρ. ἄνυ. pro appositis habere videtur. Paulo post Par. A l. ἄνευ ὧν περ ἐκεῖνο εἰκόνων (i. e. ἄνευ τῶν εἰκόνων αἴσπερ ζητεῖ ἐκεῖνο), quam Schneider Herm. Bait. Campb. Adam (1902) servarunt, non probarem, vel si eiusmodi attractio (exempla et Meisterhansii Gramm. praebet) non insolita esset, quum vulgata (cod. Vind. F corr.) ἄνευ τῶν περὶ ἐκεῖνο εἰκόνων multo elegantior sit. Id quod Stallbaum (ed. Goth. II) — ὧν περὶ — recepit, nullo modo defendi potest. Praeterea legendum censeo αὐτοῖς εἶδεσι δι' αὐτῶν (pro αὐτῶν) id est καθ' αὐτὰ sive solis, cf. Demosth. 48 § 16 εἶχεν αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ ὁ ἄνθρωπος. — Ad οὐχ ἰκανῶς ἔμαθον. Ἄλλ' αὐθις, ἦν δ' ἐγὼ conf. Politic. 306 A ult. οὐκ ἔμαθον. Ἄλλ' ὧδε πάλιν, Resp. 352 E οὐ μανθάνω, ἔφη. Ἄλλ' ὧδε. Schneider non male λεγέσθω vel λέξω mente supplebat. Cobetus ἐρῶ post ἐγὼ inserens falsus mihi videtur. Astii <sup>ca</sup> εὐθύς (sc. μαθήσει) sequentibus vim praeripit.

P. 510 C: Dubitans suadeo ὑποθέμενοι <μὲν> . . . ταῦτα μὲν ὡς εἰδότες ποιησάμενοι ὑποθέσεις [αὐτά] et ἐκάστην <τὴν> μέθοδον.

P. 510 D: Verba ἔνεκα τοῦς λόγους ποιούμενοι insiticia sunt

et inserta ab eo qui non intelligeret ista τοῦ τετραγώνου αὐτοῦ καὶ διαμέτρου αὐτῆς praegresso ἐκείνων περί apposita esse. Adversa enim fronte inter se pugnant in vulgata τοὺς λόγους περὶ αὐτῶν (i. e. τῶν ὀρωμένων) ποιοῦνται et οὐ ταύτης (διαμέτρου), ἣν γράφουσι sc. ἕνεκα τοὺς λόγους ποιούμενοι. — In § E <sup>vam</sup> l. ζητοῦντες δὲ (pro τε) recte probarunt Stephanus Ast Stallb. (ed. Goth.) Campbell (vol. II p. 244) Adam (ed. I) Burnet; sententia enim est haec: rebus visibilibus tanquam imaginibus (sc. earum rerum quas cognoscere student) utentes, res quae ad ipsum νοητὸν γένος pertinent solaque mente spectari possunt, contemplari conantur. Μὲν — τε valet „tum — quum”, cf. Soph. Ant. 1163.

Pag. 511 A: Optimorum codd. (A et Π) l. νοητὸν (pro νοητοῦ) editores (praeter Astium et Bekkerum) recte probarunt. Astius coniecerat τοῦτο τοίνυν νοητοῦ <ἐν> μὲν [τὸ] εἶδος ἔλεγον <τὸ> ὑποθέσει [δ'] ἀναγκαζομένην ψυχὴν χρῆσθαι. Participium ἀναγκαζομένην pendet ex aliquo demonstrandi verbo, quod per zeugma ex ἔλεγον petendum est. Non male Adam vertit „Accordingly (τοίνυν) I described this class as intelligible indeed, but the soul as compelled etc.”

Sensus verborum εἰκόσι δὲ χρωμένην αὐτοῖς τοῖς ὑπὸ τῶν κάτω ἀπεικασθεῖσι aliis alius videtur: Astius praeunte Cornario necnon Stallbaumius τὰ ὑπὸ τῶν κάτω ἀπεικασθέντα acceperunt figuras geometricas quas geometrae sive mathematici in quaestionibus suis describant vel fingant, Schneider probante Campbellio <sup>1)</sup> et Adamo voce τὰ κάτω (quibus in 517 B τὰ ἄνω opponuntur) non totum τῶν αἰσθητῶν genus, sed rerum visibilium imagines tantum (εἰκαστά, εἰκάσματα, εἰδῶλα, σκιὰς et εἰκόνας ἐν ὕδασι) significatas putavit, quibus addantur H. Sidgwick in Journal of Philol. II 1869 p. 96—103 „On a passage in Plato's Rep. VI” (cui καὶ — ante ἐκείνοις — est even), C. Liebholdus in Philologo 1876 p. 371 ὑπὸ in ἀπὸ mutans, anno post autem (l. c.) suspicatus Platonem scripsisse εἰκόσι δὲ χρωμένην αὐταῖς (hypothesis) <ὁμοίως> τοῖς ἀπὸ (pro

1) „Using”, inquit, „however, as images those very things of which there are reflections in the sphere below them and which, in relations to those reflections are habitually esteemed and honoured as real and clear”.

ὑπὸ) κτλ, *Bywater* in *Journ. of Philol.* X 1881 proponens αὐτοῖς τοῖς ὑποκάτω ἀπεικασθεῖσι καὶ κεῖ 1) πρὸς ἐκεῖνα κτλ, *H. Jackson* ibidem, *H. Richards* (*Class. Rev.* 1894) si bene eum intelligo ἐκείνοις et αὐτοῖς sedem inter se mutasse arbitratus, *Iw. Mueller* (*Symb. Crit.* p. 9) denique coniciens καὶ ἐκείνοις <τοῖς> πρὸς ἐκεῖνα κτλ.

Ipse *Schneidero*, quantum ad sensum attinet, assentior, sed vereor ne sic traditae lectioni vis afferatur, quapropter τοῖς ὑπὸ τῶν ΕΙΚΑΣΤΩΝ ἀπεικασθεῖσι hoc est ὑπὸ τῶν εἰκασθέντων (vid. schol.) sive εἰκασμάτων (τῶν σκιῶν καὶ εἰκόνων) ἀπεικασθεῖσι Platonem scripsisse puto 2) Expungatur praeterea illud sententiam turbans ἐκείνοις (*Astius* — 1814 — verba καὶ ἐκείνοις spuria ducebat). Vox εἰκαστά in scholio ad 509 D occurrit; in *Legg.* 668 A εἰκαστικὴν legitur. Ad ἀπεικασθεῖσι conf. *Phaedr.* 250 B ἐπὶ τὰς εἰκόνας ἴοντες θεῶνται τὸ τοῦ εἰκασθέντος γένος. Ea quae 511 D ult. τῷ ἀνωτάτῳ (sc. τμήματι) leguntur, vulgatam non satis opinor defendunt. *V<sup>am</sup>* l. τετμημένοις pro τετιμημένοις pauci tantummodo editores perperam receperunt.

P. 511 B: Variam l. ταῖς γεωμετρίαις τε καὶ ταῖς ταύταις (pro ταύτης) ἀδελφαῖς τέχναις, quam soli *Bekker Ast Stallb.* (ed. Goth.) probarunt, pravam esse luculente *Iw. Mueller* (*Symb. Cr.* p. 58 sq.) ostendit; conferas 533 B γεωμετρίαις (v. l. -αν) τε καὶ ταύτη ἐπομένης et *Legg.* 817 E μετρητικὴ δὲ μήκουσ καὶ ἐπιπέδου καὶ βάθους ὡς ἐν αὐτῷ δεύτερον (sc. μάθημα). Ad γεωμετρίαις cf. 536 D *Menon.* 76 A alia. Voce γεωμετρίαις *Adam* „but geometrical investigations” significari putat. In eiusmodi enumerationibus ἀδελφὸς a Platone semper c. genitivo, non c. dativo coniungi *Mueller* l. c. contendit.

De sequentibus videatur *H. Jackson* in *Journal of Philol.* 1881 „The two Methods” cap. III inter alia (p. 143) haec scribens „The dialectician starts from hypotheses, but does not rest content with them. Hence instead of immediately descending to conclusions, he uses his hypotheses as stepping-stones

1) Vertit „in the lower sphere”, the region of sensible counterfeits in which the common man is said to live.

2) Suspicio postquam εἰκαστῶν in ἰκαστῶν et καστῶν transiisset, καστῶν propter praegressum ἀνωτέρω in κάτω mutatum esse.

by which to ascend to the principle of all things. Having thus reached that which is not hypothetical in the ἀρχὴ τοῦ παντός, he is in a position to descend, without recurrence to sensibles, from idea to idea etc." Audiatur etiam Ed. Zeller „Die Philosophie der Griechen" 1889 II (p. 586 not. 2) qui ὁρμάς Germanice interpretatus est „Anläufen", addens „doch scheint das Wort hier nicht den Anlauf selbst, sondern den Ausgangspunkt zu bezeichnen". Totum locum sic idem vertit „was (οὐ) die Vernunft als solche mittelst des dialektischen Vermögens ergreift, indem sie die Voraussetzungen nicht zu Principien, sondern wirklich zu blossen Voraussetzungen macht, gleichsam zu *Auftritten und Schwangbrettern*, um von ihnen etc." Ad αὐτὸς ὁ λόγος Adam annotavit „οὐ the argument grasps by itself through the power of dialectic", „the instrument by which νοῦς works". Significatur νόησις (schol. τῆ νοήσει προσχρωμένην) s. νοῦς. Mathematici autem διανοίᾳ utuntur.

P. 511 C: Lege εἶδесιν αὐτοῖς δι' αὐτῶν (pro αὐτῶν) εἰς αὐτὰ (i. e. εἶδη) καὶ (etiam) τελευτᾶ [εἰς εἶδη] s. [εἰς] εἶδη. In ed. priore (1897) Adam coniecerat αὐτοῖς δι' αὐτῶν (sic iam Scholiastes) [εἰς αὐτὰ] καὶ τελευτᾶ εἰς εἶδη.

P. 511 D: Variam l. ἀνελθόντας (pro -τες) post Bekkerum perperam unus Ast servavit. Vox αὐτὰ in αὐτὰ θεᾶσθαι (§ C) et περὶ αὐτὰ δοκοῦσι (§ D) significat τὰ μαθηματικά, quae ad τὸ ἔν τε καὶ νοητὸν pertinent; vid. § C τὸ ὑπὸ τῶν τεχνῶν καλουμένων (scil. τοῦ ἔντος τε καὶ νοητοῦ θεωρούμενον) et 533 B ult. αἱ δὲ λοιπαὶ (sc. τέχναι), ἃς τοῦ ὄντος τι ἔφαμεν ἐπιλαμβάνεσθαι (cf. 510 D τοῦ τετραγώνου αὐτοῦ καὶ διαμέτρου αὐτῆς). Itaque mirum in modum post νοῦν οὐκ ἴσχειν περὶ αὐτὰ (i. e. νοητὰ) δοκοῦσί σοι adduntur haec καί τοι νοητῶν ὄντων (sc. αὐτῶν i. e. τῶν μαθηματικῶν) μετ' ἀρχῆς. Quae verba si sincera sunt, sic sunt intelligenda καί περ τῶ ὄντι (revera) νοητῶν ὄντων, si ἀρχὴ suppetit (ex Schol. memoranda sunt haec τὸ δὲ νοητὸν εἰς τὰ διανοητὰ καὶ τὸ ἰδίως νοητὸν διακρίνεσθαι). Iowett eodem modo ista interpretatus est „although, when a first principle is added to them, they are cognizable by the higher reason", Adam autem „although they are intelligibles with a first prin-

ciple" (the mathematician does not exercise νοῦς on his subject, but nevertheless his subject is νοητὸν and has an ἀρχή, viz. his ὑποθέσεις). Hoc ante dictis pugnat, illud („quamquam sunt vere νοητά; si ἀρχὴ suppetit s. si ἀρχῆς μετέχει"), nisi τῶν διανοητῶν naturae adversum est, non modo tale est ut Glauconis captum superet, sed etiam in praegressis, quae Glauconem scriptor nunc paucis complectentem facit, non legimus. Quas ob causas ista καίτοι νοητῶν ὄντων μετ' ἀρχῆς ne spuria sint, vereor.

In proximis editoribus probanda fuerat v. l. καὶ [τὴν] τῶν τοιοῦτων ἕξις, quippe quod vox ἕξις ad utrumque pertinet membrum. Verba τὴν διάνοιαν (post νοῦ) spuria censeo et post δόξης τε καὶ νοῦ mente supplendum ταύτην τὴν ἕξις. In cod. Par<sup>o</sup> A scriptum est νοῦ ÷ ÷ τὴν διάνοιαν κτλ. Dub. suadeo <τὰ> τέτταρα ταῦτα παθήματα.

P. 511 E: Recte Schneider Campbell Adam (1897) Burnet v<sup>o</sup> l. ἀληθείας μετέχει (pro -έχειν) probarunt: „pro certo et ex superioribus iam satis cognito" haec ponere Socratem debere iure Schneider contendit. Simile mendum Astius iu 479 C in voce ἐπαμφοτερίζειν deprehenderat. Verba ἐφ' οἷς ἔστιν C. Liebholdo (Philologus 1876) sollicitanda non fuerant temere conicienti ὥσπερ ἐφ' ὅσον („so weit als") ἔστιν ἀληθείας κτλ.

#### AD LIBRUM REIPUBLICAE SEPTIMUM.

P. 514 A: De cavernae significatu videantur H. Jackson in Journal of Philol. X 1881 cap. II „the Cave" et L. Campbell in Plato's Republic 1902, London Murrays Home and School Library. Altam cavernam esse verba in 515 E διὰ τράχειας τῆς ἀναβάσεως καὶ ἀνάπτους satis demonstrant. Herwerdenus (Mnem. 1884) se verba ἀναπεπταμένην πρὸς τὸ Φῶς τὴν εἴσοδον ἐχούση intellegere negat, quod speluncarum ostia ad lucem spectare soleant neque lux in hanc cavernam penetret, sed recte Campbell annotavit „the light of heaven does not penetrate into the cavern, which is open to the light only in the sense that it is possible to clamber out of it into the light".

Verba τὴν εἴσοδον ἐχούσῃ παρ' ἅπαν (Burnet ex Iamblichō παρὰ πᾶν edidit) τὸ σπήλαιον significant ostium (εἴσοδον) cavernae et ipsam cavernam eiusdem esse dimensionis. Vox μακρὰν insiticia est: aut μακρὰν aut παρ' ἅπαν τὸ σπήλαιον eiciendum. Amplam cavernam esse sequentia sat docent. — Hirschigii cam (μένειν τε) αὐτοῦ pro αὐτοῦς Hermann Badham (ed. Phaedri praef. p. X). Cobetus Baiter Adam (1902) rectissime probarunt: neque inde effugere (μένειν τε αὐτοῦ) neque cervices movere (τὰς κεφαλὰς ἀδυνατοῦς περιάγειν) victos illos posse Socratem dicere voluisse manifestum est. Herwerdeni (Mnem. 1884) εἰ μένειν τε αὐτοῦς <ἀκινήτους> omnino improbanda est.

P. 514 B: Idem l. c. non male verba ὑπὸ τοῦ δεσμοῦ exclusit; singularis enim numerus displicet neque grata vel necessaria eius vocis repetitio est. Omnino autem legendum erit κύκλω [δὲ], quia ἀδυνατοῦς (sc. ὄντας) causam τοῦ εἰς τὸ πρόσθεν μόνον ὄραν indicat. Pro ἀδυνατοῦς temere Hirschig et Badham (l. c.) postulabant ἀδυνατεῦντας; cf. 451 D τὰς μὲν οἰκουρεῖν ἔνδον ὡς ἀδυνατοῦς (sc. οὔσας) κτλ. Idem viri docti (Φῶς δὲ αὐτοῖς πυρὸς ἄνωθεν καὶ πῦρρωθεν) κωμόμενου pro κωόμενον Cobeto et Baitero probantibus coniecerunt, quibus assentiri dubito. Nam sic non modo αὐτοῖς perincommodam sedem obtinebit et in αὖ mutandum erit, verum etiam bis textus mutatur quamquam non apparet causa cur librarius peccaverit. Adde quod ea coniectura participiorum seriem solvit idὲ γὰρ ἀνθρώπους . . . ὄντας ἐν δεσμοῖς — Φῶς δὲ αὐτοῖς πυρὸς . . . κωόμενον — τειχίον παρρηκοδομημένον. Non inepte fortasse Hermann contendit „Φῶς πυρὸς ita in unam notionem coaluisse ut alterius attributum simul etiam alteri conveniret”. In proximis miror editores Britannicos verbis πρὸ τῶν ἀνθρώπων non spectatores designari putasse, sed τοὺς θαυματοποιούς (Adam) vel eorum ministros (Jow. et Campb.). Adam πρὸ ἐκυτῶν pro πρὸ τῶν ἀνθρώπων postulans mihi videtur falsus. In § ult. dub. suadeo ὑπερέχοντ' α(ὐ)τοῦ [τειχίου] pro ὑπερέχοντα τοῦ τειχίου.

P. 515 A: Verba τῶν παρρηφερόντων quae inepte abundant ac structuram pervertunt, optimo iure Baiter expunxit.



P. 515 B: Adam τί δέ; τῶν παραφερομένων οὐ ταῦτὸν τοῦτο; *distinxit mente supplens* οἶει ἂν ἐωρακέναι αὐτούς, *reliqui sic* τί δὲ τῶν παραφερομένων; coll. Gorg. 509 D Phaedon. 78 D, Resp. 459 B 470 A.

In sequentibus Schneider edidit οὐ ταῦτα (sic pauci codd. et Iamblich.) ἡγεῖ ἂν τὰ παρόντα (sic optimi codd.) νομίζειν ὀνομάζειν ἄπερ ὄρῳεν Socratem rogantem faciens „an haec quae viderent tamquam res praesentes appellare sese opinaturi essent”, cui assensus est E. Wuest <sup>1)</sup> interpretatus Germanice „Glaubst du nicht, dass sie der Ansicht sind, in dem (probat l. ταῦτά), was sie sehen, das wirklich Vorhandene zu benennen?” At omnino vincti illi ignorant praeter τὰς τῶν παραφερομένων σκιάς esse ipsa τὰ παραφερόμενα. Eodem modo erravit Burnet, quum Iamblichum (et Proclum) secutus ederet οὐ ταῦτα ἡγή (sic) ἂν τὰ ὄντα <sup>2)</sup> αὐτούς νομίζειν [ὀνομάζειν, om. Iamb.] ἄπερ ὄρῳεν, quibus receptis ea quae in § C in. leguntur παντάσῃσι δὴ ... νομίζοιεν τὸ ἀληθές ἢ τὰς τῶν σκευαστῶν σκιάς supervacanea fierent. Praeterea ὀνομάζειν melius quam νομίζειν congruit verbo διαλέγεσθαι quod praecedit (εἰ οὖν διαλέγεσθαι οἶοί τ' εἶεν πρὸς ἀλλήλους). Itaque recte Campbell <sup>3)</sup> verba ταῦτα τὰ παρόντα pro obiecto habuit, sed miror eum non intellexisse alteram lectionem τὰ παριόντα (sic reliqui editores) praegressis magis accommodatam esse.

Graviter autem falluntur ii qui putant τὰ παριόντα hoc loco indicare τὰ παραφερόμενα, quod si ita esset, tum necessario *οἱ δεσμῶται* iam cognosset illa παραφερόμενα. At in spelunca vincti illi numquam τὰ παραφερόμενα viderunt nec norunt illa esse (cf. § D οὐκ οἶει αὐτὸν ἀπορεῖν τε ἂν καὶ ἡγεῖσθαι τὰ τότε ὄρώμενα ἀληθέστερα ἢ τὰ νῦν δεικνύμενα). Hinc prorsus improbo Helli (Curae Crit. p. 29) cum Hermanno legentis οὐ ταῦτα (v. l.) ἡγεῖ ἂν τὰ παριόντα αὐτούς νομίζειν ὀνομάζειν ἄπερ ὄρῳεν

1) E. Wuest, Beiträge zur Textkrit. u. Exegese der Platonischen Politeia. München, 1902.

2) Iamblichi l. τὰ ὄντα pro παρόντα haplographiae debetur: in § D idem τὰ τε ὄρώμενα perperam pro τὰ τότε ὄρ. praebet et in 514 B ἄκοδομημένον pro παρωκοδομημένον.

3) Vertit „Do you not suppose that they would believe that they were naming those things, that they saw actually before them?”.

explicationem „quidquid rerum *ipsarum* praeterlabatur id eodem modo eos appellaturos quam quo spectent". In eundem errorem inciderunt etiam Vermehren (Plat. Studien 1870) coniciens <sup>1)</sup> οὐκ αὐτὰ (pro οὐ ταῦτα) necnon Madvigius corrigens οὐκ αὐτὰ ἡγεῖ ἂν τὰ παριόντα νομίζεῖν ὀνομάζειν <ὀνομάζοντες> sive <ὀνομάζειν δ'> ἄπερ ὄρῳεν. Quae cum ita sint, ταῦτα (non ταυτά) servato verbis τὰ παριόντα eadem vis tribuenda est atque in 516 C (ult.), ubi τὰ παριόντα significat τὰς παριούσας σκιὰς. Ne autem Socratis amici de vocis sensu ambigerent, scriptor addidit ἄπερ ὄρῳεν; duplex enim τῶν παριόντων genus (cf. 515 D med. et 516 C ult.): τὰ παραφερόμενα sunt παριόντα ἃ οὐκ ὄρῳσιν, αἱ autem σκιὰς sunt παριόντα ἃ ὄρῳσιν. Expungendum est vero verbum νομίζεῖν, quod quid sibi velit non exputo. Si enim interpretamur „eos existimatos esse", tum falso significantur non semper pro certo habuisse praeter σκιὰς non esse alias res, sin vero vertimus „eos solituros esse", tum illud verbum prorsus frigebit. Librariis sexcenties ὀνομάζειν et νομίζεῖν confundentibus suspicor e superscripto νομίζεῖν natam esse vulgatam νομίζεῖν ὀνομάζειν.

Totam sententiam οὐ ταῦτα ἡγεῖ ἂν τὰ παριόντα αὐτοὺς ὀνομάζειν ἄπερ ὄρῳεν sic verto „nonne putas eos illis rebus praetereuntibus — eas nempe quas videant — nomina imposituros esse", nam Platonis sententia est haecce: si τῶν παραφερόμενων numquam quidquam aliud nisi τὰς σκιὰς aspexerint ne scientes quidem praeter τὰς παριούσας σκιὰς esse ipsa τὰ παραφερόμενα, nonne tum necesse eos illas res praetereuntes ἀληθῶς ὄντα existimatos, quod eo patebit quod umbris illis tanquam rebus quae revera sunt, nomina imponent et quotienscumque quis praetereuntium (τῶν παραφερόντων) loquitur, non quemquam alium existimabunt locutum esse nisi praetereuntem umbram? Post hanc rei expositionem non opus est opinor me fuse demonstrare neque Cobeti (Mnem. 1862) sententiam ταῦτα . . . τὰ παριόντα αὐτοὺς νομίζεῖν [ὀνομάζειν] ἄπ. ὄρ. nec Baiteri l. οὐκ αὐτὰ (sic Vermehren) ἡγεῖ ἂν τὰ παρ-

1) Vertit „Glaubst du nicht dass sie in ihrer Lage die vorüberziehende Gegenstände selbst zu benennen meinen wurden, die sie ihrer Meinung nach sahen".

ἴοντα αὐτ. νομιζειν [ὀνομάζειν, sic Cob.] mihi placere. Peipers (Philol. Anzeiger 1871) Vermehrenii *cam* improbens suaserat νομιζειν <δεῖν> ὀνομάζειν sive νομιζ. <καὶ> ὀνομ., quae est varia lectio. Posterius etiam Richards (Class. Rev. 1894) commendavit ταῦτ' ἄ legens.

(Continuabuntur)

AD CICERONIS PRO ROSCIO AMERINO OR. § 44.

*Quod honoris causa pater filio suo concessit, id eum supplicii causa fecisse dicis.* Sic pulcherrimum concludit locum Cicero quo refutat Erucium contententem parum patri placuisse Sex. Roscium filium eiusque rei hoc utentem argumento quod „hunc in praedia rustica relegarat”. Sed quam inepta est illa clausula. Quis enim puerile istud *fecisse* aequo animo ferat? „At enim, saepe paulo negligentius verbum *faciendi* ponitur”. Probe scio neque omnino me latet interdum vel accuratissimos scriptores paulo esse negligentiores. Sed hic decoris et venustatis immemorem esse res ipsa Cicronem vetabat. An credamus ei ipsum illud vocabulum quo opus erat, eo ipso temporis momento quo opus erat excidisse? Senis delirantis, ut opinor, istud est et balbutientis, non Ciceronis adolescentis omnibusque utentem ingenii et eloquentiae dotibus. Nam considera quam sint in praecedentibus singula vocabula limata, examinata, perpensa. Subitane defecisse Cicronem putemus? Non ego. Video enim *honoris causa* et *supplicii causa* inter se OPPONI, sentio illud vocabulorum aequilibrium, ergo requiro quod apte τῶν concessit opponatur. Quid illud esse potest nisi *iussisse*? Hoc pro *fecisse* rescribe, nunquam paenitebit.

J. J. H.

# AD SENECAE EPISTULAS.

SCRIPSIT

F. MULLER I. FIL.

Ed. O. Hense<sup>2</sup> 1914.

Epist. 40, 2: *itaque oratio illa apud Homerum concitata et sine intermissione in morem nivis superveniens <iuveniori> oratori data est, lenis et melle dulcior seni profluit.* Ita Hense; *iuvencior* apud Plinium in Epistulis occurrit, v. Brugmann ALL. 15, 5, et in Senecae epistulis 66, 34. Haupt coniecerat *iuvencior oratori*, quod haud ita prope ad codicum scripturam accedit. Locos classicos, quos Seneca hic laudat, si comparaveris (II. A 247 de Nestore, Γ 221 de Ulixē et Menelao), dubium iam fiet, itane collocatum *iuvencior* verba Senecae reddat. Homeri enim ipsius verba sunt: *εἰ καὶ γένοι ὕστερος ἦεν* sc. Menelaus Ulixē, id quod paulo supra his verbis declaravit *ἄμφω δ' ἐξομένω γεραρότερος ἦεν Ὀδυσσεύς*. Ulixes igitur hoc loco depictus, ut nobis, ita Senecae ante oculos obversabatur homo, cuius aetas longius esset evecta quam ut *iuvencior* nominaretur. Haud scio an Seneca hoc vocabulo obscuro Homericum illud (Γ 220) *ζάκτων* reddere voluerit; quidni scripsit *vehementiori*: — *veniens vehementior oratori*, duplicato haplographiae vitio? Cicero scribit in Bruto (§ 88): *significabat illum* (sc. Galbam) *non in agendo solum sed etiam in meditando vehementem atque incensum fuisse.* Ut *desse* in *dēsse*, *subiit* in *subīt* contraxit noster, ita poetas videlicet imitans *vehement-* pro *vehement-*, *prendere* pro *prehendere* scribere non gravabatur.

Ib. § 8: *tum quoque, cum illum aut ostentatio abstulerit aut*

*affectus impotens sui, tantum festinet atque ingerat, quantum aures pati possunt.* Loquitur de oratore pravis ambitionibus (v. *ostentatio, abstulerit*) modestiae rationem negligente. Itaque haud probanda videtur coniectura Mureti *aff. imp. sui*, ubi codd. habent *effectus impetus sui*, p *in petus*, *inpe///tus* alii. Genitivum tam subiectivum qui dicitur quam obiectivum *mei, tui, sui* frequenter cum nominibus verbalibus coniungunt scriptores huius aetatis; quod ut probem, pauca tantummodo afferam exempla: *finem sui* Sen. Ep. 12, 5; *fiduciam sui* ib. 13, 1 et 6; *vilitas sui* Clem. I, 3, 4 *mei* loco Plin. Ep. Traj. 18 (29) 2, (*magna*) *sui parte* Plin. Ep. V, 6, 7 et 15; saepius apud Apuleium, e.g. Apolog. 1, cf. 4: *accusationem mei*. Quominus igitur *impetus sui* vindicemus, nil obstat; scripsitne Seneca *effictus impetus sui* eodem sensu quo Tacitus semel atque iterum adhibet *compositus*? (In nostra epistula Seneca (§ 4) exigit ut *incomposita* sit oratio et *simplex*. Tac. Ann. IV, 1: *palam compositus pudor*, Ov. Metam. 4, 319: .... *se composuit, quam circumspexit amictus et finxit vultum* (eodem sensu et Seneca *circumspicere se* habet in epistula nostra § 11, cf. 42, 10). *Affingere* idem significans atque *ingere*, *confingere* apud Senecam non invenitur; Plin. Ep. IX 33, 11 *non est opus adfingas aliquid aut adstruas* scribens integrum sensum praepositionis *ad* servavit. Iustumne hoc est obstaculum, ne legamus *affictus*? Alia se menti obtrudunt, qualia sunt: *effictus in pectus* aut *effictus plactus in pectus*, cf. Sen. Thyest. 1045 *pectora inliso sonent | contusa plactu*, Petr. 81: *verberabam aegrum plunctibus pectus*, v. 111: *nudatum pectus plangere*, Ov. Met. 4, 553: *altera dum solito temptat plangore ferire | pectora*. Verum aliud alii repugnat ne accipiamus.

Ibidem scrupulum movent verba *festinet atque ingerat*; quod ad clausulam pertinet omnia optime se habent: *ⵀⵀⵀⵀⵀ*; praeterea eiusmodi lusus atque facetiae a Senecae mente alienae numquam sunt, ut demonstrat epistula 47, 2: *ingenti aviditate onerat distentum ventrem ac desuetum iam ventris officio, ut maiore opera omnia egerat quam ingessit* (cf. *egeram* epist. 66, 4). Attamen huiusmodi hendiadys figura, qua duo copulantur verba nequaquam eiusdem notae, nimis insolita esse mihi videtur. Legendum suspicor: *festinet atque ingruat*.

Ib. § 9: *recte ergo facies, si non videris istos, qui quantum dicant, non quemadmodum quaerunt, et ipse malueris, si necesse est, ut P. Vinicius dicere. Si non videris istos recte se habere numquam mihi persuadebo: Senecam qui in hac epistula omnem acuminis ac brevitatis fulgorem large dispersit, hoc loco verbum collocasse tam frigidum tamque ineptum? Egregia igitur coniectura est Italorum audieris (: -nuideris); nam ipsius Senecae verba sunt initio epistulae: *audisse te scribis Serapionem philosophum*, infra (§ 6) breviter condemnat: *istos, qui verba exercuerunt, abunde est semel audisse*. Atqui hoc ipsum nos vetat eam coniecturam in textum recipere: quomodo, inquam, *audiendi* verbum per epistulae tenorem optime notum, renovatum, identidem ipsum se offerens, in *videris* abire potuit? Alia igitur quaerenda est solutio. Cogitavi: *nunc* (aut *iam*) *vitaris; formidaris* (cf. ib. § 13: *eo magis autem te deterreo ab isto morbo*); melius iam fuisset: *non inviseris* quia istud verbum hoc ipsum plane declarat, quod locus noster poscere videtur, et quia Seneca alibi (v. Mnem. 45, 324 sq.) frequenter ad *visendi* verbum confugit. Nihilominus aliud remedium mihi succurrit, quod, quamvis ipse animi pendens, proponere ausim: *si non convixeris istis*. Hoc enim verbo adeo gaudet Seneca, ut pauca tantum inter permulta mihi liceat afferre testimonia: Ep. 104, 20 *haerebit tibi avaritia, quamdiu avaro sordidoque convixeris*, cf. benef. I, 12, 2: *ectet* (sc. *munus meum*), *haereat amico meo, convivat*; Ep. 16, 21: *quodsi convivere etiam Graecis iuvat* eqs. Denique Martialis (I, 86, 8) tria verba huius loci coniungens demonstrat convivendi notionem ab ista cogitatione minime esse alienam: *non convivere, nec videre saltim, non audire licet, nec urbe tota quisquam est tam prope tam proculque nobis*.*

Ib. 10: *aliquis tam insulsus intervenerit, quam qui illi singula verba vellenti, tamquam dictaret, non diceret, ait: 'dic, numquid dicis'*. Verba *tamquam dictaret, non diceret* nimis argute manum Senecae propter ipsam brevitatem produnt quam ut tamquam glossema eiciantur: itaque conicere veta-  
mur [*tamquam dictaret, non diceret*] ait: *dic: numquid dictas?* Restat ut codd. lectionem (*numquid est coniectura Buecheleri*) restituamus interpunctione tantum mutata *dices* scribentes pro

*dicas*: „*dic, numquam dices*”? Nam quod Hense exhibet *dic, numquid dicas* ibi modo vindicari potuit, ubi de oratore parum clare atque alte, non de oratore nimis tarde loquente sermo foret. De voce *numquid* = *num* v. Schmalz Syntax<sup>4</sup> 518.

Ep. 41, 7: *vitem laudamus, si fructu palmites onerat, si ipsa pondere ad terram eorum quae tulit, adminicula deducit*. Ita Hense; codd. habent *pondera et adminiculo*; *pondera* propter sequentem vocem *ad* nasci potuit, sed quamobrem *adminicula* in *a—o* mutatum sit, nusquam video. Alii aliquid hoc loco tentarunt verborumque prorsus immutaverunt ordinem, dubitantes utrum verba *eorum, quae tulit* ad *adminicula* an ad *pondere* referenda essent. Equidem crediderim in *terram eorum* latere dittographiam, quae totam sententiam turbaverit. Cum codicibus lego: *si ipsa* („*zelfs*”, per accusativum pluralem enuntiatum codum modo in Epistula 42, 1: *ipsa raritate commendat*) *pondera ad terram, quae* (femin. gen.) *tulit, adminiculo deducit*, i. e. „*si tam copiosa facta est vitis, ut iam gravidas per se uvae rescindens ab eo, quod humana ei fecerat manus fulmentum, Terrae inde propriores magisque pronas praestat omnium Matri*”. Neque constructio *adminiculo deducit* (si dativus est casus, cf. *mihi abduco* epist. 72, 1) neque tales facetiae a luminibus Senecae videntur esse alienae.

Ep. 42, 4: *multorum crudelitas et ambitio et luxuria, ut paria pessimis audeat, fortunae favore deficitur* (cf. epist. 59, 17 *defecit*) *eadem velle si † subaudis cognosces: da posse quantum volunt*. Codd. habent *velle subaudis* aut *velle sub audis*. Neque aliae coniecturae iam propositae placent, neque novae *si oboedis* aut *si me audis*. Vell. Paterc. II, 79 habet: . . . *gravis sub ipsius Caesaris oculis circa Tauromenium accepta clades; idem habes* Caes. BC. I, 57; Liv. IV, 28, 1; paulo aliter Florus I, 31, 7 *classem sub ipso ore urbis incendit*. In *sub audis sub oculis* latere suspicor, quod in *audis* mutatum crediderim vicino vocabulo *audeat*. Propono: *eadem velle; sub oculis cognosces: da posse quantum volunt*.

Epist. 45, 1: *librorum istic inopiam esse quereveris. non refert, quam multos, sed quam bonos habeas: lectio certa prodest, varia*

*delectat*. Ultimis verbis sensus inest: varia tantum (vel modo) delectat? Coniecero, ut id vocabulum quoque consequaris, *delectat tantum* (tātū). At sententia ista, si opinio non praeiudicata ad eam accessit, aliam significationem poscere videtur: mentis cogitationes nimis se vocat diversas, in malam partem accipiatur necesse est; nam Seneca protinus inde ab initio sapientiam praedicare destinavit. Ne tamen in coniecturam incidamus: *delectat* vel *disiectat*, monent verba Horatii fortasse Senecae hoc loco occurrentia: *aut prodesse volunt aut delectare poetae* (cf. infra § 8: *delectat*).

Ib. 3: *indulgentiae scio istud esse, non iudicii, et si modo iudicii est, indulgentia tibi imposuit. Si modo solitum sensum dummodo, „indien slechts” loco allato habere non potest, de quo cf. Seneca Ep. 31, 6: nec quae repellit (sc. vir prudens) timet, nec miratur quae elegit, si modo magnus illi et invictus animus est; Plin. Pan. 37, 7: eandem immunitatem in paternis bonis filio tribuit, si modo reductus esset in patris potestatem. Aliter aliis locis explicandum est: Cic. Brut. § 268: L. autem Lentulus satis erat fortis orator, si modo orator; quo loco si significationem in partes dissolveris, invenies: si quidem, si (hoc) modo, quod minimum sit, = „in dien ten minste” (cf. Hor. A. P. 272), id quod abiit in *si revera*, nam ubi ne minima quidem pars pro certo affirmari potest sed sententia condicionali enarranda est, ibi tota fere sententia non iam habet, quo confirmari possit; lingua germanica tum dicit „wenn überhaupt”; ita demum collocata sunt verba *si modo* in Ciceronis Oratore (§ 12): *fateor me oratorem, si modo sim aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiae spatiis exstitisse*. Huc proxime accedit locus noster Annaeanus, verum longius iter emensum est: „indien in het algemeen” abiit in „indien toch”. Quae mutatio adiuta esse mihi videtur alia coniunctione *si tamen*, ita ut ordine permutato *si modo* eo perveniret, unde *si tamen* esset profectum. Ut aliter dicam: quia *si tamen* idem quod *si modo* declarare coepit: „indien ten minste”, pariter *si modo* pristinam solitamque significationem coniunctionis *si tamen* in se traxit „indien toch”. De vocibus *si tamen* Schmalz Glotta I 333; Wackernagel Vermischte Btr. zur Gr. Sprachen-*



kunde 1897, 32 prorsus eadem demonstravit de coniunctione tantum quod, ubi v.)

Ib. 8: ... acetabula et calculi, in quibus me fallacia ipsa delectat. effice, ut quomodo fiat intellegam: perdidit usum. Ibi identidem inter se opponit: sine noxa decipiunt — fallacia ipsa delectat; infra: nec ignoranti nocent nec scientem iuvant. Hoc loco respondet verbis delectat — iuvant vox usum? Clausula quoque claudicat: perdidit usum — — —. Lege: perdidit lusum — — — et omnia optime se habent. Quod ad lusum attinet v. Quint. I, 1, 20.

Epist. 46, 3: o te hominem felicem, quod nihil habes, propter quod quisquam tibi tam longe mentiatur! mentiatur ab omni parte tutum est, quia in sequentibus quoque occurrit. Sed quid est tam longe mentiatur? Clausula — — — — hanc lectionem minime commendat. Propono: tibi i/ta maligne mentiatur aut tibi maligne mentiatur, quod propius accedere videtur quam tam indigne. Clausula haec evadet: — — — —. Postquam tibi(i)tama tibi tam legi coeptum est, ligne in longe correctum esse videtur. Voce malignitatis utitur Seneca in Epist. 52, 6.

Epist. 48, 4: in utram ire partem iubes? illi homo pro amico est, huic amicus non est pro homine. ille amicum sibi parat, hic se amico. Quid dixerint ultima verba, mihi non liquet: nam hic se amico parat sensu omnino caret, neque parat amicum si subaudias, lumen accendas in his tenebris. Relege sententias, animadvertite quam arte inter se singula respondeant membra et levi emendatione haud scio an utaris: hic se non amico. Cum vero haec verba neque satis auribus placeant ita emendata neque origo huius lectionis vitatae appareat, aliter ad scopum pervenire conatus tum. Tum denique ut clausula evadet optima, ita sensus luculenter verbis reddetur aptissimis, si mecum foceris legente: ille amicum sibi parat, separat hic se amico — — — —; amico ablativus fuerit, sin minus conferre iuvat ea Epistula 72, 1: mihi abduco.

Ib. 8: hic cum quo ludis, timet: succurre, quidquid laque + ti res pendentium penis. Ita Hense: p habet quidquid la quetires

*pondentium*, P quoque exhibet: *tirespondentium poenis*. A *pond-*, non a *pend* proficiscamur: non enim est, cur *pend-* in *pond-* mutatum sit. Propono: *succurre, quidquid delinquent, despondentium poenis* (Dat.), hoc est: semper et ubique desperatis iam hominibus poenam daturis auxiliandum est; animum enim despondebunt poenarumque modum ultro excedent; delicta ac culpa dumtanat in istis rationem habere noli. Clausulae *despondentium poenis* 𐀓𐀓𐀓𐀓 optima est; iam ea de causa reiicienda est Buecheleri coniectura: *quidquid laqueist timore pendenti rumpens*. Quod ad *despondendi* verbum attinet absolute et per se positum, v. Serv. Dan. Aen. I, 92: *ne . . . timidiores despondeant*, Carm. Epigr. (Buech.) 95, 7: *ut animo desponderet solus relictus spoliatus senex*.

Ib. 9: *dic, quid natura necessarium fecerit, quid supervacuum, quam faciles † posuerit, quam iucunda sit vita, quam expedita illas sequentibus*. Quia Seneca ut Stoicus naturam sequitur ipsam, nihil obstat quin legamus *illam sequentibus*, sed necessarium hoc est mimime. Vetus iam est coniectura hoc loco: *faciles <leges> posuerit*. Hoc ponendi verbum (quod ad verbum pono v. Epist. 49, 3: *in quam angusto quodam quot gradus posuit!*) licet Cicero cum *legum* substantivo coniunxerit, tamen clausula vetat nostro loco accipi *leges posuerit* 𐀓𐀓𐀓𐀓, praesertim cum aliae sententiae semper fere ita finiantur 𐀓𐀓𐀓𐀓 ant 𐀓𐀓𐀓𐀓 una alterave soluta syllaba. Neque magis placet *quam vias faciles posuerit — sequentibus illas* (sc. *vias*), nec *faciles modos posuerit — sequentibus illam* (𐀓𐀓𐀓𐀓𐀓). Legendum suspicor: *quam simplices facies posuerit*, (𐀓𐀓𐀓𐀓𐀓𐀓𐀓) sive *mavis: quam facies simplices* 𐀓𐀓𐀓𐀓𐀓𐀓𐀓, ut clausulam totam observemus. Pergit enim Seneca: *quam acerba et implicata* (sc. *vita*) *eorum, qui opinioni plus quam naturae* (v. supra *illam sequentibus*) *crediderunt*, et in fine epistulae ita in brevius contrahit: *aperta decent et simplicia bonitatem*, v. etiam § 12 *simplex: implicari*. Haud scio an codex p genuinae lectionis vestigium servaverit: *quam felices posuerit*; equidem potius crediderim et hanc iam esse coniecturam. Pluralem vocis *facies* Seneca tribus in Epistulis locis adhibuit (in Quaestionibus Naturalibus saepissime), qui loci etiam alia de causa

huc pertinent: nam ibi quoque *facies* dictum est de rebus, quae cogitatione tantummodo, attinguntur, oculis vero non patent, Epist. 66, 7: *talis animus virtus est. haec eius est facies*; plurali numero habes Epist. 90, 28: (totum locum ipse relegas velim, quia universus eius tenor huc cum maxime spectat) — *mundus ipse reseratur, cuius vera simulacra verasque facies* (v. epist. 65, 19 *faciem diviserit*) *cernendas mentibus protulit*; imprimis Epist. 122, 17: *non debes admirari, si tantas invenies vitiorum proprietates: varia sunt, innumerabiles habent facies, comprehendi eorum genera non possunt. simplex recti cura est, multiplex pravi, et quantumvis novas declinationes capit. idem moribus evenit: naturam sequentibus faciles sunt, soluti sunt* eqs. Nostro loco *faciles* contaminatum est ex *simplices* et *facies*.

Epist. 49, 4: *hoc 'modo' aetatis nostrae bona portio est cuius brevitatem aliquando futuram cogitemus. Quid erit breve? nempe aetas vitae nostra. Ne tamen corrigas: cuius brevitatem futurae aliquando cogitemus, dissuadet verborum ordo. Fieri si possit, ante cogitemus (┐┐┐) huius formae verbum ┐┐ collocari debeat; quae cum ita sint, ut clausulae, ita sensui mihi videntur optime se accommodare: cuius brevitatem aliquando defuturam auguramus (sive auguremus) (┐┐┐┐┐┐), sicut Tacitus dicit (Germ. 3): *futurae pugnae fortunam.... augurantur*. Seneca participium futuri *defuturus* frequenter adhibet e. g. de tranq. an. 1, 6: *placet cibus.... ubilibet non defuturus*. Denique *aetatis — brevitatem — defuturam* per enallagae figuram idem valet atque *aetatis aliquando defuturam brevitatem* vel *vitam ob brevitatem defuturam*. Clausulae si hoc loco minus auscultare volueris attente, *cogitemus* in textu licet retinere (┐┐┐(┐)┐┐┐┐). Lucr. 3, 454 ad locum nostrum proxime accedit: *omnia deficiunt atque uno tempore desunt* (cf. *nox defecit* Sen. Epist. 59, 17).*

Epist. 49, 10: *exhortare adversus difficilia, † de aequanimitate adversus inevitabilia*; suspicor Senecam scripsisse: *ad aequanimitatem adversus inevitabilia. liuaequan-* ut *-lia* de a librario intellectum est, ita ut postea primas litteras vocabuli *aequani-*

*mitatem* repeteret et ablativum poneret, quo integram restauraret sententiam.

Epist. 50, 9: *quia hoc proprium inbecillae mentis atque aegrae est. atque aegre* additum esse propter clausulam nemo non videt; sequitur ut *inbecillae mentis est*  $\_ \_ \_ \_ \_ \_$  scribenti minus placuerit, Quae scripsit, hanc efficiunt formam  $\_ \_ \_ \_ \_ \_$  sive potius id quod in aliis vocabulis, forsitan et in verbi *esse* formis brevissimis, fieri credo *aegrae e-* =  $\_ \_ \_ \_ \_ \_$ . Quod accentus vocis per se positae et ictus clausulae in priorae clausula non congruissent, magis etiam ut eam respiceret movit Senecam.

Epist. 51, 1: *Quomodo quisque potest, mi Lucili: tuistic habes Aetnam † et illuc ac nobilissimum Siciliae montem . . . . : nos utcumque possumus, contenti sumus Bais, quas postero die quam adtigeram reliqui, locum ob hoc devitandum, cum habeat quasdam naturales dotes, quia illum sibi celebrandum luxuria desumpsit.* Cum in eadem epistula bis de talibus locis adiectivo utitur *editus* (§ 1: *non tantum edita, 11 ex edito*) sunt qui coniecerint *editum ac*; nimis hoc languet. Brakman — collata alia epistula, ni omnia me fallunt (79, 10): *Aetna . . . hoc excelsum cacumen et conspicuum per vasti maris spatia*, cf. § 2 ib. — Senecae tribuit *excelsum ac nobilissimum*. Haud negaverim ipsam montis altitudinem (3313 m.) imprimis semper spectatoris movisse oculos et in se quasi traxisse; hic tamen ante omnia Senecam id puto declarasse, quare tam sibi quam Lucilio Aetna Bais praefenda esse videretur: illic omnia „*placida composita quiete*” erant, hominumque luxuria, qui tunc erant, nondum locum illum ut Baias reddebant celebrem atque infestum, vere nobilis ibi erat temporum memoria. Senecam singulis verbis utrumque locum inter se opposuisse haud est obliviscendum. Itaque conieceris: *Aetnam aeternum* (cf. Epist. 58, 24 *mundus . . . aeterna res*, 70, 14) *illum ac nobilissimum* eqs. Attamen locis qui infra sequuntur allatis haud ita longe a scopo mihi videor aberrare vobis proponens ex litteris *aetnametillucnob.* hanc solutionem: *Aetnam tranquillum ac nobilissimum* (opp. *celeber . . . locus devitandus propter luxuriam*). Cum *-tnam tran-*haplographia mutilatum esset et *lūac* in *luc* abiisset, ex reliquis

litteris (*et*) *illuc* natum est. Seneca ipse de locorum natura loquens *tranquillus* utitur: Epist. 85, 34: *tranquillo enim . . . quilibet gubernator est*, Troad. 200: *immoti iacent tranquilla pelagi . . . placidumque fluctu murmurat leni mare*; etiam Plinius calculum adicit Epist. 3, 20, 4: *omnia disposita moderata tranquilla, maiestatem loci pudoremque retinebant* v. Plaut. Epid. 444: *non repperisti, adulescens, tranquillum locum, ubi tuas virtutes explices ut postulas*. Imprimis vide, quae scripsit noster in Epist. 55, 8 (cf. § 2): *sed non multum ad tranquillitatem locus confert*.

Epist. 52, 5: *puta enim duo aedificia excitata esse, ambo † disparia, aequae excelsa atque magnifica*. Bücheler coniecit: *ab imo disparia*. At hoc loco sententia *paria* postulat, non *disparia*. Paulisper cogitavi de glossa quadam apud Festum servata: *ambo dis-* Paul. ex Fest. 16 M., 15 Linds.: *ambrices regulae, quae transversae asseribus et tegulis interponuntur*, Corp. Gloss. V, 435, 18: *abices lateres vel summitates laterum*; sed ad *ambrices paria*, licet saepe Seneca in Epistulis utatur vocabulis aliunde ignotis (e. g. Epist. 51, 12: *in mica Catonis*, ib. 13: Φιλῆτζε) nimis audax fuerit coniectura. Suspicio ita Senecam scripsisse: *duo aedificia excitata esse, ambitu paria, aequae excelsa, aequae magnifica*. Quod ad vocabulum *ambitus*, v. Cic. top. 24: *id solum esse ambitus aedium, quod parietis communis tegendi causa tectum proiceretur*, Paul. ex Fest. 5: *ambitus proprie dicitur circuitus aedificiorum patens in latitudinem pedes duos et semissem, in longitudinem idem, quod aedificium*, Curt. 5, 1, 31: *arcem . . . ambitu XX stadia complexam*. De voce *ambitus* etiam Horning Zs. rom. Ph. 29, 513 et nuper 38, 531.

Ib. 5: *alterum fundamenta lassarunt in mollem et fluidam humum missa*; codd. habent *lassabunt*. Verbum *lassandi* hoc loco nihil est, nam *alterum* est aedificium, non alterum hominem. Credo Senecam scripsisse *laxabunt* Futuri tempore hic quoque usum, quo et alibi saepe in comparationibus atque imaginibus uti solet. Eodem fere sensu dicit. Epist. 88, 35: *laxum spatium res magna desiderat*; *laxus* non *latus* significat sed cedens, indulgens, numquam resistens, cf. Vell. II, 81, 3: *quo laxior feret ipsius* (sc. domus); locus notissimus

Vergilii haec habet (Aen. I, 122): *laxis laterum compagibus omnes accipiunt inimicum imbrem eqs., v. Ovid. Am. I, 8, 77: surda sit oranti tua ianua, laxa ferenti; verbum eodem sensu adhibitum laxum reddere, solvere habes in Senecae Epistula 67, 13 est apud Vergilium Georg. II 330: Zephyrique tepentibus auris laxant arva sinus. Quod Seneca alibi, Epist. 88, 10 ita scribit: ... cuius patrimonium tabularios lassat ...., nimirum huc non facit (v. etiam 66, 18; 68, 13; 70, 3).*

Ib. 5: *... multumque laboris exhaustum est, dum pervenitur ad solidum: † inveniebo quicquid fecit alterius magna pars et difficilior latet.* Bücheler coniecerat: *intuenti ambo quicquid fecit alter; omitto ad codicum scripturam ista verba parum conformari, multo magis me movet, quod de duobus personis nondum fuit supra sermo, tantummodo de duobus aedificiis. Neque quod Hense in textum recepit, magis commendatur: quicquid fecit <alter>, alterius eqs., nam ab omni parte constat supplendum esse: alterius sc. aedificii. Quodsi tamen hac difficultate non graveris, siquidem in sequentibus quoque Seneca (§ 6) hominem = aedificantem et ingenium = aedificium confundat necnon permisceat, proponere ausim: ... dum pervenitur ad solidum; <idem> (cf. § 5: idem effecisse, § 4 ad eundem finem) invenies ibi: quicquid | fecit <alter patet> (⊥⊥⊥⊥⊥), alterius magna pars et | difficilior latet (⊥⊥⊥⊥⊥).* Haec duo verba tam sono quam significatione inter se opposita latere: *patere* Senecam pellexisse haud facile negaverim. Probandum etiam fuerit: *idem invenietur* collata Epistula 58 (§ 8): *invenietur autem eqs., sed invenies* Epist. 70, 14.

Ib. § 6: *quaedam ingenia facilia, expedita, quaedam manu, quod aiunt, facienda sunt et in fundamentis suis occupata.* Tollendum est [et] et ita interpungendum, ut exemplo demonstrarem sententiam: *... expedita; quaedam, manu quod aiunt facienda, sunt in f. s. o. (⊥⊥⊥⊥⊥).*

Ib. 8: *eum elige adiutorem, quem magis admireris cum videris quam cum audieris.* In dispicienda clausulae ratione locus noster singularem habet vim; namque simulac *cum audieris* hoc modo acceperis ⊥⊥⊥, non solum clausula iacebit, sed male etiam

hoc intellegatur, quomodo post verba opposita *cum videris* his respondere possit vocum coniunctio, in qua *cum* adeo mutilatum a *cum* vocabulo prius enuntiato sane quam abhorreat. Utrumque igitur ut *quam cum audieris* 20130 clausulam efficere credamus, adducimur.

Ib. 9: *numquid aeger laudat medicum secantem?* Seneca hoc dixerat: ut medicus, ita philosophus rem spectare debet, auram popularem eum clamoremque plebeculae captare dedecet; tum sequuntur verba, quae supra scripsi. Nimirum legendum est hoc: *numquid aeger laudat medicum se sectantem?* cod. b habet *sequentem*; hinc quoque elucet *sectantem* inter *secantem* et *sequentem* medium quasi vinculum intercedere. Verbum frequentativum commendatur verbo *captante* in superiore enuntiato obvio.

Ib. 13: *hinc atque illinc philosopha manus auditor intentat et super ipsum caput mirantium turba consistit.* *Manus intentare* est hominum homini male volentium; quodsi infra Seneca philosophiam respiciens artes designat, „*quae propositum habent populo placere*”, verborum tenor atque sententia iam perspicua fit: qui placere studet, eo saepe delabitur invitus, ubi praeter spem non iam placeat, immo vero displiceat; tunc manus ei intentantur, plebes instat adeo ut supra eius caput quodammodo insistat. Lege: *minantium turba*.

Epist. 53, 6: *levis aliquem motiuncula decipit; sed cum crevit et vera febris exarsit etiam duro et perpessicio confessionem excipit; exspectes extorquet*, quod verbum quia statim sequitur, a Seneca non adhibetur. Mirum sit si non hoc voluerit Seneca: *confessio excidit* (sc. *ex ore*, ita ut prodamus quae tacenda sunt). Vitiata lectio *excipit* accusativum pro nominativo genuit.

Ib. 6: *ubi etiam talarium coepit intendere* (sc. podagrae morbus) *et utrosque † dextros pedes fecit, necesse est podagram fateri.* Neque *distortos*, quod Epistula 67, 3: . . . quod . . . *podagra distortus esset* . . ., sola non satis defendit, neque *aegros* probanda sunt. Suspicio legendum esse: *et [utrosque] tetros pedes fecit*; clau-





Ib. 14: *quaedam impetum habent, incedunt, transeunt, quaedam solo adfixa radicibus aluntur, crescunt. Animalia variis modis moventur, plantae non nisi uno modo vivunt et quidem sine motu: aluntur. Unum tantum verbum exspectes! Accedit quod ita optima existit clausula: radicibus aluntur ὀὀὀὀὀ;* cum adiecto vocabulo *crescunt* iam nihil est: neque enim tum clausula bene se habet neque duo membra tribus opposita ullo modo, quod videam, vindicari atque defendi possunt.

Epist. 58, 27: ... *deum... providentem, quemadmodum quae immortalia facere non potuit, quia materia prohibebat, defendat a morte ac ratione vitium corporis vincat. P habet acreatione. Quid hic sibi vult ratio? Conieceris: a morte et moderatione. Melius tamen corrigas: ac curatione vitium corporis vincat, loco collato ex libello De clementia I, 17, 2 ubi de principe agitur: mali medici est desperare ne curet...; luctetur cum vitiis, resistat, aliis morbum suum exprobret, quosdam molli curatione decipiat eqs., ut in nostra epistula § 28 addit: .... quia defenduntur cura regentis. Cf. Epist. 52, 10: tacete, favete, et praebebe vos curationi.*

Ib. 31: postquam indicavit Platonem annos natum octoginta unum decessisse magosque ei sacro repleto numero sacrificasse, addit: *non dubito, quin † parat auset paucos dies ex ista summa et sacrificium remittere. Nempe hoc dicere voluit Seneca: magi eam Platonis diligentiam admirati sint, ipse tales praestigias flocci non fecit Plato; libenter de ipso numero dies aliquot morti daturus vitae dempsisset, quin etiam sacrificium omisisset. Legendum suspicor: quin paratus fuisset. paratauset: parat' fuisset; postquam f litterae t simillima (v. Lindsay, Introduction à la critique des textes latins p. 109) evanuit, uis in au abiit, quod facillime fieri posse nemo ignorat.*

Ib. 34: *paucos longissima senectus ad mortem sine iniuria pertulit, multis iners vita sine usu sui iacuit: quanto deinde crudelius indicas aliquid ex vita perdidisse quam ius finientiae? Pro crudelius, quod Hense in textum recepit, Madivg lerius coniecit, utilius Gertz. Neutrum placet, neque magis*

*crudelius. Lege prudentius (ētius: elius, v. Lindsay ll. 111) et iam omnia optime quadrant.*

Epist. 59, 5: *multi sunt, qui ad id, quod non proposuerant scribere, alicuius verbi placentis decore vocentur*; decor, non decus vocabulum hoc loco adhibetur. Quod ad clausulam attinet, si per decus (cf. epist. 66, 8: *decorat*) „scandes” numeros, iam nihil omnino est:  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{O}}\underline{\text{O}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$ . In *placē/tis decore vocentur*  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}$  quarta syllaba longa esse debet; lege igitur *decōre evocentur*, quod iam Schweighäuser proposuit quodque in textum recipere non est quod gravemur. Rectissime hic se habet notio *evocandi*, i. q. *alliciendi* cf. Sen. Epist. 29, 5: *advocabit illas facetias, quae risum evocare lugentibus possunt*, De ira III, 5, 1: *in saecitiam ac violentiam evocet*, cf. III, 8, 3; Quint. I, 1, 20: *praemiis etiam, quae capit illa aetas, evocetur*.

Ib. 12: *Alexander cum iam in India vagaretur et gentes ne finitimas quidem satis notas bello vastaret, in obsidione cuiusdam urbis, <dum> circumit muros et inbecillissima moenium quaerit* eqs. Ita Hense, *dum* addens. Sed eo loco *dum* intercidisse haud facile intellegamus. Quidni Seneca scripsit clausulam quoque respiciens, quae in verbis *in obsidione cuiusdam urbis* plane iacet: *Alexander, cum . . . vastaret, in obsidione cuiusdam <dum> urbis circumit muros et . . . moenium quaerit*  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{L}}$ : hic demum clausula bene subsistit, numquam post *urbis*.

Epist. 59, 1: *scio, inquam, et voluptatem, si ad nostrum album verbum derigimus, rem infamem esse*; ita Hense, codd. *nostram album*, quod rectissime se habet comparato loco ex Epistula 60, 3: *tam insatiabilem nobis natura album dedit* eqs.

Ib. 16: *talos est sapientis animus, qualis mundi super lunam*  $\underline{\text{L}}\underline{\text{O}}\underline{\text{L}}\underline{\text{L}}$ : optimam clausulam, quam destruit Büchelero coniectura *lunam <natura>*. Nihilominus aliquid addatur non cogitatione sed verbis necesse est. Propono: *qualis <lumen> mundi super lunam*.

Ib. 16: *habet ergo et quare velis sapiens esse, si numquam sine gaudio est*. Codices habent nonnulli *ut quare, p esse et sinum quam*, alii *esse quia si numquam*; haec autem quoniam

veterem iam redolent coniecturam, illa vero desperata videntur iustumque sensum non praebent, in lectione cod. p Senecae manum latere suspicor. Propterea legendum mihi videtur, quia in Hensii textu mire displicent vocabula *et et si: habes ergo quare et tu velis sapiens esse, ut sis numquam sine gaudio [est]*, codicum lectionibus *ut et et inter se mutatis*.

Epist. 60, 2: *quousque poscemus aliquid deos ita quasi nondum ipsi alere nos possimus? quamdiu sationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet?* In voce *implebimus* haereo: *fatigabimus, exercebimus* aut tale quid exspectes; pro Senecae stilo *implebimus* nimis languet, non enim fieri potest, ut hoc loco *implere* designet, ut assolet, id quod gravidam reddere. In voce tamen *sationibus* nihil esse demutandum mihi persuaserunt glossae nonnullae singularem hunc usum satis superque stabilientes: Loewe Gloss. Nom. 152: *sementis satio vel messis*; Corp. Gloss. Lat. II, 178, 61 *sationes σπόριμz*; V, 242: *sationales agros seminales*. Itaque *satiandi* verbum hic non latet. Neque melius placebit: *sationibus* (Abl.) *nobis implebimus nec sationibus implebimur ... camporum* (propter clausulam!) aut ... *implebunt ... campi*. Nimis audax haud scio an sit: *implorabimus* (v. supra *poscemus*). *Cibo implere* testatur Celsus I, 2, 10 (Marx): *si quis interdium se implevit, post cibum eqs.*, Petron. 16, 1: *ut primum .... nos implevimus cena*.

Epist. 63, 4: *id agamus, ut iucunda nobis amissorum fiat recordatio. nemo libenter ad id redit, quod non sine tormento cogitaturus est. sic et illud fieri necesse est, ut cum aliquo nobis mersu amissorum, quos amavimus, nomen occurrat. sed hic quoque morsus habet suam voluptatem. Codd. sicut aut sic (illud eqs.) habent. Textus ita constitutus sibi non constat; nam sequens sententia *sic et illud* priori tantum abest ut bene se adiungat, ut plane ei repugnet. Omnia optime se habebunt, si ita legetur, vocabulis *sic et sed* inter se mutatis: *sed ut illud .... occurrat, sic hic .... voluptatem*.*

Epist. 65, 3: *statua et materiam habuit, quae pateretur artificem et artificem, qui materiae daret faciem. ergo in statua ma-*

teria [a]es fuit, causa opifex 1011000, velut causa opifex ita scandendum 1000 cf. 12: ex ea, quae faciet 1011000 (aut per synaeresin legendum?). Apparet igitur vocabulum artificem, quod exspectes, minus bonam effecturam fuisse clausulam 1011000. Ictus in brevem cadens syllabam (opificem) facilius negligi poterat quam in longam (artificem). Idem invenies: secunda opifex (§ 4): secunda causa artifex est (§ 5) 1011000.

Ib. 15: ego quidem † peiora illa ago ac tracto, quibus paratur animus. Varia varii coniecerunt, ut peiora in contrarium verterent. Ita Seneca cogitatione hoc loco distinguit: ut animus praestat corpori, ita eiusdem animi bona delertatio ac studium praeferranda esse videtur malae. Atqui si paulo infra (§ 24) ita sermocinatur: quod est illic materia, id in nobis corpus est: serviant ergo deteriora melioribus, hic proponere non dubito: equidem meliora illa eqs. Haplographia iterata credo exstitisse ex -m meliora eiora, quod emendatum et suppletum est ita ut evaderet peiora. Haec duo inter se opposita alibi quoque invenies: e. g. Epist. 66, 15: nec peiorem (sc. virtutem) facit dura ac difficilis (sc. materia), nec meliorem hilaris ac laeta.

Epist. 66, 29: quod si par omnium virtutum natura est, tria genera bonorum in aequo sunt. Tria genera? Parum explicite de tribus generibus loquitur, ita tamen ut tertium non eo ipso nomine designet, in huius epistulae § 36 sqq.; tria genera distinguit initio (§ 5), at per aliquot paginas de tali divisione nullus omnino sermo fuit. Nihilominus dubium non est, quin Seneca revera hoc loco primam distinctionem respexerit (§ 5) neque coniectura opus sit huiusmodi: si par omnium virtutum natura est, <terrest>ria genera eqs., coll. Ciceronis loco (Nat. deor. II, 30, 75): tertius est locus, qui ducitur ex admiratione rerum caelestium atque terrestrium.

Ib. 30: quisquis haec imparia iudicat, ab ipsis virtutibus avertit oculos et exteriora circumspicit: bona vera idem pendent, idem patent. Recte comparatur epistula 93, in qua legitur (§ 4): hoc agamus, ut . . . vita non multum pateat, sed multum pendeat. Unde hoc dicitur? In libra bilance ubi iusto ordine

pondera componebantur (v. Rich sv. pondus), certa res dinumerata ea pondera pendere dicebatur; quod in eadem lance a ponderibus vacuum relinquebatur spatium, id patebat aut res ipsa id ponderis patebat, ut Romani locuti sunt; hoc est: accusativus talis per analogiam demum ex contrario pendere aliquid ortus est. Optime se huic interpretationi accommodat locus supra ex Epist. 93 allatus.

Epist. 68, 11: *ille me gratia forensi longe antecedit, ille stipendiis militaribus et quaesitu per hoc dignitate, ille clientium turba; est tanti ab omnibus vinci, dum a me fortuna vincatur. † cui in turba par esse non possum, plus habet gratiae.* Ita Hense; quod coniecit: *illi . . . turbā par esse non possum* aequalitatem atque ordinem disturbat, quapropter vix est probandum. Litterae *tiunturba* et *cuinturba* inter se nimis esse similia nemo negabit. Itaque propono: *ille clientium turba; par esse non possum* (┐┐┐┐┐), *plus habent gratiae* (┐┐┐┐┐); *est tanti ab omnibus vinci, dum a me fortuna vincatur* (┐┐┐┐┐)?

Ib. 14: *hoc est huius boni tempus* (sc. senectus): *quisquis senex ad sapientiam pervenit, annis pervenit.* Neque satis est perspicuum vocabulum *annis*, neque iustam efficit clausulam (*sapientiam pervenit* ┐┐┐┐┐; itaque *annis pervenit*) = ┐┐┐┐┐. Quod ut restituas, verborum suo anno consul e.a. memor, hic addas licet numero plurali: *annis suis pervenit* ┐┐┐┐┐. Nempe de provectoris aetatis annis, non de anno uno hoc loco agitur.

Epist. 69, 1: *ut animum possis continere, primum corporis tui fugam siste.* Haereo in voce *tui*; licet enim posterioris latinitatis apud Senecam hoc quoque plus semel deprehendatur vestigium, quod pronomem possessivum ibi quoque adhibetur, ubi eodem modo quo in linguis romaniceis omni caret emphasi, tamen oppositum vocabulo *animum* per se posito molestum sane est. Legendum suspicor clausula integra: *corporis istam* (aut *istius*?) *fugam siste* (┐┐┐┐┐). Postquam ex *risistam risitam* ortum est, per coniecturam nostra extitit lectio: *-ris tui*. Aliter *sua morte* vel *suo die mori* Epist. 69, 6. De usu pronominum possessivorum omni carentium accentu Schmalz Syntax<sup>4</sup> 671.

Ib. 4: *ambitio purpuram et plausum et ex hoc potentiam et quicquid <potest> potentia*. Ita Hense; mitto, quod *potentia potest* etiam pro Senecae acumine nimis mihi videtur esse argutum, immo quodammodo balbum; magis huc facit, quod eo modo nullam habemus clausulam: \_ \_ \_ \_ \_ . Trochaeum ter ponere Seneca cum maxime evitat atque veretur. Inter *quicquid* et *potentia* vocabulum inserere, ita ut iusti existant numeri, nullo modo fieri potest. In ultima sententia remedium quaerendum est. Quidni dixit Seneca: *et quicquid potentia ostentat (vel ostendit) \_ \_ \_ \_ \_*?

Ib. 5: *vix effici ... potest, ut vitia tam longa licentia tumida subigantur et iugum accipiant, nedum si tam breve tempus intervallis caedimus \_ \_ \_ \_ \_* . Quominus ita legamus, èt clausula obstat èt codices, qui omnes habent: *intervallum discedimus* vel *discidimus*. Saepe iam animadverterunt viri docti in monumentis inferioris latinitatis necnon postea medii aevi saeculis persaepe confundi *de-* et *dis-cendo*, *-cedo*, *-scindo* et eorum temporis perfecti formae; videas e.g. Diehl *Vulgär. lat. Inschr.* 1204, Löfstedt *Eranos* 13, 72 sqq., cf. Engelbrecht *Wien. Stud.* 20, 296; quod ad *decidere* pertinet Löfstedt *Komm. Aeth.* 273, Sjögren *Eranos* 13, 141; primum exemplum invenies in *Actis Fratr. Arv.* 218, 29 die mensis Mai: *adscenderunt: desciderunt* (= *-scend-*)! Omnes solventur difficultates, simulac legas: *nedum, si tam breve tempus <in> intervalla discidimus \_ \_ \_ \_ \_* . *Intervallum* non iam ipsum temporis discrimen significat, sed iamiam indicat quodlibet temporis spatium duobus terminis circumscriptum, v. Seneca *Epist.* 70, 1.

*Ep.* 70, 5: *sed cum primum illi coepit suspecta esse fortuna, diligenter circumspicit, numquid † illo desinendum sit*. Ita Hense. *Numquid* idem valet quod *num*, id quod posterius iam redolet saeculum, v. Schmalz *Synt.*<sup>4</sup> 518. Si animadverteris, quantopere hoc *circumspiciendi* verbo imaginis loco adhibito gaudeat Seneca, forsitan in talem incidere coniecturam: *illo <loco> desinendum*. Sed levius se commendat remedium scribenti: *numquid illic desinendum sit*. Frequenter *illic* adverbium adhibere Senecam omnibus notum est.

Ib. 16: *nemo nostrum cogitat quandoque sibi ex hoc domicilio exeundum: sic veteres inquilinos indulgentia loci et consuetudo etiam inter iniurias detinet*. Mire dictum est *indulgentia loci*; longe enim aliter Vergilius loquitur (Georg. II, 345): *si non... exciperet caeli indulgentia terras*, quocum conferas Lucretium (I 805) *tempestas indulget tempore fausto; indulgentia caeli etiam Plinius habet H. N. 17, 2, 16; 18, 21, 186*. Haud scio an scripserit auctor: *inquilinos diligentia loci*, i. e. observantia amore mixta. Seneca ipse dixit Nat. Quaest. VI, 12, 1: *Archelaus antiquitatis diligens ait ita*, v. etiam Paneg. II, 17, 2 (W. Baehr.): *amicorum fuisse quam sui diligentiores putemus*. Postea in ipsam amoris significationem transit, v. Paneg. III, 24, 7: *anxia est fidelium diligentia. Maximo amori maximus timor iunctus est*. Proxime accedit locus in Senecae Epistula 121, 20: *nec unquam obliviscuntur huius tutelae et diligentiae*.

Ib. 28: *eadem illa ratio monet, ut, si licet, moriaris <quemadmodum placet: si minus>, quemadmodum potes et quicquid obvenit, ad vim adferendam tibi invadas*. Ita Hense textum constituit, sed (*alqd*) *invadere ad aliquid faciendum* vix latine dictum aestimo. Praeterea locus allatus ab Hensio ex Epistula 85, 40 hanc figuram praebet: *si licebit, A, si minus B; si poterit C, si minus D*; huc ergo non facit, ubi talem deprehendamus ordinem secundum Hensium: *si licet, A, <quemadmodum placet>, si minus, A, quemadmodum potes*; accedit quod illa coniectura totam sententiam mihi turbare videtur, nam verba *et quicquid* eqs. appendicis modo adhaerentia necnon velut aliunde petita nimis languent: omnem cogitationi adimunt vigorem. Legendum igitur esse suspicor haec fere: *ratio monet, ut si licet, moriaris quemadmodum potes et, quicquid obvenit, <viam> ad vim adferendam tibi invadas* (┐┐┐┐). *Viam invadere* persaepe usitatur et solitus verborum ordo est, cf. Verg. Aen. II, 731; VI, 260.

## AD SOPHOCLES ANTIGONAM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

Vs. 2 sq.: ἄρ' οἴσθ' ὅτι Ζεὺς τῶν ἀπ' Οἰδίου κακῶν  
ὅποιον οὐχὶ νῦν ἔτι ζῶσιν τελεῖ;

In his versibus nihil sanae rationi grammaticae officere videtur, nisi quod ὅποιον legitur ubi ποῖον exspectamus. Mendum sanare possumus scribendo τὸ ποῖον aut ποῖόν τι. Cf. Oed. Col. 1414 sq.:

Πολύνεικες, ἰκετεύω σε πεισθῆναι τί μοι.  
— ὦ Φιλτάτη, τὸ ποῖον, Ἀντιγόνη; λέγε.

Aesch. Prom. 248 sq.:

θητούς γ' ἔπαυσα μὴ προδέρκεσθαι μόρον.  
— τὸ ποῖον εὐρῶν τῆσδε Φάρμακον νόσου;

Soph. Ant. 42 ποῖόν τι κινδύνευμα;

Oed. Col. 1163 ποῖόν τιν' ;

Hiatus post τί, quamvis legitimus, saepe grammaticis posterioris aevi displicuit et ad tradita verba immutanda ansam dedit. Notandum quoque vs. 5 pronomen relativum ὅποιον legi item particulae negativae praecedens: ὅποιον οὐ

τῶν σῶν τε κακῶν οὐκ ὅπωπ' ἐγὼ κακῶν.

Vs. 4. Suspicor Sophoclem ἄτης ἄτερ, *noxia vacans*, abusive dixisse id quod immeritum sive indignum sive, ut cum scriptoribus latinis aetatis argenteae loquar, *innocentum* est.

Vs. 23 sqq: Ἐτεοκλῆς μὲν, ὡς λέγουσι, σὺν δίκῃ  
χρησθεὶς δικκίᾳ καὶ νόμῳ κατὰ χθονός  
ἔκρυψε...



Verba σὺν δίκη χρησθεῖς δικαία καὶ νόμῳ, quae nunc paene omnes corrupta esse arbitrantur, poeta ex quadam vetusta lege de cognatis funerandis delibasse mihi videtur. Non idem valent verba ὡς λέγουσι ac Φασί vs. 27 et 31, sed sequentia ex illa lege verbo tenus translata esse significant <sup>1)</sup>). Χρῆσθαι τῇ δίκη καὶ τῷ νόμῳ est locutio usitata <sup>2)</sup>). Participium χρησθεῖς pro χρησάμενος alibi apud scriptores atticos non legitur, sed nihilominus olim in usum receptum fuisse potest; cf. μνησθεῖς, διαλεχθεῖς, στρατευθεῖς iuxta μνησάμενος, διαλεξάμενος, στρατευσάμενος. Iam quaestio oritur, utrum verba tradita cum Astio interpretanda sint ita: σὺν δίκη δικαία καὶ νόμῳ χρησθεῖς αὐτῷ i. e. Ἐτεοκλεῖ, an potius hoc modo: συγχρησθεῖς δίκη δικαία καὶ νόμῳ. Συγχρησθαι pro χρῆσθαι compluribus locis legitur apud Polybium; quin etiam l. II c. 32 § 7 nonnulli codices habent συγχρησθῆναι, ubi in plerisque est συγχρησθαι. Utroque modo locum interpretaberis, δίκη δικαία pleonasmus erit in antiquissima lege plane tolerabilis <sup>3)</sup>).

Vs. 29 sq.:

οἰωνοῖς γλυκύν  
θησαυρὸν εἰσορῶσι πρὸς χάριν βορᾶς.

Boeckhio obtemperantes verba πρὸς χάριν βορᾶς cum εἰσορῶσι, non cum γλυκύν nos coniungere oportet. Cf. Evang. Matth. V, 28: πᾶς ὁ βλέπων γυναῖκα πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς. . .

Vs. 45 distinguendus est sic:

τὸν γοῦν ἐμόν, καὶ τὸν σὺν ἦν σὺ μὴ θέλῃς  
i. e. κῆν σὺ μὴ θέλῃς τὸν σόν. Haec explicatio in Jebbii commentariis iniuria reicitur. Insolita verborum positio inde nata est, quod poetae verba τὸν σόν acuere et verbis τὸν ἐμόν opponere curae fuit.

Vs. 71. Discrepat inter viros doctos de significatione verborum: ἀλλ' ἴσθ' ὅποιά σοι δοκεῖ. Verto: „sed tu scias, quae

1) Cf. e. g. Theocr. XIV, 51: μῦς, φαντί, Θουώνιχε, γέυμεθα πίσσας.

2) Antiph. V, 87.

3) Thesaurus linguae graecae neque ab eo pendent lexica vocabulum quod est δικαία substantivi loco usurpatum esse perhibent. Iniuria hoc effecisse videntur ex Etym. Magno (p. 24, 48) s. v. Ἀθήνη: Ἀθήνη Ἀθηναία, ὡς δίκη δικαία.

tibi placeant" i. e. fac quod vis. Simplex solutio, sed quam nusquam inveni.

Vs. 74 sq. : ἐπεὶ πλείων χρόνος

ὄν δεῖ μ' ἀρέσκειν τοῖς κάτω τῶν ἐνθάδε.

Ante ἐπεὶ („trouwens") plene distinguendum est. Nam haec non cum praecedentibus:

Φίλη μετ' αὐτοῦ κείσομαι, Φίλου μέτα,

ὄσια πανουργήσασ'

cohaerent, sed cum sententia, quae illis antecedit:

καλὸν μοι τούτο ποιούση θανεῖν.

Vs. 88 a commentatoribus hodiernis non recte explicatur.

Male quoque olim Boeckhius vertit:

„Dein Blick erhitzt sich um ein frostig Wahngesicht"

nec melius Jebb:

„Thou hast a hot heart for chilling deeds".

Contra recte Leeuwenius:

„Steeds onverzettlijk, nog in 't voorportaal des doods".

Nam Antigoniae acerbe locutae:

πολλὸν ἐχθίων ἔση

σιγῶσ', εἰ μὴ πᾶσι κηρύξῃς τὰδε

leni obiurgatione respondet Ismene:

θερμὴν ἐπὶ ψυχροῖσι καρδίαν ἔχεις

i. e. vel nunc in horrendo discrimine pectus tibi fervet, ut semper: „gij houdt in kil gevaar een vurig hart". Cui rursus Antigone:

ἀλλ' οἶδ' ἀρέσκουσ' οἷς μάλισθ' ἀδεῖν με χρή,

i. e. sentio te id quod dixi pupugisse; sed non tibi inprimis placere mihi fas est, sed fratri.

Vs. 94: ἐχθρὰ δὲ τῷ θανόντι προσκείσῃ δίκη.

Inter varias interpretationes commentatorum placet mihi ea quae olim placuit Lehrsio: „utpote mortuo invisā traderis Δίκη", vel potius δίκη, i. e. poenas dabis. Cf. Soph. El. 1040:

εἴρηκας ὀρθῶς, ᾧ σὺ πρόσκεισαι κακῶ.

Eur. frg. 422 κακοῖς γὰρ οὐ σὺ πρόσκεισαι μόνῃ.

Eur. Tro. 185 τῷ πρόσκειμαι δούλα τλάμων;

Προστιθέναι significat tradere his locis:

Eur. Hec. 368 "Αἰδῆ προστιθεῖς ἐμὸν δέμας.

Iph. Aul. 540 πρὶν "Αἰδῆ παῖδ' ἐμὴν προσθῶ λαβῶν.

Suppl. 948 ὅταν δὲ τοῦσδε προσθῶμεν πυρί.

Phoen. 964 σφαγέντα παῖδα προσθεῖναι πόλει.

Cf. προστιθέναι τινὶ γυναικα, tradere alicui uxorem.

Vs. 108 sq.: Φυγάδα πρόδρομον ὄξυτέρῳ  
κινήσασα χαλινῶ.

Nuper legi virum doctissimum O. Schroeder (Sokr. IV, 620) participium quod est κινήσασα germanice interpretatum esse: „wie ein Reittier scharf herumreissend". Quam explicationem, primum, nisi fallor, ab illo prolatam, probare non dubito. Sophocles hoc loco, ut alibi saepius <sup>1)</sup>, brachylogia usus esse videtur; dicendum enim erat: hiece dies hostem inhiuit et retro vertit et fugavit <sup>2)</sup>. Dativus instrumentalis χαλινῶ procul dubio ad participium κινήσασα pertinet. Frenis autem utuntur equites non solum ut cursum equorum inhibeant, sed etiam ut eos habenis concussis ad maiorem velocitatem instigent. Cuius usus exemplum exstat Eur. Iph. Aul. 1516, ubi Blomfieldius e verbis traditis:

πάλιν ἐξορμάσεις τοὺς χαλινούς

veram lectionem elicit:

πάλιν ἐξόρμα, σεῖτε χαλινούς,

quam Hermannus latine reddidit hoc modo: „averte retro eos, qui Iphigeniam adducent, et instiga loris concussis equos, ut quam celerrime Mycenae veniatis".

Haec igitur satis perspicua sunt: iam aggredior ad quaestiuunculam, quam tractare mihi in animo est, de adiectivo, quod substantivo χαλινῶ adiectum est. In scholiis et in codice Parisino 2884, qui non magni pretii est, legitur ὄξυτέρῳ. Χαλινὸς ὄξύς, cum sciamus frena Graecorum lupata fuisse, accipiendus est pro freno acuto. Nam frenum celere absurde dictum esset. Versus certe Schilleri poetae:

„hielt meines Lebens raschen Zügel an"

1) Cf. Soph. Ai. 675 sq. δεινῶν τ' ἄημα πνευμάτων ἐκοίμισεν  
στένοντα πόντον.

2) Cf. Eur. Phoen. 76 φυγάδα δ' ἀπαθεῖ τῆσδε Πολυνεϊκῆν χθονός.

cum hoc nostro non comparandus est <sup>1)</sup>), quandoquidem illic mera enallage est. Sed quid tandem sibi vult comparativus *ἄξιότερον*? Mea sententia plane sensu cassus est. Quapropter lectionem optimi codicis Laurentiani et Parisini 2712 *ἄξιότερον*, quae nunc spernitur, longe praestare arbitror. Adiectivum *ἄξιότερος ἅπασι λεγόμενον* est, sed *πολυτόρος, διατόρος, εὐτόρος* simillima sunt. Reputandum quoque *ἄξιότερον* facile in *ἄξιότερον* corrumpi potuisse, non vero usitatum *ἄξιότερον* in rarissimum *ἄξιότερον*.

Vs. 110 sqq.: *ὃν ἐφ' ἡμετέρῃ γὰρ Πολυνεΐκης*  
*ἀρθείς νεικέων ἐξ ἀμφιλόγων*  
*ὑποῦσεν ἄξιότα κλάζων*  
*αἰετὸς εἰς γᾶν ὡς ὑπερέπτα*  
*λευκῆς χιόνης πτέρυγι στεγανός*  
*πολλῶν μεθ' ὄπλων*  
*ξύν θ' ἰπποκόμοις κορύθισσιν.*

Cum antistropa duobus pedibus anapaestis longior sit, et sententia, cuius subiectum *Πολυνεΐκης*, obiectum *ὃν* est, verbo suo careat, luce clarius est initio vs. 112 lacunam esse duorum anapaestorum vel dactylorum. Atqui verbum illud, quod iam in archetypo omnium codicum exciderat, scholiastes adhuc legebat; scribit enim: *ὄντινα στρατὸν Ἀργείων ἐξ ἀμφιλόγων νεικέων ἀρθείς ἤγαγεν ὁ Πολυνεΐκης*. Superest igitur ut alter pes ex coniectura compleatur. Quod ut efficiant, vulgo substantivum vel pronomen aliquod eligunt, quod subiecti verbi *ὑπερέπτα* vice fungatur. Scribunt exempli gratia *ἤγαγεν· ἐχθρὸς δ' Nauckius, ὄρσεν· κείνος δ' Martin, ἤγαγε, κείνος δ' Bellermann*. Sed *ὑπερέπτα* non subiecto eget (nam de milite Argivo coryphaeum loqui pergere apertum est), sed potius obiecto; quod neminem adhuc animadvertisse demiror. Quod si iam quaeres, *quid* Argivorum exercitus aquilae instar transvolarit, ut in Thebanam planitiem perveniret, non „fines Boeotiae” ieiune respondebis, sed „montes”, sed „Cithaeronem”, qui hostibus, quicumque sive ex Attica sive trans Isthmum in Boeotiam invadere cupiebant, pro ingentibus claustris obiectus erat.

1) V. Soph. Antig. ed. Bellermann.

Carmina epica quoque de expeditione septem ducum adversus Thebas transitum Cithaeronis memorabant; cf. Apoll. bibl. III, 67: ὡς δ' ἦλθον εἰς τὸν Κιθαιρῶνα... Itaque Sophoclem initio vs. 112: ἤγαγεν, οὐραε δ' vel tale quid <sup>1)</sup> scripsisse suspicor. Quod si verum sit, rursus inde aliud quid sequatur. Vs. 114 enim verba λευκῆς χιόνης πτέρυγι στεγανός accipiunt viri docti pro circumlocutione adiectivi λεύκασπις, quo vs. 106 miles Argivus ornatur. Vetus quaestio est, quid significet epitheton λεύκασπις, quod etiam Aeschylus <sup>2)</sup> et Euripides <sup>3)</sup> Argivis tribuunt. Alii enim, inter quos Jebbiius est, clipeos eorum albo colore pictos, alii tantum politos, ut splenderent, fuisse putant. His ego adstipulor, cum et mirus mos esset clipeos aeneos albo colore oblinere, et vas aeneum ignem nondum expertum graece dicatur λέβης λευκός <sup>4)</sup> et arma polire λευκοῦν τὰ ὄπλα <sup>5)</sup>. Atque persuasum habeo poetas propterea epitheton λεύκασπις Argivis tribuisse, quod clipei Argolici omnium optimi habebantur <sup>6)</sup>. Potest autem miles splendido clipeo armatus a poeta dici *ala nivis candidae contactus*? Nonne et comparatio cum nivis candore mirationem facit et insolitus, ne dicam soloecus, casus genitivi usus et prava metaphora vocis πτέρυξ? Legitur sane apud Hesychium πτέρυξ· σκέπη, sed tamen quodlibet tegumentum per translationem alam a poetis dici potuisse quis credat? Non possum quin coniciam Sophoclem non milites Argivos, sed iuga Cithaeronis, quae illi transierant, dixisse λευκῆς χιόνης πτέρυγι στεγανά, candidae nivis pluma conspersa. Cf. Eur. Phoen. 802:

Ἄρτέμιδος χιονοτρόφον ὄμμα Κιθαιρῶνα.

1) E. g. ἤγαγε, δεираάα δ'. Cf. Soph. Ai. 695 sq.: ὦ Πᾶν, Πᾶν, ἀλίπλαγκτε, Κυλλανίας χιονοκτύπου πετραίας ἀπὸ δεираάδος φάνηθ'.

2) Aesch. Sept. 89: ὁ λεύκασπις λαός.

3) Eur. Phoen. 1099: λεύκασπιν εἰσορῶμεν Ἀργείων στρατόν.

4) Hom. II. XXIII, 268.

5) Xen. Hist. Gr. VII, 5, 20: προθύμως μὲν ἐλευκοῦντο οἱ ἵππεῖς τὰ κράνη... πάντες δὲ... ἐλαμπρύνοντο τὰς ἀσπίδας. II, 4, 25: ὄπλα ἐποιούοντο, οἱ μὲν ξύλινα οἱ δὲ οἰσύνα καὶ ταῦτα ἐλευκοῦντο. Hos enim clipeos intus quidem ligneos aut vimineos, sed extrinsecus neratos, ἐπιχάλκουσ, fuisse oportet, ut omnes fere clipei, qui non πάγχυαλοι erant.

6) Poll. I, 149: εὐδόκιμα δὲ θώραξ ἀττικουργῆς κτλ... ἀσπίς Ἀργολική. Cf. Apoll. bibl. II, 24; Verg. Aen. III, 637; Plin. N. H. VII, 202.

Magis inde iam praecellit imago aquilae: superavit hostis montes altissimos, quos solae transvolare solent aquilae <sup>1)</sup>).

Verisimile mihi videtur primum terminationis similitudine factum esse ut *ὄρεα* ante δ' *ἰξέα* excideret, deinde *ἡγαγε* δ' omissum esse, ne metrum claudicaret.

Vs. 124 sqq. Hostes cum iam moenia urbis conscendissent, necopinato fugati sunt:

τοῖος ἀμφὶ νῶτ' ἐτάβη  
πάταγος Ἄρεος ἀντιπάλῳ  
δυσχείρωμα δράκοντι.

De hoc loco non unam ob causam multum diuque disputatum est.

Primum enim cum alii tum Herwerdenus summo iure dixerunt *χείρωμα* esse vocabulum graecum, sed non *δυσχείρωμα*: hoc enim derivatum esse oportere a verbo *δυσχειροῦν*, cuius structura indoli graecae linguae repugnaret. Blaydesium, qui scribere nos iussit *δυσχείρωτα* (vocem graecam, si quae alia, sicut et *εὐχείρωτος* et *ἀχείρωτος*), hic in veram emendationem incidisse censeo. Quin etiam scholiastes, qui adnotavit: τὸ δὲ ἀντιπάλῳ δράκοντι ἀντὶ τοῦ ὑπὸ τοῦ ἀντιπάλου δράκοντος ὡς Ἀχιλῆϊ δαμασθεῖς, fortasse adhuc adiectivum verbale *δυσχείρωτα* legisse mihi videtur. Forsitan vox *στεφάνωμα* in vs. 122 effecerit, ut *δυσχείρωτα* in *δυσχείρωμα* corrumperetur.

Deinde verba *ἀμφὶ νῶτ'* cum omnes significare putent: a *tergo* (*hostium*), in difficultatem inextricabilem delabuntur. Pars commentatorum contendunt hostes prius in fugam conversos esse, deinde Thebanos eos a tergo invasisse. Sed haec opinio per grammaticam defendi non potest, nam sententia, quae a *τοῖος ... πάταγος Ἄρεος* incipit, manifeste exhibetur *causa* earum rerum, de quibus in praecedentibus sermo fuit <sup>2)</sup>). Alii, Wexium dico et Corsseium, Thebanos, dum oppugnarentur, repente ex urbe egressos hostem a tergo circumvenisse credunt itaque eum coegisse ut cederet. Sed hoc nusquam narratur

1) Cf. Plin. N. H. X, 78: „perdices non transvolant Boeotiae fines in Attica”: Perdices in Graecia loca montana frequentant.

2) Cf. Soph. Oed. R. 1306; Ai. 251, 927.

neque cum vulgari fabula, quam Sophocles quoque sequitur, ullo modo concinit. Semper enim fulmen Capaneo iniectum duces Argivos terruisse dicitur, ut signum receptui darent; neque aliter ipse Sophocles vs. 127 sq. res narravit. Inde fit ut nonnulli verba ἀμφὶ νῶτ' corrupta esse existimaverint. Mihi vero non vitiose tradita, sed non bene intellecta esse videntur: nusquam enim, quod sciam ἀμφὶ νῶτα significat *a tergo*. Herodotus <sup>1)</sup> certe et Thucydides <sup>2)</sup> eo sensu semper scribunt κατὰ νῶτου. Ἀμφὶ νῶτα duobus aliis locis apud tragicos legitur, sed proprio sensu:

Eur. El. 477 κελαινὰ δ' ἀμφὶ νῶτ' (equorum) ἴετο κόνις.

Soph. El. 718 ὁμοῦ γὰρ ἀμφὶ νῶτα (aurigae) καὶ τροχῶν βάσεις ἤφριζον, εἰσέβαλλον ἵππικαὶ πνοαί.

(Cf. Rhes. 208 λύκειον ἀμφὶ νῶτον ἄψομι δοράν.)

Eodem modo, si quid video, nostro loco voce νῶτα designantur terga τοῦ δράκοντος. Serpentium cum utpote humi repentium paene nihil nisi terga conspiciantur, non est mirum νῶτα pro corporibus apud poetas identidem commemorari. Ex Iliade notus est δράκων ἐπὶ νῶτα δαφεινός <sup>3)</sup>, ποικιλόνωτοι dicuntur serpentes apud Pindarum et Euripidem, in Nicandri Theriacis compluribus locis de tergis serpentium sermo est. Cf. quoque Verg. Aen. II, 208: immensa volumine terga; 218 sq.: squamea terga.

Postremo ambigitur, quinam exercitus hic δράκων ἀντίπλος dicatur. Thebanum plerique affirmant, quod Thebani tamquam ex Spartis orti anguigenae, δράκοντογενεῖς, sint, adferuntque Eur. Suppl. 578 sq., ubi praeconi Thebano talia iactanti:

ἔλθ', ὧς σε λόγχῃ σπαρτὸς ἐν πόλει λάβῃ

respondet Theseus:

τίς δ' ἐκ δράκοντος θεῶρος ἂν γένοιτ' Ἄρης;

Pars vero scholiastarum, Bothius, Erfurdlius, alii exercitum Argivum hic δράκοντα ἀντίπλον vocari contendunt. Inter quos Boeckhii iure comparavit Aesch. Sept. vs. 290 sqq., ubi chorus virginum Thebanarum fatetur se advenientes Argivos metuere

1) Herod. I, 9; 10; 75.

2) Thucyd. I, 62; III, 107 sq.; IV, 32 sq.; 36; 111.

3) Hom. Il. II, 308.

ut columbae serpentes. Hi recte dicere mihi videntur, quoniam reliqua pars sententiae hoc requirit. Errant viri docti qui poetam certamen Thebanorum et Argivorum aequiperasse putant pugnae aquilae et serpentis, nam verba *κλειτὸς ὤς* (vs. 113), ut modo ostendi, tantum ad *οὔρεα* .. *ὑπερέπτα* pertinent.

Concludere iam licet. Verba poetae:

*τοῖος ἀμφὶ νῶτ' ἐτάθη*  
*πάταγος Ἄρεος ἀντιπάλῳ*  
*δυσχείρωτα δράκοντι*

hoc significant: „Tantus tumultus serpenti, adversario nostro, exortus est circa terga eius aegre superabilia”. In his per enallagen adiectivum *δυσχείρωτος* a voce *δράκων* ad vocem *νῶτα* traiectum est.

Et in codice Laurentiano et in Parisino A legitur *ἀντιπάλῳ* ... *δράκοντι*, sed in utroque codice his dativis terminationes casus genitivi superscriptae sunt. Scholia tamen lectionem *ἀντιπάλου* ... *δράκοντος* non norunt. Manifestum est genitivum hic constructionem multo leniorem praebere et probabiliorem, sed tamen etiam dativus defendi posse videtur.

Vs. 127 sqq.: *Ζεὺς γὰρ μεγάλης γλώσσης κόμπους*  
*ὑπερεχθλίρει καὶ σφᾶς ἐσιδῶν*  
*πολλῷ βεῦματι προσνισσομένους*  
*χρυσῷ καναχῆς ὑπεροπτίας*  
*παλλῶ ῥίπτει πυρὶ βελβίδων*  
*ἐπ' ἀκρῶν ἤδη*  
*νίκην ὄρμῶντ' ἀλαλάξει.*

Consentiunt omnes vs. 130 corruptum esse, nam metrum claudicat et vocabulum *ὑπεροπτίας* graecum non est. Pro quo hodie vulgo, Vauvillersio auctore, substituunt *ὑπεροπλίαις*, quod sensum praebere tolerabilem non nego. Inest vero in hac stropha etiam altera difficultas. Facile quidem intellegimus de Capaneo loqui poetam, licet is non diserte nominetur; sed si ad grammaticae normam sententiam exiges, animadvertes participium *ὄρμῶντ'* non habere quo referatur. Numquam enim Sophocles nudum *ὄρμῶντα* pro *τὸν ὄρμῶντα* scripsisset. Optime Ellendtius, qui usum articuli apud Sophoclem diligenter indagavit: „participia ea libertate non utuntur, ut in certa re sub-



stantive dicta articulo careant" 1). Quod sentiens G. Hermannus sententiam post ἀλλάξει vs. 133 non finiebat, sed vs. 134:

ἀντιτύπα δ' ἐπὶ γὰρ πέσε τανταλωθείς

parenthesin esse ratus obiectum verbi ῥιπτεῖ (vs. 131) quaerebat in vs. 135:

πυρφόρος ὡς τότε μαινομένα ξὺν ὄρμα  
βακχεύων ἐπέπνει.

Obstat huic solutioni quaestionis intricatissima sententiae structura, maxime vero quod sententia tum distenditur per duas strophas, quarum altera a coryphaeo recitatur, altera a choro canitur. Nonne longe praestat obiectum verbi ῥιπτεῖ, a quo pendeat participium ὄρμώντα, in corrupta quaerere voce ὑπεροπτίαν? Conicio legendum esse: θεῶν ὑπερόπταν. Plane similiter Capaneus apud Aeschylum (Sept. 441) dicitur θεοῦς ἀτίζων. Θεῶν, quod per compendium scribebatur θν, facile excidere potuit 2).

Vs. 145 sqq. legimus Eteoclem et Polnicem invicem se occidisse

καθ' αὐτοῖν

δικρατεῖς λόγχας στήσαντε.

Λόγχην ιστάναι tamen pro λόγχην καθιέναι dici non potest. Quamobrem Bruhnius non male pro στήσαντε proposuit πήλαντε. Sed praestat legere: σείσαντε. Cf. σείειν ἐγχείην, μελίην apud Homerum, et Eur. El. 846: σείοντες βέλη. Sigma cum stau, ει cum η per iotacismum confusa.

(Continuabitur)

1) Lex. Soph. ed. Ellendt<sup>1</sup>, p. 498.

2) Cf. I. C. Vollgraff, Stud. palaeogr. p. 70 sq.

# LUGDUNUM BATAVORUM ET FORUM HADRIANI.

SCRIPSIT

A. W. BIJVANCK.



Qui studio rerum Romanarum patriae nostrae deditus scriptores antiquos pervolutat, non pauca inveniet, quae pertinent ad res militares inde a tempore Caesaris usque ad Vespasianum gestas, aetatis posterioris tamen historiam investigationibus suis ad finem perductis componere non poterit. Admodum exigua enim sunt quae rerum scriptores tradunt, ut fere iam ignoremus, qui status fuerit patriae nostrae imperantibus Traiano Hadriano Antoninis.

Res tamen sive casu sive iustis fossionibus in patria nostra inventae, et rudera aedificiorum vel vestigia tantum in solo relicta et inscriptiones et nummi, nos aliquo modo edocere possunt quae memoriae tradita frustra quaerimus. A rebus inventis enim eruditi scimus incolas patriae nostrae inde ab aetate Traiani et Hadriani magis magisque cultu atque humanitate Romanorum esse captos, ut fere iam Romani dici possint. Villas cognovimus agricolarum; inscriptiones adhuc legimus nautarum, qui Fectione consistebant, qui inter Britanniam Germaniamque navigantes in ostium Scaldis invehebantur, qui in Frisiorum fluminibus conductores erant piscatus; de re militari et de administratione Romana nos aliae eiusmodi inscriptiones certiores faciunt; testes mercaturae in patriae nostrae partibus septentrionalibus, quin etiam in Germania Magna, factae nobis adsunt nummi et ornamenta et vasa aenea fictiliaque.

Hoc modo quidem aliqua ex parte animo effingere possumus, qualis vita atque victus fuerit incolarum patriae nostrae aetate Romana. At litterarum memoria tantum adiuvante e rebus inventis nascitur historia iusta. Quam ob causam omnia quae rerum scriptores tradunt, quamvis levia esse videantur, summa cura sunt investiganda, ut cognoscamus qua ratione res inventas memoriae traditae possimus adiungere atque adnectere.

Operae pretium autem esse videtur denuo agere de locis Romanis, qui prope mare erant inter flumina Rhenum et Mosam. Viri docti quidem nostrates ante annos non multos copiose quaestiones tractaverunt, quae ad loca illa pertinent <sup>1)</sup>. Atque nuperrime excavationes in uno eorum locorum ad finem sunt perductae, quarum eventus divulgati nondum sunt <sup>2)</sup>. Minime tamen expectandum est, dum in lucem proferatur, quid ex fossionibus illis apparuerit, cum memoriae traditae interpretatio accurata investigationem rerum inventarum antecedit necesse sit. Neque interpretationem eiusmodi supervacaneam esse etiam post tot disquisitiones doctissimas ipsa argumentationis meae ratione demonstrare conabor.

#### PTOLEMAEUS.

Initium nobis faciat Ptolemaeus geographus. Libri sui II capite 9 tertiam Galliae partem describit, quae Gallia Belgica dicta duas quoque Germanias complectebatur. Primum Ptolemaeus terminos provinciae constituit, ita ut nos certiores faceret de longitudine et latitudine geographica locorum, quae sita sunt in ora Oceani a Sequana usque ad Rhenum: Itium promuntorium, Gesoriacum Morinorum, os Mosae, Lugdunum Batavorum, tria ostia Rheni. Deinde terminos orientales

1) Conferantur quae scripserunt: P. J. Blok (Leidsch Jaarboekje 1904, p. 1—31); J. H. Holwerda, P. J. Blok, J. Huizinga (Bijdragen voor Vaderlandsche Geschiedenis S. IV 7, 1909); J. H. Holwerda (Berichte der Römisch-Germanischen Kommission IV, 1908, ed. 1910, p. 81—91).

2) Effossiones fecit vir d. J. H. Holwerda non longe a pago *Voorburg* dicto prope villam *Arentsburg*. Vide quae ab ipso prolata sunt in libellis de effossionibus uniuscuiusque anni referentibus (Arentsburg, Vereeniging tot het doen van opgravingen in Nederland. Verslagen 1911—1915). — Vide infra.

et meridionales memorat iuxta Rhenum et Sequanam. Postea Galliae Belgicae propriae quattuordecim civitates enumerat, quarum capita geographice constituit. Sequitur eiusmodi descriptio Germaniarum inferioris et superioris. — In Germania inferiore autem, quoad nunc pars est patriae nostrae, tantum memoratur Batavodurum, ut caput Batavorum. — Denique quattuor civitates Belgicae meridionalis nominantur.

Nunc tantum initium capitis Ptolemaei curamus, descriptionem orae maritimae et mentionem *Lugduni Batavorum*. Significatione autem ea locus satis magni in terra Batavorum momenti indicari videtur. Et E. Kornemann <sup>1)</sup>, vir. cl. etiam de historia Germaniae antiquae optime meritis, suspicatus est *Lugdunum* secundum caput fuisse Batavorum civitatis: Ptolemaeum igitur primum nominavisse Batavos maritimos, quorum caput fuisset *Lugdunum*, deinde Batavos mediterraneos et caput ipsorum Batavodurum. Neque civitates alias ignoramus duobus capitibus ornatas, quales erant Vocontii in provincia Narbonensi <sup>2)</sup>.

Opinio tamen viri cl. nullis argumentis iustis nititur. Paulo enim antea Ptolemaeus oram maritimam describens nominavit Gesoriacum in terra Morinorum. Gesoriacum emporium erat et caput pagi <sup>3)</sup> neque hoc saltem tempore caput civitatis. Postea verum nomine mutato caput erat Bononensium <sup>4)</sup>.

Neque fieri potest, ut *Lugdunum* caput fuerit civitatis, quae civitatis Batavorum pars non erat. *Lugdunum* enim situm erat non longe ab ostio eius partis Rheni, quae usque ad aetatem nostram nomine Rheni conservato prope pagum *Katwijk* in Oceanum defluit. At prope ostium illud non Batavi habitabant sed Canninefates <sup>5)</sup>. *Lugdunum* igitur si caput esset civitatis, minime *Lugdunum* Batavorum dici posset sed *Lugdunum Canninefatium*. Sicut tamen Gesoriaco Morinorum a Ptolemaeo memorato significatur locus in civitate Morinorum situs, *Lugdunum* Batavorum nihil est nisi: *Lugdunum* in civitate Bata-

1) E. Kornemann. *Klio* I (1901), p. 341—342.

2) Plinius. *Nat. hist.* III 37.

3) Vide *Real-Encyclopaedie* s. v. — Plinius. *Nat. hist.* IV 102.

4) *Notitia Galliarum*, ed. Mommsen. *Monumenta Germaniae*, Auct. ant. IX, p. 552.

5) Tacitus. *Historiae* IV 15.

vorum. Quae civitas nominatur et a Ptolemaeo et in inscriptione illa prope Silvam Ducis inventa <sup>1)</sup>. Caput civitatis erat Batavodurum sive Oppidum Batavorum, ut nomen Latine vertebatur, cuius etiam apud Tacitum mentio fit <sup>2)</sup>. Batavodurum antecessit Ulpiam Noviomagum, sicut nomen oppidi erat inde a tempore Traiani. Quod nomen usque ad aetatem nostram urbs conservavit <sup>3)</sup>. Nobis tamen Batavodurum nunc non curantibus ad Lugdunum revertendum est.

Ptolemaeus non multa docet de situ Lugduni. Quae indicia tamen liber ipsius praebet, probare videntur in tabula geographica oram Freti Gallici et Oceani Germanici hoc modo esse delineatam, ut prorsus peteret partes Orientales qui oram illam legeret. Inde a Bononia enim usque ad ostia Mosae Rhenique litus Oceani in eadem latitudine geographica pertineret, quae esset 53° 30'. Qua latitudine invenitur re vera urbs hodierna *Delfzijl* quae dicitur. Bononia tamen, quae nunc est *Boulogne*, latitudine fere 50° 45' iacet, eadem qua est Bonna; et ostium Rheni apud pagum, quem *Katwijk* dicunt nostrates, situm est latitudine fere 52° 10'.

Gallia igitur secundum Ptolemaeum nimis in septentrionales partes erat diducta, patria nostra in spatium perexiguum contracta. Idem vitium autem apud scriptores quoque antiquiores deprehendimus. Iam Caesar enim patriam nostram iusto minorem sibi finxisse videtur. Neque aliam opinionem secutus Strabo a Pyrenaeis usque ad ostia Rheni Galliae oram septentrionalem fuisse perhibet. Qui auctores antiqui Britanniam delineabant, ita ut recta Galliae regione pertineret ad partes orientales. Hoc modo autem Oceanus Germanicus iam dici poterat *Βρεττανικὸς πορθμός* sive fretalis Oceanus <sup>4)</sup>.

Ptolemaeo autem auctore Lugdunum invenitur 15' ad occidentem versus ab ostio, quo Rhenus prope *Katwijk* pagum in mare influit et paulisper ad meridiem vergens a linea orae, in latitudine 53° 20' <sup>5)</sup>. At numeros quos Ptolemaeus praebet,

1) CIL XIII 8771 = A. Riese. Das Rheinische Germanien in den antiken Inschriften (Leipzig, 1914), 2416.

2) Tacitus. Historiae V 19. 20.

3) De Batavoduro et Noviomago alio loco agere mihi propositum est.

4) Strabo II 5, 28. C. 128; Ammianus Marcellinus 28, 2, 1.

5) Ipsi verbis tamen Ptolemaeus dicit Lugdunum iacuisse in ora Oceani.

adhibere non possumus, ut in tabula hodierna geographica quaeramus, quonam loco Lugdunum iacuerit. Ptolemaeus enim sine dubio iudiciis paucissimis usus est. Iudicare tantum licet a geographo Lugdunum collocatum esse non longe ab ostio Rheni, in ea parte quae inter meridiem et occidentem solem spectat.

---

#### ITINERARIA.

Lugdunum autem etiam memoratur in itineralio, quod vulgo Itinerarium Antonini dicitur. Atque in libello illo Lugdunum nominatur caput Germaniarum. Hoc nomine significari tantum potest Lugdunum fuisse finem septentrionalem viarum, quae feruntur per Germanias, provincias nimirum Romanas, sive locum maxime sub septentrionibus positum in ea regione <sup>1)</sup>.

In Itinerario <sup>2)</sup> via describitur, quae Lugduno iuxta Rheni ripam sinistram per Traiectum, quod nunc *Utrecht* dicitur, et Coloniam ducit Argentoratum. Mansionum nomina accipimus et quo spatio mansiones inter se distiterint edocemur. — In ea imperii parte, cuius patria nostra est, spatia indicantur leugis Gallicis (quae sunt 2,222 K.M.).

Eiusdem viae autem mentio fit in tabula geographica illa notissima, in usum eorum qui itinera faciunt confecta, cuius delineatio mediaevalis adhuc exstat Vindobonae, dicta *Tabula Peutingeriana*. Capita mundi urbes vici castella tabernae mansiones in tabula depicta sunt quaeque itinera loca ea iungebant. Quantum spatium inter loca diversa intersit, numeri indicant in tabula scripti. Inter ostia autem Rheni et Mosae quattuor loca delineata invenimus: Lugdunum, Praetorium Agrippinae, Matilo, Forum Hadriani. — Lugdunum iacet in ultima parte Germaniae, quae spectat inter septentriones et occidentem solem. Duabus leugis distat Prae-

---

1) Capita viarum nonnumquam loca magna non sunt, ut Columna, id est Traiectum Siciliae, hodie *San Giovanni*. — Cf. Castellum ad caput Lupiae (Velleius II 165),

2) Itinerarium Antonini 368—370.

torio Agrippinae, unde tres leugae sunt Matilonem. Quae loca inter se iunguntur via nuper memorata. In via ea iacebat Fectio, quo loco est castellum hodiernum *Vechten*.

Altera via delineatur in Tabula, quae Lugduno in partes ducit meridionales. Qua in via Forum Hadriani prima est mansio. Numerum tamen spatium indicantem hoc loco desideramus. Quae in via ea sequuntur mansiones reliquas nunc non curamus. Memorare tantum velim *Grinnes*, qui locus 60 leugas distare dicitur a Foro Hadriani. A *Grinnibus* 23 sive 24 leugas distat *Noviomagus*. Deinde sequuntur post 10 leugas *Arenatio*, post 6 leugas *Burginatio*, denique post 5 leugas *Colonia Traiana*.

Alteram eam viam satis bene novimus. Mansiones enim ultimae partis in historia seditionis Batavorum a Tacito descripta nominantur. Civilis, sic Tacitus narrat, proelio apud *Vetera* commisso victus in insulam Batavorum concessit. Unde postea uno die agmine quadripertito adortus est castra Romanorum: *Arenacum* decimae legionis, *Batavodurum* secundae legionis, *Grinnes* *Vadamque* cohortium et alarum castella <sup>1)</sup>.

Ex ipsa autem Taciti narratione apparet et *Batavodurum*, ubi Germani rumpere pontem inchoatum nitebantur, et *Grinnes* *Vadamque*, ubi pugnae in flumine factae sunt, in ripa *Vahalis* iacuisse. *Batavodurum* antecessisse *Noviomagum* quod nunc *Nijmegen* dicitur iam supra observavimus. *Noviomagi* autem nomen etiam in Tabula *Peutingeriana* invenitur. Qua in tabula neque desunt *Grinnes* *Arenacumque* quod quidem dicitur *Arenatio*, sicut in *Itinerario Harenatio* legimus.

*Arenaci* locum nunc tenere *Rindern*, non longe ab urbe *Kleef*, iamdudum intellexerunt viri docti <sup>2)</sup>. Neque dissentire velim ab opinione eorum, qui *Grinnes* fuisse dicunt, quo loco res artis Romanae prope pagum *Rossem* dictum inveniuntur <sup>3)</sup>, quamquam *Rossem* in tabulis hodiernis 44 K.M. abest *Noviomago*, cum in Tabula *Peutingeriana* spatium 23 sive 24 leugarum, id est 50—53 K.M., refertur.

1) Tacitus. *Historiae* V 19—21.

2) *Real-Encyclopaedie* s. v., cf. *Bonner Jahrbücher* 116 (1907), p. 38.

3) C. *Leemans*. *Romeinsche oudheden te Rossem*. Leyden, 1842.

Altera via ea igitur, in Tabula Peutingeriana delineata, iam seditionis Batavorum saltem tempore exstabat, quae castra castellaque in ripa Vahalidis sita iungeret.

Quae autem prima descripta est via iam plures difficultates praebet. Nonnullorum quidem locorum, quae in via ea nominantur, mentio fit in Cosmographia ab anonymo Ravennate confecta. Quae descriptio orbis terrarum sine dubio prorsus pendet e tabula geographica, qualis fuit Tabulae Peutingerianae exemplum <sup>1)</sup>. In Cosmographia ea autem nominantur, ut loca iuxta Rhenum flumen sita, et alia et Colonia Traiana Noviomagus Fectio Matilo. Eam igitur viam usque ad Matilonem saltem iuxta Rheni ripam sinistram fuisse Cosmographia Ravennatis iam docet.

Cetera tamen omnia admodum sunt incerta et dubia. Fectionis tantum et Traiecti situs novimus. Sed numeri, quibus spatia indicantur, in Itinerario et in Tabula conservati inter se tam repugnant, ut nullis aliis indiciis adiuvantibus ex ipsis prorsus nihil efficere liceat.

Quae tamen pars viae intercedit inter Fectionem et Lugdunum illustrari poterit disputatione de situ quattuor locorum, qui prope mare sunt inter ostia Rheni et Mosae, ad finem perducta. Primum igitur quaeramus quae alia de locis illis in medium proferri possint.

Quattuor loci illi in Tabula Peutingeriana modo diverso sunt depicti: Matilo et Forum Hadriani ut mansiones communes, Lugdunum turribus ornatum ut locus iam satis magnus, Praetorium Agrippinae imagine aedificii significatum ut urbs iam alicuius momenti. — Huic modo tamen, quo in Tabula mansiones et tabernae et urbes distingui solent, multum tribuere non possumus. Haud enim multum curae hac in re positum est, ut ex aliis partibus Imperii Romani nobis iam melius cognitis luce clarius apparet <sup>2)</sup>. Tabula Peutingeriana enim imitatio mediaevalis est tabulae antiquae. Qui autem scriba imitationem eam pinxit, non sine magno labore

1) Vide: Funaioli. Real-Encyclopaedie s. v. Ravennas.

2) In Italia meridionali, ut exemplum unum afferam.



omnia quae exemplum praebebat in tabula sua exprimere potuisse videtur. Ex imaginibus igitur illis diversis argumenta petere non licet. Neque quae rerum scriptores sive itineraria de locis in Tabula depictis tradunt, nobis ullo modo prosunt. Restat tamen unum argumentum. Nomina enim ipsa locorum nobis praebent indicia quaedam minime spernenda.

---

#### NOMINA LOCORUM.

Neque Lugdunum, cuius nomine sanctuarium significari videtur <sup>1)</sup>, neque Matilo nos quidquam docere possunt. Maioris vero momenti sunt nomina Praetorii Agrippinae et Fori Hadriani.

Praetorium <sup>2)</sup> sedes est praetoris et in provinciis locus est, ubi praetor deversatur. In viis autem nomine praetorii indicantur aedificia, quae viatoribus illustribus tectum praebent, cum tabernis recipiuntur qui humiles iter faciunt. Tabernae potius mercaturae causa exstructae sunt quam hospitii. In inscriptione autem Thraciae <sup>3)</sup> legimus, quomodo Nero in via quadam praetoria et tabernas aedificanda curaverit. Genus mansionum diversum esse in inscriptione ea apparet. Praetoria autem ut hospitia viatorum ampliorum etiam in aliis inscriptionibus inveniuntur <sup>4)</sup>. Neque in itinerariis praetoria in viis sita frustra quaerimus. — Qualis tamen locus fuerit, qui nomine praetorii memoratur, nullo modo pro certo affirmari potest. E praetoriis enim nascebantur et mansiones et urbes et castella Romana.

Hoc tamen ex nomine colligi potest primordia Praetorii Agrippinae saeculo primo esse addicenda. Atque Agrippina, quae nomen dedit praetorio, uxor fuisse videtur Germanici. Maritum enim Agrippina illa Maior in Germaniam comitata

---

1) Holder. *Altcelt. Sprachschatz* s. v.; O. Hirschfeld. *Westdeutsche Zeitschrift* 23 (1904) p. 89.

2) Mommsen. *Hermes* 35 (1900), p. 417; *Ges. Schriften* VI, p. 128; R. Cagnat. *Dict. des Ant.* s. v.

3) *CIL* III 6123.

4) *CIL* II 1076. 2634; III 1019. 2809; VIII 21820; XIII 8170.

erat. Filia ipsius tamen, uxor Claudii et mater Neronis, Agrippina Minor nata quidem est in oppido Ubiorum, quod hanc ob causam Colonia Agrippinensium facta est, sed numquam postea, quoad scimus, in Germania fuit, ut praetorium ab ipsa vix nomen accipere potuerit.

Fori <sup>1)</sup> autem nomine locus indicatur, quo mercaturae causa convenire possunt incolae vicorum, qui a capite civitatis, sive municipii sive coloniae, longius absunt. Ius mercatus enim proprium est capitis civitatis, sed in usum rusticorum etiam in Italia iam fora aedificare solebant, quo accolae nundinas obirent. Fora semper viis sunt apposita, ut multi rustici in illa commeare possent. Et nomina nonnumquam acceperunt ab ipsis viris, qui vias illas faciendas curaverunt, ut Forum Appii est in Via Appia et Forum Clodii in via Clodia. Nisi quod fora ad mercaturam et commeatum utilia sunt, in ipsa etiam convenire solent accolae deliberandi causa, quam ob rem nonnumquam dicuntur conciliabula.

Iure igitur suspicari possumus locum, qui Fori nomine indicatur, inter locos proximos omnium fuisse maximum. Atque praecipue sic iudicandum erit, si locus ille in provincia non longe a finibus Imperii situs dicitur Forum Hadriani. — Hadriaum enim enisum esse scimus, ut omnes terras usque ad ultimos terminos totius Imperii sub administrationem civilem adduceret. Quae regiones quoque extremi fines Imperii antea ducibus militaribus parebant, Hadriano imperante administratione militari liberatae autonomiam recuperaverunt, qua quidem Imperio Romano subiecti frui poterant. Ideo Hadrianus praesidia militaria in ipso limite collocabat. Et quae antea castella erant copiarum, eo tempore municipia facta sunt. Civitates liberae institutae ab ipso Imperatore nomen acceperunt non paucae <sup>2)</sup>.

Nomen autem Fori Hadriani probare videtur administrationem civilem etiam in patria nostra ab Imperatore usque ad terras inter ostia Mosae Rhenique sitas esse prolatam. Et identidem nomen illud nos docet non longe a mari inde ab

1) Real-Encyclopaedie s. v.; C. Jullian. *Fréjus romain*, p. 12.

2) *Vita Hadriani* 20, 4.

aetate Hadriani locum exstitisse satis magnum, conditum ut vitae civilis esset auxilium in regione, quae a capite civitatis Batavorum Ulpia Noviomago tam longe aberat. Fortasse id actum est, ut postea hoc loco colonia sive municipium nasceretur <sup>1)</sup>).

Cum autem e Ptolemaeo et ex Itinerario apparere videretur Lugdunum locum fuisse maximum in terris prope Rheni ostium sitis et Tabula Peutingeriana Praetorium Agrippinae ut caput regionis indicaret, nomen Fori Hadriani nos iam melius edocuit. Neque desunt etiam alia argumenta, quae opinionem eam comprobant. Legimus enim in sarcophago in Pannonia inventa: Aemilium Decimum, medicum ordinarium Legionis primae Adiutricis, sarcophagum faciendum curavisse coniugi Victoriae Verinae „domu Foro Hadrianensi provincia Germania Inferiore” <sup>2)</sup>. In eiusmodi inscriptionibus enim caput civitatis, sive vicus qui capitis locum tenet, nominari solebat, ut origo hominum significaretur. Qui locus igitur in inscriptione laudata ut patria feminae nominatur, omnium in vicinia erat maximus.

Praecipue tamen notandum est originem personae, quam antea Canninefatem dixissent, in inscriptione a Foro Hadriani indicari <sup>3)</sup>. Forum Hadriani igitur caput fuisse videtur eius partis civitatis Batavorum, quam tenebant Canninefates.

Ab hisce argumentis proficiscendum est, ut constituatur, ubinam locos illos Romanos in fontibus nostris scriptis nominatos quaerere possimus. Hanc ob rem autem investigandae sunt res artis Romanae, quae inter Mosam Rhenumque prope mare apparuerunt.

#### RES INVENTAE ET EFFOSSIONES.

Breviter tantum hoc loco indicare velim, quid e rebus Ro-

1) Minime nomen illud probare potest ante Hadrianum nullas sedes Romanorum fuisse Fori Hadriani.

2) C. I. L. III 4279 = Riese l. c., 2424.

3) Eodem modo Ubii et Baetasii dicobantur Agrippinenses et Traianenses.

manis inter ostia Mosae Rhenique inventis me quidem iudice statuere liceat.

Iam inde a saeculo XVI summum virorum doctorum studium excitabant res artis Romanae in litore maris inventae prope pagum *Katwijk* dictum non longe a vetere ostio Rheni. Primus eiusmodi rerum mentionem fecit Heda noster in *Historia episcoporum Traiectensium* <sup>1)</sup> anno 1520 composita. Eo ipso autem anno, quo scripsit Heda, abductis vento colliculis arenarum visae sunt ingentes ruinae, ubi nummi argentei cum inscriptione Severi et Antonini inventi sunt. Castellum illud, quod Britannicum vocabant sive Belgice *Die burch te Britten*, iam memoraverant Johannes Gerbrandus Leidensis Carmelitanus <sup>2)</sup> et post illum Cornelius Aurelius <sup>3)</sup>.

De ruinis illis nos viri docti posteriores certiores faciunt. Primus Guicciardinus <sup>4)</sup>, cuius *Descriptionis* editio princeps anno 1567 lucem vidit, et post eum Junius <sup>5)</sup>, qui Bataviam anno 1575 perfecit, tradunt fundamenta in litore ter apparuisse, annis scilicet 1520, 1552, 1567. Castellum imaginem quoque e nudatis fundamentis expressam nobis Junius servavit. Et idem Junius etiam inscriptionum in ruinis inventarum textum tradit. Quarum quidem prima <sup>6)</sup> a Junio memorata sine dubio in Brittenburgo inventa non est, sed loco vulgo *Roomburg* dicto de quo infra agemus. In secunda inscriptione <sup>7)</sup> Cohors Raetorum nominari videtur, quae imperante Caracalla in castello illo collocata erat. Tertia autem inscriptio <sup>8)</sup> tradit muros castelli anno 205 a vexillariis Legionis I Minerviae esse refectos curante Q. Venidio Rufo legato Imperatoris Septimii Severi. Praeterea e ruinis protracti sunt nummi et tegulae nominibus

1) Wilh. Heda. *Historia episc. Traiect.*, ed. Franequerae 1612, p. 235—236; ed. Ultraiecti 1642, p. 55.

2) *Chronicon Hollandiae Comitum et Episcoporum Ultraiectensium V*, ed. Sweertius Francofurti 1620, p. 88.

3) *Batavia I* 5, ed. Vulcanius Antwerpiae 1586, p. 26—32; et *Divisiekroniek III* 95 f. 86 (editionis anni 1530); scripsit anno fere 1515.

4) L. Guicciardini. *Description de tous les Pays Bas*, ed. 1a (Anvers 1567), p. 243.

5) Hadr. Junius. *Batavia* (Antwerpiae 1588), p. 107—122. — Junius scripsit anno 1574 et anno 1575 mortuus est.

6) CIL XIII 8824.

7) CIL XIII 8827.

8) CIL XIII 8828.

inscriptae legionum et auxiliorum, Exercitus Germaniae Inferioris et Classis Germaniae.

Ortelius iam anno 1568 imaginem castelli inscriptionum aliarumque rerum inventarum in lucem dederat <sup>1)</sup>. Quae castelli effigies, prorsus eadem quam etiam Junius in Batavia exhibuit, neque aetatis Romanae neque ullius quantum scio aetatis formas exhibet, ut ex ea effigie quidem minime efficere possimus, utrum arx fuerit castellum Romanorum annon <sup>2)</sup>. — At etiam inter res inventas in imagine Ortelii et in Batavia Junii depictas non paucae artis Romanae non sunt. Quam ob causam perquam verisimile videtur ex fundamentis illis tantum esse collectas res quae anno demum 1562 apparuerunt, cum quae ante hunc annum inventa esse dicuntur, empta essent apud mercatores, qui res et alibi inventas et falsas venditabant. — Et nummi inventi tamen et tegulae et inscriptiones iam satis probant castellum fuisse Romanum prope pagum *Katwijk* hodiernum etiam ante aetatem Severi <sup>3)</sup>.

De alio autem loco, ubi res Romanae inventae sunt, nos Cornelius Aurelius <sup>4)</sup> certiores facit. Prope Leidam, sic Aurelius narrat, ad iactum sagittae ab ipso Rheno, anno 1502 inventa sunt fundamenta aedificii et duo praecipui et grandes lapides. Quorum inscriptiones Aurelius, qui eo anno Leidae habitabat, a se ipso lectas esse dicit. Alter lapidum duas fert inscriptiones. Quarum vetustissima anno 103 a Cohorte Lucensium posita est Traiano Imperatori <sup>5)</sup>. Eodem autem lapide annis 196—198 denuo usi sunt, ut in eo incideretur inscriptio, qua

1) Quae tabula etiam in editionibus posterioribus Descriptionis a Guicciardino compositae inveniri potest.

2) Postea etiam tabula picta est, quae in aedibus gentis Wassenariae conservata et effigiem arcis et res inventas exhibebat. Quae tabula quidem interiit, sed imagines ad tabulam eam a F. v. Bleyawyck aliisque delineatae adhuc exstant, quarum exempla inveniri possunt et alibi et in libro qui inscribitur: G. v. Loon. *Aloude Holl. Historie* I (1734), t. 71.

3) Postea saeculis XVI et XVII iam saepius fundamenta ea apparuisse accipimus. — Vide praeterea: E. Kornemann. *Klio* IX (1909), p. 435.

4) Corn. Aurelius. *Batavia* I 6; ed. Bonav. Vulcanius (Antwerpiae, 1586), p. 33—36; ed. P. Scriverius, in *Batavia* (Lugd. Bat., 1609), p. 75—126.

5) C I L XIII 8223.

memoratur ab Imperatore Severo armamentarium vetustate conlabsum Cohorti XV Voluntariorum esse restitutum <sup>1)</sup>. Quae eadem Cohors nominatur etiam in tertia inscriptione <sup>2)</sup>, cuius textum Aurelius nobis servavit.

Locum fuisse quem *Roomburg* dicunt, testantur Heda Pighius Scriverius Cluverius. Et ex eodem loco nobis etiam quarta inscriptio <sup>3)</sup> innotuit inter 205 et 209 posita ob sacellum signorum ab Imperatoribus Severo Caracalla Geta Numero exploratorum Batavorum dono datum. Praeterea inventae sunt tegulae nominibus Exercitus Germaniae et Legionum I et XXX impressae. — Ex hisce autem rebus inventis iam apparet loco qui *Roomburg* dicitur fuisse castellum Romanum inde ab aetate saltem Traiani usque ad tempus Severi filiorumque eius.

Castellorum, quae *Brittenburg* et *Roomburg* dicuntur, ne minima quidem vestigia hodie exstant. Neque quisquam nominari potest harum rerum peritus, qui rudera illa umquam viderit. At iam alia sunt vestigia castelli Romani, olim quidem non prorsus ignota sed nuperrime demum melius indicata, quae inter ipsos locos *Brittenburg* et *Roomburg* apparuerunt ad Rheni nostri ripam sinistram.

Rudera dico in pago *Valkenburg* Hollandiae dicto inventa <sup>4)</sup>. Qui pagus in tumulo est exstructus, qualis in Frisia nostra *terp* dicitur. In interiore autem tumulo vestigia aedificiorum latent et rudera muri a Romanis confecti. Et res non paucae artis Romanae et aliae et tegula Exercitus Germaniae Inferioris e tumulo protractae sunt. Quae res inventae indicare videntur bis locum illum ab exercitu Romano esse occupatum: primum aetate imperatorum gentis Flaviae, iterum tempore Antonini Pii sive sub finem Hadriani imperantis.

Praeterea autem ex investigationibus apparuit ipsum collem a Romanis esse exstructum, cum castellum aedificandum esset.

1) CIL XIII 8824.

2) CIL XIII 8826.

3) CIL XIII 8825; cf. A. von Domaszewski. Westdeutsche Zeitschrift (1895), p. 16.

4) Vide: A. E. van Giffen. Bijdrage tot de kennis van enkele geologisch-archaeologische verkenmerken in verband met het vraagstuk der bodemdaling in historische tijd (Verslagen der Geologische Sectie van het Geologisch-Mijnbouwkundig Genootschap. Dl. II, p. 176—180).

Fieri igitur potest, ut iam antea Romani locum occuparent, quamquam eiusmodi vestigia adhuc inventa non sunt.

Multo etiam maioris momenti sunt rudera castrorum Romanorum in villa *Arentsburg* quae dicitur prope pagum *Voorburg* inventa <sup>1)</sup>. Quae rudera effossionibus recentibus iam unicuique sunt notissima. Neque longius in ipsis commorari licet. Pauca quaedam tamen in memoriam revocare velim.

Effossiones autem et antiquiores et recentiores illae indicaverunt murum artis Romanae et duplicem fossam necnon vestigia aedificiorum, nummos, fragmenta vasorum, rerum omnis generis numerum inmensum. Quae res inventae probare videntur castra Romana hoc loco anno fere 100 aedificata medio fere saeculo secundo aucta esse et mutata. Neque res etiam saeculo primo addicendae deesse videntur. Nulla vestigia castelli tamen eius temporis effossionibus apparuerunt.

Tegulae inventae nomina exhibent legionum nonnullarum et Classis Germaniae et Exercitus Germaniae Inferioris. Maioris tamen momenti sunt inscriptiones iam multo ante notae. Quarum prima <sup>2)</sup> a centurione Legionis I Minerviae anno 190 posita est et secunda <sup>3)</sup> a sevir Augustali coloniae Ulpiae Traianae, cum in tertia <sup>4)</sup> inscriptione collegium perigrinorum memoratur.

Effossionibus recentibus inscriptiones ad lucem prolatae non sunt. Fieri tamen potest, ut quae antea innotuerunt inscriptiones non ipso eodem loco apparuerint. Neque enim nummulo aureo „ab adversa parte Elinum loquentes, ab altera Dorestatum” reppererunt investigatores. Qui nummi eodem loco quo inscriptio seviri Augustalis saeculo XVI inventi testantur locum etiam post Romanorum aetatem fuisse occupatum <sup>5)</sup>.

Inscriptiones tamen illae iam antea notae satis probant hoc loco fuisse emporium, in quo et accolae et alii versabantur. Praecipue autem notandum est hoc solo loco inventas esse inscriptiones ad res militares non pertinentes.

1) Vide supra: p. 84.

2) C 1 L XIII 8809.

4) C. XIII 8808.

3) C. XIII 8807.

5) Hadr. Junius. Batavia, p. 314.

## CONCLUSIO.

Locorum, ubi res artis Romanae inventae sunt, omnium erat maximus *Arentsburg* quod dicitur prope pagum *Voorburg* hodiernum <sup>1)</sup>. Supra autem demonstrare conatus sum locum fuisse maximum in vicinia qui Fori Hadriani nomen habet. Verisimile igitur esse videtur, Forum Hadriani locum tenuisse, quem nunc *Arentsburg* occupat. Neque hac in re ultimum quoque argumentum est negligendum, quod probare videtur in vicinia huius loci fuisse Forum illud. Nominis enim Fori formam adhuc reperimus in nominibus locorum, qui hodie villae *Arentsburg* proximi sunt, ut *Foreburg* sive *Voorburg*, *Fore* sive *Veur*, *Forschate*, *Vorenbroeke*, *Voorwetering* <sup>2)</sup>.

Nemo autem dubitare posset, quin hoc loco fuerit Forum Hadriani antiquum, nisi hoc ipso nomine potius sedes civiles indicarentur, cum *Arentsburg* fuisse videtur castellum Romanum. — At fieri potest, ut castellum illud Hadriano imperante a praesidio militari relictum tum demum nomine mutato locus civilis sive municipium factum sit. Et rebus inventis usi castellum saeculo II esse renovatum iam supra observavimus. Fortasse igitur locus ab Hadriano a militibus orbatus denuo praesidio occupatus est imperante Antonino Pio. Nam etiam in aliis regionibus Antoninus Pius opera ad limites et confinia imperii defendenda auxit et amplificavit, cum in Britannia tum in Germania.

Est etiam aliud argumentum. Ante moenia enim castelli eiusmodi haud dubie vica erant et pacis opera in modum municipii exstructa. Quales sedes mercatorum veteranorum cauponum canabae a Romanis dicebantur. — Ex canabis illis ante castellorum portas positae postea nonnumquam urbes ortae sunt, ut Bonna Novaesium Antunnacum urbes hodiernae. — Canabas fuisse etiam ante moenia castelli, quale *Arentsburg* erat, pro certo habere possumus. Quid quod inscriptiones supra laudatae iam luce clarius probant non milites tantum eum

1) Vide: Holwerda. Bijdr. Vad. Gesch. 1909, p. 22: „Het Romeinsche centrum van onze provincie is ongetwijfeld hier bij Voorburg gevonden”.

2) Hoc argumentum viro cl. Gosses debeo.



locum tenuisse. Fieri potest ut vicus canabiarum ab Hadriano et nomen et ius fori acceperit. Locus ille nisi iam inter moenia nuper effossa apertus est, adhuc in vicinia proxima latet.

Cum autem iam pro certo apparuerit Forum Hadriani fuisse prope pagum qui *Voorburg* dicitur, etiam aliud monumentum nobis argumenta praebere poterit, cuius adhuc mentionem non feci. Miliarium dico prope pagum, cui *Monster* nomen est, anno fere 1500 inventum, quod adhuc in Museo Leidensi exstat <sup>1)</sup>).

Miliarium illud anno 162 M. Aurelio et L. Vero Augustis positum est. At inscriptio incisa est in columna, quae formas antiquas non exhibet, neque litterae inscriptionis arti antiquae addici possunt. Ipsa inscriptio tamen haud dubie genuina est. Imperatorum enim eorum eiusdem anni novimus alterum miliarium multo postea, anno 1769, Rigomagi inventum, quod textum prorsus eundem praebet <sup>2)</sup>). Miliarium nostrum igitur imitationem miliarii antiqui esse saeculo XVI ineunte factum plerique viri docti crediderunt. Huic opinioni tamen repugnat argumentum gravissimum. Exstat enim imitatio saeculo XVI facta, quae adhuc invenitur in Museo Amstelodamensi <sup>4)</sup>). Atque huius imitationis materia arti saeculi XVI est propria, cum miliarium inventum prope pagum *Monster* factum est e lapide calcario, qua materia Romani plerumque in miliaris faciendis utebantur <sup>3)</sup>). Verisimile igitur est miliarium antiquum iustum nobis esse conservatum, cuius tamen et forma et inscriptio saeculo XVI sunt renovatae. Miliarium autem illud prope pagum, cui nomen *Monster* est, olim stetisse scimus.

Et in miliario Rigomagensi et in miliario nostro indicatur, quanto spatio distet locus miliaris a loco quodam, qui in inscriptione nominatur. Legimus in monumento Rigomagensi: „A Colo(nia) Agripp(inensium) m(ilia) p(assuum) XXX”. Et in columna nostra Heda <sup>5)</sup>), qui inscriptionem iam ante annum

1) Vide: J. Huizinga. De Romeinsche mijlpaal te Monster (Bijdr. voor Vad. Gesch. 1909, blz. 362—384). — CIL XIII 9165.

2) CIL XIII 9153 = Riese l. c. 135.

3) Vide Huizinga l. c., p. 373, n. 3.

4) Hirschfeld. CIL XIII, p. 646.

5) Heda. Hist. episc. Ultraiect. ed. Buchelius, p. 13.

1525 vidit, legit: „A. M. A. F. C. m(ilia) p(assuum) XII”. Hedam autem secuti sunt et alii et Junius <sup>1)</sup>. Renovata vestigia litterarum in ipso monumento conservata negligere possumus <sup>2)</sup>.

Quid sibi volunt litterae illae A. M. A. F. C.? — In eiusmodi inscriptionibus tradere solent, quanto spatio distet locus miliarii a capite civitatis sive ab alio loco alicuius momenti. Et nonnumquam etiam in inscriptione nominatur ipse locus miliarii. At locus omnium maximus inter ostia Mosae Rhenique erat Forum Hadriani et rudera omnium maxima artis Romanae inventa sunt prope pagum *Voorburg*. Iam suspicari igitur possumus Forum Hadriani in miliario esse nominatum, qui locus fere caput erat in terra Canninefatium. — Prope pagum *Monster* autem, quem olim *Monasterium ad Mosam* dicebant, vetus os erat Mosae. Et Mosam in inscriptione esse nominatam iam dudum coniecerunt viri docti. Fieri igitur potest, ut in inscriptione spatium indicetur, quod interest inter vetus ostium Mosae et Forum Hadriani. Neque huic opinioni repugnat numerus in inscriptione traditus. Linea recta quidem villa *Arentsburg* dicta a pago *Monster* spatio paulo minore distat quam XII m. p., sive fere 18 K.M. Sed via illa antiqua, cuius miliarium nobis conservatum est, nimirum non per paludes directa erat. Potius per terram arenosam ab ostio Mosae ad ostium Rheni ducebat, ita ut Forum Hadriani ipsum non attingeret. Quam ob causam spatium ab ostio Mosae nimirum linea recta erat maius. Et ob eandem causam in Tabula Peutingeriana quoque desideramus numerum spatium indicantem, quod est inter Forum Hadriani et Lugdunum.

Inscriptionem autem miliarii nostri hoc modo interpretari velim: „A M(osa) a(d) F(orum Hadriani) C(anninefatium) m(ilia) p(assuum) XII”. Coniecturam meam dubitationi esse obnoxiam non nego. Satis tamen mihi est, si indicavi miliarum illud non repugnare opinioni, quam supra probare conatus sum. — Prope villam quae dicitur *Arentsburg* fuit Forum Hadriani antiquum.

1) H. Junius. *Batavia* (L. B. 1588), p. 308.

2) Nunc legimus: „A. M. A. E. C. m. p. XII”.

Fori tamen situ constituto etiam tota haec pars Tabulae Peutingerianae illustratur, ut non tantum definiiri possint, qui loci nominantur prope mare inter ostia Mosae Rhenique, sed etiam facultas nobis fiat, viam illam Lugduno Fectionem ducentem interpretandi.

Ex iis autem quae in Tabula Peutingeriana et in Itinerario Antonini quod dicitur traduntur, efficere possumus, quot leugis inter se distiterint loci nonnulli sive mansiones Romanae in hac via sitae: Lugdunum 2 leugas distat a Praetorio Agrippinae, unde 3 leugae sunt Matilonem, unde 5 leugae *Albanianis* (quod 10 leugas distat Lugduno), unde 2 leugae *Nigropullo*, unde 5 leugae *Lauri*..., unde 10 leugae Traiectum (quod 17 leugas distat *Albanianis*), unde 2 leugae sunt Fectionem (quae 12 leugas distat *Lauri*). — Leugis autem si mensuras hodiernas subicimus hoc modo fere viam constituere possumus: Lugdunum —  $4\frac{1}{2}$  K.M. — Praetorium —  $6\frac{1}{2}$  K.M. — Matilo — 11 K.M. — *Albanianis* —  $37\frac{1}{2}$  K.M. — Traiectum —  $4\frac{1}{2}$  K.M. — Fectio; sive ut et nominibus hodiernis utar et numeris e tabula hodierna desumptis: *Katwijk aan Zee* — 3,5 — *Valkenburg* — 7,8 — *Roomburg* — 12,6 — *Alfen* — 37,3 — *Utrecht* — 4 — *Vechten*.

Numeris illis inter se comparatis ampliore disputatione iam opus non est. Fectionem enim fuisse scimus, ubi nunc est castellum hodiernum *Vechten*, et Traiectum ubi nunc est *Utrecht*. Neque me quidem iudice licet dubitare, quin *Albanianis* fuerit ubi nunc est *Alfen*. *Matilonem* fuisse ubi nunc est *Roomburg* et numeri et res inventae indicant. Praetorium Agrippinae locum occupabat, quem nunc tenet *Valkenburg* pagus. Neque longe a pago hodierno *Katwijk aan Zee* distabat Lugdunum Bataavorum.

# AD MENANDRI HEROËM

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Satis venusta est colloquii huius inter servos pars prima, qua Davus Getae confitetur se sine ulla spe crudeli laborare et torqueri amore, licet ad Terentianam urbanitatem ne adspiret quidem illa. Nam, ut ingenue fatear, fefellerunt spem nostram illa nuper inventa fragmenta: sermo admodum languidus est et exilis, nulla est verborum varietas, sed eadem ad satietatem usque identidem recurrunt. Quid quod ne locutionibus quidem abstinet poeta quas semper respuit sermonis elegantia, qualis est illa *τίς ἐψόφηκε τὴν θύρην*, aliaque eiusmodi quae operae pretium est colligere et ad certum Aristophanis usum examinare. Conferat mihi aliquis cum hoc auctore suavissimum illum uberrimum copiosissimum imitorem Terentium, si iam imitator dici potest qui ea quae vetus poeta raptim delineavit ita implevit sanguine et colore ut perfecta absoluta vivida nasceretur imago. Quo magis opera danda est ne ulla Menandri pereat lateatve venustas. Quod hic aut factum iam est aut ne fiat metuo.

Rogat Davum Geta

*τί γὰρ σὺ κόπτεις τὴν κεφαλὴν οὕτω πυκνά;  
τί τὰς τρίχας τίλλεις ἐπιστάς; τί στένεις;*

Hactenus luce clariora omnia: tristis sollicitusque huc illuc currit miser homo, identidem subsistit (*ἐπιστάς*), caput manu verberat, plane denique desperare videtur. Interpellatusque a conservo *οἴμοι* exclamat. Tum conservus

*τοιούτὸν ἐστίν, ὃ πονηρὸ ἐστί.*

Sic Koerte edidit, sed Leeuwenius in utraque editione et Sudhausius post  $\sigma\upsilon$  interrogandi ponunt signum. Quod unice verum esse paulo accuratius demonstrare iuvat, quia simul mihi proponere posse quaedam videor neque prorsus hinc aliena neque vulgo nota.

Sunt ergo in sermone scenico tam Graeco quam latino quaedam vocabula et loquendi formulae quae, ut ita dicam, vim quandam habeant legitimam, certam stabilemque. Itaque mire iis adiuvatur qui antiquam fabulam legit ad intelligendum quomodo ea quae sequuntur in scena fuerint acta et pronuntiata, quis actoris fuerit status habitus vultus. Sic, ut hoc primo exemplo utar, si quod comoediae Graecae fragmentum sit inventum in quo cetera sint evanida omnia, unum tamen appareat ab altero colloquentium  $\mu\chi\rho\tau\acute{\upsilon}\rho\omicron\mu\alpha\iota$  exclamari, statim constet huic esse homini inflictam alapam.

Alia e Terentio potissimum sumam:

*atut* eius est qui intelligere incipit infortunium aliquod aut praesto adesse aut appropinquare. („*Atut* interiectio est paulatim percepti atque intellecti mali”. Don.).

*quid istic?* rogat qui antea fuerit irato obstinateve animo sed iam se placari patiatur.

*sicine agis* leniter obiurgantis est, isque est verba illa pronuntiantis vultus qui maxime accommodatus est ad mentes hominum conciliandas.

*eho* is ait qui secreto aliquem interrogat de ea re quam suo nomine prae verecundia, aliove eiusmodi animi affectu, vix suo appellare nomine audeat. Identidem ad eiusmodi locos Donatus annotat: „*eho* est ponentis aurem propiorem”.

Similis haec est annotatio illi quam saepe ad vocabulum *hem* adscriptam invenimus: „*hem* est correctio totius corporis”. Sic optimus ille magister observationibus suis efficit ut spectemus fabulam, non legamus.

Ex eodem genere est illud quod hic apud Menandrum habemus  $\sigma\acute{\iota}\mu\alpha\iota$ . Eiulatio ea est hominis iamiam id elocuturi quod tam triste sit et miserum atque adeo tam dirum atque horribile ut vox ei haereat faucibus. Est autem gravissima afflicta acrumna Davus noster, ergo de crudeli illo amore suo cogitans imprudenter eo vocabulo utitur quod certam habeat sedem in

re multo atrociorē. Sēd quidquam vel cogitari posse quod sua sit calamitate atrociorē id Davo ne in mentem quidem venit. Proprie enim οἶμοι is servus exclamat qui narraturus est certam sibi instare perniciem, crucem cruciatumque. Non potest ergo non suspicari Geta eiusmodi ab amico suo esse commissum flagitium quod ultimo soleat debeatque vindicari supplicio, aptissimeque rogat:

τοιούτῳ ἐστίν, ὃ πονηρὲ σὺ;

Aptissime aio, nam commiserantis quidem est illud ὃ πονηρὲ, sed simul tamen sentientis sibi rem esse cum homine nil suave merito. Et suis moribus convenienter hoc addit consilium:

εἴτ' οὐκ ἐχρῆν, κερμάτιον εἰ συνηγμένον  
σοὶ τυγχάνει τι, τοῦτ' ἐμοὶ δοῦναι τέως,  
ἴν' ἀπολάβῃς, τὰ κατὰ σεαυτὸν πράγματα  
ἄτῃ καλλῶς θῆς;

„Si quid nummorum, si quid peculii collegisti, id mihi da servandum; reddam, si melius res tua ceciderit veniamque ab irato nunc hero impetraveris”. Et tacitus secum vafer ille consultor cogitat: „si in crucem fueris actus, nummulos istos in meum convertam usum”.

Hanc habere vim propriam et peculiarem in scena vocabulum οἶμοι multis quidem exemplis doceri potest, sed nescio an nullum sit disertius quam quod iam prolaturus sum ex . . . Sophoclis Oedipode Tyranno. Tam enim constans est huius quidem vocabuli in scena usus ut in eo ne magnificentia quidem Sophoclea a Menandri exilitate plebeia discrepet.

Iam fere eo res est perducta ut terribile illud et horrendum natalium suorum mysterium totum Oedipodi pateat. Restat tamen aliqua quamvis levis dubitatio et cum ea paululum spei. Arcessivit ex agro Oedipus vernam senem cui olim infans exponendus fuerit datus; is autem misericordia motus eum Polybi pastori cuidam tradidit educandum. Atque forte is Corintho adest nuntius ad Oedipodem de Polybi morte missus. Hi nunc inter se testes comparantur. Atque verna quidem ille quantum potest tergiversatur, sed singula ei invitissimo extorquet Oedipus. Iamque eo est perventum ut senex fateatur in aedibus Oedipi infantem illum natum. Unum etiam superest ut non servi alicuius sed ipsius Oedipodis et Iocastae filiolum eum fuisse

declaret. Quo facto nihil iam dubitationis, nihil spei restabit. Sentit hoc verna ideoque illud ultimum concessurus atrocissimæ rei convenienter exclamat:

οἴμοι, πρὸς αὐτῷ γ' εἶμι τῷ δεινῷ λέγειν

respondetque Oedipus:

κἄγωγ' ἀκούειν ἀλλ' ὄμως ἀκουστέον.

Sic nunc Geta, ubi illud Davi οἴμοι audivit, vocem ei faucibus haerere suspicatur ideoque ab illo id ipsum reticere quod eloqui non possit quivis servus quin οἴμοι praemittat. Vide nunc quam lepide omnia inter se cohaereant. Rogaverat Geta: „equid pistrinum exspectas et compedes?” Respondet Davus οἴμοι quod pro suo ingenio servili ita Geta interpretatur: „immo vero, crux mihi et cruciatus instat”. Nunc vero nihil aptius *rogare* potest Geta quam ipsum illud:

Τοιοῦτον ἐστίν, ὃ πονηρὸν σὺ;

#### AD PLINII EPISTULAM III, 21.

*Nam postquam desiimus facere laudanda, laudari quoque ineptum putamus.*

Sic Plinius rationem reddit cur exoleverit mos „eos qui vel singulorum laudes vel urbium scripserant aut honoribus aut pecunia” ornandi. Inse ergo, ut iusta causa fiat, *cupere* post *quoque*. Nam quae tradita sunt aut omni carent sensu aut eo sensu quo hic opus est.

J. J. H.

# DE PRIMA PROPERTII ELEGIA

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Praeclaros esse poetas et Tibullum et Propertium et Ovidium non, hercle, me dicente opus est. Sed quamvis sint praeclari omnes, suo quisque modo nos delectat. Apud Ovidium plana sunt et perspicua omnia et ad certam legem normamque composita dispositaque, ita ut sine ullo nostro labore luminibus ingenii, quibus ille tam multis splendet nitetque, perfrui possimus. Tibullus ab alia cogitatione deflectit atque delabitur ad aliam, sed sensim leniterque, ita ut sub finem demum elegiae sentiamus plane nos cum poeta a pristino aberrasse consilio et admirabundi rogemus qua via illinc huc pervenerimus, sed et hoc, denuo perfecta elegia, mox intelligimus. Apud Propertium vero delectatio tantum non semper cum molestia quadam admodum gravi est coniuncta, ita poeta ille dei plenus et vel amore vel ira vel quocunque alio ardens affectu subito ab alio ad aliud desilit argumentum, quo fit ut saepe arduum sit negotium, multisque obnoxium dubitationibus, tam quid singulae partes quam quid tota sibi velit elegia probe perspicere.

Quo vitio, si tamen vitium dici fas est inconstantiam illam in qua sola sibi constat eximius ille Amoris et Amorum cantor, ne haec quidem plane caret elegia quam primo poematum suorum praemisit opusculo. Sed multo minus frequens illud hic est multoque levius quam in plerisque aliis eius elegiis. Paene dixeris poetam consulto semet ipsum intra certos continuisse fines ne iam a limine lecturos deterreret. Certe quod sit primum totius elegiae argumentum nemo non vel obiter



ca adspecta intelligit. Plane de se et de salute sua desperat poeta, nulla arte nulla ope se curabilem declarat, Veneri in servitutem est addictus, unde unquam se manu missum iri nulla iam spes restat. Exemplo tantummodo se esse posse sentit aliis, quos suis retribus implicuit Venus, sed exemplo quod eos deterreat ab eo remedio quod ipso malo multo esse peius sit expertus. Ceteris enim rebus omnibus studiisque omissis totum se Amori dedit, sed Amori vago atque adeo vulgivago, at quantopere nunc eum insani illius paenitet consilii!

Hoc, moneo, vitate malum: sua quemque moretur

Cura, neque assueto mutet amore locum.

Quod si quis monitis tardas adverterit aures,

Heu referet quanto verba dolore mea!

En pulcherrimi carminis aptissimam clausulam, quae et ipsa egregie nos adiuvat ad perspicendum quomodo totum structum sit positumque.

Pauca quaedam tamen supersunt quae etiam atque etiam quam accuratissime sunt considerata ne nobis Ariadnes filum e manibus excidat.

Velut hoc est quod versu 17, postquam ex intimo mythologiae recessu Milanionem attulit tamquam exemplum amatoris qui multa quidem perpressus mala, multis perfunctus laboribus, quin etiam mortis adito periculo, impetravit tamen tandem aliquando ut suae preces a virgine quam deperibat exaudirentur, sic ad se miseramque suam redit condicionem:

In me tardus Amor non ullas cogitat artes

Nec meminit notas, ut prius, ire vias.

Hic ego non dubito quin cum Dousa *illas* pro *ullas* sit legendum. Quid enim? Milanionis Amor assiduitate et perseverantia ad exoptatum finem omnibus superatis obstaculis pervenit, at poetae amor *turdus* est et ignavus, quamvis probe noverit ipse victoriam reportari non posse nisi ab amatore forti, strenuo, pertinaci, iisque virtutibus verum amorem semper antehac usum esse et nunc quoque uti *solere*. Hae sunt *notae* illae *viae* amoris, quarum tamen hic amator immemor esse videtur.

Sed multo gravior est quaestio de versibus qui continuo sequuntur, quamquam ibi quoque in uno vocabulo atque in una literula insunt omnia.

Postquam enim satis perspicue et diserte declaravit se prorsus esse insanabilem, plane se de semet ipso et desperare et desperare debere, sic pergit:

19 At vos, deductae quibus est fallacia lunae  
 Et labor in magicis sacra piare focis,  
 En agedum dominae mentem convertite nostrae,  
 Et facite illa meo palleat ore magis.

De versu 20 non est quod multum disputemus. Sive enim, id quod ego commendo, traditam lectionem aequi bonique consulimus, sive pro *sacra* cum Baehrensio *fata*, sive cum Rob. Ungero *astra* legimus, ornate hic significantur artes quibus Medeae sorores uti solent (*sacra piare* = pia sacra facere; *fata piare* fere = deorum mentem flectere; *astra piare* = a sideribus implorare auxilium, omnia haec recte). Sed in versu 19 ipse versatur cardo disquisitionis de totius elegiae argumento consilioque.

Pro *fallacia* acutissimus ille criticorum Palmerus et ante eum venustissimus mortalium Fruterius coniecerunt *pellucia*, L. Muellerus *fiducia*. Neque quid eos ut traditam lectionem sollicitarent permoverit difficile est coniecere: absurdum iis visum est simul opem a sagis implorare simulque aperte declarare in illis opis nihil esse. Et iure visum est: „adeste mihi vos quae fraude et fallacia persuadere hominibus soletis penes vos esse aliquod in signa caelestia imperium” qui dicit easdem eodem tempore advocat et propius ad ipsum accedere vetat, ut mittam hanc vocabuli *fallacia* vim inepte repeti iis quae continuo sequuntur: „tunc ego crediderim vos astra fluminaque ducere posse”; *tunc crediderim* nam nunc non credo.

An totum illud:

At vos, deductae quibus est fallacia lunae,  
 Et labor in magicis sacra piare focis,  
 En agedum dominae mentem convertite nostrae,  
 Et facite illa meo palleat ore magis

cum acerba quadam derisione dictum putemus ita ut poeta et ceteros omnes homines infirmos credulosque et semet ipsum ludibrio habeat? Minime, minime vero: vetat hoc una vox brevissima sed et disertissima *at*. Hanc qui imperativo alicui praemittit non hercle vel acerbe vel leniter iocatur, sed ex

imo pectore ardentissimas profert preces, non rogat sed flagitat, instat, neque quidquam remittit. Hanc esse eius particulae vim nemo mortalium ignorat; iuvat tamen neque inutile videtur ex ingenti exemplorum copia pauca quaedam afferre quae rem quam maxime illustrent.

Ov. Met. I, 760 sq. Phaethon, postquam narravit patri qua sit affectus contumelia ab eo qui se Solis filium esse negaverit, multumque de ea questus est multumque lacrimavit, his verbis a patre opem petit:

At tu, si modo sum caelesti stirpe creatus

Ede notam tanti generis meque adserere coelo.

Iocaturne hic adolescentulus an id ipsum petit quod solum illam possit tollere maculam?

II, 88 Victus precibus tam ardentibus Sol filio se ei currum suum crediturum promittit. Sed iterum eum admonet periculorum quae eum maneant, eorumque denuo admonitus ipse filium rogat insanum illud consilium missum faciat:

At tu, funesti ne sim tibi muneris auctor,

Nate cave, dum resque sinit, tua corrige vota.

Suamne ipse ridet inconstantiam pater? Immo vero multis cum lacrimis filium obtestatur ne utatur dono quod utrique funestum sit futurum. Probe enim novit penes puerulum illum nunc esse concedendi negandique arbitrium.

Hor. C. I, 28, 23 sq. Narravit nauta, cuius conspicitur cenotaphium, quomodo procul inde cum navi sua interierit, vel potius pro eo narravit poeta qui titulum hunc sepulcralem composuit, idemque pro eodem praeternavigantem rogat:

At tu, nauta, vagae ne parce malignus harenae

Ossibus et capiti inhumato

Particulam dare.

Hic tamen aliqua certe fuerit semet ipsum deridendi causa; scire enim Anthologiae poeta potest se petere aliquid quod vix fieri possit; prudenter ergo omittit hoc: „si corpus meum in mari Illyrico inveneris”. Sed iocari eum noluisse pro certo constat.

Hor. Ep. V, 1 sq. Puerulus, postquam diu Canidia obnoxius fuit crudelitati, tandem aliquando in has erumpit preces:

At o deorum quisquis in caelo regis,

Terres et humanum genus!

Audisne gemitus victimae lacrimantis? Ut possis audire nihil magis quam at illud efficit.

Propertius tamen nostro loco non revera et sedulo opem petit a sagis Thessalis Colchicisve. Nihili eas facit, certe in sua causa nihil earum artes valere persuasissimum sibi habet clamatque. Sed facundissime illud declarat et ita ut cum praecedentibus egregie haec cohaereant. Non vero „at vos” scripsit, sed „aut vos”, quo sensu putas? Omnes magas sagasque provocat ut verum non esse demonstrent quod ipse paulo ante dixerit, certumque dent documentum se non esse insanabilem:

Aut vos, deductae quibus est fallacia lunae

Et labor in magicis sacra piare focis,

En agedum dominae mentem convertite nostrae,

Et facite illa meo palleat ore magis,

Tunc ego crediderim vobis et sidera et amnes

Posse Cytaines ducere carminibus.

Vides quam apte nunc illud *fallacia* hic sit positum: impudenter vos mentiri semper credidi et nunc quoque credo, sed si meum morbum sanaveritis, veracissimas vos esse concedam.

Nullum est in literis latinis usitatius ornamentum quam illud quo quis audientes, legentes, adversarios ad aliquam rem demonstrandam declarandamve provocat, ea conditione ut, si hoc fecerint illi, ipse iam nihil non facere, dicere, concedere sit paratus. Ciceronis prae ceteris est illud „quovis pignore contendam” (huc enim provocatio illa redit), qui quantopere ea formula non utatur solum sed saepe abutatur iuvat exemplis quibusdam demonstrare: videbunt legentes in hac certe re nostrum iudicium admodum a summi oratoris Romani iudicio discrepare.

pro Caelio § 10: „ad quem (Catilinam) si accessit (Caelius) aut si a me discessit unquam, tum existimetur Caelius Catilinae nimium familiaris fuisse”.

Verr. I, 12 (insigne est hoc et paene ioculare exemplum): „hoc si licuisse sibi ostenderit, ego oportuisse concedam”.

pro Rosc. Am. § 76 „in his si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam”.

ib. § 109 „nisi intellexeritis, iudices, nullum esse officium,

nullum ius tam sanctum atque integrum, quod non eius scelus atque perfidia violarit et imminuerit, virum optimum esse eum (Capitonem) iudicatote”.

Et possunt multa alia afferri exempla, non e Cicerone solum sed etiam e scriptoribus Graecis, sed haec **sufficiunt ad demonstrandum** quam apte illo **aut** Propertius conditionem ferat sagis easque provocet.

Denique quo modo nunc pergitur? In optimis codicibus haec sunt:

Et vos, qui sero lapsum revocatis, amici,

Quaerite non sani pectoris auxilia.

Fortiter et ferrum, saevos patiemur et ignes e. q. s.

Sed pro *et* Hemsterhusius coniecit *aut*, quod multo praestat. Perfecisset emendationem si *at* reposuisset quod et codex F habet a manu secunda. Nam non ut sagas Propertius amicos spernit, odit, contemnit, sed in eorum fide ultimam reponit spem, eorum opem, licet exigua ea spes sit, revera tamen implorat. Quamvis enim de aliis omnibus desperet, tamen de fide eorum non dubitat.

#### EMENDATUR SCHOLION AD HORATIUM.

Praeclari illius operis quod composuit Chatelain et hocce ornavit titulo: *Paléographie des Classiques Latins* tabula LXXXV paginam exhibet Codicis Horatium continentis Parisini 7975 in qua supra vocem *fastidiosa* (est versus Ep. XVII, 73: *fastidiosa tristis aegrimonia*) scriptum est:

TICATECTVMENE

Quodnam vocabulum latere hic putas! Nemp: *δυσαρστούμενη*.

J. J. H.

# AD LUCRETIIUM

SCRIPSIT

JACOBUS VAN WAGENINGEN.



Iam multi viri docti locum in libro tertio de rerum natura, ubi Lucretius agit de quattuor atomorum generibus, e quibus animum constare putat, sanare conati sunt. Ipsius Epicuri sententia, quam poeta Latinus secutus est, nobis servata est a Plutarcho aliisque, cf. Usener fragm. Epic. 314—315: Ἐπίκουρος (τὴν Φυγὴν) κρᾶμα ἐκ τιττάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους (e vapore sive calore), ἐκ ποιοῦ ἀερώδους (ex aëre), ἐκ ποιοῦ πνευματικῶ (ex aura), ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκκτονομάστου (e natura quarta nominis experti), quam sententiam Lucretius (III 232—240) sic reddidit:

tenuis enim quaedam moribundos deserit aura  
mixta vapore, vapor porro trahit aëra secum,  
nec calor est quisquam, cui non sit mixtus et aër:

235 rara quod eius enim constat natura, necessest  
aëris inter eum primordia multa moveri.

iam triplex animaest igitur natura reperta:  
nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum,  
nil horum quoniam recipit mens posse creare

240 sensiferos motus † quaedamque mente volutat. †

Ultima verba corrupta necdum emendata sunt, neque ulla e coniecturis, quae a Vossio Lachmanno Munrone Bernaysio <sup>1)</sup> aliisque propositae sunt, Heinzio et Baileio satis placuit, ut

1) *qui dant quae mente volatiles* Vossius, *quaedam vis menti volutat* Lachm., *et homo quae mente volutat* Munro, *ut quidam manticulantur* Bernays.

eam in textum recipent: uterque medelam veram nondum repertam existimat. Itaque si quis miratur me quoque numerum coniecturarum augere velle, haec est causa, quod diversus a plerisque Lucretii interpretibus, in alia sede versus 240, atque illi, mendum latere mihi persuasum habeo. Nam nisi statuas inter *sensiferos motus* et *quaedamque* duo hemistichia intercidisse, admodum veri simile est, ablativum *mente* male e superiore versu repetitum esse a librario, cui in auribus praeter illud *mens* e versu superiore fortasse etiam haerebant versus Vergiliani exeuntes in verba: *corde volutans* vel *corde volutat*. Accedit quod in v. 239 locutio *recipit mens* nihil habet, quod iure reprehendas (cf. I 377; „scilicet id falsa totum ratione receptumst), neque cum Bernaysio in obscurum illud *recipit res* mutanda est. Mihi autem emendandi viam monstrare videntur versus qui sequuntur, quibus Lucretius sententiam suam complectitur 241—245:

quarta quoque his igitur quaedam natura necessest

attribuatur: east omnino nominis expers;

qua neque mobilius quicquam neque tenuius exstat

nec magis e parvis et levibus est elementis;

245 signiferos motus quae didit prima per artus.

Natura igitur quarta, nominis expers, e parvis levibusque elementis constare et sensiferos motus per artus didere dicitur. Quod si tenemus, sponte ad hanc versus corrupti (240) emendationem ducimur:

nil horum quoniam recipit mens posse creare

sensiferos motus, *quandoque* <sup>1)</sup> *elementa volutat* <sup>2)</sup>

h. e. quoniam mens, quoties elementa (aurae, caloris, aëris) volutat (= perpendit), non recipit (= credere nequit) horum quicquam posse creare sensiferos motus; non enim illa elementa satis parva et levia sunt ad hoc opus subtile fungendum.

1) Kühner L. G. II<sup>o</sup> 2, p. 365, 3; Schmalz L. G.<sup>o</sup> p. 555.

2) Ut alibi aliquis dicitur aliquid *in pectore* vel *in animo* vel *cum corde suo* volutare, sic hoc loco ipsa mens volutat rem. Mens etiam recipit, vulgo tamen nos aliquid mente recipimus.

# OBSERVATIUNCULAE DE IURE ROMANO.

SCRIPSIT

J. C. NABER S. A. FIL.

(continuantur ex vol. XLV p. 440).



## CXI

### DE MENSURAE GENERIBUS.

Pars prima.

Multum tribuebat Mommsen <sup>1)</sup> gromaticae institutioni, quam adiunxit Rudorff corpori gromaticorum, nec potuisse eam putabat melius ordinari <sup>2)</sup>. Meruit utique de gromaticis Rudorff; cavendum tamen, ne nimia et quasi caeca laudatio obsit potius quam prosit laudato. Etenim, quid absurdius, quam tractaturum de arte mensoria eiusque cum iure civili ratione praeponere rationem, ipsam artem ad finem operis ablegare <sup>3)</sup>. Quo fit, ut apud Rudorffium obscura maneant, quae pro fundamento esse debent: mensurae genera, quibus haec ipsa sacrabitur observatiuncula. Ager igitur rudis citra goniometricam rationem, unde se abstinuerunt quum Graeci tum Romani mensores <sup>4)</sup>, dupliciter potest ad mensuralem condicionem redigi et formae

---

1) Herm. XXVII (1892) p. 79 (= *Ges. Schr.* V 8).

2) Appellat eam „*im Beherrschung und Ordnung des Materials musterhaft*“.

3) *Feldm.* II p. 229: „*wir (fassen) . . . die rechtlich-politische Seite der Kunst vor der technischen ins Auge*“.

4) Cf. Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 421 (ia. p. 399).



tradi, quod Graeci *μίμημα* appellant <sup>1)</sup>. Obligabitur enim vel triangulis <sup>2)</sup> quibuslibet, quorum omnia latera enuntientur, vel normalium <sup>3)</sup> linearum, id est, quae rectos angulos efficiant, intervallis <sup>4)</sup>, quod appellant Graeci *ἐξ ἄρθρωγώνιου* <sup>5)</sup>. Haec sola placuit mentoribus Romanis, ideo, ut videtur <sup>6)</sup>, quia altera requirit, ut toties *latus sumatur* <sup>7)</sup>, quam Graeci *πλευρὰν* appellant, nos radicem. Ergo Romanis mentoribus in omni mensura *salva est rectorum angulorum ratio* <sup>8)</sup>; at ne sic quidem apud eos una est mensura sed aut *enormis* aut *liquis* <sup>9)</sup>. Enormis est mensura laboriosa, quae *in omnem actum extenditur*, liquis, quae *minuendi laboris causa . . . secundum ipsam extremitatem subtenditur*. Illud *in omnem actum* haud male vertit Bursian <sup>10)</sup>: *in omnem partem*, sed arridet potius emendatio: *in omnem actu(s parte)m* <sup>11)</sup>. Agitur utique de agro in quadras <sup>12)</sup> secando, quod laboriosius, quam extremitatem solam

1) Hero, *περὶ τῆς διόπτρας* § 25. Alias forma dicitur, quod Graeci *σχῆμα* appellant, figura mathematica (Cantor, *die röm. Agrimensoren* (1875) p. 100).

2) Quadrilateris quibuslibet obligari posse, vetus error fuit Aegyptiorum, quem notavimus supra (cap. CVII). Errorem refutat Hero, *Metric.* (ed. Schöne) I 15 (fol. 76 V.): *τῶν γὰρ αὐτῶν πλευρῶν δοθεισῶν τοῦ τετραπλεύρου μεταπίπτει τὸ ἔμβαδὸν διαρομβουμένου αὐτοῦ καὶ παρασπωμένου ἐν ταῖς αὐταῖς πλευραῖς*. Dabit plura Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 172/3, 549/50.

3) *Mathematicas* appellat Rudorff, *Feldm.* II p. 285.

4) Jordan, *Handb. der Vermessungsk.* I (1877) § 59.

5) P. Oxy. 1270, 26.

6) Idcirco mirifica est sententia Cantoris, *Vorlesungen* I (1907) p. 28: „*Quadratzahlen . . . eine unmittelbare Brauchbarkeit bei Vermessungen zuzuweisen fällt schwer*“, quum ipse doceat (p. 27/9) convertendo numeros intercalandoque posse latus sumi et veniam det eorum pigritiae, qui potius mensuram corrumpant, quam latus sumere discant (*Agrimensoren* (1875) p. 33; *Vorlesungen* I (1907) p. 111). Habet revera mensoria ratio Romanorum „*de(n) practisch bedeutende(n) Vortheil, dass die Ausziehung einer Quadraturzel vermieden ist*“ (p. 33 cit.) sine ullo artis detrimento.

7) Cuius rei docebit Hero, *περὶ τῆς διόπτρας* § 30, praeterea, quomodo sumendum sit: *Metric.* (ed. Schoene) I 8. Qua de re valde ambigebat Cantor, *die röm. Agrimensoren* (1875) p. 56/8. Cf. nunc quidem *Vorlesungen* I (1907) p. 371/2.

8) Gromat. p. 100 lin. 1—4. — Rebellat Brugi, *Atti dell' istit. Veneto* 58 (1898/9) p. 68, et addit: „*negli stessi libri coloniarum trovi terreni con figure irregolari*“.


9) Gromat. p. 99 sq.

10) *Feldmesser* II p. 481.


11) *Actu(s)* est ipsum opus mentorium: Gromat. p. 7 lin. 7 (Thulin 3, 3).

12) (*Fundos minu(tos)*) appellavit Licinianus, si recte habet Mommseniana lectio (Weber, *Agrargesch.* p. 30, qui debuerat laudare CIL X pag. 366).

normalibus lineis et rectis angulis obligare. Cuius igitur agri extremitas *concluditur* <sup>1)</sup> *rectis angulis [ex] pluribus* <sup>2)</sup> *quam quinque* <sup>3)</sup> aut hoc modo, si exteriores anguli computabuntur:



aut, si minus computabuntur <sup>4)</sup>, hoc:



qualis extat agri forma inter vetustissima, id est, ipso Hammurabio antiquiora priscorum Chaldaeorum monumenta <sup>5)</sup>, —

1) Lin. 16: *per (form)am*, id est, figuram mathematicam.

2) Lin. 9: *in quantacumque multitudine cogitaveris*.

3) Gromat. p. 107 lin. 6—9.

4) Videntur sane computandi, ne superior figura, quae mensuralis est — constat enim ex duobus parallelogrammis rectangularibus — inter mensurales locum non inveniatur.

5) Ediderunt tabellam Oppert, *Comptes-rendus de l'acad. des inscr.* 1896 p. 331 sqq.; Eisenlohr, *ein alt-babylonischer Felderplan* (1896); Thureau-Dangin, *Revue d'Assyriologie* IV (1898) p. 13 sqq. Adsignat posterior uterque eam anno circiter 2500 vel 2400 ante Chr., fecerat Oppert aliquot saeculis antiquio-

is ager appellatur *mensura per extremitatem comprehensus*<sup>1)</sup>, quod quid sit neque dixit suo loco Mommsen<sup>2)</sup> neque dixerat Weber<sup>3)</sup>. Requirit ille extremitatis obligationem („*Grenzfeststellung*”), hic praeterea formam („*Land bei welchem die Flurkarte nur die [aeusseren] Flurgrenzen enthält*”), sed neuter dixit, quomodo hoc procedat, quod tamen perspexerat Stoeber<sup>4)</sup>, sed perspectum infra lineam abscondit. Itaque, qui post illos venit, Meitzen etiam negat<sup>5)</sup> per extremitatem („*anders . . . (als) durch ein Netz von Coordinaten*”) obligari posse, sive non intellexit sub ipsam extremitatem normales lineas duci sive nescivit spatium, quod hoc modo includatur, esse mensuralem. Ex diverso in quadras qui sectus est, quod genus extat forma papyracea saeculi ante Chr. tertii<sup>6)</sup>, is ager appellatur *divisus*<sup>7)</sup>, quod ne Weber quidem dixit. Hoc enim dixit<sup>8)</sup>: apud Romanos semper dividi *rectis lineis* („*geradlinig*”), quod non sufficit, quia rectis lineis etiam dividitur *εις ἴσα μέρη*, et interest, quod illa divisione certae modo, ex diverso hac fiunt certae numero partes<sup>9)</sup>. Itaque multo rectius Mommsen<sup>10)</sup>: divisionem, de qua agitur, semper fieri *normalibus lineis* („*nie anders als durch RECHTWINKLIGE Schnittlinien*”), sed non dixit, quomodo id pendeat e communi mensurarum ratione. Divisionem *εις ἴσα*

---

rem. Interiori *quadraturae* (cf. Gromat. p. 107 lin. 7) adhaerent cum suis podismis trigona trapizea subsiciva. Cf. Cantor, *Vorlesungen* I (1907) p. 28 (qui non videtur perspexisse totam, qua de agitur, figuram esse mensuralem, sit licet „*kein einziges von den dort gezeichneten Feldern . . . quadratisch*”).

1) Gromat. p. 1 lin. 4 (Thulin *ῥοζύρωσ*).

2) Herm. XXVII (1892) p. 79 sq.

3) *Agrargesch.* p. 43.

4) *Die römischen Grundsteuervermessungen* (1877) p. 112. Est hic auctor praeterea conferendus (p. 121, p. 124/5) de *praecenturiato* illo *spatio*, quod reddidit vel obtulit Frontino Lachmann, Gromat. p. 32 lin. 1 (Thulin 15, 19).

5) *Siedlung und Agrarwesen* I (1895) p. 299.

6) P. Lille 1.

7) Non refert, sitne praeterea is ager publicus an privatus, quod male cum illa gromatica divisione miscet Rudorff (*Feldmesser* II p. 284 sqq.), qui putabat agrum dici non posse *divisum*, antequam privatus factus esset.

8) *Agrargesch.* p. 14 lin. 8.

9) Utraque tamen *mensuralis* est; mensuralis non est, quae fit *regionibus* (§ 5 Inst. IV 17) QUI PRUSLIBET (Mommsen, Herm. XXVII (1892) p. 80: „zu beliebigen Theilen”).

10) Herm. XXVII (1892) p. 80.

μέρη Romani menses alto silentio transmittunt, ex diverso Hero <sup>1)</sup> et Pediasimus <sup>2)</sup> et Beck <sup>3)</sup> et Jordan <sup>4)</sup> aliam non agnoscunt <sup>5)</sup>. Sic apud antiquos Germanos, quorum artem describit Meitzen <sup>6)</sup> eatenus, quatenus lineis ordinatis, id est, parallelis lineisve concurrentibus divisum sit — eius enim, quam pro antiquiore habet, quae fiebat divisio lineis intercurrentibus, rationem non tradit <sup>7)</sup> — semper <sup>8)</sup> divisum videtur, sicuti praecipitur a scabinis Brunnensibus <sup>9)</sup>, in partes numero certas non modo <sup>10)</sup>; qualem divisionem etiam intelligere mihi videor apud Homerum <sup>11)</sup>:

ἀλλ' ὅστ' ἀμφ' οὐροισι <sup>12)</sup> δὴ ἀνέρε δηριάασθον  
μέτρ' ἐν χερσὶν ἔχοντες ἐπιξύνω <sup>13)</sup> ἐν ἀρούρη <sup>14)</sup>,  
ὧτ' ὀλίγω ἐνὶ χώρω <sup>15)</sup> ἐρίζητον περὶ Φίσης.

Ubi quaeri potest, cur ἐπίξυνον appellet territorium, in quo singuli suam quisque partem possideant <sup>16)</sup>. Sed hoc vel ideo,

1) Περὶ τῆς διόπτρας § 24 (in. § 28); § 26 (in. § 29).

2) c. 2; c. 44—59.

3) De iure limitum (1729) II cap. 3 (von der Landtheilung).

4) Handbuch I (1877) § 63.

5) Quia eodem redivisio εἰς τὸν δοθέντα λόγον, quam subiecit materiam Hero, Metric. (ed. Schoene) lib. III.

6) Siedelung und Agrarwesen I (1895) p. 83—106.

7) Sed scribit Blink, Tdschr. aardrijksk. genootsch. XVIII (1901) p. 757/8, istam divisionem ante artem („voordat de meetkunde er . . . op werd toegepast“) percerebruisse.

8) Cf. tamen Loersch et Schroeder, Urkunden I (1881) no. 128 (104).

9) Schoeffenbuch (ed. Roessler) cap. 479; 213.

10) Quod scribit Meitzen, op. cit. I p. 111 (cf. p. 100 sq.): vetustiore illam divisionem factam esse iugeribus („nach Morgen“), id refellit ipse, dum perhibet (p. 101/2), ea iugera non mensuralia fuisse, sed pro agri copia et acceptarum numero maiora vel minora („nominell(e) Morgen“).

11) M 421—423.

12) Intelligi potest vel cum vicino finium regundorum vel cum socio divisionis controversia: (Guiraud, la propriété foncière en Grèce (1893) p. 39). Illud videtur Esmeinio (Nouv. rev. histor. XIV (1890) p. 833) et est vero similis.

13) Non omnes ἄρουραι sunt apud Homerum ἐπιξυνοί, sed quaedam singulorum (A 68); quin immo plures simul sub unius dominio esse possunt (X 499. E 122).

14) Intelligere debemus territorium (cf. A 68: ἀνδρὸς μάκαρος κατ' ἄρουραν), non quamlibet possessiunculam. Quamobrem illa, duorum plebejorum (ἀνδρῶν), περὶ Φίσης esse debet controversia de accepta, quod sine causa dici putat Guiraud (l. l.: „qui nous dit que ces parcelles leur ont été assignées?“).

15) Germani: „Gewann“.

16) Similiter quaeri potest, quam κοινὰν χώραν Medeonii intelligant apud: Michel 24 lin. 50.

quia non totum adsignatum erat, sed unus pluresve χωροί, ut apud Germanos, longe maiore parte indivisa, vel ideo, quia non pleno iure singulorum factum erat <sup>1)</sup>, vel eo denique modo, quo lege Burgundionum <sup>2)</sup> *inter Burgundiones et Romanos id praecipitur observandum, ut quicumque IN COMMUNI CAMPO nullo contradicente vineam fortasse plantaverit, similem campum illi restituat, IN CUIUS CAMPO vineam posuit, ubi utriusque communis dicitur et mox idem campus alterius proprius. Quod videbatur hac luce clarius Gallico historico, cui superstite principatum multi deferebant <sup>3)</sup>; Transrhenanus collega putabat de communi pro indiviso campo agi, quum sit is èt utriusque èt utrius <sup>4)</sup>; adstipulamur nos Ottoni Stobbe <sup>5)</sup> sic interpretanti: intelligi campum, qui olim communis fuerit, nunc divisus sit, qui Romanis dicitur *pro diviso communi(s)* <sup>6)</sup>, idque confirmatur lege Visigothorum <sup>7)</sup>, ubi *communi campo* substituitur *terr(a)* (mox *portio consortis*, cui opponitur *alieni fundi territorium, in quo (quis) consors non est*. Est igitur campus in lege Burgundionum communis *pro diviso*, perinde ut apud Plutarchum <sup>8)</sup>: *οἱ δὲ νῦν ἀδελφοὶ . . . ἂν μὴ κλίμασι καὶ ποταμοῖς καὶ διατειχίσμασιν ὀρίσῳσι τὰ κοινὰ* (id est: *divisa*) . . . *οὐ παύονται διαφερόμενοι*, et in contractu papyraceo <sup>9)</sup>, ubi vendit femina quaedam τὸ ὑπάρχον αὐτῇ κοινῶς, quod recte vertit Preisigke „*alleinig*“, ἐν οἰκίᾳ πρὸς τῷ δώματι συμπόσιον. Eodem igitur exemplo apud Homerum ἐπίξυνος ἀρσυρὰ dicta est, quae venerit in adsignationem, nec aliter locuti sunt veteres Angli <sup>10)</sup>. Apparet Homero*

1) Sic apud Germanos, quia non pleno iure adsignabatur, manebat communio (Maurer, *Einleitung* etc. (1854) § 42, § 44, § 65; cf. quoque Stobbe, *Handbuch I* (1871) § 55 not. 15), modo excipiatur domus uniuscuiusque et hortus (Waitz, *Verfassungsgesch. I* (1880) p. 125 not. 1). Nec dubitat Esmein, *Nouv. rev. histor. XIV* (1890) p. 833, quin ἐπίξυνοῦ is verus sensus sit („*la portée véritable de cette épithète*”).

2) XXXI § 1.

3) Fustel de Coulanges, *l'Alleu* (1889) p. 177: „*cela est clair*”.

4) Gaupp, *die germ. Ansiedl.* (1844) p. 329.

5) *Handbuch II* (1875) § 88 (p. 120).

6) L. 5 § 16 D. 27. 9.

7) X 1 § 6, § 7.

8) Aem. Paul. 5 (i. f.).

9) Argentor. 14 (*Archiv IV* p. 339 not. 4).

10) Vetustissimum exemplum: Kemble 503 (*singulis iugeribus in communi* (i. e. adsignato) *rure huc illucque dispersis*).

cognitam fuisse divisionem mensuralem <sup>1)</sup> εἰς ἴσx μέρη, et adsignationem, sed venisse in divisionem et adsignationem non integras ἀρούρας, sed singulos χώρους et eos ἐλίγους; consortes igitur *particulas* quemque suas *in diversis locis* possedissee, quemadmodum *in multis Italiae regionibus* etiam Siculi temporibus possidebatur <sup>2)</sup>, nam de Germanis decantatum est <sup>3)</sup>. Etsi temere ad Siculum Flaccum remittit Meitzen <sup>4)</sup> demonstrandi causa apud Romanos inter initia ἐν σφραγῖσιν <sup>5)</sup> adsignatum esse, quod negasse aliquando videtur Mommsen <sup>6)</sup> non habita ratione Flacci. Docebit enim Tocqueville <sup>7)</sup> posse ἐν σφραγῖσιν possideri, licet ἐν σφραγῖσιν adsignatum non sit, per lubidinem sic dividentibus sociis <sup>8)</sup> vel morem gerente arbitro <sup>9)</sup>. Quocirca ne Homeri quidem locus quidquam probaret, si posset pertinere ad privatam divisionem. Quod putabat Guiraud <sup>10)</sup>, nec animadvertibat, quod supra adnotavimus <sup>11)</sup>: solos μᾶκαρας ἄνδρας integras ἀρούρας possidere. Superest divisio, quae normalibus fit lineis, nec Romanorum est omnino propria, siquidem veteres iam reges Aegyptum κατανεῖμαι dicuntur <sup>12)</sup>, deinde κλήρον ἴσον ἐκάστῳ τετραγώνον (δοῦναι),

1) Nescio, an plus dicere voluerit Buchholz, *Homeric Realien* II 1 (1881) p. 97, his verbis: „regelrecht(e) Landvermessung“.

2) Gromat. p. 152 lin. 5—10 (Thulin 116, 6—11) ia. p. 134 lin. 16 (Thulin 98, 8).

3) Eodem modo apud Turcos arva publica coluntur conducentibus κώμαις et inter κωμήτας sortito dividentibus quotannis (Emelius, *Allgem. Vermessungsnacht.* 22 (1910) p. 129). Similiter P. Flor. 20 (Chrestom. I 359) lin. 80—84, ἐὰν συμβῆ τὸ πεδῖον τῆς κώμης διαιρεθῆναι, nihil impedit, quominus κληρώσηται τις duas vel tres agras περὶ Θεσσαλείαν, tres vel duas περὶ Πολυδευκείαν. Obsecurum hoc tamen est, quomodo unius κώμης πεδῖον per duas κώμας extendatur.

4) *Siedelung und Agrarwesen* I p. 302/3.

5) Vel κώμαις. Utramque vocem habent Papyri (= Hom. χώρος).

6) *Röm. Gesch.* I (1861) p. 183<sup>1</sup>.

7) *Ancien régime* (1856) p. 36.

8) „Je trouve dans un rapport secret: ... ‘les successions se subdivisent d’une manière ... inquiétante, et, chacun voulant avoir de tout et partout, les pièces de terre se trouvent divisées à l’infini’ ...” Similia laudat Anglica testimonia Gray, *English field systems* (1915) p. 186/7, p. 191.

9) Morem gerere vetatur lege Ephesina, *Inscr. jur. gr.* V § 5 (... οἱ δὲ λαχόντες διαιρέτωσαν ... μὴ διατπώντες ... ἀλλὰ τὰ μέρη τέμνοντες συνεχῆ ἀλλήλοις, id est σφισὶν αὐτοῖς).

10) L. l.: „pourquoi le champ en litige n’aurait-il pas été auparavant une propriété indivise entre eux (deux)“.

11) Infra lineam.

12) Herod. II § 109. — Cf. praeterea Aristoph. Av. 996.

utque id sit fabulosum, profecto mera non est fabula Δίμνης divisio <sup>1)</sup>, de qua diximus supra <sup>2)</sup>. Etiam hodie <sup>3)</sup> eodem prorsus modo, antequam venit, dividitur, quidquid agri publici populi Americani in terra America usquam superest <sup>4)</sup>. Quin immo persuadere cupit Meitzen <sup>5)</sup> veterem Hiberniam in partes modo certas („nach (Flüchenm)aussen“) divisam fuisse neque id ullam habere difficultatem <sup>6)</sup>. Quam contendit Weber <sup>7)</sup> regionibus quibuslibet principum arbitrio („in willkürliche Blöcke“) divisam, ergo ne mensuraliter quidem, quod sane est credibilis. At Corcyrae Nigrae, insulae Dalmaticae, divisionem quarto ante Chr. saeculo institutam esse in partes modo certas constat; promittuntur enim <sup>8)</sup> singulis colonis πέλεθρα τέσσαρα καὶ ἥμισυ, iis praeterea, qui primi nomen daturi sint, ἐξάρητο(ς) (ὁ) πρώτο(ς) κλάρο(ς) . . . πέλεθρα τρία. Ex diverso Lesbi divisio ab Atheniensibus mensuraliter quidem instituta videtur sed in partes numero certas <sup>9)</sup>, sicut fabula fingit <sup>10)</sup> a Lycurgo solum divisum Laconicum <sup>11)</sup>, nec aliter in sua re publica dividere Plato <sup>12)</sup>, cui sententiae non obstat, quod iubet (ἴσα)

1) Quam appellat Viereck, Herm. XXX (1895) p. 122: „eine regelrechte Einteilung“.

2) Cap. harum observ. CVII.

3) Coepit res anno 1785 (H. Verloren van Themaat, *Eene studie over het grondbezit in de V. S.* Diss. Leid. 1912 p. 105).

4) Brockhaus, *Convers.-lex.* XVI (1887) p. 185: „In den neuern Staaten und Gebieten besitzt die Union noch eine grosse Menge öffentlicher Ländereien, sogen. Kongressland“. „Die Union lässt (dieses) vermessen, in Vierecke von 36 engl. Geviertmeilen townships genannt, abtheilen, und diese letztern in Quadrate(n) von einer engl. Geviertmeile . . ., sogen. Sektionen, . . . öffentlich versteiger(n)“. Cf. Schulten, *Abhandl. (Gött.)* II 7 (1898) p. 7<sup>2</sup>; id. *Bull. archéol.* 1902 p. 129 (laudat utrobique Gulielmum Roscher, *Kolonien* (1856) p. 305); Reclus, *Nouv. Géogr. univ.* XVI (1892) p. 702/3 (sed est apud hunc 1000 = 36).

5) *Siedelung und Agrarw.* I (1895) p. 175/6 (ia. p. 200). — Simile quid φαντάζονται de Cantia Gray, *English field systems* (1915) p. 282—304: inga, in quibus possidebatur eius provinciae pars quaedam, fuisse parallelogramma rectangula (p. 284) et a Romanis post se relicta (p. 415/6).

6) „die einheitliche Durchführung der Landesvertheilung (konnte), wenn sie Beschluss der Landesversammlung war, keinen wesentlichen Schwierigkeiten begegnen“ (op. cit. p. 197). Loquitur de sexto vel septimo p. Chr. saeculo (p. 196).

7) *Agrargesch.* p. 19 not. 17. Cf. Gray, op. cit. p. 188.

8) Dittenb. Syll. (1900) no. 933.

9) Thucyd. III 50 § 2.

10) Grote, *Hist. of Greece* P. II cap. 6.

11) Plut. Lyc. 8.

12) Leg. V 14.

γίγνεσθαι τὰ . . . μέρη τῶν τὰ μὲν ἀγαθῆς γῆς εἶναι σμικρὰ τὰ δὲ χείρονος μείζω, quod etiam observatum esse in Lesbi divisione et observatum fingi in fabulosa illa Laconiae partitione, ideo manifestum est, quia Laconicis sortibus omnibus eadem ἀποφορὰ adfingitur, Lesbicis sub eadem mercede omnibus inventi sunt conductores. Nam potest aestimationis <sup>1)</sup> ratio haberi in utroque divisionis genere <sup>2)</sup>. Gizerichus utro modo fidelibus suis Zeugitanam dividerit, nescio: traditur utique mensuraliter (*funiculo*), sicuti Rollo postea Neustriam <sup>3)</sup>. Nam huius adnepos Angliam ne divisit quidem <sup>4)</sup>, et errat in ea re Hallam <sup>5)</sup>, quum perhibeat eum divisisse in 60,000 sortium („*William the Conqueror, we know* <sup>6)</sup>, *distributed this kingdom into about 60,000 parcels of nearly equal value, from each of which the service of a soldier was due*”). Computata sunt militum feoda, non divisa, et in computando ridicule exaggerata <sup>7)</sup>, postquam placuit centum post annos, quam in Angliam Normanni advenerunt, certum pro singulis identidem his, non ut hactenus veteris iuris exemplo <sup>8)</sup>

1) In aestimationem venire posse non tantum bonitatem, sed etiam *longinquitate(m)* (Liv. VIII 11 § 4) perspicuum est.

2) De divisione εἰς ἴσα μέρη cf. Jordan, *Handbuch* I § 63 (i. f.). De divisione limitibus: Gromat. p. 156 lin. 15/7; 169 lin. 10/1 (Thulin 120, 21/3; 134, 11/2); *Feldmesser* II p. 365. De divisione per strigas et per scamna: hic paulo infra. Veteres Germani quomodo hoc plerumque (Oluffsen apud Meitzen, *Siedel. und Agrarw.* I p. 22 lin. 34/7) et in agro (cf. Meitzen, op. cit. I p. 79 lin. 15/7) vitaverint, dicit Weber, *Agrargesch.* p. 19 (cf. Maurer, *Einleitung* etc. § 34).

3) Gaupp, *die german. Ansiedl.* (1844) § 30 (p. 204). De Cleomene Laconici soli divisore ne hoc quidem traditur (Plut. Cleom. 11).

4) Stubbs, *Constit. Hist.* I (1874) p. 258 (marg.).

5) *State of Europe* I (Paris. 1840) p. 89<sup>a</sup>.

6) Fontem non laudat, sed videtur esse Ord. Vit. IV 7 (Stubbs, *Select. charters* (1870) p. 79).

7) Vel moderatio computatio (32,000) omnem fidem superat. Cf. Stubbs, *Constit. Hist.* I (1874) p. 432; Drummond, *Encycl. Britann.* XIV (1882) p. 144; Maitland, *Domesday and beyond* (1897) p. 511 summa.

8) Kemble nis. 583; 642; 797; 1057; Stubbs, *Select charters* (1870) p. 83, p. 87 (ex libro Wintoniensi): *civitas de Cestre tempore regis E. geldabat pro 50 hidis; per totam Bercheschiram dabat hida* (bis in anno) 3 denarios et obolum; Dial. de scaccario I 11 (*Sel. charters* p. 195): *hic reditus Danegeldum dicitur . . . Annua lege . . . sub indigenis regibus solvebatur*, sub Normannis raro. Cuius sententiae priori parti concordant leg. Edw. Conf. 11 (Liebermann p. 634), posteriori repugnat potius Henr. Hunt. V § 29; VIII § 3 (i. f.). Cf. Stubbs, *Constit. Hist.* I (1874) p. 278/9, 381, 462, 582; Liebermann, *Ueber die leges Edw. Conf.* (1896) § 49; id., *Gesetze* II p. 345.



pro singulis utique *hidis* exigere <sup>1)</sup>). Computata sunt, non divisa, quia militis feodum, licet non semper, intellectu consistit, sicuti caput vel iugum, ad quod tributa solent exigi. Ideo diximus: non semper, quia excipienda sunt feoda *nominatim* data <sup>2)</sup>, qualia iam habet liber Wintoniensis pleraque unius hidae <sup>3)</sup>; inveniuntur saeculo post binarum, quaternarum, quinarum, senarum <sup>4)</sup>, mox apud Matthaëum Parisiensem <sup>5)</sup> quinarum, senarum, septenarum, octonarum, et quod excurrit, hidarum. Cuius generis fuit, quod confirmatur <sup>6)</sup> ab Henrico I *feodum unius militis in Gidoinga, sicut Ingelranus de Auco illud tenuit et Canonicis dedit*. Quae quia plerumque inter consortes regionibus divisa sunt <sup>7)</sup>, ideo in monumentis frequens est, ut vindicentur tot *carucatae* <sup>8)</sup> UNDE octo <sup>9)</sup> vel UNDE duo-decim <sup>10)</sup> vel UNDE sedecim <sup>11)</sup> vel UNDE viginti septem <sup>12)</sup> vel UNDE duodequingenta <sup>13)</sup> faciunt unum feodum militis, id est: de octo etc. carucatis feodum unius militis facientibus carucatae tot <sup>14)</sup>. Quod ideo manifestandum est, quia, *si fuerit (terra illa) pars feodi militaris, pro quantitate terrae servitium feodi inde praestabit(ur)* aut statim ab initio aut *post tertium*

1) Dial. de scacc. I 8 (*Sel. charters* p. 190 summa): *interdum . . . summa* (tributi) . . . *per hidas distribuitur*, id est, (I 10 = *Sel. charters* p. 196) *constituitur*; I 9: *interdum . . . discern(it) rex de singulis feodis militum . . . soloi*. Vocat illam *commune(m) assisa(m)*. Plura dabit Stubbs, *Const. Hist.* I (1874) p. 383, 386, 456\*, 472<sup>1</sup>, 501<sup>1</sup>, 523, 581/2, 584, qui de suo addit (p. 383, 386) communem assisam ex libro Wintoniensi exigi solitam, nam, quo remittit (p. 584), Dial. de scacc. I 16 id non continet.

2) Stubbs, *Const. Hist.* I (1874) p. 264<sup>7</sup>.

3) Ellis, *Introd. to Domesday* I p. 60.

4) Stubbs, *Const. Hist.* I (1874) p. 264 (ex libro scaccarii nigro).

5) Vit. abb. (ed. 1644) p. 86. Cf. Coke, 1 Inst. 69<sup>b</sup> not. 1.

6) Monast. Anglic. II p. 25.

7) Cf. modo, quem laudavimus locum ex Matthaëo Parisiensi.

8) Inter Normannorum *carucata*m et veterem hidam non multum interluit. Cf. Ord. Vit. VIII 8 (Stubbs, *Const. Hist.* I p. 302 not. 2): *carucatas, quas Angli hidas vocant* (ed. princ. p. 678).

9) Exemplum praebet Monast. Angl. II p. 825.

10) Exempla praebent Glanv. XII 3 § 1; Coke (ex rotulis), 1 Inst. 69 med.

11) Abbrev. placit. p. 73 (Ebor.).

12) Abbrev. placit. p. 33 (Cantabr. rot. 10).

13) Abbrev. placit. p. 209 (Ebor. rot. 17); p. 299 (Linc. rot. 8). Cf. quoque p. 304 (Linc.).

14) Fefellit articulus *unde* Eduardum Digby, *History of the law of real property* (1897) p. 74<sup>2</sup>.

*heredem* <sup>1)</sup>. Horum feodorum ambitus, ubi causa non erat singularis gratiae vel liberalitatis, creverit decreverit necesse est cum utilitate et adversus numerum militiam profitentium, sicuti ceterarum rerum venalium pretia et operarum mercedes ob has praecipue rationes crescunt decrescunt. Itaque numquam constitit, constare ne potuit quidem, quot carucatae feodum efficerent <sup>2)</sup>. Ex diverso constare debuit apud computantes de feodi pretio vel reditu <sup>3)</sup>. Qui fueritne initio vicenarum librarum <sup>4)</sup>, *ἀνωθεν* considerandum est <sup>5)</sup>. Habet autem agrorum divisio apud Romanos propriam quandam observationem et eam duplicem, quia divisorum agrorum duplex genus est: unum, quod limitibus continetur et appellatur *limitat(um)* <sup>6)</sup>, alterum, quod sine limitibus divisum est et appellatur *per strigas et per scamna* divisum <sup>7)</sup>. Est limes sive *ἀντομος* <sup>8)</sup> — non enim Graecis limitatio prorsus fuit incognita aut per Italiam tantum cognita <sup>9)</sup>, est praeterea hodie in usu in terra America, quum publice dividitur <sup>10)</sup>, quocirca refellitur Niebuhr,

1) Glanv. VII 18 § 1.

2) Quinque hidae apud Spelmannum v. *Hida* (ex veteri codice), alibi octo carucatae (du Cange v. *Bovata*), alibi duodecim et quod excurrit, alibi quadraginta, alibi duodequingaginta (Coke, 1 Inst. 69<sup>b</sup> not. 1; 2 Inst. 596) feodum militis dicuntur facere. Sed suspicor Cokium, ubi rotulos laudat, perperam omisisse articulum *unde* (sicut Abbrev. placit. p. 543 v. *feoda*), proinde *quadraginta, duodequingaginta* migrare debere. Restat, ubi feodum facere dicantur 20 virgatae (Coke, 1 Inst. 69<sup>b</sup> not. 1), id est, 5 hidae ut apud Spelmannum.

3) Hoc vidit Coke, 1 Inst. 69<sup>a</sup>: „*a knight's fee is properly to be esteemed . . . by the value*”. Sed potuit aestimatio mutari, quin subinde mutata est (Coke, 2 Inst. 596).

4) Coke, 1 Inst. 69<sup>a</sup>; Stubbs, *Const. Hist.* I (1874) p. 265.

5) Cf. interim Encycl. Britann. XIV (1882) p. 113 (Drummond).

6) Beaudouin quidem (*Nouv. rev. histor.* XVII (1893) p. 425) limitatum agrum eum esse putat, quem Galli appellant „*limité*”, id est, terminatum. Idem (ibid. p. 453) *milia quingaginta* vertit 1050, *populus* denique pro tertio easu habet (ibid. p. 455 not. 4).

7) Gromat. p. 2/3 (Thulin p. 1).

8) Cf. Mazocchi ad Tab. Heracl. pag. 180—182.

9) Limitatio Graeca hodie exstare dicitur in agro Surrentino (Beloch, *Campanien* (1879 et 1890) p. 263 (iis p. 252/3), p. 434/5) et in eo quem possidebant Chersonenses Heracliotae (Neumann, *die Hellenen im Skythenlande* I (1855) p. 403/4; cf. Keil, *Herm.* 38 (1903) p. 140—144).

10) Ratzell, *Politische Geographie der V. S.* (1893) p. 320: „*So wie die Sektionen sind auch die Viertel- und Achtelsektionen von Strassen umschlossen*”.

quum doceat <sup>1)</sup>, fieri non posse, quin ab Italis ad Italiotas ea res serpsit <sup>2)</sup> — est igitur limes *spati(um) itineris*. <sup>3)</sup>, quod *interven(it) (ordinatis)*, id est, parallelis *binis rigoribus* <sup>4)</sup>, nam *lineari(os) limites*, qui a *QUIBUSDAM mensurae tantum determinandae causa sunt constituti* <sup>5)</sup>, recens esse genus manifestum est, itaque videbatur Theodoro Mommsen <sup>6)</sup>, quam tamen opinionem postea deseruit docuitque <sup>7)</sup> rigorem esse limitem („*beide Begriffe fallen nach römischer Anschauung zusammen*”), hanc quoque sententiam mox refutaturus <sup>8)</sup>. Ipsorum limitum usus apud Romanos <sup>9)</sup> recens est <sup>10)</sup>, proinde, sine limitibus qui dividit, is *more antiquo* <sup>11)</sup> dividit quadras secando certo quidem modo sed pro aestimio ubertatis augendas vel minuendas, quia sic *per proximos possessionum rigores* <sup>12)</sup> adsignabitur, id est,

1) *Röm. Gesch.* II (1836) p. 698, p. 647 (post notam 1266); I (1833) p. 170 (not. 486).

2) Vitavit hoc vitium Mommsen, *röm. Gesch.* I (1861) p. 22.

3) Vel *fossae*: leg. Urson. cap. 104; Gromat. p. 263, 14. Cf. Schulten, *Abhandl. der Ges. der W. zu Gött.* II 7 (1898) p. 12/3.

4) Gromat. p. 98 lin. 10/1; cf. ibid. p. 92, 14.

5) Gromat. p. 169 lin. 4—6 (Thulin 134, 5—7). Quod si hi limites *finitimi(s) interveniunt*, id est, finem faciunt inter vicinos (non enim omnis limes finem facit, ut dictum cap. CIX), tunc etiam *latitudinem secundum legem Mamiliam accipiunt*. Sin minus, *revera sunt linearii*, etsi negat Gebert, *Bonner Jahrb.* CXIX p. 170/1 („*eine blosse Linie heisst NIK limes*”).

6) *CIL* I (1863) pag. 97.

7) *Herm.* 27 (1892) p. 94 (*Ges. Schr.* V 8).

8) *Westdeutsche Ztschr.* XIII (1894) p. 135: „*die Schnittlinien des römischen Ackerrechts sind keine Lineargrenzen sondern . . . Strassen*” (*Ges. Schr.* V 24).

9) Apud Etruscos ne comparet quidem.

10) Testimonium dabitur statim. Ergo refellitur quum Mommsen, *röm. Gesch.* I (1861) p. 22: „*es ist alles Gemeingut*” (Nissen, *Orientation* (1906) p. 81: „*Gemeingut des Alterthums*”) tum Nissen, *Pompej. Studien* (1877) p. 585: „*die Limitation . . . ist mindestens ebenso alt als die Einführung eines fest normirten Längenmaasses, und damit vermögen wir auf inductivem Wege ihre Existenz in der römischen Königszeit nachzuweisen*”, nec *revera* quidquam obstat, quoniam ab Italiotis Romam ea res venerit.

11) Gromat. p. 3/4 (Thulin I lin. 15) (Schulten, *Bonner Jahrb.* CIII (1898) p. 25). Fatobatur Rudorff (*Feldmesser* II p. 292) per strigas et per *scamae more antiquo* dividi, sed rem non expediebat. Ex diverso agrimensorum fide, ut ipse dicit, docet Beaudouin (*Nouv. rev. histor.* XVII (1893) p. 400—402) *more antiquo* per centurias adsignari. Etiam, verum qui viderat, Schulten postea turbare coepit (*Bull. archéol.* 1902 p. 131).

12) Gromat. p. 3 lin. 1 (Thulin p. 1, 8/9). — *Proximos rigores* esse fines, dividit Weber, *Agrargesch.* (1891) p. 26, qui tulit adsensum quum Augusti Meitzen,

ita ut singulis hominibus singulae quadrae pro acceptis cedant, non, ut in limitato suis cuique in centuria modus <sup>1)</sup>. Quamquam renuit negitatque Schulten <sup>2)</sup>, quocirca obtinendi causa apud Gromaticum <sup>3)</sup> articulum *intra* Gallice vertit <sup>4)</sup> „dans”, quum posset „parmi”. Habuit quidem Germania inferior *scamna* pluribus pro diviso possidentibus <sup>5)</sup>, sed non potest, ubi et per possessionum fines adsignabitur, quod fatetur verum esse Schulten <sup>6)</sup>, et normalibus lineis adsignandi causa dividetur, quae sola ratio placuit mentoribus Romanis, non cedere cuique quadra. Nam, cui neque modus in quadra adsignabitur, neque integra quadra, quum extra quadras nihil ad dividendum supersit, quid igitur ei, de quo quaerimus, adsignabitur? Possunt autem hae quadrae pro ubertatis aestimio facile <sup>7)</sup> augeri minuive, dum alteris utris lateribus vel addatur, quantum oporteat <sup>8)</sup>, vel detrahatur. Itaque nulla causa est, cur suspicetur quis, in antiquissima quaque adsignatione <sup>9)</sup> ubertatis aestimii rationem habitam non esse <sup>10)</sup>. Neque enim, quod certus toties <sup>11)</sup> modus datus perhibetur <sup>12)</sup>, id eo pertinet, ne pro ubertatis aestimio augeri minuive is per singulas regiones potuerit; neque traditur usquam in hac divisione per strigas et per *scamna* omnes utique quadras pari mensura constitisse <sup>13)</sup>. Quae, si decurrunt *in*

*Siedel. und Agrarw.* I (1895) p. 292, tum vero hactenus Adolphi Schulten, *Bonner Jahrb.* CIII (1898) p. 15; *Bull. archéol.* 1902 p. 134, quum non tulisset Mommseni, *Herm.* XXVII (1892) p. 82<sup>1</sup>.

1) Weber, *Agrargesch.* (1891) p. 15 lin. 1—5.

2) *Bulletin archéol.* 1902 p. 136<sup>1</sup>.

3) *Gromat.* p. 208 lin. 1 (Thulin 171, 1).

4) *Bulletin* cit. 1902 p. 136 lin. 2.

5) *Inscr. Bonn. Jahrb.* CIII (1898) p. 12: *possessoris ex vico Lucretio scamno primo*. Prudenter quidem observat Barthel, *Jahrb.* cit. CXX p. 48: „*aber es ist überhaupt zweifelhaft, ob hier ein Gewinn der Feldflur gemeint ist*”.

6) *Bonner Jahrb.* CIII (1898) p. 15; *Bull. archéol.* 1902 p. 134.

7) Rem esse perdifficilem („*sehr grosse Arbeit erforder(nd)*”), opinio est Maximiliani, *Agrargesch.* (1891) p. 36.

8) Hoc ad exquirendum facile videtur Maximiliano, op. cit. p. 20 (et p. 36).

9) Weber: „*bei den Viritanassignationen der älteren Zeit*”.

10) Non esse putat Weber, op. cit. p. 20 (cf. Niebuhr, *röm. Gesch.* II (1836) p. 706; Rudorff, *Feldm.* II p. 365; Mommsen, *Herm.* 27 p. 113).

11) Etiam apud Liv. VIII 11 § 14 duabus adsignationibus ita contributis, ut tamen suis utrique modus constaret.

12) Hoc argumento pugnat Weber, op. cit. p. 20.

13) Cf. Weber, op. cit. p. 14.

*longitudinem, id est, a septentrione in meridianum, strigae dicuntur; sin in latitudinem, id est, ab occidente in orientem scamna* <sup>1)</sup>, nisi potius dicendum est: *a meridiano in septentrionem et ab oriente in occidentem* <sup>2)</sup>.

1) Gromat. p. 3 lin. 2/5 (Thulin 1 lin 10/2); p. 110, 1/3 (= p. 3, 12/5 = Thulin 53, 21/3); p. 207, 1/2 (Thulin 170, 1/2. Converso ordine his utitur Aristoteles, Meteorol. II 5 § 13: οὐ γὰρ ὑπερβάλλει τὰ καύματα καὶ τὸ ψύχος κατὰ μῆκος ἀλλ' ἐπὶ πλάτος, et item in lemmatis Agrippa, si verum vidit Detlefsen (Ursprung etc. der Erdkarte Agrippas (1906) p. 11, p. 106), Ptolemaeus denique (Geogr. I 6 § 4), quem reliqui secuti sunt. Atqui coeli μῆκος intelligit Aristoteles τὸ κατὰ τοὺς πόλους διάστημα (de Coelo II 2 § 8).

2) Videbimus infra.

(Continuabitur)

#### CREPUSCULI NOTIO.

Sen. Med. 71 chorus Hesperum sic compellat:

et tu quae, gemini praevia temporis,  
tarde, stella, redis semper amantibus.

Stella igitur, quae vs. 878 'dux noctis' appellatur, hic vocatur praevia 'gemini temporis'. Nonne admonemur nominis quo Britannos tempora diluculi et crepusculi designare nota res est? Sc. 'twilight' h. e. between the light. Romanos simili significatione eam diei partem denotasse minus notum videtur, in lexicis certe s. v. 'geminus' de hoc adiectivi usu nihil invenimus. Cf. Herc. Fur. 671 sq., Troad. 1141 sq., Phaedr. 749 sqq.

P. H. D.

# DE MENANDRO ET TERENTIO DISPUTATIUNCULAM

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



In Menandri fabula *Samia* Niceratus, senex pauper, cognito filiam suam innuptam peperisse filium, furit, insanit, omnibus qui in ipsius sunt aedibus dirissima quaeque minitatur. Placare eum studet Demeas, senex dives atque (id quod ignorat Niceratus) ipsius illius adolescentis, a quo virgo illa fuerat vitata, pater.

Sed quo modo placare studet? Audiamus ipsum Menandrum sic inter se senes inducentem colloquentes:

242 Δη. . . . . περιπάτησον ἐνθαδὶ  
... μετ' ἐμοῦ

Νι. περιπατήσω;

Δη. καὶ σευτὸν ἀνάλαβε —

οὐκ ἀκήκοας λεγόντων, εἰπέ μοι, Νικήρατε

245 τῶν τραγωδῶν ὡς γενόμενος χρυσὸς ὁ Ζεὺς ἔρρυή  
διὰ τέγουσ, κατειργμένην δὲ παιδ' ἐμοίχευσεν θεός;  
Νι. εἶτα δὴ τί τοῦτ';

Δη. ἴσως δεῖ πάντα προσδοκᾶν· σκόπει  
τοῦ τέγουσ εἴ σοι μέρος τι βεῖ

Νι. τὸ πλεῖστον! ἀλλὰ τί  
τοῦτο πρὸς ἐκεῖν' ἐστί;

Δη. τότε μὲν γίγνεθ' ὁ Ζεὺς χρυσίον

250 τότε δ' ὕδαρ, ὄραξ; ἐκείνου τοῦργόν ἐστιν

Quam sunt hic absurda, inepta, scurrilia omnia. Obsecro, estne hoc placare hominem an ad insaniam redigere? An non

habet irascendi causam Niceratus? Habet, eamque gravissimam. Atenim exsultat gaudio Demea qui antea suspicatus sit concubinam suam cum ipso filio suo rem habuisse atque sic infantem illum natum, modo compererit ita se rem habere ut nullo negotio id quod sit factum in summam possit converti laetitiam: nam patrem quidem infantis esse filium suum, matrem vero eam ipsam, quam dudum uxorem iustam duxisset ille, nisi pater obstaret, qui iam nihil ardentius cupit quam ut firmæ illae sint nuptiae. Quidni ergo paulisper amicum suum ludibrio habeat, cum praesertim iam in eo sit ut eidem omnem demat sollicitudinem summoque eum mactet gaudio? Non est, non est nunc ulli ludo iocove locus; vix enim desiit cum Nicerato luctari Demeas, baculis inter se rem gesserunt senes, quorum alter insaniens in suas aedes irruit, hic in scena remanens verum metum timoremque his verbis significat:

218

οὐτοσὶ μελαγχολᾷ·

εἰσπεπήδηκεν — τί τούτοις τοῖς κακοῖς τις χρήσεται;  
οὐδέ εἰς τῶν ἐπιπέδων εἰς τοιαύτην<sup>1)</sup> ἐμπροσθῶν, μὰ τοὺς θεούς,  
οἶδα ταραχὴν· ἔστι μέντοι τὸ γεγονός φράσαι σαφῶς  
πολὺ κράτιστον — ἀλλ', Ἄπολλον, ἡ θύρα πάλιν ψοφεῖ.

Neque iniuria, hercle, metuit; antea enim Niceratum ad fores stans intus clamantem audivit. Quid putas? Ipsum audi Demeam narrantem:

207

Ἡράκλεις

ἡλίκεν κέκραγε! τοῦτ' ἦν· πῦρ βοᾷ· τὸ παιδίον  
Φησὶν ἐμπρήσειν, ἐκείνην υἷον οὖν ὀπτημένον  
ὄψον ἔξειν.

Quam abominandae sunt ultima ista crudelitatis atque saevitiae, quam sunt scurrilia atque omnis expertia venustatis! Sed hoc mitto. Satis tamen ex illis apparet qui hominem sic insanientem ludicris aggrediatur fabellis atque facetiis aut insanire ipsum aut certe quid quoque tempore deceat quid non iuxta cum ignarissimis ignorare.

Sed quam infaceta et absurda est oratio qua Demeas ad senem placandum scilicet utitur! Quid sibi Danaë hic vult et ille in pretium versus deus ex quo Acrisii filia mater facta

1) An τοιαύτην?

est? Nullam aliam ob causam eam a poeta huc attractam suspicor quam ut ipse facultatem nancisceretur iocos scilicet quosdam interserendi de uno alteroque aequalium qui et ipsi propter fortunam secundam, qua hucusque usi sint, haud iniuria deorum filii dici possint. Illi vero ioci tam sunt frigidi ut legentem poetae misereat qui, cum facetus esse vellet, nihil aliud extundere potuerit.

Sed de Danaes exemplo hic adhibito potissimum agendum videtur. Quo quam lepide, quam apte atque venuste usus sit Terentius videamus. Qui utrum illud hinc sustulerit an aliunde notum in suum converterit usum parum curo; hoc mihi intelligere satis est praeclare eo illustrari locum multis nominibus laudabilem.

In *Eunucho*, fabula propter vim comicam ceteris omnibus praestanti, ex aedibus Thaidis prosilit Chaerea adolescentulus, vix sui compos. Venerem, si quisquam unquam alibi, hic habuit propitiam. Verba non invenit quibus satis magnifice de suo in amore successu gloriatur. Morigera ei fuit puella forma tantum non divina, certe praestantissima, quam simul atque conspexerit ita deperire coeperit ut mori quam sine illa vivere malle statueret. Et strenue usus est fortuna nil tale speranti sibi oblata. Audacem eum reddidit illa patrona omnium deorum dearumque potentissima. Audite ipsum haec declamantem et ne hoc quidem cogitantem se cum maxime Eunuchi veste indutum:

Virgo in conclavi sedet

suspectans tabulam quandam pictam; ibi inerat pictura haec,

Iovem

quo pacto Danaae misisse aiunt quondam in gremium imbrem  
aureum.

Egomet quoque id spectare coepi; et quia consimilem luserat iam olim ille ludum, impendio magis animus gaudebat mihi-deum sese in hominem convertisse atque in alienas tegulas venisse clanculum per pluvium fucum factum mulieri,

At quem deum! qui templa caeli summa sonitu concutit.

Ego homuncio hoc non facerem? ego illud vero item feci  
ac lubens.

Vix dictu opus est quam sint haec salsa, urbana, ipsi rei



de qua agitur accommodata. Ut cetera omnia mittam, in aedibus meretriciis conspicitur pictura auro venalem Venerem exhibens: quid magis illi loco aptum? Iovis exemplum audacem reddit adolescentulum amore ardentem, nonne hoc quoque quam maxime verisimile? Denique ipse adolescentulus sic cogitationes suas vel referens vel fingens quam facetus est quamque ridiculus, quos fuisse spectatorum cachinnos putemus talia ab Eunucho scilicet narrari audientium!

„Apage te cum isto tuo de Romuli gente fera imitatore” sic forsitan me compellet cerebrosius quispiam „an tu hunc Menandro praeferre audes, illis omnium hominum paulo cultiorum deliciis, quem nostra aetate ab inferis ad nos rediisse neque laetari neque gloriari satis possumus? Immemorne ergo es quam turpiter imitator iste locum illum de anulo e Menandri sublatum *Disceptantibus* corruperit atque commaculaverit? Apud Menandrum improbo adolescenti a virgine, cui pudorem eripit, dum se misera illa defendit, anulus detrahitur, Terentius vero nobis adolescentem exhibet non modo pudicitiae insidiatorem impudentissimum sed etiam latronem nefarium, qui non solum ingenuae puellae vim afferat sed eam ultro spoliet ornamento idque amicae suae dono det”.

Equidem non tantam video inter Menandri *Disceptantes* et Terentii *Hecyram* similitudinem ut, si quid haec fabula habet quod mihi aliquam aliquomodo in mentem revocet huius scenam, statim eam ex illa in hanc translata atque adeo corruptam clamitem. Deinde in toto illo anulorum detractorum negotio adeo hospes sum ut quid fas quid nefas sit plane ignorem: totam enim rem vehementer improbo atque detestor. Fuitque illud

pignusque dereptum lacertis  
aut digito male pertinaci

locus tam communis, quotiescunque a poeta de aliqua agebatur rixa amatoria, ut parum curasse legentes spectantesque opiner quo modo ille hic vel illic fuerit exornatus. Et apud Horatium quoque eo loco quem modo citabam (C. I, 9, 23 sq.) *puellam* habemus cui anulus deripitur.

Sed est tota haec de anulo isto quaestio admodum parvi momenti in disputatione de Terentii *Hecyra*. Fac enim hic aliquid commisisse poetam latinum quod iure reprehendi possit,

nullone merito istum compensavit errorem? Immo *Heeyra* eius, si tota spectatur, tam est egregia ut paene dixerim tali poetae semper ubi opus sit paratam esse veniam. Sed raro ea opus est.

Ut ex illa fabula unam scenam eligam (IV, 2 vss. 577—606): uxorem suam peperisse Pamphilus modo cognovit eaque res vehementer eum perturbavit summaque affectit tristitia: e se enim natum *non* esse filium illum probe scit. Aeque ergo fert animo quod uxor illa turpis atque perfida e iusti mariti aedibus commigravit ad suam ipsius matrem. Sed et solus est maritus miser ille qui istud sciat. Percommode ergo ei accidit quod uxor eius creditur ideo a se abiisse quod socrum suam, ipsius Pamphili matrem, ferre non posset: sic certe fore sperat ut dedecus illud familiae lateat. Neque minus ipsa Sostrata, Pamphili mater, quamvis se insontem esse probe sciat, parata est ad omnem in se culpam recipiendam. Diu iam mariti sui, senis stomachosi, maledista et convicia pertulit, nunc vero sponte se tamquam victimam offert, qua mactata pax et concordia in aedes filii nurusque sint reiturae: cum marito suo, moroso illo homine, rus abitura est ut posthac vitam degat omni laetitia atque suavitate carentem. Audi quo modo hoc consilium suum filio aperire incipiat:

585 mi Pamphile hoc et vobis et meae commodum famae arbitrator:  
ego rus abituram hinc cum tuo me esse certo decrevi patre,  
ne mea praesentia obstet neu causa ulla restet relicua  
quin tua Philumena ad te redeat.

Iam unum illud *mi Pamphile* quam teneros significat affectus!  
Quam plena sunt cetera caritatis atque indulgentiae. Neque, herele, matris oratione indignum est filii responsum:

quaeso quid istuc consilist?

illius stultitia victa ex urbe tu rus habitatum migres?  
590 haud facies neque sinam ut qui nobis, mater, maledictum velit,  
mea pertinacia esse dicat factum, haud tua modestia.

Tum tuas amicas te et cognatas deserere et festos dies  
mea causa nolo.

Difficile dictu est utrum filium an matrem sic loquentem laudemus et amemus magis. Matrem tamen, ut opinor. Sic enim filium redarguit:

Nil pol iam istaec mihi res voluptatis ferunt:  
 dum aetatis tempus tulit, perfuncta satis sum: satias iam tenet  
 595 studiorum istorum: haec mihi nunc curast maxuma, ut  
 nequoi mea  
 longinquitas aetatis obstet, mortemve expectet meam.

Hic video me esse invisam immerito, tempus est concedere.  
 Antea nos miserebat mulieris vexatae atque exagitatae mariti  
 criminibus contumeliisque, nunc vero matrem hanc fortissimam  
 filiique amantissimam suspicimus admiramurque. Et sunt omnino  
 tota hac fabula tam egregie mulierum mores depicti ipsaeque  
 illae mulieres tam sunt egregiae ut subinde mihi nascatur  
 suspicio ideo eam parum placuisse populo rudi etiamtum et  
 agresti, licet suos haberet Scipiones Laeliosque, quod persentire  
 illam urbanitatem venustatemque nondum posset.

„At, o bone, sunt istae mulieres quoque e Menandri sublatae  
 comoedia!“ Quid tum? Solusne inventor dicendus est qui „af-  
 fectus *proprios* ad fabellam rettulit“, ceteros omnes imitatorum  
 adscribamus servo pecori? Equidem sic censeo, si quis opus  
 proferat ab omni parte perfectum et perpolitum, parum referre  
 unde materiem sumserit. An qui quod suis oculis est con-  
 templatus vel quocunque modo est expertus chartae tabulaeve  
 mandavit proprium nobis exhibet opus, qui alieno invento  
 praeclare usus est, si non furis, tamen opificis instar habebitur?  
 Ut hoc mittam parum esse verisimile sermonis eandem fuisse  
 elegantiam in Graeca fabula. Satis enim iam novimus quam  
 fuerit prae Terentio aridus sterilis languidus in enuntiatione  
 Menander.

Quid quod, Donato teste (et est is testis quam maxime  
 idoneus) pro certo novimus Menandri sat multa a Terentio  
 ita esse immutata ut vere fierent nova et, cum antea semi-  
 mortua iacerent, subito vita donarentur. Duo hic ponam exempla  
 in vulgus nota, sed quam maxime proposito nostro accom-  
 modata.

Plurimarum comoediarum hoc fere (ut paucis rem compre-  
 hendam verbis) argumentum est: pater filio suo uxorem iustam  
 destinauit ingenuam aliquam opulentamque puellam, sed filius  
 missam facere non vult amicam quam ei conciliauit servus  
 nequam vaferque. Post multas turbas contentionesque tandem

res eo perducitur ut appareat amicam quoque illam bonam bonis prognatam esse. Sic voti sui compotes fiunt omnes: pater qui sciat iam filium suum fore maritum et mox patrem, virum gravem qui missas fecerit ineptias, amica cui optime nunc sit consultum, servus qui, cum res bene ceciderit, fraudum suarum impunitatem sperare possit. Omnes vero? Immo relinquitur una quae iure cum Phormione exclamare potest:

„Satis superbe inluditis me“.

Virginem illam dico cui pridem maritus destinatus fuerat filius; ea enim nunc res nullius habetur quam tollat praetereate qui vult. Primus mortalium hoc intellexit Terentius qui nobis in *Andria* exhibet alterum adolescentem Charinum amore ardentem ipsius illius puellae quam et Simo et Pamphilus et Geta Davusque curant nihil. „At est Charinus ille e Menandri *Perinthia* sublatus“ Sit ita, sed eo in *Andriam* translato, „rem prodigialiter variavit“ Terentius. Exime enim Charinum e fabula Terentiana ludicramque eius cum Pamphilo ex errore natam expostulationem, quam languida fiet tota!

Alterum exemplum, ex eadem *Andria* sumptum, hoc est. Iam despondit Simo filium Chremetis, honestissimi civis, filiae, iam instant nuptiae, cum subito senibus suspicio, eaque minime levis, nascitur se ab adolescente isto esse deceptos; specie enim eum se ad uxorem iustam ducendam paratum declarasse, revera hoc agere ut suam sibi meretriculam habere possit. Quid nunc sit agendum anxius sollicitusque secum deliberat Simo; *secum* apud Menandrum: quam deliberationem admodum languidam fuisse res ipsa fert. Sed apud Terentium idem pater ille rem fidissimo liberto Sosiae totam denarrat et quid consilii ceperit ad filii servique fraudes detegendas exponit. Sic facetissimam lucramur scenam quam suis sententiolis observatiunculisque lepidissime libertus, sapientiae plenus, exornat.

His aliisque, ex hoc genere exemplis monitus, olim conieci ad *Heautontimorumenon* nihil annotasse Donatum quod revera illam fabulam „ex integra Graeca integram“ Latinam fecisset Terentius, ideoque ipse facultate careret eiusmodi adscribendi annotationes quas suo sibi „ergo melius Terentius“ concludere posset. Et ne nunc quidem quid ea coniectura absurdi atque ridiculi habeat video.

Sed ut finem huic imponam disputationi, quam brevem fore ipso titulo promisi: nemo me magis inventis illis Menandri fragmentis laetari potest; exultabo vero gaudio si vel una Menandri comoedia integra fuerit reperta atque „pro uno duo” nobis erunt dati comici. Sed nunquam adducar ut prae Menandro Terentium meum abiiciam, spernam, nihili faciam, et sicubi a Menandro deflectit omne maledictorum genus in ipsum eiusque evomam personas.

---

SENECA FATIDICUS.

Sen. Med. 375 sqq.:

venient annis saecula seris,  
 quibus Oceanus vincula rerum  
 laxet et ingens pateat tellus  
 Tethysque novos detegat orbes  
 nec sit terris ultima Thule!

Poetam Hispanum his versibus praecinuisse fore ut populares sui Christophoro Columbo duce Americam aliquando detegerent criticus nescio quis olim censuit nec non Ferdinandus Columbus, qui in suo tragoediarum exemplari ad locum ascripsit: *Haec prophetia expleta est per patrem meum Christoforum Colon almirantem anno 1492.* —

At plura, credo, Seneca in hac fabula vaticinatus est. Quidni aviatores qui dicuntur aliquando venturos praedixit scribens (vs. 1025):

ego inter auras aliti curru vehar!  
 Quid quod *ἄθεσι* nostri eundem suae confidentiae praenuntium habuere, cum fabulae hunc finem imposuerit:  
 per alta vade spatia sublimes aethere,  
 testare nullos esse, qua veheris, deos!

P. H. D.

---

# ETYMOLOGIAE GRAECAE

SCRIPSIT

F. MULLER IAC. FIL.



## I.

Ῥηξήνωρ

Epitheton in Iliade saepius, semel in Odyssea (δ 5) adhibitum nisi de Achille dictum nusquam apparet. Vulgo interpretantur: ὅς στίχας vel Φάλαγγας ἀνδρῶν ῤήγνυσιν Postea significatio ista paulatim evanuit, ita ut tantum non animi fortitudinem designaret; v. ξ 217 de insidiis ibi mentionem faciens talia scribit poeta

ἦ μὲν δὴ θάρσος μοι Ἄρης τ' ἔδρασεν καὶ Ἀθήνη  
καὶ ῤηξήνωρίην· ὁπότε (nulla particula adversativa addita)  
κρίνοιμι λόχονδε

ἄνδρας ἀριστήας, κακὰ δυσμενέεσσι Φυτεύων,  
οὐ ποτέ μοι θάνατον προτίσσετο θυμὸς ἀγήνωρ.

Talia respiciens Hesychius exhibet: ῤηξήνωρ· πολεμιστὴν πρακτικόν ἢ ἀνδρεῖον πολεμιστὴν.

Mirum mihi semper visum est huius modi cognomen neque satis ad hunc usque diem liquet, cur poeta alibi ita locutus sit: ῤήγνυσκε Φάλαγγας (H 141) aut στίχας, virorum mentionem sive addens sive omittens (cf. Z 6, H 141, Λ 90, N 718 et 680, O 409, 615, 617), hac vero appellatione parum apte expresserit: virorum aciem turbans, disiciens. Nam quod habes Λ 538:

ὁ δὲ ἴετο δῦναι ὄμιλον  
ἀνδρόμεον ῤηξί τε μετάλλμενος κτλ.

iste versus et hoc ipsum posterioris originis prae se fert vestigium (cf. de versibus vicinis v. Wilamowitz. Ilias und Homer, p. 192) et adiectivum *ἀνδρόμεον*: semper enim et ubique carnem puta, vel sanguinem designat humanum, numquam valet: ex hominibus compositus, v. P 571, T 100, Φ 70, ι 297, 347, 374, χ 19: *αἶμα, κρέας, ψωμοί*. Vetustissimus hic eius suffixi videtur esse sensus etiam in lingua sanscritica, cf. Whitney Skt. Grammar § 1225, Brugmann Grundriss<sup>2</sup> II, 1, p. 13, Brugmann-Thumb Griech. Gramm. 180. Versum sequentem (T 100) posteriorem poetam ut ita scriberet adducere potuisse credo

*καὶ δ' ἄλλως τοῦ γ' ἰθὺ βέλος πέτετ', οὐδ' ἀπολήγει  
πρὶν χροὸς ἀνδρομέοιο διελθόμεν κτλ.*

*Ἄνδρας* vel *ἀνέρας* *ῥηγνύοντι* apud Homerum nusquam apparet.

Nomen proprium invenitur η 63 (cf. 146)

*Ναυσίθοος δ' ἔτεκεν Ῥηξήνορά τ' Ἀλκινόου τε:*

ut Nausithous hoc loco nomen est disertum, ita maiorem eius filium nomen habiturum exspectamus, quod eum depingat tamquam *ποιμέννα λαῶν*; Phaeaces enim pacis amantissimi bellumque non nisi illatum propulsantes nobis omnibus ante oculos obversantur. Quid hic regem hostium copias fundentem?

Iam propius ad scopum pervenire mihi videmur, si inscriptionem Theraeam attente ac studiose perlegimus (IG XII, 3, 762 = Inscr. Gr. ant. 451).

*Ρεγκανῶρ κρηχαγετας =*

Rh. koning

(de hac inscriptione nuperrime Wackernagel, Sprachl. Unters. zu Homer 1916, 213).

Alium locum ex Iliade petatum cum praecedentibus coniungo (K 435)

*ἐν δὲ σφιν Ῥήσος βασιλεύς, πάρις Ἡϊονῆος.*

Alibi nusquam eodem modo nomen proprium apud Homerum sequens sibi asciscit dignitatis vocabulum, hic vero solus ordo ac coniunctio saepissime occurrit, e. g. A 279

*σκηπτόρχος βασιλεύς, cf. Σ 555:*

*βασιλεύς δ' ἐν τοῖσι σιωπῇ*

*σκηπτρον ἔχων ἐστήκει κτλ.*

In reliquis locis, ubi *βασιλεύς* occurrit, cum nomine proprio con-

iunctum, aut Σιδονίαν β. aut Θεσπρωτῶν β. legitur, v. ξ 316 et τ 287). Itaque Ῥῆσος βασιλεύς insolitum est atque habet, quod nostram moveat suspicionem.

Denique Bacchus inducitur in Anthologia ornatus cognonime ῤηξίνος; eodem mihi spectare videtur quod habet Hesychius: ῤηξίΦρονα· καταβαλόντα τὴν Φρένα.

Sed ex nominibus quoque propriis aliquid effodere, quod hoc nomen illustret, licet perlustratis copiis, quas Fick et Bechtel collegerunt (die Griech. Personennamen<sup>2</sup> p. 7, 60, 124, 247)

A ῤηξι-incipiunt haec:

Ῥηξιβιος (cf. vetus adj. Φερέ-σ-βιος)  
Ῥηξανωρ  
Ῥηξιμαχος

Respondent haec:

Ἄντζιβιος (Κρητικιβιος)  
Ἄντζηνωρ  
Ἄντζιμαχος

Quae supra attuli, itidem se habent:

Ῥηξίνος  
ῬηξίΦρων

Ἄντζινοη  
(Ἄντζιμενης)

Ῥῆξ-ηνωρ compositum est, quale πλῆξ-ιππος B 104; simillima sunt Ἄλ(ε)ξ-ανωρ, Λυσ-ανωρ, Στησ-ηνωρ, Τεισ-ανωρ.

Imprimis vetusta sunt eiusmodi nomina tam propter partium compositarum singularem gravitatem quam quod ordine immutato redeunt; vide Fick-Bechtel 758:

Ἄγε-λαῶς (: Ἄγεσι-λα(ο)ς)  
Ἄντζι-λαος et Ἄντζιλας

Ἄγρος, Ἄα-αγιδας  
Ἄεωνας

Κρητ-ανδρος

Ἄνδροκρατης e. a.

Mirum iam plurimi iudicaverunt viri docti ubique fere vestigia superesse radicis illius vetustissimae \*rēg- „regere, ducere”, in finibus tantum Graeciae et Thraciae nulladum eiusdem inventa esse rudera. Etiam Wackernagel (Sprachl. Unters. zu Hom. 212) ita censet. Qui cum optime demonstrasset (p. 211) vocem Φυναξ in lingua graeca priorem fuisse alteramque βασιλεύς appellationem et recentius esse et ex linguis semiticis in Graeciam invectam, de radice nostra ita locutus est: „die Hellenen trafen in ihren neuen Sitzen ein glänzendes Königtum: natürlich dasz sie ihm die Titulatur entnahmen, und dafür gern ihr mitgebrachtes (ἐ)ρηγ- preisgaben”.



Vix credibile foret revera, si nulla huius nominis vestigia in solo graeco prodirent in lucem, quod in omnibus fere linguis exstat: skr. *rāj-an-* „rex”, lat. *rēx*, *rēg-is*, vet. hibern. *rí* (*i* longa ex indogerm. *ē*) „id.” (inde fluxit germ. got. *reiks* „potens”: got. *ei* = *i*) De nominis vi etiam Usener, Griech. Götternamen 228.

Credo equidem in *Ῥηξηνωρ* (v. supra *Ῥεκσανωρ ἀρχαγετας*) et alijs eiusdem notae nominibus et in Thracio nomine *Ῥήσος* superstitem esse radicis *\*rēg-* propaginem. Quod ad *Ῥήσος* nomen, eandem sententiam iam enuntiavit Cuny, Rev. ét. anc. 11, 211—216. Kretschmer (Einl. Gesch. gr. Spr. 230) aliunde profectus de sono indog. *ǵ* = thrac. phryg. *ζ, σ, s* copiosissime disputavit: nihil igitur obstat, quominus hanc opinionem comprobemus. Quod Graeci nonnulli *σ*, i. e. signo consonantis „tenuis” in transcriptione usi sunt, non *ζ*, ita mihi expedire videor, ut graecum *ζ* usque ad quartum ante Chr. natum saeculum *zd* aut *dz*, numquam *z*, valuisse credam; de qua re adeas Hoffmann Makedonen 175, Ehrlich Unters. üb. d. Natur der gr. Beton. 233 sqq., imprimis 241.

Utrum huc pertineat fluvii nomen in Troade — Troianos ad stirpem Tracio-phrygiam revocant plurimi — M 20 *Ῥήσος* diiudicare non ausim: certe eodem versu alterum nomen *Κάρησος* nimis bene ei respondet.

Antiquissimis igitur temporibus illud nomen *\*ρηξ*: *\*ρήγος* (*Ῥήσος*) etiam Graecis id valuit, quod Romanis *rēx*. Post non solum inde a VI saeculo sed etiam Homero ipsi atque Homeristis iam cum *ρήγνυσαι* verbo coniungebatur: verba igitur antiqua forma manebant integra, significatione mutabantur; nova nomina iam revera a rumpendi sensu derivabantur. Ut in Bacchi vocabulo *ρήξινκος* Vergili ille versus tamquam resonare videtur: Aen. I 153

*ille regit dictis animos et pectora mulcet,*  
ita K 476

*Ῥήσος δ' ἐν μέσῳ εὔδει, παρ' αὐτῷ δ' ὠκέες ἵπποι | δέδεντο*  
olim ita interpretabantur sive potius audiebant: rex medius somno sepultus iacebat, celeres iuxta ipsum (regem!) adstabant equi vinculis alligati.

Veterem significationem haud scio an etiam nunc usque in nostras aures penetrantem deprehendamus in loco peruntiquo, Π 575 ubi videas:

οἱ δ' ἄμ' Ἀχιλλῆϊ ἐξηγήνορι πέμπον ἔπεσοχι; cf. H 228: 230  
Ἀχιλλῆα ῥηξήνορα: Ἀγαμέμνονι ποιμένι λαῶν.

Atque adeo necesse est vetustissimum fuerit vocabulum — quippe quod iam ex prima populi origine secum ducerent Graeci — cum vocalis, quae dicitur prothetica, qua ante omnes sonus β maxime gaudet (v. Solmsen, Unters. z. gr. Laut- und Versl. 220 ff. G. Meyer G. Gramm.<sup>3</sup> 162) in hac voce nondum appareat: alia eiusdemmodi habes e. g. Hes. ξηγεύς· βαφεύς quod cum verbo sanscritico coniungo *rajayati* „tinguit”, *rājyati* „rubescit”, v. ξέζω, βέξαι „tinguere”.

Restat ut lectorem moneam in ξηγνύουσι verbo haud minus ē (non ā) adesse quam in \*rǝg- „regere” radice, cf. in cretensi dialecto: ρηκσοντι, ubi gr. α etiam ā ostendisset. η, non ε: ut in skt. *rāj* + *an-*, ita graeca ξηγ + *σι-* (ex *-τι-*, *-τι-*).

## II.

### Ἡερόφωνος.

In clipei Achillis descriptione praeclara versus est notissimus:

Σ 505 σκῆπτρα δὲ κηρύκων ἐν χέρσ' ἔχον ἡερόφωνων

Quid sit illud ἡερόφωνος, quaeritur et iam pridem quaesitum est. Graecis in litteris frustra circumspiciemus; nusquam invenitur vocabulum alibi, si unum exceperis Oppianum, qui Hal. I, 620 scribit:

ὡς δ' ὅτ' ἀπ' Αἰθιοπῶν τε καὶ Ἀιγύπτιοιο ῥοάων

ὕψιπετής γεράων χορὸς ἔρχεται ἡερόφωνων,

ubi scholion adnotat: ἐν τῷ ἀέρι φωνουσῶν.

Nam quod Eustathius ad E 389 eodem modo Ἡερίβοιξ explicare conatur comparando vocabulum nostrum ἡερόφωνος, utrimque refutatur argumentis satis firmis, quia videlicet ἡερο- et ἡερι- inter se componere non licet. Ἡερίβοιξ autem ἀλφεσίβοιξ in discrimen vocat atque iam per se nomen proprium est parum perspicuum, v. Pauly-Wissowa V, 1975.

Ceterae quoque explanationes veterum nullo modo satisfaciunt. Quas ut omittam, nunciam pergam recentiorum disputationes excutere. Leaf in altera Iliadis editione ad Σ 505 rem reliquiti integram neque ullam superiorum explicationem comprobat, ne Döderleini quidem coniecturam, qui in *ἡερόφωνος ἀείρω* verbum latere suspicatur. Addere potuerat hanc sententiam iam statem refelli, si quis ab eo verbo, ut *ἀλ.Φεσι-*, sic *ἀερί-* et ponendum esse et re vera inveniri in voce *ἀερί-πιδες* secum reputat. Neque quomodo sana significatio exeat ex coniunctione „vocis” (*φωνή*) et „aëris”, equidem intellego. *Ἡερε-(φ)ειδής* enim si comparas, vox describitur tamquam „sonum habens diffusum, errantem”; item Leaf l. l.: „If derived from *ἀήρ*, it would mean „misty-voiced”, from which no good sense can be got”.

Gravis illa difficultas iam dudum viros doctos impulit, ut vocabulum molestum tollerent. Ahrens Alemanis fragmentum (26) laudans *παρθενικαὶ μελιγάρυες ἡερόφωνοι* etiam in Iliade *ἡεροφώνων* legendum censet (Philologus 27, 590); quem sequitur W. Schulze in libro doctissimo Quaest. epic 210—212, ipse denuo nuperrime laudatus et defensus a Bechtelio in Lexilogo Homericō (1914) 152. Verum mihi semper in hac re Schulze nimis arte propositum secutus esse videtur, qui, semel etiam in graeca lingua vocabulo demonstrato *ἡερός* non „sacer”, sed „vegetus, firmus” (= vet. ind. *iširá-* „vegetus, florens; sanus”, *išanyáti* „fovet, stimulat, firmat” = gr. *ιαίνω* ex *\*ισαν-ιω*, v. etiam Indog. Forsch. 32, 105), dehinc iusto saepius, immo ubique fere hoc ipsum vocabulum indagare sibi videatur. Neglexit enim vir alioqui sagacissimus explicare, cur et quomodo hoc loco ex homerico vocabulo *\*ἡεροφώνων ἡεροφώνων* evaserit, neque memor fuit et *ἡεροφάντης* (*Φᾶν-*) coll. *προφήτης* (*Φᾶ-*), alia earundem radicum vocabula monere, ne temere *ἡερόφωνος* a voce *ἡερός* „sacer” seiungamus.

Quae cum ita sint haud scio an recte se habet coniectura v. cl. C. W. Vollgraff, quam mecum communicavit rogans ut plenius elaborarem sententiam suam confirmatamque chartae mandarem. Ut supra (p. 135 sqq.) *ξηξήνωρ* cum vet. ind. *rāj-an* „rex”, lat. *rēx* coniunctum est, ita in nostro vocabulo num vox affinis latinae *aes* deprehendi posset, me rogavit.

Haud ita multi praeterierunt anni, cum K. Witte plurimis commentariis (quos enumerat Glotta V 8, Pauly-Wissowa VIII 2223) arguere conatus est, in poematis Homeri aliquotiens certis hexametri locis novas formas creari, quae quam possent novis versus postulatis se accommodarent, prout vocalis antecederet aut consonans littera, et alia eiusdemmodi.

Num casu ita cecidit, ut eo ipso loco, i. e. in ultimo pede hexametri hunc haberemus versum?

E 785: Στέντορι εἰσπλήνη μεγαλήτορι χαλκεοφώνῳ, quem sequitur manifeste Hesiodus

Theog. 311: Κέρβερον ὠμιοστὴν, Ἄιδεω κύνα χαλκεόφωνον. Utrumque adiectivum ἠερόφωνος et χαλκεόφωνος locis inter se mutatis in alterius sedem migrare vetat metrum.

Videamus perpauca, quibus in locutionibus Homerus comparatione aeris usus sit. Haec habes: χάλκεος Ἄρης dicitur E 704, 859, 866, H 146, Π 543, id quod brevius quam diligentius lingua vernacula „sterk” veritas licet. Eodem fere modo dictum est: χάλκεος ὕπνος A 240 de somno morti simillimo, ut Vergilius de somno ferreo loquitur (Aen. X, 745), B 490 χάλκεον ἦτορ (cui respondet in E 785: μεγαλήτορι), postremo Σ 222 ὄπα χάλκεον; posterioris aevi metallum exhibet versus celiberrimus Ω 205: σιδήρειόν νυ τοι ἦτορ.

Quodsi forte dubium videtur, cur tandem praecones aenea m vocem habere dicantur, duo respondere licet: quod lituo aliove instrumento ex aere facto silentium imperarent; sin minus, quod ipsum tubarum sonum suae vocis magnitudine vincerent, vel Horatium ut inducam hominem novum versute laudantem (Sat. I 6, 42)

„at hic si plostra ducentae  
concurrantque foro tria funera magna, sonabit  
cornua quod vincatque tubos”.

Alterum secundo loco positum nimirum credamus necesse est; nusquam enim de tubarum clangore praeconum in manibus positarum ab Homero mentio incitur, immo dissertissime dicit poeta β 6 praecones ipsos esse λιγύφθογγους, quod adiectivum nimirum voce m respicit humanam. Quamquam quid loquor? Nonne in eodem libro comparationem depingit Homerus, qua omnem huius rei ordinem luculenter disponit necnon declarat attente legentibus?

Σ 219 ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη Φωνή, ὅτε τ' Ἰαχε σάλπιγξ  
 ἄστυ περιπλομένων δηίων ὑπο θυμωρραϊστέων,  
 ὡς τότε ἀριζήλη Φωνή γένητ' Αἰακίδω.  
 οἱ δ' ὡς οὖν εἶον ὄπα χάλκεον Αἰακίδω,  
 πᾶσιν ἰρίθη θυμός

Si rem controversam paulo vividiorē nobis proponere studebimus, haud abs re mihi id fore videtur. Pallida enim parumque completa nobis fere observatur imago eorum vitae, qui tunc vivebant homines. Iustissima autem occurrat comparatio, ubi nationes celticas similia exhibere invenerimus.

Namque ibi universa morum ratio necnon omnis vitae humanae cultus atque habitus ad heroes Graecorum, quales e longinquis temporibus elicit Homerus tamquam e nebulis, proxime accedunt, immo nonnumquam horridiorem statum maioremque saevitiam argute depingunt. Pro multis e nostratibus unum laudo, A. G. van Hamel in libello nuperrime edito: *Inleiding tot de Keltische Taal- en Letterkunde* (1917), p. 45: „Het leven der Ulsterhelden herinnert aan de ruwste oertoestanden . . . De Iersche sage brengt ons met een cultuur in aanraking, die de Homerische helden reeds lang achter zich hadden”.

Ut Homeri temporibus, ita saeculis etiam III<sup>o</sup> et IV<sup>o</sup> post Chr. nat. in Iberia heroes in curru pugnabant; ex Gallia Caesar eiusdem formae carros invenerat iam in Britanniam tralatos, cum apud Gallos ipsos eorum usus iam obsolevisset; luculēter haec singula enarrat Bell. Gall. IV, 33, cf. 24, 32; V 9—19 pass. In pugna ad Sentinum faeta (a.<sup>o</sup> 295) Livio si credimus mille eiusmodi esseda proelio interfuerunt (X, 28; 30): *essedis carrisque superstans armatus hostis ingenti sonitu equorum rotarumque advenit et insolitos eius tumultus Romanorum conterruit equos*. Plura hac de re leguntur in libro cui titulus: G. Dottin, *Manuel pour servir à l'étude de l'antiquité celtique* 197 sqq.

Sed magis etiam quam currus bellicus in Homeri epopoeiam nos reducit mentio illius κάρυξ, quod instrumentum iam Eustathius ad Σ 219 cum σάλπιγγι homericā comparandum

esse vidit quodque etiam temporibus Lucani inprimis nationum celticarum insigne existimabatur; v. Lucanum I 430:

*et qui te laevis imitantur, Sarmata, bracis,  
Vangiones, Batavique truces, quos aere recurvo  
Stridentes acuere tubae.*

Cui adiungo locum ex Hirtio depromptum Bell. Gall. VIII, 20, 2: *Bellovaci . . . . concilio repente cantu tubarum convocato conclamant, legati obsidesque ad Caesarem mittantur.*

Istud cornu, cui nomen κάρνυξ vel secundum Hesychium κάρνον· τὴν σάλπιγγα. Γαλάται, cum vet. ind. śrñ-gam „cornu”, lat. *cornu*, got. *huirn* „cornu” cymr. bret. *carn* “ungula” artissime cohaeret, quod expositum est e. g. ab Osthoffio in libro *Etymologische Parerga* 280, V. Henry *Lexique du breton moderne* 55, 76; posterioribus vero temporibus eas tubas vel bucinas plerumque ex aere conflatas fuisse testatur Diodorus V, 30, declarat Sal. Reinach *Rev. archéologique* X, 135, tab. XIV; XIII, 320, Dottin *Manuel*<sup>1</sup> p. 216, v. etiam G. F. Hill *Illustrations to School-Classics* N<sup>o</sup>. 573 in nummo quodam D. Bruti nomine signatum a<sup>o</sup>. 49/8 ante Chr. nat.

Quid igitur Homerus sive Homerista quidam cogitavit, cum dixit vocem esse χαλκήην? Nempe id, quod alio loco adiectivo ἄρρηκτος designavit,

B 490 οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν,  
Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκεον δὲ μοι ἦτορ ἐνείη.

Nonne eiusdem sensus altero verbo utitur poeta, quo Hectoris vocem neque infirmam neque sane modestam designet in libri sexti decimi Iliadis v. 77, ubi ingens eius vocis sonus fremitu undique sublato tamquam hebetatur, quamvis sit ipse clarissimus:

ἀλλ' Ἕκτορος ἀνδροφόνιο

Τρωσὶ κελεύοντος περιάγνυται, οἱ δ' ἀλληλητῶ

πᾶν πῆδιον κατέχουσι κτλ. Eiusmodi vocis fragor perinde ac si tonitru audiatur erumpit, dein ipsius repercussu sive vicino obstrepentium tumultu quasi obrutus paulatim evanescit.

Ultimum locum cum verteret Vergilius (Aen. VI, 625 cf. Georg. II, 43), ita locutus est:

*non mihi si linguae centum sint oraque centum,  
ferrea vox.*

Ennius (ann. 561 sq. Vahlen<sup>2</sup>) haec ipsa verba omisit, Lucretius auctoribus Servio ad Aen. VI 625 et Macrobio VI, 3, 6 scripsit loco non servato: *aerea vox*; de qua re plura invenies in Nordeni Commentario ad Aen. librum sextum (ed. alt.) p. 293, Thes. Ling. Lat. I, 1061. Cur posuit *ferrea vox* Vergilius? Neque metrum neque rationes euphonicae ei ut ita faceret persuaserunt, neque „exemplar Graecum” hanc ei viam indicaverat. Vocabulum autem *aereus* in lingua latina valde usitatum cur hoc loco fugerit non apparet; persaepe enim eo usus est, e. g. Aen. V, 490; VII, 609; X, 834, XII, 541.

Huius mutationis rationem aut numquam aut sub finem demum disputationis nostrae perspicere valebimus. Ad graecas igitur voces redeamus.

Ἡερόφωνος, ut breviter dicam, nullo modo dissolvi potest altero vocabulo allato, quod et ipsum priorem partem habet ἡερο-. Namque ἡερο-φῶτις Ἐριυς (bis in Homero: I 571, T 87) nimirum „per aerem vagata” valet et prorsus aliter hoc adiectivum formatum est, v. novissime E. Fraenkel, Gesch. gr. nom. ag. auf -της II, 37; ἡερο-φειδής autem plerumque revera dicere vult: „tenui nebula obductus, sive lineamenta ac colores caeli reddens, caeruleus”, cum voce *aëris* artissime coniunctum.

Quae cum ita sint, omnia mihi videntur hortari, ut Ἡερόφωνος, de quo solitae explicationes usque ad hunc diem nihil sanum atque ab omni parte probabile proposuerunt, seiungamus ab aliis vocabulis, quorum pars prior fuit ἡερι- vel ἡερο-. Quodsi nonnihil recti indicaverunt, quae huc usque disputavi, licet in vocis nostrae initio nomen metalli indagari. Quodnam fuerit, paucis docendum videtur.

Namque optimo iure v. Wilamowitz mihi videtur monuisse (Die Ilias und Homer 164) descriptionem clipei Achillis ut nunc se habeat a prima atque antiquissima Iliadis compositione esse disiungendam, ipsam tamen Hoplopoeiam per se fuisse carmen pervetustam. Ita iudicium absolvit v. W.:

„darum ist doch für uns die Schildbeschreibung ein primäres Gedicht; ich glaube, es ist älter als die Achilleis“. Idem fere sentit Leaf in editione iterum edita II p. 269.

Quod igitur nomen metalli cuiusdam vetustissimi in adiectivo ἡρόφωνος vestigium reliquit?

C. W. Vollgraff v. cl. cogitaverat subesse reliquias cuiusdam vocabuli cum latino nomine *aeris* comparandi. Si vero composita linguae Sanscriticae adhibebis, plane eodem modo formata nonnulla eius notae nomina invenies; ut pauca afferam, ibi habemus haec: *ayah-sípra-* dicitur „galea, cuius latera genas tegentia aere obducta sunt“; *ayah-sĩrsan-* „aheneum caput habens“ (Rg Veda 8, 90, 3), *ayas-tunda-* „χαλκήρης, aerea cuspidē praefixus“, *ayah-sthūna-* „aereis columnis fretus“.

Attamen undique constat idque firmissimis argumentis, inter ἡρόφωνος adiectivum et lat. *aes* nullum intercedere vinculum. Huius enim forma fuit \**aies-*, gen. \**ais-o/es*, unde per rhotacismum lat. *aer-is* natum est; graecae linguae leges nihil aliud inde gignere potuerunt quam \**αεσ-φωνος*, comparato *σακκῆσ-παλλος* (E 126), vel si *δρεσί-τροφος* iuxta *δρεσ-κῆφος* (: *κεῖμαι*, cf. etiam E. Hermann, Sprachw. Homerkomment. 96) in litem vocabis et casum locativum ibi iusta ratione probare valebis \**ἄει-φωνος*; inde nimirim productione metrica, ut in *ἄθανατος* e. a. (v. Leeuwen Enchiridion dict. ep. p. 93) \**ἄει-φωνος* evadere potuerat.

Si nunc quattuor metallorum nomina: auri, argenti, aëris, ferri paucis recensemus, manifeste apparet èt diversis locis idem verbum saepe emergere èt significationes in eis saepe varias extitisse, ita ut unum vocabulum hic *aes*, alibi demonstraret *ferrum*.

In linguis classicis quae dicuntur, habemus vocabula haec: *χρῦσός, ἀργῦρος, χαλκός, σίδηρος*; lat. *aurum, argentum aes, ferrum*.

*Χρῦσός* ratione certissima ex linguis semiticis derivatur, in quibus ex radice *h-r-š* „flavum esse“ nomina explicantur: *babyl. hurāšu*; inde *hebr. (etiam phoen.) hārīš*, rursus ex eo fonte Graeci aliive, *πολύχρυσος* habitantes Mycenae, sumpserunt *χρῦσοῦ* nomen, cf. *Zs. D. Morg. Ges.* 40, 728, *Muss-Arnolt Semitic Words in Greek and Latin* (= *Trans. Am. Phil. Ass.* 1892, 137), nuperrime H. Zimmern *Akkadische Fremdw. als Beweis f. Babyl. Kultureinfl.* 1917, 59.



Ἄργυρος iuxta ἄργυρος et ἄργυρος „candidus, clarus”, (de suffixo -φ(ε)ρος v. Bechtel Lexil. Hom. 58), vet.-ind. *arju-na-* „candidus” et *rajatá-* „candidus; metallum album argentum” (nuper Paul und Braune Beitr. 40, 90), lat. *argentum* et alia in linguis armenia et celtica.

Χαλκός. Duae factiones hac in re cum maxime controversi a implicatae sunt; quarum altera vocem esse semiticam autumat, Muss-Arnolt l. l. 135 (hebr. *h-l-q* „levis, nitidus esse”), altera in linguis indogermanicis se veriloquium indagaturos sperat, v. Kretschmer Einl. gr. Spr. 168 ann., qui comparat lituan. *geležis* „ferrum”, vet.-slav. *želězo* „id.” Mihi quidem utraque litem obtinere videtur. Namque si gr. -x- non respondet balto-sl. *ž, z*, ex ig. *ǵ*, iustum hic latet indicium inter vetustissima vocabula hoc nomen esse referendum formamque <sup>1)</sup> omnium primam fuisse *ǵhel-ǵ-*, unde rectissime vocabula baltoslavica illustrationem accipiunt neque minus gr. *χαλκός*, quod pro \**χαλγος* per assimilationem natum esse videtur; iuxta enim (v. infra) et *καλχη* et *Καλχηδών* non *ghelg-* sed vetustiore *\*ǵhelǵh-* ponunt formam ipsam quoque temporibus remotis ex *\*ǵhel-ǵ-* per assimilationem ortam. Hanc autem radicem, verum *gh-* habentem in ea oris parte definita, unde colorem vocalis *u* adipiscatur (= „labiovelarem”): *g<sup>h</sup>hel-*, offendimus etiam in linguis indogermanicis cum significatione: „geel”; *g<sup>h</sup>hel-* in gr. *χολή*, lat. *fel* „*χολή*”, germ. vet. all. *galla* „*χολή*”, et germ. *\*gelwa-* (cf. lat. *fulvus*) vet. all. *gelo*, bat. *geel*; linguae baltoslavicae in lit. *geležis* ig. *g<sup>h</sup>* exhibent, alibi gutturalem palatalem *ǵh* lit. *žėlti* „virere, florere”, cf. lat. *helvus, holus*; *g<sup>h</sup>(e)lā-ō-* in gr. *χλωρός*, lat. *flāvus*. De hac vicissitudine (*ǵh*: *g<sup>h</sup>*) cf. Persson Beitr. idg. Wrtrf. p. 31, 116 ff. Itaque pervetustum hoc habemus vocabulum, cuius tantummodo „radix” *g(=)hel-* „levis, nitidus esse” linguis semiticis cum indogermanicis est communis. Iam in carminibus Homericis longa eademque frequens fuit navigatio in „Cyprum” (bat. „koper”) insulam (x 184), ubi Τεμύση aeris fodinas habebat locupletissimas.

1) Eiusmodi nomina formata ratione ea, quam Germani „gebrochene Reduplikation”, H. Möller rectius „Halbreduplikation” appellat, vetustissimis nostrae linguae aetatibus frequentissima fuerunt; de hac re cf. H. Möller Semit. u. Indog. passim, Vergl. Sem.-Idg. Wörterb. X.

Σίδηρος. Historiam ferri copiosam evoluit O. Schrader Sprachvergl. u. Urgesch.<sup>3</sup> II, 1, 76 sqq. Reallexicon indog. Altert.<sup>1</sup> sv. Eisen. Doctorum universa fere opinio est, ut alibi ita in Graecia quoque ferrum aere esse posterius; inde pendet videlicet aetatis praehistoricae omnis ordo atque ratio, quae aereum saeculum diligenter a ferreo separat, v. Reichelt Homerische Waffen<sup>2</sup>, cuius de Iliade commentationes omnes hac divisione tamquam fundamento innituntur, Schrader l.l. 61—65, v. etiam Blümner Pauly-Wissowa V, 2144. Nihilo magis ab omni parte constat usum ferri ipsum in quibusdam regionibus longo temporis spatio ab inventione aeris esse separatum; recte enim monuit Blümner l.l. aes sincerum necdum mixtum nullius fere preti esse metallum ad usus cotidianos, stanno tantum sive potius plumbo albo admixto conflatoque illud demum metallum, quod nos nomine „brons” designamus, virtutes singulares in instrumentis domesticis fabricandis ostendisse. Plumbi vero albi raris tantum locis et quidem parvam copiam erui necnon olim erutam esse, non est quod moneamus. Ferrum autem tam in Graecia quam in adiacentibus regionibus inveniri plurimum idque haud magno negotio, addidit Blümner. Quodsi nunc animadverteris apud Homerum χαλκόν instrumenta aenea arte facta, vasa caelata e. a. potius quam ipsius metalli massam nondum fabricatam designare (v. etiam Muss-Arnolt Semitic Words in Greek 137 de auro et cf. πολύχαλκος πόλις Πριάμοιο Σ 289, Σιδών ο 425), multa nobis persuadere conabuntur ferri usum iam temporibus remotis fuisse notum, hoc autem ferrum adeo fuisse malum ac fragile, ut res arte factae ex aere praecipue fierent. Iusta igitur ratio hucusque deest, qua contendamus usum nomenque ferri certis argumentis posterioris aetatis esse quam aeris.

Quod ad nomen pertinet, explicationes quae usque ad hunc diem prolatae sunt, probabiles non sunt. Ideo novam ipse proposui (Philol. in prox. fasc.), quae non solum sensus rationi verum etiam soni postulatis optime satisfacit. Ut ἄργυρο- ita σίδηρο- accentum habet proparoxytonion et suffixum -ρο- (de accentu cf. Vendryès, Traité d'accent. gr. § 184, 212); σ- ex ig. σκ- natum esse potest, id quod manifeste demonstrat gr. σέλας <skel propter avest. xvarənah- „splendor, decor, gloria”, lit.

*svilus* „candens (e. g. carbo), splendens” *svilti* „torrere”. Quam ibi posuimus radicem \**svidē-*, reperimus in linguis balticis, ubi exstant lit. *svidù*, inf. *svidēti* (*ē = ē*) „splendere, nitere”, *svidinti* „polire, nitidum reddere”, *svidūs* „candidus” Ferrum graece propterea appellatum videtur *σίδηρος*, quod perpolitum candidum splendorem dispergit.

In lingua latina *aurum*, *argentum* et *aes* nomina habent indogermanica; de *auro* alibi mox copiosius agam.

De *argento* v. supra p. 146, de vocabulo *aes* e. g. Schrader Sprachvergl. u. Urgesch.<sup>3</sup> II, 1, 58 sqq. Unum *ferrum* nomen aliunde explicationem nondum nactum est. Zimmern Akkad. Fremdwörter<sup>2</sup> 59 hebr. *barzel* „ferrum, compedes ferrei” ex babyl. *parzillu* „ferrum” desumptum esse putat. Melius H. Möller Semit. u. Indog. 151, cf. 254 iam inter linguas semiticas mutationem (*ν*: *P*, inde ig. *bh-*) factam credit, ita ut ex eadem radice per aliud suffixum in linguis indogermanicis duae formae evaserint: \**bhérso-m* et \**bhróso-m*, quarum altera lat. *ferrum* „σίδηρος”, altera germ. \**brasa-*: engl. *brass* „χαλλός, messing” genuit. Equidem non dubito quin *ferrum* nomen cum verbo *feriendi* et *forandi* olim arte cohaeserit. Namque metalli conflandi rationem quod ad ferrum pertinet Alexandrina demum aetate inventam esse rectissime monuit Blümner Pauly-Wissowa V 2148; ante malleis in fabrica cudebatur sive feriebatur. \**Ferso-m* *s-* derivatio (plura apud Joh. Schmidt Pluralbild. 379 e. g. lat. *liza*, Lidén. Stud. aind. Spr. 22) est per *o* litteram amplicata: *fers-o-m* < \**bher(e)s-o-m*.

Nisi forte activa potius significatio verbo nostro primitus inerat ita ut ferrum instrumentum fuit forandi, dissecandi, solvendi, cf. gr. *Φερώω* „aratro glebas divellere”, vet. nord. *bora* „forare”; quod mihi magis placet. De affinitate radicis *per-* (: *bher-*) in gr. *πέρωω*, v. H. Möller Semit. u. Indog. 149.

Quae supra demonstravimus si nunc breviter complectamur, haec sit eorum summa. Varia metallorum nomina ex radicibus creverunt: *aves-* (*aurum*) „lucere”, *ghel-*: *guhel-* (*χαλλός*, got. *gulp*, bat. *goult*, cf. *flāvus*, *fulvus*) „flavus esse”, *a-rej* (*ἄργυρος*, *argentum*) „candidus esse”, *svid-ē-* (*σίδηρος*) „nitere, perpolitus esse”. *Ferrum* solum non ex colore suo nomen duxit, verum propter id, quod aut facit aut patitur, appellatum esse apparet.

Unum tantum nomen ex linguis semiticis lucem recipit, gr. χρῶσός. Significationes autem declarant èt aurum èt aes nonnumquam, saepius aes et ferrum nominibus cognatis vel ex eadem radice derivatis indicari.

Sequitur nihil omnino obstare, quominus etiam in adiectivo ἡρόφωτος nomen aeris aut ferri latere suspicemur atque hoc quoque metalli nomen opibus linguarum indogermanicarum explicare aggrediamur.

*Ferri* nomen pervetustum quoddam mihi videtur esse \**aisarno-* vel \**eisarno-*, cuius vestigia permulta praecipue supersunt in linguis celticis: gall. *Ysarnodori* gloss. ferrei ostei, *Iserminus* nom. proprium, vet. hib. *iarn*, *iaram*, med. cymr. *hayarn* „ferrum” e. a., cf. e.g. Stokes *Urkelt. Sprachsch.* 25, Pedersen *Vgl. Kelt. Gramm.* I, 73; vocabula germanica got. *eisarn* „ferrum”, vet. all. *îsarn* ex linguis celticis desumpta sunt neque hac in re quicquam hodie dubium incertumve relictum est, v. Schrader *Sprachvergl. u. Urg.*<sup>3</sup> II, 1, 86.

Iam H. Möller multis abhinc annis (Paul und Braune 7, 547) hanc formam deduxit ex contaminatione veterum illarum radicum, quae in nominativo *-r*, in casibus obliquis *-n* exhibebant (exemplum sit lat. *iecur*, *iecuris*, : ἡπαρ et ἡπατος, α < η, σκῶρ, σκατός), quem frustra impugnavit Joh. Schmidt *Pluralbild.* 198 ann. Nam auctores varii luculenter demonstraverunt, quam veteres reliquias in his vocabulis habeamus, quam late hoc suffixum *-erna* tam latine quam graece prorepserit, v. Johansson *Beitr. gr. Sprachk.* 110, Stolz *Indog. Forsch.* 22, 242 (de dea *Laverna*), Jacobsohn *Herm.* 45, 83, nuperrime Niedermann *Indog. Forsch.* 37, 152, etiam Bechtel *Lexil. Hom.* 299 (de gr. *-εργα*, *-αργον*).

Altera tamen via ac ratio patet. Persaepe enim in linguis indogermanicis adiectivum substantivi vice fungitur, si propter solitam eorum coniunctionem inde adiectivum per se positum nulli errori obnoxium est sensumque praebet omnino perfectum necnon dilucidum. Notissima exempla in promptu sunt: *calida* (sc. *aqua*), bat. *zwijs* (ex ig. \**s(u)u-īno-*, cf. lat. *sūs*: *suīnus*), bat. *vark-en*: lat. *porcus* vet. all. *fah*, *farah*; lat.

*vitulina* (sc. *caro*) etc. Quodsi praeterea gr. *λύχνος* (ex *λυκ(ε)σ-νο-*) : lat. *Lūna*, praenest. *Lōsna* < *louk(e)s-nā*, avest. *raoxšāna* „splendens” (*x = ch* ex *k* ante consonantem) cum *lucerna* comparaveris et armen. *lusin*. addideris (Meillet. Bull. Soc. Ling. 59, p. LXIII sq.), forsitan et hic *-erna*, *-arno* non totum individuumque putabis suffixum, sed derivationem ibi per syllabam *-na* nominis cuiusdam in *-r* desinentis mecum agnosces. In ista sententia nos confirmat lat. *caverna*, quod iuxta se vetus illud nomen *r* littera clausum etiam nunc praestat: arm. *sor* „cavea, fovea” (v. Meillet Esquisse gramm. arm. class. 28) = gr. *κύαρ· τὸ τῆς βυφίδος τρήμα* Hes.; ex comparatis nominibus lat. *viduer-tas* et got. *viduair-na* „δρφανος” vocabulum per *-er*, *-ar* clausum iustam sibi vitam etiam in linguis historicis vindicat.

Ideo ex his duabus divisionibus nominis ferri: *\*eisar/n-o-* ut veteris radice per *r/n* formatae (ita Johansson Beitr. z. gr. Sprachk. 31) an *\*eisar-no-* ut nominis in *r* desinentis derivatio per suffixum *-no-*, sine ulla dubitatione haec mihi ratio videtur esse melior.

Verum per sonum nondum licet *eisarno-* cum ig. *aies-* „aes” coniungere. Rectissime enim Pokorny Kuhus Zs. 46, 293 monuit ne celticae quidem linguae leges phoneticas sufficere ad plenam eamque probabilem soni explicationem. Ig. *ei-* enim in linguis celticis *ē* (non *ī*) gignit, unde posterius in lingua hibernica *ia* existit, e. g. *R(h)ēnuus*: hib. *rián* „mare”, v. Thurneysen Keltoroman. 110, Pedersen Vgl. Kelt. Gramm. I 58. Inde colligit, ut Germanos a Celtis, ita Celtas antea ab Illyricis nomen ferri mutuatos esse; nempe in vetere lingua Illyrica *ei* > *ī* factum esse, id quod hodie quoque lingua Albanica testetur, e. g. alb. *dimen* „hiems”: *χεῖμα, χειμάν*, v. G. Meyer Alb. Stud. III 91, Brugmann Grundr.<sup>2</sup> I 183. Et re vera Illyricum et Delmatiam quondam maximas ferri copias et habuisse et protulisse optime notum est, cf. Blümner Pauly-Wissowa V 2145.

Hoc saltem in iis nominibus mihi quidem cum maxime videtur esse notandum radicem illam in *r* desinentem, quam supra tetigimus, hic quoque integram posse enucleari ex nominibus propriis *Isara* (in finibus, qui post a Celtis incolebantur) et

*Isarkos* (ī) in Norico. Sed altera quaestio remanet. Revera necesse est in his vocibus ig. *ei* ponamus, non *ai*? In lingua albanica ig. *ai* in *e* abiit (v. G. Meyer et Brugmann II.), hoc est *ai* > *ei* > *ē* > *e*; aliter in dialectis italicis, quae *ai* > *ae* (= *æ*); *ei* > *ī* mutaverunt, ita ut ibi in diphthongo *ai a* novum sonum *æ* magis quam in lingua albanica sibi vicinum (meer geopend) conservarit. Quid igitur Romanis, qui soli nobis nomina supra scripta tradiderunt, faciendum erat, quotiens *ē* (*ei*) notare debebant in vocabulis peregrinis? Nimirum nota *ī* usi sunt, quae proxime ad sonum illyrici *ē*, *ei* (ex indog. *ai*) accedere iis videretur. Quae sententia confirmatur disputatione et descriptione Seelmanni, Aussprache des Latein 179, u. v.

Quamvis timide, aliud quoque nomen hoc loco mentione dignum non omittam. Apud Hesychium legitur αἰσὸς θεὸς ὕπὸ Τυρρηνῶν, Suetonius addit August. 97 *aesar*... *Etrusca lingua deus* (cf. Skutsch Pauly-Wissowa V 775). Communis virorum doctorum opinio est hinc sumptum esse volsc. *esaristrom* „sacrificium”; sed ipse probavit Skutsch l. l. 798 (-ar<sup>1</sup>) suffixum esse numeri pluralis, ex quo nimirum alia nomina per nova suffixa derivari non possunt. Quodsi et Schulze Zur Gesch. Lat. Eigenn. 478 et Skutsch II. 776 huc nomen proprium *Aesernia*, quod oppidum in finibus Samnitium prope fontes Volturni situm est, referunt, rem defendunt fide vix dignam. Mitto, quod cum etr. *ais-*, *eis-* alia dialectorum nomina arte cohaerent (v. infra): osc. *aisusis* „sacrificiis”, umbr. *esunu-*, *esono-* „sacer”, marruc. *aisos* fortasse „dei, nom. pl.” At quamquam ferrifodinae in Samnio fuisse nondum innotuit, hoc saltem ponamus licet, *Aeserniam* a „deis” nomen traxisse prorsus esse incredibile, a metallo vero nomen duxisse ut Χαλκίς al. non esse cur negemus.

Forsitan operae pretium sit paulisper in hac voce *ais-* „sacer, deus” morari. Plurimi hodie cum gr. *ἱερός* eam coniungunt atque ei sententiae mirum quam favit volsc. *esaristrom* „sacrificium” (*e* < *ai*), quia *ἱερός*, *ἰαρός* vetustiore formam ponit *\*isaro-*, cf. Schulze Quaest. ep. 207 sqq., Danielsson in

1) V. Hesychium καμάρ· κοιτῶν κκαμάρων ἔχων, unde fluxit lat. *camera* (cf. *caver-na*: κύαρ, v. supra). Radix *\*kam* v. κμέλεθρον. De hac voce plura disputavit Reichelt Kuhns Zs. 46, 342, ubi videas.

recensione eius libri (Zur Metr. Dehnung etc.) 17—20, Sommer Griech. Lautstud. 2. Schulze ll. non minus quattuor vocabula in hom. *ἱερός* distinguit, id quod Danielsson refutavit duo modo fuisse arguens: *ἱερός* „sacer” et *ἱερός* „fortis, pernix, agilis”; omnes hodie huic opinioni adstipulari videntur. Nihilo magis equidem assentiri non possum; cur hae duae significationes ex uno fonte labi non potuerint, prorsus non intellego. Quo magis mihi gratulatus sum, cum Meilletum eandem opinionem de voce *ἱερός* tuentem deprehenderem (Zs. celt. Phil. X 309). Meillet ibi ad stabiliendam sententiam suam affert vet. hib. *nóib* „sacer, sanctus”, cui proxima sunt vet. hib. *níab* „vigor, vivacitas” et vet. pers. *naiba* „bonus admirabilis”, denique addit: „l'idée de „sainteté” est naturellement liée à celle d'une force agissante”. Lectori ex lingua latina suggero etiam haec: *fortis*, cuius formam antiquiorem enarrat Paul. Fest. p. 74 Linds. *fortes, frugi et bonus, sive validus*, cf. p. 474 ubi ex legibus XII tab. laudantur verba, *fortum = bonum* testantia; *horctus = fortus* ib. 91. Nimirum antiquissimis temporibus deorum gens erat fortium praecipue, in quibus nihil magis quam ipsae vires ac potentia hominum admirationem commovebant, dehinc creabant reverentiam cultumque.

Quae cum ita sint, hoc pono: in linguis indogermanicis novam radicem eruere conati sumus *aies-*, forma brevior fuit (Ablaut) *is-*; inde nomen formatum est suffixum habens *r/n*: *aisar-*, *aiser-*, *isar-* (nota accentum gr. *ἱερός*). Sensus fuit: „validus, fortis”: a. „bonus, admirandus, divinus”; b. „durus, firmus”; ex altero argumento nomen nostrum natum est, cuius prima significatio fuit: „metallum” (sive aes sive ferrum) *\*aisa/er-* vel *\*aies-*.

Ex hoc nomine *ἕρε-* in *ἕρόφωρος* originem ducit; ex *ai(s)ero-āepo*, ion. *ἕερε* ortum est, ut gr. aeol. *ἄισσω* ex forma vetustiore *ἔχι-ἔικ-ἔω*, sive (*ἔ*)*χι-ἔικ-ἔω*, v. nuper Bechtel Lexil. Hom. 20; ita Homerus scribit O 709 *τῶξαν ἀϊκλᾶς* (---, Solmsen Untersuch. gr. Laut- u. Versl. 189). Nonne alterius formae *ἄερε-* vestigium in lingua graeca superest? Equidem duas res magni momenti profecto favere credo nobis tam obsoletum indagan-

tibus verbum. Unam exhibet Hesychius *ἀεροπόρος κοχλίαις*; quid sit *ἀεροπόρος*, quaeritur. Si vertam: „aereis pedibus praeditus”, vel: „cuius pedes rubrum vestigium relinquunt”, risum teneatis? Attamen ita, opinor, res se habet. Id nomen muricem designare credo uno graecae linguae testimonio fretus. Altera enim appellatio muricis est *χάλλη*, etiam *χάλλη*, *κάλλη* in inscriptionibus atticis (Meisterhans-Schwijzer Gramm. 3. att. Inschr.<sup>3</sup> p. 103, Lidén Bezz. Beitr. 21, 110). Veri est simillimum a murice item appellatam esse urbem *Καλλυχιδών*, etiam *Χαλλυχιδών*. Hanc enim permutationem invenies eandem in altera voce, quae et ipsa cum linguis semiticis, quamvis alia ratione, cohaeret: att. *χιτών*, ion. (Herod.) *κιθών*, < hebr. *kuttōnet*, aram. (iud.) *kittūnū* „vestis lineae”; ex graeco *χ(ι)των-* lat. *tunica* fluxit. Iam Kretschmer Einleit. gr. Spr. 168 ann. *χάλλη* eodem modo *χαλλός* „aes, rood koper” cum *χάλλη* coniunxit atque idcirco mentionem fecit Homeri loquentis de *χαλλῶ ἔρυθρῶ* I 365. Quam recte haec omnia se habeant, plane demonstrant Hesychii glossae nonnullae *καλλχαίνει· ταρασσει, πορφύρει; Κάλληαις; Στράτις τὸν πεταμὸν φησι, ὅς ἐστι τῆς Χαλλίδος; κάλλη·... πορφύρα; χάλλη· πορφύρα*; et *χαλλόποδας ἰσχυρόποδας* (v. supra de glossa *ἀεροπόρος* et de lat. *for(c)itis: aes-* „firmus: deus”).

Hinc demum novissimum adminiculum demonstrationi nostrae adiungi potest; rectissime supra inter se componi aeris et ferri nomina, diserte declarant nomina aciei, qualia habes in gr. *χάλυψ* ab eiusdem radice *ghel-* derivata, v. etiam Hesychium *Χάλυβοι ἔθνος τῆς Σκυθίας, ὅπου σιδήρος γίνεται; Χαλυβδική· τῆς Σκυθίας, ὅπου σιδήρου μέταλλα*. Revera nomen fuisse metalli, non populi, ex eo apparet, quod diversissimis locis Chalybes habitare dicuntur, ita ut Ruge Pauly-Wissowa III 2100 suo iure autumet: „diese Verschiedenheit der Angaben lässt die von Müller zu Skylax 88 angedeutete Auffassung als richtig erscheinen, dass nämlich Ch. überall da angesetzt wurden, wo die Eisenerze des Bodens verarbeitet wurden. An vielen Stellen in den Pontischen Küstengebirgen giebt es reiche Erzlager”.

Denique etiam adiectivum Homericum *χαλλκήρης* ut parumper in eo remoremur, postulare videtur. Bechtel Kuhns Zs. 46, 126 *χαλλκοάρας* apud Pindarum, *Φρενοάρας* apud Bacchylidem



obvium non cum radice verbi ἀραρίσκειν sed cum ἀριζειν coniungere ausus est. Quod nullo modo accipere possum. Ut χειρι-άρας Bechtelio ipsi verbum ἀραρίσκειν in parte posteriore continere visum est, ita χαλλο-άρας (Φρενο-άρας ex illius exemplo) nihil nisi linguae conscientiam magis elaboratam partesque vocabulorum dissecantem prodit. Itaque Homero saltem χαλλκῆρης cum ἀραρίσκειν copulandum esse videbatur neque setius Φρενήρης, si comparaveris ε 95: ἤραρε θυμὸν ἐδάδῃ, cf. etiam Bechtel ipse Lexil. Homer 169. Nihilominus antiquiore etiam aetate χαλλκῆρης non fuisse quasi testimonium („brons-ijzer”), varia metalla in elaborandis instrumentis domesticis quasi vicibus functa esse atque alterum in alterius locum successisse, plane abnegare non ausim; nempe prorsus eiusdemmodi exemplum notissimum habemus ipsi in „gouden oorijzer” e. a. Si ita comparatum sit, compositio „tautologica” fuerit χαλλκῆρης et tamquam speculum aetatem reddere possit in confinio duorum metallorum actam.

At hoc nihil nisi coniectura et quidem temeraria mihi ipsi videtur. Neque magis confidenter huc traxerim vocabulum med. pers. (pehlevi) *āsīn* „ferrum”, *āsīnīn* „ferreus”, pers. hodiern. *āhan*, *āhen* „ferrum”. Nam *ās-* in iis vocabulis optatam explicationem gr. ἕρο- < \**āsero-* (non *aisero-* v. supra) nobis praebere non potest, ad hoc cum superioribus haud ita bene quadrare videtur meliusque hercle est audire testes locupletissimos, P. Horn Grundrisz neupers. Etymologie p. 14 et Hübschmann Persische Studien 10, qui pronuntiaverunt hoc verbum adhuc esse ab omni parte obscurum. Numquam obliviscendum est ig. *s* ante vocalem positum iam aetate veteris linguae persicae in *h* mutatum esse, ita ut eo loco positum *s* nihil nisi *sp* antiquioris status reddere possit, v. A. Meillet Grammaire du vieux perse § 130.

Nunc perbrevisiter quae disputavimus complectamur. Varia metallorum nomina in linguis indogermanicis a colore nomen duxerunt; inter aes et ferrum imprimis arta intercedit affinitas neque temporis ratione habita multum inter se distant. Perantiquum nomen ferri a nomine aeris derivatum fuit vo-

cabulum *r/n* in casibus exhibens suffixum \**aisar-*, quod nonnusquam raris reliquiis ad superficiem emergere demonstrare conati sumus. In lingua graeca ita interpretandum est *ἡερόφωνος*, quod, ut *χαλκόφωνος* saepius, praeconem depingit uno versu, quo propter rationes metricas aetas posterior novum *χαλκόφωνος* epitheton adhibere nequiret; praeco ille vocem habet *ἄρρηκτον*, haud minus validam quam cornu vel tuba ex aere facta. Radix nostra, *aies-*, *ais-*, significabat „validum”, unde „bonus, deus bonus” hinc, illinc „durum metallum” exstitit (v. gr. *ἱερός* variis significationibus praeditum).

1) *Ἡερόφωνος* de gallo („mane loquente”) primitus dictum, inde de quavis voce alte sonante, ita ut *ἡι-κανός* (: *cano*) „gallus” Hes. *ἡικανός* ὁ ἀλεκτρυών simile fuerit, nimis audax sit coniectura. Hoc nomen in hom. *Ἡερίος* A 497, i 52 s. a.

Ἱερά καὶ ὅσια.

In vulgus notum est adiectiva quae sunt *ἱερός* et *ὅσιος* synonyma fere esse, sed, si quis dicat τὰ ἱερά καὶ τὰ ὅσια, designari *sacra et profana*. Sed origo huius locutionis vulgo non recte explicatur. Explicationem autem habet facillimam: sententia vocis *ὅσιος* semper eadem est, sed per *euphemismum* *ὅσιος* dictum esse videtur pro *βέβηλος* et in locutione *ἱερά καὶ ὅσια* et Arist. Lys. 743, ubi mulier in acropoli Minervae exclamat:

ὦ πότνι' Εἰλείθуй', ἐπίσχεσ τοῦ τόκου,

ἕως ἂν εἰς ὄσιον μὲλω ἕω χωρίον,

ad quae verba recte adnotavit scholiastes: ἀντὶ τοῦ εἰς βέβηλον.

G. V.

## DE CATULLI C. I VSS. 8—10.

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



al. mei

Quare tibi habe quicquid hoc libelli  
Quaecunquē quod patrona virgo  
Plus uno maneat perenne saeclo.

Corruptissimam hanc codicis Germanensis lectionem quot quibus modis iam emendare conati sunt viri docti! Quorum qui ultimus eum est aggressus laborem, acutissimus ille et doctissimus J. S. Phillimore, post disputationem lectu dignissimam iucundissimamque, quam Bibliothecae c. t. the Classical Review vol. XXX p. 186 sqq. inserendam curavit, tandem aliquando multis multorum consideratis suspicionibus eo rem deducit ut hanc commendet lectionem:

Quare, quicquid habetur, hoc libelli  
Quaecunquē mei, patrona virgo,  
Plus uno maneat perenne saeclo

in qua, sicut in tota disputatione, multa sunt quae vehementer mihi arrident. Velut hoc prorsus probo quod perversissimam dicat lectionem versus 8, quam L. Muellerus, et fortasse et alii exhibent:

Quare habe tibi quicquid hoc libelli  
quam tamen equidem non eo solo argumento improbandam censeo quod pro *habe tibi* scribendum fuerit *tibi habe*. Nam licet antea sescenti alii frequenter eo sensu *tibi habe* dixerint, quis poetam, qualis fuit Catullus, lepidissimum ingeniosissimum, suoque libere utentem ingenio, semel, si ita res fert, habe

tibi scribere vetuerit? Sed aliud multo gravius est argumentum, quo Muelleriana lectio condemnetur proscribaturque: quod sive *tibi habe* sive *habe tibi* scribimus, scribimus aliquid quod ab hoc loco plane sit alienum. *Tibi habe*: quis unquam tam inhumanus fuit ut ea formula *ad aliquam rem offerendam* uteretur? Et tamen *offertur* hic aliquid, quod non sit proiciendum sed caute et circumspecte ad locum ei destinatum portandum, ne vel minimum capiat detrimentum, et offertur amico nobili, potenti, maguae in republica literarum famae, cuius favorem et saepe antea sit expertus poeta et nunc quoque tantum non verbis precativis impleret exspectetque. Contra *tibi habe* dicunt qui cum contemptu abiiciunt rem quam prae aliis rebus contemnant, spernant, nihili faciant; neque eos, quos hac formula alloquuntur, unius aestimant assis (ut cum ipso Catullo loquar): vile putant donum, viles eos quibus dant, utpote qui praestantiora et sublimiora prae ingenii infirmitate nullo modo possint suo sibi aestimare pretio. In aure nobis sonat nobilis ille Ciceronis locus: „Sibi haberent magistratus, sibi imperia” (pro Sulla § 26). Sed facile est quamvis multa afferre exempla, simulque plane inutile: nemo enim non, semel monitus, sentit hanc, et nullam aliam, formulae *tibi habe* vim esse vel esse posse. Ut tamen unum afferam quod hic aptissimum — poetae enim sunt verba non minus disertis quam fuit Catullus — legimus apud Martialem II, 10:

Basia dimidio quod das mihi, Postume, labro,

Laudo: licet demas hinc quoque dimidium.

Vis dare maius adhuc et inenarrabile munus?

Hoc TIBI HABE totum, Postume, dimidium.

Potuitne maiore afficere contumelia Martialis hominem ore spurco detestabilem? In mentem qui Luciano Muellero venire potuit eadem formula usum poetam elegantissimum cum opus suum limatum et elegans offerret amico natu maiori, artis poeticae iudici quam maxime idoneo? Offam obiicientis cani potius istud est <sup>1)</sup>.

1) Fortasse non minus aptum proposito, certe si fieri potest, etiam acerbius est quod apud Suetonium legimus in vita Caesaris c. I. (Deprecantibus pro adolescente Caesare amicis) „constat Sullam ... expugnatum tandem proclamasse ... *vincerent ac sibi haberent*”. Nam qua mente istud dixerit Sulla manifesto apparet ea iis

Ergo aliquatenus lubenter Phillimorio comes accedo, est tamen ubi ab eo mihi discedendum arbitrer. Operam mihi — ut hoc primum dicam — perdidisse videtur locum quaerendo in quem istud *mei* inferciret. Non enim *varia lectio* ea est pro *quod* aliove vocabulo vicino, sed adscripsit olim magistellus ad *libelli*, ut esset: „*libelli sc. mei*”. Innumerae sunt eiusmodi in codicibus annotationes. Sed *criticam* esse annotationem ratus, qui novum e vetere describebat codicem, istud *al.* praemisit, de ceteris securus.

Habemus ergo:

quare quicquid habetur hoc libelli  
qualecunque

hactenus cum Phillimorio ambulo, qui suo *quicquid habetur* pro *quicquid est* egregie initium viae monstrasse videtur, ἀτὰρ οὐ τέλος ἴκεθ' ὀδοῖτο. Intactum enim reliquit istud *patrona virgo* quod ante alia omnia fuerat removendum. Nam sive iis verbis Minerva significatur, sive Musarum una, sive denique quaecunque tandem dea, non est hic ulli *eiusmodi* vocativo locus. Preces *secum* concipit poeta, quamnam spem conceperit significat, quod qui facit num ad ullum deum deamve orationem suam convertit? Utar haud illepido, ut mihi videtur, exemplo. Novimus omnes exordium illud epistolae ad Tacitum Plinianae: „auguror, nec me fallit augurium historias tuas immortales fore”. Quid ad haec Tacitus respondere potest? Ut opinor: „utinam eveniat, mi Plini, quod auguraris” sed non inseret „o Musa” vel „o Minerva” vel (ut tamen faciamus quemquam unquam sic ullam deam esse allocutum vel alloqui potuisse) „o patrona virgo”, minime vero „Musa” vel „Minerva” omissa interiectione. Nam considera quam intolerabile sit novum hoc „patrona virgo” vel prae Muelleriano (quod vulgo legitur) „o patrona virgo”, quod neque ipsum ullo modo ferri potest.

Atque ea observatio sponte ducit, si non ad ipsam Catulli manum restituendam, certe ad id inveniendum quod ipso

---

quae adduntur: „dummodo scirent eum quem incolumem tanto opere cuperent, quandoque optimatum partibus . . . exitio futurum”. Huc enim redeunt omnia: „carum istum vobis relinquo puerulum, quem tamquam anguem in sinu vestro fovetis”.

contextu epistolii dedicatorii postulatur flagitaturque. Quod quale sit statim dicam. Nunc primum totam Phillimorii lectionem  
 quare quicquid habetur, hoc libelli  
 quaecumque mei patrona virgo,  
 plus uno maneat perenne saeclo

perpendamus et aliquantisper etiam concoquamus illud multis nominibus improbandum *patrona virgo*. Quid nunc toti carmini deest? Repetere hic fere possumus Ciceronianum illud: „quid huic homini deest praeter rem et fidem?” Quid nunc toti carmini deest praeter . . . sanum sensum? Ludibrio enim habetur omnis ars logica. Nam istud *quare* et quae sequuntur quid sibi volunt? Nimirum, sic totam suam disputationem *concludit poeta*. Primum respondet ad quaestionem cui libellum suum dedicet. Deinde cur id faciat exponit: quod Nepos ille, gravis auctor, iam antea luculento testimonio sua ornaverit poematia. Postremo inde concipit spem immortalia ea futura. Cuius spei quae causa sit nos iam novimus, sed poeta id ipsum disertis debet declarare verbis. Atque nunc omnia competunt in unum. Declarare poeta debet se ideo optima quaeque de suo libello sperare quia in Nepotis testimonio illam spem reponat. Quod quoniam ei persuasissimum est, aequum est eum *tollere voeem* atque *exclamationem* aliquam inserere. Et exclamamus quidem vocativis usi sed non exclamavit Catullus „*patrona virgo*” et ne „*o patrona virgo*” quidem. Inepte sic dea invocatur quaecumque illa sit, et est hic nulli prorsus deae locus. Iam illud quod modo fingebamus Taciti ad Plinium responsum nos docet quis hic vocativo sit alloquendus: nimirum idem ille ad quem scriptum totum epistolium est. Et lepidissimum hoc carmen dedicatorium ab epistolio quid differt? Sed praeterea Catullus, ut illud *quare* suam sibi habeat vim, aliquo vocativo significare debet *cur* tantam spem conceperit.

Iam facessat hinc illa „*patrona virgo*”

illuc unde negant redire quemquam

sed ita ut nobis relinquat id quod secum tulit nostro aptum accomodatamque proposito. Et profecto aliquid eiusmodi nobis attulit sed latet illud in primis syllabis. Pro *patrona* legamus *patrone*, iam habemus illum vocativum qui et inserendus est et solus inseri potest. Simulque nunc quasi per transennam

videmus quod habeat poeta spei suae et fiduciae fundamentum firmum et stabile: quod olim tam bonum tamque idoneum sit nactus patronum. Iam in hunc sensum totos versus refingamus partim cum Phillimorio viro acutissimo partim de nostro, non tamen credo, quemadmodum iocari solebat Cobetus, de nihilo:

quare quicquid habetur hoc libelli  
 qualecunque, tuo, patrone, *verbo*  
 plus uno maneat perenne saeclo.

(Post *libelli* inserere et neque necessarium est et vetare videntur rationes metricae v. Muelleri praefationem p. 77).

Num quidquam nunc *ad sensum* certe deest? Iam enim dixi me id agere ut id inveniatur quod ipso contextu postuletur flagiteturque. Ipsa verba non praesto omnia. Nam, nequid dissimulem, parum mihi illud *verbo* placet, licet magnam habeat „probabilitatem palaeographicam”. Certe nunc latine loquentem facimus Catullum et in ratiocinando logices praeceptis obtemperantem.

Haec quae mihi Phillimorii ingeniosam legenti disputationem statim in mentem venerant dudum iam chartae mandaveram cum videbam in nitidissimi libelli Hauptiani editione VII (Catullus, Tibullus, Propertius rec. Hauptius, ed. VII a Io. Vahleno curata et a Rud. Helmio edita Lips. Hirzel 1912) iam legi illud *tuo, patrone, verbo*. Tamen non dubitavi meam quoque hanc „qualemcunque” disputatiunculam in lucem edere. Nam neque corriguntur in Helmiana editione praecedentia, neque usquam inveni illius *patrone* commendationem. Quae sive Vahleni est coniectura sive Helmii (utroque autem viro praestantissimo digna videtur), suo sibi iure accuratam demonstrationem postulat. Quam non ingratham fore opinor Catulli amantibus.

# HODIE.

SCRIPSIT

IACOBUS VAN WAGENINGEN.



Qui fabulas Plautinas et Terentianas lectitant, eos non fugit usus peculiaris adverbii *hodie*, quod nonnumquam „non tempus significat, sed iracundam eloquentiam ac stomachum” ut Donati <sup>1)</sup> verbis utar, praesertim in sententiis negativis, si quis minaciter loquitur. Tum idem fere valet atque interiectio *ecastor* vel *pol* vel *hercle*, quacum interdum iungitur <sup>2)</sup>. Non difficile est intellectu, quomodo hic usus ortus sit, si ad ea exempla spectamus, in quibus sententia condicionalis *si vivo* adverbium *hodie* sequitur, velut Plaut. Bacch. 766: ‘vorsabo ego illunc *hodie*, si vivo, probe’; Ter. Andr. 866: ‘age nunciam ego *pol hodie*, si vivo, tibi ostendam, erum quid sit pericli fallere’. In eiusmodi affirmatione vel iure iurando *hodie* nondum omnem suam vim temporalem amisit, sed una cum sententia condicionali *si vivo* indicat, quam quis minatur rem, eam non dilatum iri, sed certo vel ilico futuram esse. Exemplis supra allatis ultro illa se aggregant, in quibus *hodie* quasi coaluit cum negatione *numquam*, quo fortius negetur fore ut res fiat, e. g.

Plaut. Pers. 219: ‘numquam *ecastor hodie* scibus’.

” Most. 1113: ‘numquam *edepol hodie* . . . tibi’.

” Asin. 630: ‘qui *hodie* numquam ad vesperum vivam’.

1) Don. ad Ter. Ad. 215 et 570.

2) Handius Turs. III p. 100; Iosephus Bach de usu pronominum demonstrativorum, studia in priscos scriptores Latinos collata, ed. Studemund, II p. 176.



Ter. Ad. 551: 'numquam hercle *hodie* ego istuc committam tibi'.

„ „ 570: 'verum *hodie* numquam monstrabo'.

„ „ 159: 'non committet *hodie* umquam iterum ut vapulet'.

„ Ph. 377: 'te indignas seque dignas contumelias numquam cessavit dicere *hodie*'.

„ „ 805: 'numquam *hodie* concedes mihi'.

Plaut. Colax fr. 3: 'si me tu *hodie* invitaveris numquam quicquam'.

Titinius fr. 62 R.: 'numquam ne mihi licebit *hodie* dicere'?

Vix opus est addere non modo *numquam*, sed etiam quamvis aliam vocem vel particulam negativam cum *hodie* posse coniungi aut sententiae formam interrogativam posse dari, quae pro negatione sit, velut:

Plaut. Men. 217: „neque *hodie* ut te perdam, meream deorum divitias mihi'.

„ Cas. 765: 'quin agitis *hodie*'?

„ As. 670: 'atqui pol *hodie* non feres, ni genua confricantur'.

„ Most. 657: 'nullum edepol *hodie* genus est hominum taetrius'.

Ter. Heaut. 574: 'nemost meorum amicorum *hodie* apud quem' cet.

„ Ph. 1009: 'an quicquam *hodie* factum indignius'?

„ Eun. 1031: 'o populares, ecquis me *hodie* vivit fortunatior'?

„ Andr. 654: 'nec te quivit *hodie* cogere illam ut duceres'.

Iam inter postrema exempla unum alterumve est, ubi *hodie* minus ad negationem se acclinat quam ipsum per se positum videtur ad totum enuntiatum corroborandum, velut Men. 217 et Andr. 654. Nec mirum, si ex hoc usu nova consuetudo nata est huius adverbii in sententiis affirmativis adhibendi, ubi temporis notio vel paene evanuit vel omnino non premitur, velut:

Plaut. Amph. 454: 'nam si me inritassis, *hodie* lumbifragium hinc auferes'.

„ As. 699: 'vehes pol *hodie* me, si quidem hoc argentum ferre speres'.

Plaut. As. 936: 'ecastor cenabis *hodie*, ut dignu's, magnum malum'.

„ Men. 1013: 'maximo hercle *hodie* malo vostro istunc fertis'.

cf. Plaut. Truc. 926; Curc. 691; Ter. Ad. 215; Andr. 196; Ph. 626; Hec. 788; 873.

Locis supra laudatis adiiiciendi sunt alii, qui non minus demonstrant *hodie* nonnumquam natura adverbii temporalis exuta ad partes complementi sententiae descendisse. Est, ubi plane supervacaneum videatur iuxta vocabulum *dies* eiusque attributum collocatum, velut Plaut. Men. 597: 'mi hunc *hodie* corrumpit diem', cf. Epid. 157; Pers. 33, 773, 780; Pseud. 165, 775; Ter. Ad. 527.

Vigebat hic usus in sermone cotidiano non modo temporum, quibus Plautus et Terentius fuerunt, sed etiam aetatis imperatoriae, sicut docet Petr. Cena Trim. § 38: 'hodie sua octingenta possidet' <sup>1)</sup>, quin etiam e sermone vulgari irrepsit in litteras cultiores <sup>2)</sup>, cf. Verg. Aen. II 670: 'numquam omnes *hodie* moriemur inulti'; Buc. 3, 49: 'numquam *hodie* effugies', sed iam Macrobius, sermonis Vergiliani optimus iudex, iure animadvertit (Sat. VI 1, 38) poetam Mantuanum rursus (Buc. 3, 49) „quaedam ab antiquioribus mutuatum esse”, laudatque hunc versum Naevii in Equo Troiano:

'numquam *hodie* effugies, quin mea manu moriare', qui Vergilio exemplo fuit. Et quis est quin meminerit Horatii stomachantis et hisce verbis Davum philosophantem corripientis, Sat. II 7, 21: 'non dices *hodie*, quorsum haec tam putida tendant, furcifer'?

De industria hunc usum peculiarem adverbii *hodie* fusius exposui, quia nondum Thesaurus Latinus varias significationes eius continet neque omnibus commentatoribus scriptorum Latinorum notum esse videtur, quomodo *hodie* interdum magis sit asseverantis vel minantis, quam tempus accurate indicantis. Quod mihi nuper apparuit e versione quadam Germanica (ce-

1) Lowe in ed. p. 38 confert „this blessed day”; Swaen. Engl. St. (Kölbing) B. 24, 235.

2) Don. ad Ad. 570; Schol. Veron. ad Aen. II 670.

teroquin admodum laudanda) Apologetici Tertulliani loci, ubi sermo est de iudiciis Romanis iniuste in Christianos] reos animadvertentibus. Ceteri enim rei torquentur, inquit Tertullianus, ut facinora sua confiteantur, verum in Christianos solos tormenta adhibentur, ut se esse Christianos negent et fidem suam infitentur. In Christianis nihil nisi nomen criminantur et persequuntur Romani, in ceteris reis, etiam postquam illi scelus suum confessi sunt, id ipsum explorant, quomodo perpetratum sit. Confessio iis non sufficit. Haec sententia ita expressa est a Tertulliano Apol. II 10: 'neque enim ideo non putaretis requirenda quaestionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui *hodie* de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi', quem locum vir doctissimus Gerhardus Esser (Bibl. der Kirchenväter, Tert. II p. 43) sic vertit: „denn ihr könnt unmöglich der Ansicht sein, von dem peinlichen Verfahren sei deshalb abzusehen, weil ihr der festen Ueberzeugung seid, dasz sie infolge des Bekennens zu diesem Namen begangen werden, da ihr doch recht gut wisset, was ein Mord sei, trotzdem jeden Tag auch noch den Hergang des Verbrechens herauszubringen sucht”. — Vides Esserum recte intellexisse significationem vulgarem adverbii *hodie* haud quadrare in orationis contextum — non enim Tertullianus contendere vult Romanos *hodierno* tempore tantummodo ita in homicidas vindicasse eorumque scelus explorasse, antea aliter — verum quod interpres Germanus dedit, ut sententiae satisfaceret, 'jeden Tag', quasi *hodie* idem valeret atque *cotidie*, hoc minime probandum est. „Qui *hodie* . . . extorquetis” nihil aliud est nisi: 'qui hercle . . . extorquetis’.

Etiam in lingua Graeca similis usus adverbii *τῆμερον* haud ignotus erat, cf. Arist. Plut. 433: ἡ σφὼ ποιήσω τῆμερον δοῦναι δίκην | ἀνθ' ὧν ἐμὲ ζητεῖτον ἐνθένδ' ἀφανίσαι.

## VARIA III.

SCRIPSIT

P. GROENEBOOM.

AD HERODAM.

I 8 στρέψον τι, δούλη.

Quid sibi velit στρέψον τι ambigitur: alii aliter locum explicant, velut „mach kehrt” (Mekler), „take yourself off” (Rutherford), „turn round a seat” (H. Richards), „right about turn” (Nairn) ceti. Non dubito quin verbo στρέφειν intransitive h. l. usus sit poeta (de addito τι cf. e. g. Arist. Eq. 1076 ἐμοίχευσάσ τι et sescentos alios locos): στρέψον (σαυτήν) autem significare videtur „move te ocius” („schief wat op”). Eodem modo apud Theocritum (XV 29) mulier morae impatiens ancillam iratis verbis increpat κινεῦ δῆ, Φέρε θᾶσσον ὕδωρ.

I 56 ἰδών σε κατόδωι τῆσ Μίσησ ἐκύμηγε  
τὰ σπλάγχχυν ἔρωτι καρδίην ἀνοιστρηθεῖσ.

Substantivum ἔρωτι iungendum esse videtur cum ἐκύμηγε, non, ut vulgo fit, cum participio ἀνοιστρηθεῖσ, coll. Pind. fr. 123 B (Athen. XIII p. 601 d, 564 e) ὅσ μὴ πόθωι κυμαίνεταί.

I 73 σὺ δ' αὖτισ ἔσ με μηδὲ ἐν<α>, Φ(ί)λη, τοῖον  
Φέρουσα χάρει μῦθον.

Similiter formatae sunt sententiae Herodoteae σύ τε τοῦ λοιποῦ λόγουσ ἔχων τοιούτδε μὴ ἐπιΦάινεο Ἀθηναίοισι (VIII 143) et σὺ μέντοι ἔτι ἔχων λόγον τοιούδε μήτε προσέλθησι ἔμοιγε μήτε κτλ. (IX 79).

I 89

ἔμοι δὲ Μυρτάλη τε κ — ιμη  
 νέαι μένοιεν, ἔστ' ἂν ἐνπνέ<η> Γυλλίσι.

Rutherford καὶ Ἐντίμη, Buecheler καὶ Σίμη legit; quin recte sit suppletum καὶ Σίμη vix dubito, nam requiritur nomen meretricium: confero Call. Epigr. XXXVIII Σίμον ἢ περιφοίτος (ita recte distinxit v. Wil.: traditum est σειμονη).

II 19

δωρεὴν γὰρ οὐθ' οὔτος πυροῦσ  
 δίδωσ' ἀλήθειν οὔτ' ἐγὼ πάλιν κείνην.

Cum verbo ἀλήθειν cf. Theocr. IV 58

τὸ γερόντιον ἢ ῥ' ἔτι μύλλει  
 τήναν τὰν κυάνοφρυν ἐρωγίδα, τᾶσ ποκ' ἐκνίσθη;

Schol. ἀπὸ τῶν ἀλούντων.

III 8

τοῦτον κατ' ὤμου δεῖρον.

Non facio cum iis, qui coll. vs. 61 his verbis notionem catomidiandi attribuunt; multo melius alii referunt ad adverbium Homericum κατωμωδόν (Ξ 352, ubi vide Leaf). Confero „I let it have him from the shoulder” (Boothby) et versus suavissimos Bacchylidis ab Athenaeo XV 667c servatos:

εὔτε  
 τὴν ἀπ' ἀγκύλησ (sc. βολήν) ἴησι  
 τοῖσδε τοῖσ νεανίαισ  
 λευκὸν ἀντεῖνασα πῆχυν. (Jebb fr. 13, Be.  
 fr. 24, Bl. fr. 17) <sup>1)</sup>. Verg. Aen. IX 417  
 summa telum librabat ab aure.

III 38—41 Puer petulans alias

τὴν μάμμην,  
 γρηῦν γυναῖκα κάρφανην βίου κείρει,  
 quocum conferendum Luc. Alex. 6 τοὺσ παχεῖσ τῶν ἀνθρώπων —  
 ἀποκείροντες, alias

τοῦ τέγευσ ὑπερβε τὰ σκέλεα τείνωσ  
 κάθῃθ' ὄκωσ τισ καλλίησ κάτω κύπτων.

Eadem imagine utitur Soph. Indag. vs. 122 (Hunt)

ἢ τισ πίθηκος κύβδ' ἀποθυμαίνεις τινί,'

1) Locum mihi indicavit B. v. Groningen, iuvenis ingeniosus.

cf. A. P. IX 114

παίδος ἀφ' ὑψηλῶν κεράμων ὑπὲρ ἄκρα μέτωπα  
κύπτοντος κτέ.

III 49 κάληθιν', ὥστε μηδ' ὀδόντα κινῆσαι.

Errat me iudice Nairn qui coll. Timocl. fr. 10 ἀσύμβολοσ  
κινεῖν ὀδόντασ, Alex. 185, 3 κάργους ἔχειν μηδέποτε τὰσ σια-  
γόνασ, Liban. IV 154, 1 vertit „and it is all true, so that  
one gets nothing to eat”. Procul dubio vertendum „ut ne hiscam  
quidem” et optime locum nostrum illustrant Eustath. Er. VI  
14, 7 (He II p. 223) μὴ τὴν γλωτταν προπετῶσ οὔτω κίνει  
καὶ ἀναιδῶσ, μὴ σοι καὶ Ζεὺσ χολωθῆι et Luc. Fugit. 19  
ἀληθεύειν τοὺσ ἄλλουσ προτρέποντεσ οὐκ ἂν οὐδὲ κινῆσαι τὴν  
γλωτταν. μὴ μετὰ τοῦ καὶ ψεύσασθαι δύναιντο, unde apparet  
apud Her. ὀδόντα idem fere esse atque γλωτταν <sup>1)</sup>).

III 90 καὶ δεῖ λαβεῖν νιν κἀπὶ βυβλίωι δῆκου  
τὸ μηδέν, ἄλλασ εἴκοσιν γε. καὶ ἦν μέλλη  
αὐτῆσ ἄμεινον τῆσ Κλεοῦσ ἀναγνῶναι.  
ἰσοῦαι, λάθοισ τὴν γλάσσαν ἐσ μέλι πλύνασ.

Hos versus Crusius<sup>5</sup> Lamprisco dat: virum ingeniosum errare  
docent matris iratae verba quae sequuntur

ἔρέω ἐπιμηθέωσ τῶι γέροντι, Λαμπρίσκε,  
ἔλθοῦσ' ἐσ οἶκον ταῦτα, καὶ πέδασ ἤξω

Φέρουσα κτλ. Nam Metrotimae minae (imprimis illud ταῦτα)  
de nubibus suspensae sunt, nisi novum peccatum Cottalus puer  
commisit; praestabit igitur ἰσοῦαι (ἐπιχαρτικὸν ἐπιφώνημα!)  
Cottalo dare, qui „lingua exserta” effugit, λάθοισ — πλύνασ  
magistro, cetera matri.

Restant vocabula difficillima:

λάθοισ τὴν γλάσσαν ἐσ μέλι πλύνασ.

Crusius (Untersuchungen zu den Mimiamben des Herondas  
p. 77) ἐσ μέλι cum amara ironia pro ἐσ μελίττασ dictum esse

1) Cf. Querido:

Hou je mond Hedwig, ... jij ook Go ... en jij Lien, je klepper toe!

— Och me Jezus man, ... 'k beweeg geen tand!

(Jordaan II p. 197).

putabat, quae explicatio vix probabilis videtur, nam aliter se res habet Soph. O. C. 481 ὕδατος, μελίσησ ubi μελίσησ = μέλιτος, quod insoliti nihil habet coll. ἐλέφασ, χελώνη (schol. ἀπὸ γὰρ τοῦ ποιοῦντος τὸ ποιοῦμενον). Cf. etiam Schol. ad Eur. Hec. vs. 1153.

Idem vir doctus in editione pro λάθοις legendum esse φθάνοις coniecit.

Si quid mutandum proposuerim:

Μάθοις τὴν γλάσσαν ἐς μέλι πλῦναί.

Eodem modo Arist. Pac. 633 V R ἐμάνθανεν habent, in scholio alia lectio ἐλάνθανεν servatur.

IV 14 οὐ γάρ τι πολλὴν οὐθ' ἔτοιμον ἀντλεῦμεν.

Hunc adiectivi ἔτοιμοσ usum illustrat Thuc. I 80, 4 οὔτε ἐν κινῶι ἔχομεν οὔτε ἐτοίμως ἐκ τῶν ἰδίων φέρομεν, ubi Steup adnotat: „ἐτοίμως, nicht bereitwillig, sondern mit Leichtigkeit, nämlich von bereit daliegenden Mitteln”.

IV 50 ἔσσετ' ἡμέρη κείνη,  
ἐν ἧι τὸ βρέγμα τοῦτο τῶσυρὸς κνήσῃ.

Caput scalpere animi perturbati indicium: exempla congescit Crusius, quibus adde comici ignoti fragmentum in Didymi Commentario Demosthenico servatum (Schröder N. Com. fr. in Pap. rep. p. 61).

εἰ δὲ μή, Πρόκνη γενήσῃ, κνώμενοσ τὸ κρανίον.

IV 59—60 τὸν παῖδα δὴ(τὸν)γυμνὸν ἦν κνίσω τοῦτον,  
οὐχ ἔλκοσ ἕξει, Κύννα;

Similiter Charito II 2, 2 (He II p. 28) de pulchra illa Callirroa τρυφερὰ δὲ σάρξ, ὥστε δεδοικέναι μὴ καὶ ἡ τῶν δακτύλων ἐπαφὴ μέγα τραῦμα ποιήσῃ.

IV 72—73 ἀληθινά, Φίλη, γὰρ αἱ Ἐφεσίου χεῖρεσ  
ἐσ πάντ' Ἀπελλέω γράμματα.

Crusius πράγματ', vix recte; nam χεῖρεσ sunt artis opera et locutionem ἀληθινὰ — ἐσ πάντα γράμματα satis defendit Luc. Imag. XVI πάσαισ ταῖσ γραμμαῖσ ἀπηκριβωμένη.

V 6 Βίτιννα· δούλος εἰμι, χρῶ ὅτι βούληι <μοι>.

Non aliter loquitur Habrocomas ille apud Xen. Ephes. II 5, 4 (He I p. 351) δέσποινα, ὅ τι βούλει ποίει, καὶ χρῶ σώματι ὡς οἰκέτου.

V 12—13 ἦν μὴ κατακίσασα τῆι σ' ὄληι χώρη  
παράδειγμα θῶ κτέ.

Ex asse respondet Xen. Ephes. II 6, 1 (He I p. 351) ἐγὼ γάρ σε τιμωρήσομαι καὶ τοῖς ἄλλοις οἰκέταις τὴν σὴν αἰκίαν (cf. κατακίσασα!) ποιήσομαι παράδειγμα.

V 27 ἀλλ' ἐπὴν αὐτίσ

ἔληισ τι δρῶντα τῶν σὺ μὴ θέληισ, στίξον.

Rutherford et v. Herwerden ἐπὴν <μ'> αὐτίσ legendum esse censuerunt: coniecturam inutilem esse docet Soph. O. R. 461

κἂν λάβηισ ἐψευσμένον,

Φάσκειν ἔμ' ἤδη μαντικῆι μηδὲν φρονεῖν,

quem locum variis coniecturis tentatum (λάβηισ <μ'> dett., Brunck, Hermann, ἐψευσμένον v. Wilamowitz) tuetur Arist. II 144<sub>24</sub> K. σκόπει δῆτα ἀκούων ὡς ἔχω περὶ τούτων, κἂν λάβηισ ψευδόμενον, τὸ τοῦ Σοφοκλέουσ, Φάσκειν ἔμ' ἤδη μηδὲν φρονεῖν, ut iam monuit Ewald Bruhn.

Simili modo viri docti certatim coniecturis vexarunt omnes fere locos, ubi ἀπολεῖσ scriptum est omisso pronomine personali (Soph. El. 831, Aristoph. Nub. 1499, Ran. 1245, Eccl. 775, Plut. 390, cf. Achill. Tat. I 7, 4 He I p. 45 ἀποκτενεῖσ).

V 52 βᾶδιζε καὶ μὴ παρὰ τὰ Μικκάλησ αὐτόν  
ἄγε.

Locutio παρὰ τὰ Μικκάλησ (citant interpretes Arist. Vesp. 1432 εἰσ τὰ Πιττάλου, Theocr. II 76, V 112, Demosth. LIV 7) traditam lectionem ap. Lys. XII 12 εἰσ τὰ τοῦ ἀδελφοῦ tueri videtur, ubi Scheibe et Cobet τὰ expunxerunt, Conſius iniuria τὴν restituit.

VI 5 μᾶ, λίθοσ τισ, οὐ δούλη,

ἐν τῆι οἰκίηι εἰσ·

Buecheler dubitat utrum <μοι> εἶσ an κεῖσ' sit legendum:



hoc multo praefendum videtur, coll. Ael. V. H. IX 13 ἀλλ' ἐκεῖνός γε ἔκειτο λίθου διαφέρων οὐδέν, Luc. Asin. 19 ἔκειτο δὲ ὡσπερ λίθος ἐν τῇ ὁδῷ ἀπηγορευκῶς.

VI 16 ὦτα μῦνον καὶ γλάσσαι,  
τὰ δ' ἄλλ' ἐσρτή —

Similiter formatam sententiam legimus Luc. Conv. 30 Χρύσιππος καὶ Ζήνων — καὶ Κλεάνθης, ῥημάτια δύστηνα καὶ ἐρωτήσεις μόνον καὶ σχήματα φιλοσόφων, τὰ δ' ἄλλα Ἐτοιμοκλεῖς οἱ πλεῖστοι.

VI 33 χειρέτω Φίλη πολλά  
εἴουσα τοίη, χητέρην τιν' ἀνθ' ἡμέων  
Φίλην ἀθρείτω. τὰ ἄλλα Νοσσίδι χρῆσαι!

Locus difficillimus; legendum esse suspicor:

τὰ μὰ Νοσσίδι χρῆσαι!

„meum Nossidi utendum dare!” ita ut χρῆσαι sit infinitivus exclamativus (cf. e. g. Soph. Ai. 411 τοιάδ' ἀνδρα χρήσιμον / Φωνεῖν, Arist. Vesp. 835 τοιουτονὶ τρέφειν κύνα). Quam saepe in mss. ΛΛ et M confusa sint, dici vix potest, cf. e. g. O. C. 1266 τὰλλα μὴ ἔξ ἄλλων πύθῃ, ubi Reiske restituit τὰμά, Ant. 436 ἀλλ' ἠδέωσ ἔμοιγε κάλγεινῶσ ἄμυ, ubi Dindorf optimo iure ἀλλ' in ἄμ' correxit.

Etiam in Herodae papyro M et ΛΛ saepius vix distingui possunt, cf. V 73, ubi Crusius ΛΤΠΙΤΕΜΕ legit, alii ΛΤΠΙΤΕΛΛΕ, IV 67, VI 90.

VII 46 οἱ κῆν ὕη Ζεὺς τοῦτο μου — ἰ  
„Φέρ', εἰ Φέρεις τι”

Crusius τοῦτο μῦνον ἀιδουσι vel τοῦτο μῦνον ἴσασι, Buecheler τοῦτό μου καταίδουσι.

Apte suppleri potest τοῦτο μοῦ <νον ὑμνοῦσι>; ut a Tecmessa decantatam illud γύναι, γυναιξὶ κόσμον ἢ σιγῇ Φέρει (Ai. 293) ita a misello sutore clamor saepe repetitus „fer, si quid fers” ἀεὶ ὑμνούμενον vocatur.

VII 114 μήτε προσθῆισ μήτ' ἀπ' οὖν ἔλῃισ μηδέν.

Locutio fere proverbialis, cf. e. g. Thuc. V 23, 6

ἦν δέ τι δοκῆι Λακεδαιμονίοις καὶ Ἀθηναίοις προσθεῖναι καὶ ἀφελεῖν — εὐρκοῦν ἀμφοτέροις εἶναι,

V 29, 2, Charit. III 1, 6 (He II p. 46) μηδὲν ἀφέλιγος μηδὲ προσθῆις, ἀλλ' ἀκριβῶς μνημόνευσον. Iure igitur miramur Krauss (Aeschinis Socratici Reliquiae p. 59, Plutarch. de recta rat. aud. c. 4) edidisse πανταχοῦ μὲν οὖν τῷ νέῳ κόσμῳ ἀσφαλῆς ἐστὶν ἡ σιωπὴ, μάλιστα δ' ὅταν ἀκούων ἐτέρου — ἀνεχῆται καὶ περιμένῃ παύσασθαι τὸν διαλεγόμενον, καὶ παυσασμένου μὴ εὐθέως ἐπιβάλλῃ τὴν ἀντίρρησιν, ἀλλ', ὡς Αἰσχίνης Φησί, διαλείπῃ χρόνον, εἴτε προσθεῖναι τι βούλοιοτο τοῖς λελεγμένοις ὁ εἰρηκῶς, εἴτε μεταθέσθαι καὶ ἀφελεῖν.

Pro προσθεῖναι (num typhothetarum vitium?) reponendum προσθεῖναι.

Addo duos locos ex Eroticis Scriptoribus Graecis: Achill. Tat. I 4, 5 (He I p. 42) πάντα δέ με εἶχεν ὁμοῦ, ἔπαινος, ἐκπληξίς, τρόμος, αἰδῶς, ἀναίδεια· ἐπήνουν τὸ μέγεθος, ἐκπεπλήγμην τὸ κάλλος, ἔτρεμον τὴν καρδίαν, ἔβλεπον ἀναιδῶς, ἠιδούμην ἀλῶναι: vocabula ἠιδούμην ἀλῶναι ante ἔβλεπον ἀναιδῶς ponenda esse docet contextus.

Charit. V 2, 4 (He II p. 87) καὶ λανθάνειν μὲν ἐπειρᾶτο, εἰλείβετο δὲ αὐτοῦ τὰ δάκρυα κατὰ τῶν παρειῶν imitatur, quod interpretes fugisse videtur Xen. Inst. Cyri VI 4, 21 (agitur de Panthea) καὶ λανθάνειν μὲν ἐπειρᾶτο, εἰλείβετο δὲ αὐτῇ (αὐτῆς E A H!) τὰ δάκρυα κατὰ τῶν παρειῶν.

AD. PLAT. DE REPUB. p. 421, c.

.. τῆς πόλεως ἀξανομένης καὶ καλῶς οἰκίζομένης ..

Mirum ὕστερον πρότερον. Ecquid pro οἰκίζομένης legendum est: οἰακίζομένης?

G. V.

# LOCULI

(AD TERT. APOL. VI 4)

SCRIPSIT

IACOBUS VAN WAGENINGEN.



Apud Plautum Lurcio servus, qui una cum Sceledro conservo in cella vinaria „tetigit calicem clanculum” (Mil. 823), sic iocose excusat aulas a se epotas (Mil. 851 sqq.):

non hercle tam istoc valide cassabant cadi;  
sed in cella erat paullum nimi' *loculi* lubrici,  
ibi erat bilibris aula sic propter cados cet.

Quid sibi velit *loculus lubricus* in hac servi narratiuncula, non obscurum est. Sic enim appellat locum in cella vinaria, ubi aula saepius e cadis implebatur vino humusque madebat latice superfuso. Sed non aequè perspicuum est, quales sint *loculi* cellae vinariae, qui a Tertulliano commemorantur priscos Romanorum mores depingente, Apol. VI § 4: „cum mulieres usque adeo vino abstinerentur, ut matronam ob resignatos cellae vinariae *loculos* sui inedia necarint”. Rauschenus in Florilegio Patristico (fasc. VI p. 28) nihil ad hunc locum adnotat, Esserus vero (Bibl. der Kirchenväter, Tert. II p. 56) Germanice hoc modo verba Latina vertit: „daz eine Matrone wegen Oeffnung der Behälter im Weinkeller von den Ihrigen durch Hunger getötet wurde”. Itaque si recte Esserum intellego, in parietibus cellae vinariae armaria oclusa et obsignata fuisse putat, in quibus Romani amphoras vel cados conditos habent. Tametsi non nego eiusmodi columbaria, ut ita dicam, in quibus dolia et seriae servabantur, posse *loculos* appellari,

tamen eos potius in apotheca (Rich, Dict. des ant. s. v. *cella*) quam in cella vinaria fuisse suspicor; deinde valde dubium mihi esse videtur, num omnes illi *loculi* obsignati fuerint, quemadmodum hodie arculae nostrae ferratae et subterraneae clave singulari clauduntur. Quam ob causam, ut omnes hae difficultates interpretandi tollantur, velim attendatis ad locum Plinii maioris, quem Tertullianus festinanter reddidisse videtur, n. h. XIV 13 (14) § 89: „Fabius Pictor in annalibus suis scripsit matronam, quod *loculos* in quibus erant claves <sup>1)</sup> cellae vinariae resignavisset, a suis inedia mori coactam”. — Nunc demum Plinii verbis cum Tertulliano collatis perspicuum nobis fit, qui illi *loculi* fuerint: non armaria in cella vinaria, in quibus seriae reponebantur, sed capsulae obsignatae, in quibus claves cellae vinariae tuto abscondebantur. Verum Tertullianus minus accurate fontibus suis utens, Plinii verba tam arte contraxit, ut sententiam relativam *in quibus erant claves* totam omitteret, quo factum est, ut *loculi cellae vinariae* existerent iique dicerentur resignari a matrona vini cupida, quamquam vulgo cella vinaria per clavem claudebatur, loculi autem, ii scilicet qui clavem continerent, impresso signo muniebantur. Postremo etiam alia in re coartandi studium sermonis Latini integritati nocuit, nam nemo non videt multo ornatus et concinnius dici: *ut matrona a suis inedia mori coacta sit quam ut matronam sui inedia necarint*, sicut Tertullianus nimis breviter. Plinii sententiam expressit. Saepius ubi hic scriptor ex historia Romana vel Graeca exempla sua mutuatus est, cavendum est lectoribus.

---

1) Benevole Hartmanus me monet de loco Horatiano, Sat. II 3, 146.

## AD SOPHOCLIS ANTIGONAM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(continuatur ex pag. 82).



Vs. 150 sq. *ἐκ μὲν δὴ πολέμων  
τῶν νῦν θέσθαι λησμοσύνην.*

Qui *ἐκ πολέμων* significare sumunt *post bella*, aut insulsam constructionem aut perversam sententiam nanciscuntur. Si enim τῶν νῦν, ut quisvis primo obtutu faciēt, cum πολέμων coniungunt, poeta dicit: „post bella modo gesta obliviscimini — quid tandem? nempe haec bella; quod quidem foret puerile; sin vero τῶν νῦν a πολέμων separant: „post bella obliviscimini praesentia”, quod absurdum esset, nam in praesenti Thebae liberatae laetitia exsultant. Exspectamus autem poetam hoc tantum dicere: „obliviscimini huius belli”. Carmen enim fere hoc modo decurrit: grave periculum urbi imminuit et nefando parricidio fratres inimici interierunt (vs. 145—147); at enim vero splendida victoria potiti sumus (vs. 148—149); ergo iam bellorum obliviscimini (vs. 150—151) et templa deorum cantu celebrate (vs. 152—153). Haec secum reputantes, opinor, olim Triclinius, recentiore aetate Brunckius Johnsonius Seidlerus voculam *ἐκ* cum θέσθαι λησμοσύνην connexuerunt; quorum sententiae etiam Boeckhii adstipulatus esse videtur. Neque inepte [Seidlerus comparandi gratia adscripsit Odys. l. XXIV vs. 484 sq.:

*ἡμεῖς δ' αὖ παιδῶν τε κασιγνήτων τε Φόνοιο  
ἔκλησιν θέωμεν.*

Ceteri tamen commentatores in alia omnia ierunt, quia eiusmodi tmesis iis absona et inaudita videbatur, cum praepositio

neque verbo θέσθαι neque vero substantivo λησμοσύναν separatim adiungi posset. Sed quidni Sophocles voculam ἐκ mente coniunxisse possit cum duobus vocabulis θέσθαι λησμοσύναν quasi in unum coniunctis et pro λαθέσθαι positus? Thucydides saltem l. III c. 13 scripsit: μὴ ξὺν κακῶς ποιεῖν αὐτούς . . . , ἀλλὰ ξυνελευθεροῦν, ubi ξὺν neque ad κακῶς neque ad ποιεῖν solum, sed ad utrumque simul vocabulum pertinet<sup>1)</sup>. Mea certe sententia illius loci simillimus est hic noster; nam utrum praepositio ipsa verba, ad quae pertineat, antecedit an nonnullis vocibus interiectis ab iis separetur, plane nihil refert.

Vs. 155 sqq. ἀλλ' ὄδε γὰρ δὴ βασιλεύς χώρας  
 Κρέων ὁ Μειοικέως νεοχμῶς ~ ~ ~  
 νεαρχῆσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις  
 χωρεῖ . .

Statim ex numeris horum versuum efficitur aliquid in codice archetypo excidisse: vs. 156 certe uno pede curtatus est. Sed cum stropha, cui haec respondet, tribus pedibus longior sit, veri similis est non unum, sed tres pedes hoc loco periisse. Strophae enim anapaesticae sibi invicem respondentes plerumque ex eodem pedum numero constant.

Alterum eiusdem lacunae indicium deprehendimus constructionem sententiae diligenter considerantes. Unde enim, quaeso, pendent in sententia, ut nunc est, verba νεαρχῆσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις? quae si cum verbo quod est χωρεῖ coniungere coneris, obstat sententia, si vero cum βασιλεύς, grammatica intercedat, cum substantivo βασιλεύς non adiectum sit participium γενόμενος vel tale quid. Ne quis insuper offendant in genitivo θεῶν, qui a συντυχίαις pendet, obiter moneo locutionem θεῶν συντυχίαι pro θεῶν συντυχίαι optime defendi posse collato Eurip. frg. 37, quod attulit Jebbiius:

τὰς δὲ δαιμόνων τύχας

ἔστις φέρει κάλλιστ', ἀνὴρ οὗτος σοφός,

et Soph. Philoct. vs. 1326:

σὺ γὰρ νοσεῖς τὸδ' ἄλγος ἐκ θείας τύχης

et Oed. Col. vs. 1585:

1) V. Kühner-Gerth, Griech. Gramm. II, 1, p. 538.

πῶς; ἄρα θεία κάπὸν τάλως τύχη;

Tertium argumentum praebet scholiastae periphrasis: ἀλλ' ἰδοὺ γὰρ Κρέων ὁ νεωστὶ καινὸς βασιλεὺς τῆς χώρας γενόμενος τῇ προσφάτῳ παρὰ θεῶν αὐτῷ δεδομένη ἐπιτυχίᾳ τοῦτο κατορθώσας. Duas, nisi fallor, emendationes ex his lucrāmur. Primum enim cum Godofredo Hermanno scribendum videtur νεοχμὸς νεοχμῶς idque praesertim, si conferas etiam alterum scholion: νεοχμὸς· νέος νεωστὶ κατασταθεὶς εἰς τὴν ἀρχὴν καὶ τυραννίδα. Deinde partem sententiae, unde penderent verba: νεαραῖσι θεῶν ἐπὶ συντυχίαις quamque hodie in codicibus desiderari diximus, a scholiaste verbis τοῦτο κατορθώσας redditam esse apparet. Quapropter Sophoclem talia fere scripsisse suspicor:

ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς χώρας

Κρέων ὁ Μενοικέως νεοχμὸς νεοχμῶς

τοιῶνδε τυχῶν νεαραῖσι θεῶν

ἐπὶ συντυχίαις χωρεῖ . .

Vs. 162 ἄνδρες, τὰ μὲν δὴ πόλεος ἀσφαλῶς θεοί . . .

Genitivus in -εος exiens substantivorum quae sunt πόλις, φύσις, ὕβρις, ὄφις, κόνις occurrit Aesch. Suppl. 344, Agam. 1167, Sept. 179, 218, Eurip. Or. 897, Bacch. 1026, 1331, Suppl. 703, Cycl. 641, Aristoph. Vesp. 1282, 1458, Thesm. 465, Plut. 1044. Idem non invenitur in inscriptionibus atticis: erat igitur a proprio Atheniensium sermone VI<sup>i</sup> et IV<sup>i</sup> saeculi alienus. Semel legitur in carminibus Theognidis, quae ionica dialecto, quamvis non omnibus numeris pura, composita sunt: nam πόλευς, quod legitur vs. 776, ex πόλεος contractum est. Item saec. V<sup>o</sup> exeunte vel IV<sup>o</sup> incunte semel legitur in inscriptione ex Oropo, cuius cives eretrica dialecto utebantur (S.G.D.I. 5339, 41). Exstat quoque in sermone vulgari et in inscriptionibus posterioribus dialecticis omne genus. Blassius olim opinatus est poetas atticos metri causa in huiuscemodi vocabulis terminationem -εως in -εος mutasse <sup>1)</sup>. Hodie tamen, si adhuc inter vivos esset, ipse Blassius, sat scio, sententiam suam corrigeret. Nam e locis, quos supra attulimus, inprimis ex ins-

1) Kühner-Blass, Griech Gramm. I, 1 (a. 1890), p. 442.

criptione oropica, genitivum *πόλεος* dialecto ionicae occidentali proprium fuisse patet. Hunc poetae attici, metro non cogente, sed fortasse nonnumquam suadente, hic illic in usum recipere non recusarunt. Quod ut adnotem, maxime me movet silentium, quo et Thumbius et Buckius in praestantissimis libris suis de grammatica et dialectis graecis horum genitivorum usum apud poetas atticos presserunt.

Vs. 168 sq. Haud obliviscor, Creon, o senatores, inquit, vos etiam post Oedipi ruinam

ἀμφὶ τοὺς κείνων ἔτι

παῖδας μένοντας ἐμπέδοις φρονήμασιν.

Vetus quaestio est, quo referenda sit vox *κείνων*. Atque iure consentiunt fere omnes pronomen non referri posse ad Oedipum et Laium, qui in praecedentibus nominantur, cum ille pater, hic vero *avus* Eteoclis et Polynicis fuerit. Ideo Brunckius *κείνου τότε*, Herwerdenus *κείνου διπλοῦς*, alii *κείνου γ' ἔτι* scripserunt, ut solus Oedipus designaretur. Rectissime autem Bruhnius sensit mihi videtur *κείνων* ad Oedipum et Iocasten referendum esse; de qua cum tamen sermo non fiat in versibus antecedentibus, ut in codicibus leguntur, idem pauca quaedam excidisse auguratur. Sed rogaverim: numne Creon sororem suam Iocasten de industria nominatim nos profert, ne incestum matrimonium, unde tanta mala manaverant, renovare videatur? Huiusmodi constructionis *κατὰ σύνεσιν* simillimum exemplum extat Herod. l. I c. 116: *ταῦτα λέγοντος τοῦ παιδός, τὸν Ἀστυάγεα ἐσήιε ἀνάγνωσις αὐτοῦ καὶ ὁ τε χαρακτήρ τοῦ προσώπου προσφέρεσθαι ἐδόκει ἐς αὐτούς...*, ubi archetypus codicum RSV habuit *ἐς ἑωυτόν*, sed archetypus codicum AB exquisitiorem lectionem *ἐς αὐτούς*, quam olim a Gronovio defensam nostra aetate papyrus Monacensis confirmavit<sup>1)</sup>.

Vs. 196 sq. *τάφῳ τε κρύψαι καὶ τὰ πάντ' ἐφαγνίσαι,  
ἃ τοῖς ἀρίστοις ἔρχεται κάτω νεκροῖς.*

Interpretantur omnes: *ἃ τοῖς ἀρίστοις νεκροῖς κατέρχεται* i. e.

1) Cf. H. G. Viljoen, Herod. fragm. in pap. servata, p. 12—14. — Cf. Thuc. I, 181: *περὶ αὐτῶν ἐλέγχειν*.



καταρρεῖ sive καταχεῖται. Non is sum qui negem hoc defendi posse, nam κάτω ἵναμι pro κατιένμι non inauditum est (cf. modo infra vs. 524 sq.):

κάτω νῦν ἐλθοῦσ', εἰ Φιλητέον, Φίλει  
κείνους <sup>1)</sup>

et κατιένμι saepe de fluminibus dicitur; quin etiam apud Plutarchum Mor. p. 702, b legitur: ὕδαρ εἰς ἀποδεῆς κατερχόμενον (i. e. καταχεόμενον) τὸ ἀγγεῖον. Minime autem Ludovico Dindorf astipulor, qui ἔρδεται pro ἔρχεται scribere nos iussit, vel Nauckio, qui totum versum 197 in dubium vocavit. Sed haud scio an Sophocles hunc versum intellegi voluerit sic: ἃ τοῖς ἀρίστοις κάτω νεκροῖς ἔρχεται, i. e. *obtingunt, contingere solent*. Cum verbis τοῖς ἀρίστοις κάτω νεκροῖς conferri iubeo Soph. El. 968 sq.: πατρός κάτω θανόντος, Eur. Or. 674: τὸν κατὰ χθονὸς θανόντα. De sententia peculiari verbi ἔρχεται cf. Soph. El. 327:

οἷα τοῖς κάτω νομίζεται.

Pind. Ol. I, 99 sq. τὸ δ' αἰεὶ παράμερον ἔσλόν  
ὑπατον ἔρχεται παντὶ βροτῶν.

Oed. Col. 1421 τί σοι πάτραν κατασκάψαντι κέρδος ἔρχεται;  
Phil. 141 σὲ δ', ᾧ τέκνον, τόδ' ἐλήλυθεν πᾶν κράτος ὠγύγιον.

Arist. Panath. p. 149: τό γ' εἰς ἀνθρώπους ἐλθόν, *quantum quidem mortalibus datum est*.

Eodem modo apud Herodotum verbum ἰκνεῖσθαι significat *contingere, et deberi*; cf. e. g. IX, 26: τοῦ δ' ἐτέρου (κέρεος) Φαμὲν ἡμέας ἰκνεῖσθαι ἡγεμονεύειν <sup>2)</sup>. Inde facili negotio explicare possumus locum Himerii (Or. VII, 15) nondum, ut opinor, recte intellectum: ἡπιος ἔστω καθ' Ὁμηρον ὁ κυβερνήτης

1) Cf. etiam Soph. frg. 795:

βομβεῖ δὲ νεκρῶν σμήνος ἔρχεται τ' ἄνω.

Eur. Alc. 163: ἔρχομαι κατὰ χθονός.

2) De verbis quae significant *evenire, contingere, deberi* cf. Mnemos. 1917, p. 179, 2. — Exemplis usus peculiaris participii *γιγνόμενος*, quae ibidem collegi, addi possunt haecce:

1° Polyb. V, 25: ... ὅτι κινδυνεύουσι μὲν ὑπὲρ πάντων, γίνεται δ' αὐτοῖς οὐδὲν τῶν δικαίων οὐδὲ κομίζονται τὰς λείας τὰς γιγνομένας αὐτοῖς ἐκ τῶν ἐπισμῶν. Recte Schweighaeuser in lexico suo Polybiano *γιγνομένας* significari dixit *debitas*. Male Büttner-Wobst e lectione codicum AB *τελείας* elicit lectionem: *κομίζονται τελείας τὰς (ὠφέλειας)*.

2° Schol. Luc. (ed. H. Rabe) Tim. 49: γινόμενον· ὀφειλόμενον.

τῆς πόλεως, ἵνα καὶ τὴν ἐρχομένην προσηγορίαν τὴν τῶν πατέρων (legendum cum Wernsdorfio: τὴν τοῦ πατρὸς) ἐνέγκηται. Cf. ibid. XIV, 32: νῦν ὄντως ἔγνωμεν τὸν ὀμηρικὸν ἐκεῖνον ἄρχοντα, ὃν ἐκ Φιλανθρωπίας εἰκάσαι βουλόμενος πατὴρ προσηγορίᾳ τετίμηκε. Apparet enim τὴν ἐρχομένην προσηγορίαν esse τὴν προσήκουσαν sive, ut cum Herodoto loquamur, τὴν ἰκνουμένην προσηγορίαν. Male Wernsdorfius et Duebnerus contra codicum auctoritatem scripserunt τὴν ἐχομένην προσηγορίαν, quod sensu cassum est.

Vs. 225 sq. πολλὰς γὰρ ἔσχον Φροντίδων ἐπιστάσεις  
ὁδοῖς, κυκλῶν ἔμαυτὸν εἰς ἀναστροφὴν.

Ἐπίστασθαι est consistere et ἐπίστας, cui opponitur κινήσις, est *institutio*, deinde sensu translaticio: *attentio animi, consideratio, deliberatio*. Paene omnes viri docti hic ἐπιστάσεις proprio sensu dictum esse arbitrantur, ut iam olim Plutarchus <sup>1)</sup>. Quorum plerique, quibus adnumerantur Brunckius et Jebbii, et nunc Bruhnius et Bellerminus, nuntium dicere censent: „multas expertus sum moras propter curas (vel cogitationes) meas”. Putant igitur genitivo Φροντίδων indicari causam morarum, quas nuntius expertus erat. Sed, quamquam concedo in lyricis carminibus usum quendam casus genitivi occurrere liberiore neque certis legibus astrictum, tamen in dialogo tragoediae, praesertim ubi vir humiliore loco natus loquitur, eiusmodi genitivum vix inveniri credo.

In scholiis inter alia dicitur ἐπιστάσεις idem esse quod ἐνστάσεις, *objectiones*. Boeckhio quidem hoc scholiastes persuasisse videtur; vertit enim:

„denn vieler Sorg' Anstände fand ich unterwegs”.

Sed hodie satis graece scimus, ut affirmare possimus ἐπιστάσεις nusquam idem esse quod ἐνστάσεις.

Ab his diversa et longe prudentior est sententia G. Hermannii, qui Φροντίδων ἐπιστάσεις moras esse ducebat, quas cogitationes nuntii passae erant, verba graeca sic latine vertens: „multas expertus sum in deliberando moras”. Aut hoc probandum esse videtur mihi aut plane nova via ingredienda.

1) Plut. de recta audiendi ratione, p. 48 B; cf. Wyttienbachius ad l.

Nonne enim *Φροντῖδων ἐπιστάσεις* prorsus idem esse potest quod vulgo brevius dicebatur *ἐπιστάσεις*, i. e. *cogitationes*, sive *meditationes*? Ut enim latine *attendere* et *advertere* dici coeptum est pro eo quod est *animum attendere* et *animum advertere*, eodem modo graeca locutio *ἐφιστάναι* nata erat ex *ἐφιστάναι τὸν νοῦν, τὴν γνώμην, τὴν σκέψιν, τὸν λόγον*, et *ἐπίστασις* vulgo dicebatur pro *ἐπίστασις τοῦ νοῦ* sive *τῆς διανοίας* sive *τῆς γνώμης*. Plenior tamen locutionem idcirco non omnino aboluisse consentaneum est. Nihil igitur nuntius mihi videtur dicere nisi hoc: „multae cogitationes in via subierunt mihi”. Vox quae est *Φροντῖδες* hic potius *mentem* significat quam *cogitationes*. Cf. Eur. Med. 48:

νέα γὰρ Φροντῖς οὐκ ἄλγειν Φιλεῖ.

Soph. Phil. 863 sq.

τὸ δ' ἄλλωσιμον

ἔμᾳ Φροντῖδι.

Oed. R. 170

οὐδ' ἐνι Φροντῖδος ἔγχος.

Ibid. 1389 sq.

τὸ γὰρ

τὴν Φροντῖδ' ἔξω τῶν κακῶν οἰκεῖν γλυκύ.

Trag. frg. adesp. 29, 2 τῆς Ἡρακλείας Φροντῖδος κατηγορεῖν.

Numerum pluralem habes Eur. Hec. 626 sq.:

ἄλλως Φροντῖδων βουλευύματα

γλώσσης τε κόμποι.

Vs. 223 sq.

τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν

σοί, κεῖ τὸ μηδὲν ἐξερῶ, Φράσω δ' ὄμως.

Τὸ *μηδὲν* hic *rem nihili* esse aiunt, ut dicat custos: „ad extremum vero te adire mihi visum est, o rex, et si id quod tibi dicturus sum pro nihilo duces, tamen iam dicam tibi”. Ain' tandem? Pace virorum doctorum, qui haec concoquunt, dictum esto: nonne hic absurdi aliquid inest? Venit custos timore conturbatus et contremiscens neque dicere audet quod dicendum est; prooemiis indulget, ipse de se loquitur, tarditatem suam excusat, narrat quid animus suus secum confabulatus sit. Cur? Quia scit non rem nullius momenti, sed terribilem nuntium se afferre, quo se ipse in summum periculum committat. Cum igitur cetera vocabula omnia minime ambigua sint, cogimur ut quaeramus possitne illud τὸ *μηδὲν* aliud quid significare atque vulgo autumant. Τὸ *μηδὲν* non

dici posse *nihil boni* <sup>1)</sup> vix est quod moneam. Proficiscendum est a quatuor locis, ubi τὸ μηδέν manifesto non significat *rem nihili*.

1°. Eur. Hec. 622 ὡς εἰς τὸ μηδέν ἤκομεν,  
ut ad nihilum venimus, ut periimus!

2°. Soph. Trach. 1108 Hercules veneno infectus et moriturus:  
„κἄν τὸ μηδέν ᾧ”, ait  
„κἄν μηδέν ἔρω,  
tamen vel sic ulciscar illam, quae tali supplicio me affecit”.  
Corrigendum censeo:

κἄν τὸ μηδέν ᾧ  
κἄς μηδέν ἔρω,

collato loco Hecubae et Eur. frg. 536:

κατθανῶν δὲ πᾶς ἀνὴρ  
γῆ καὶ σκιά· τὸ μηδέν εἰς οὐδὲν ῥέπει  
et Soph. frg. 787, 8: (luna)

πάλιν διαρρεῖ κεῖς τὸ μηδέν ἔρχεται.  
(V. l. κἀπὶ μηδέν).

3°. Apud Polyb. IV, 34 verba poetae, ut videtur, adferuntur haec: πολλάκις τὸ τολμᾶν περιττὸν εἰς ἄνοιαν καὶ εἰς τὸ μηδέν καταπτᾶν εἴωθεν.

4°. Soph. El. 1165 Electra fratri, quem mortuum esse putat:  
τοίγαρ σὺ δέξιαι μ'εἰς τὸ σὺν τόδε στέγος,  
τὴν μηδέν εἰς τὸ μηδέν,  
i. e. εἰς τὸν θάνατον.

Hoc ultimo loco fretus coniecerim verba tradita nostro loco ita intellegenda esse, ut custos Creonti dicat: „etiamsi mortem meam effabor, i. e. etiamsi hoc dicens mortem subibo, nihilominus dicam tibi”. Cf. Nov. Test. epist. ad Cor. I, 11, 29: ὁ γὰρ ἐσθίων καὶ πίνων ἀναξίως κρῖμα ἕαυτῶ ἐσθίει καὶ πίνει<sup>2)</sup>. Sic demum sententia evadit probabilis et apte cohaerent sequentia:

τῆς ἐλπίδος γὰρ ἔρχομαι δεδραγμένος  
τὸ μὴ παθεῖν ἂν ἄλλο πλὴν τὸ μόρσιμον.

1) Sic Ebeling, Griech. deutsches Wörterb. zu Soph. (Lips. 1869), p. 212.

2) Cf. Heracl. frg. 26 Diels, Parmen. frg. 76 sq. Soph. Oed. Col. 529, Ai. 215.

Vs. 241 sq. εὖ γε στοχάζῃ κάποΦάργγυσται κύκλω  
τὸ πρᾶγμα.

Hunc locum sanum esse et verbo στοχάζεσθαι hic solitam significationem *collineandi* subesse cum alii Sophoclis commentatores tum nostra aetate Jebbiius et Bellermannus arbitrantur. Contra iure Bruhnius nos admonet, si: „*diu collineas*” dixisset Creon, quadamtenus ferri potuisse, minime vero eum dicere posse: „*commode collineas*”. Hanc difficultatem attenuare possemus distinguendo: εὖ γε· στοχάζῃ κτλ., sed ne sic quidem prorsus sublata esset. Itaque non mirum est Bruhnio aliisque multis vocem quae est στοχάζῃ corruptam visam esse. Ex variis autem virorum doctorum coniecturis si mihi aliqua eligenda esset, palmam darem F. Jacobsio, qui pro στοχάζῃ scripsit στεγάζῃ. Στεγάζεσθαι enim nonnumquam dicitur is, qui clipeo corpus tegit ac defendit. Illud tantum obstaret, quod sequentia κάποΦάργγυσται κύκλω plane aliam imaginem evocant. Sed omnino hic coniectura non opus esse censeo; nam στοχάζεσθαι etiam aliam significationem habuit, quae licet paene oblitterata sit, tamen testimonio non recusando nititur. Photii enim haec sunt verba ad rem venatoriam spectantia: Φαίης δ' ἂν στήσασθαι: τὰς ἄρκυς, ἐνστήσασθαι, περιστήσασθαι κτλ. στοιχίσαι, περιστοιχίσαι, περιστοιχίσασθαι. κκεῖται δ' αὐτῶν ἡ στάσις στοῖχος καὶ στόχος καὶ στοχασμός καὶ στοιχισμός. στοχὰς δὲ κκεῖται καὶ χειροποίητά τινα οἰκοδομήματα ἐκ λίθων ἢ ὕλης ὑπὲρ τὴν γῆν ἀνεστήματα κατὰ χρείαν τῆς τῶν δικτύων ἐξ ἴσου στάσεως, εἴ τι κοῖλον εἶη περὶ τὸ ἀρκύστατον <sup>1)</sup>. Si enim στοχασμός est δικτύων στάσις, necessario sequitur ut etiam στοχάζεσθαι a venatoribus dictum sit pro δίκτυα στήσασθαι. Quae quidem sententia hic aptissima est propter verba sequentia, quae sic demum bene ad priora quadrabunt. Quis enim Xenophontis studiosus nescit veteres Graecos ita retibus venari solitos fuisse, ut latebras ferarum undique indagine cingerent? Insuper reputa etiam verbum περιστοιχιζεσθαι, quod quamvis ab alia stirpe ductum esset, tamen teste Photio eandem significationem habebat atque στοχάζεσθαι, eodem modo metaphoricè usurpatum esse. Qua de re satis habeo provocare

1) Phot. lex. V, 36.

ad Demosth. IV, 9: (Φίλιππος) κύκλω πανταχῆ μέλλοντας ἡμᾶς καὶ καθημένους περιστοιχίζετχι, ubi rectissime Harpocration: ἐκ μεταφορᾶς τῶν κυνηγετῶν· κατὰ γὰρ τὰς ἐκδρομὰς τῶν θηρίων ὄρθα ξύλα ἰστᾶσιν, ἃ καλοῦσι στοίχους ἢ στόχους, καταπετανύντες αὐτῶν δίκτυα..

Hoc ergo custodi dicit Creon: „commode retia ponis remque tuam circumsaepis”, i. e. callide et circumspecte venatoris instar praecaves mille modis”.

AD OVID. TR. IV 3, 83.

*utere temporibus, quorum nunc munere facta est  
et putet in laudes area lata tuas.*

Pag. 11 huius voluminis pro *freta es vel ficta est* (*facta est Ehwaldo debetur*) quamvis dubitans *creta est* proposui. Iam vero legendum esse censeo *secta est* cl. Sen. Oed. 987: omnia secto tramite vadunt | primusque dies dedit extremum.

P. H. D.

# AD SENECAE PHAEDRAM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



De versibus nonnullis in Phaedra fabula obviis disputaturo illum locum mihi primum attingere lubet, de quo Fridericus Leo in *Analectis*, quae suae tragoediarum editioni praemisit, fusius egit p. 201—208. Legitur autem in nuntii narratione, qua Hippolyti interitum cum Theseo communicat, et totus ad monstrum illud pertinet, quo irruente equi conterriti iuvenem e curru provolverunt, qui deinde suis implicitus habenis misere mutilatus obiit. Locum transscribo qualis, sive e codice Etrusco seu de suo a Leone constitutus, a Peipero et Richtero in editione Teubneriana anni MCMII editus est.

- 1015 *consurgit ingens pontus in vastum aggerem,*  
[*tumidumque monstro pelagus in terras ruit.*]  
*nec ista ratibus tanta construitur lues:*  
*terris minatur; fluctus haud cursu levi*  
*provolvitur: nescio quid onerato sinu*
- 1020 *gravis unda portat. quae novum tellus caput*  
*ostendit astris? Cyclas exoritur nova?*  
[*latuere rupes numine Epidauri dei*  
*et scelere petrae nobiles Scironides*  
*et quae duobus terra comprimitur fretis.*]
- 1025 *haec dum stupentes quaerimus, totum en mare*  
*immugit, omnes undique scopuli adstrepunt;*  
*summum cacumen vorat expulso sale,*  
*spumat vomitque vicibus alternis aquas.*  
*qualis per alta vehitur Oceani fretu*

1030 *fluctum refundens ore physeter capax.  
inhorrui concussus undarum globus  
solvitque sese et litori innoxit malum  
maius timore, pontus in terras ruit  
suumque monstrum sequitur — os quassat tremor.*

1035 *quis habitus illi corporis vasti fuit!*

Leo igitur vs. 1016 et 1022—24 poëtae nostro abiudicavit idque sibi persuasit non tam ratione palaeographica adductus quam quod sanam rerum ac cogitationum cursum nunc male interrumpant conturbentque. Errores enim geographicos apud Senecam postquam complures enumeravit p. 202, profitetur p. 203: „ergo in locorum situ inaccurate indicato non offendimus; immo negligentiam istam qua in fabula Athenis acta narrat quod intellegi nequeat nisi si Troezene agatur, prorsus Senecae mori ac tragoediarum indoli convenire dixerim. at sunt quae suspicionem moveant graviora”.

Graviora autem illa, quae versus a vetusto interpolatore confectos esse Leoni persuaserunt, inde omnia oriuntur, quod ordinem rerum narratarum importunum reddunt atque inconcinnum, id quod nemo non viro summo assentietur.

At quamquam versus ab eo damnatos ferri non posse ubi in libris mss. exarati sunt ego quoque concedo, medelam quam adhibendam esse censuit, veram iustamque esse non item existimo. Primum id quod vs. 1022 sqq. versi sunt ex Euripidis Hipp. 1207 sqq., ut Leo monuit:

ὄστ' ἀφῆρέθη

Σκείρωνος ἀκτὰς ὄμμα τοῦ μὲν εἰσορᾶν

ἔκρυπτε τ' Ἴσθμὸν καὶ πέτραν Ἀσκληπιοῦ

vetare mihi videtur ne eos sciolo nescio cui deberi ac reddendos esse credamus. Fingere mihi possum, aliquem cui rerum narratarum contextus non satis clarus lucidusque visus sit, de suo nonnulla addidisse quo ambigua vel obscura illa redderet magis perspicua, sed quis, rogo, umquam versus insereret quibus caliginem etiam multo faceret spissiore? Accedit quod interpolator ille, si exstisset, homo quamvis doctus excultusque versus Euripideos, quibus optime carere locus posset, inseruisset idque eo loco, quo ne ineptissimus quidem eos posuisset. Deinde Leo loci medicamen temere



respuit, quod in Senecae tragoediis saepissime adhibendum esse ipse plurimis palmariis emendationibus comprobavit, hic tamen nullo addito argumento neglexit scribens (p. 205): „nam de versibus transponendis cogitari nequit”. Immo versus non exstirandos sed revera suo loco reddendos esse duco atque totum locum qualem restituendum esse arbitror ante oculos ponam:

- 1015 *consurgit ingens pontus in vastum aggerem,*  
 1017 *nec ista ratibus tanta construitur lues:*  
*terrīs minatur; fluctus haud cursu levi*  
*provolvitur: nescio quid onerato sinu*  
 1020 *gravis unda portat. quae novum tellus caput*  
*ostendit astris? Cyclas exoritur nova?*  
 1025 *haec dum stupentes quaerimus, totum en mare*  
*immugit, omnes undique scopuli adstrepunt;*  
 1016 *tumidumque monstro pelagus in terras ruit.*  
 1022 *latuere rupes numine Epidauri dei*  
 1023 *et scelere petrae nobiles Scironides*  
 1024 *et quae duobus terra comprimitur fretis.*  
 1027 *summum cacumen rotat expulso sale,*  
*spumat vomitque vicibus alternis aquas*  
*quulis per alta vehitur Oceani freta*  
 1030 *fluctum refundens ore phryseter capax.*  
*inhorruit concussus undarum globus*  
*solvitque sese et litori invexit malum*  
*maius timore, pontus in terras ruit*  
*suumque monstrum sequitur — os quassat tremor.*  
 1035 *quis habitus ille corporis vasti fuit!*

Ita totam narrationem ratione ac via procedere opinor neque quicquam iam esse quod offendant. Hoc etiam monere velim, vs. 1016 non modo eliminandum non esse sed etiam quam maxime esse necessarium quo lector iusto tempore fiat certior quid tandem agger ille ponti contineat, quid onerato sinu gravis unda portet. Nempe si versus omnino abesset, vs. 1027 sqq. vix et ne vix quidem intellegi possent utpote qui ad ipsum monstrum iam referendi sint, ut comparatio in vs. 1029 sq. demonstrat, et prorsus imparatum fieret illud (vs. 1034): *suumque monstrum sequitur.*

Ceterum vs. 1035 non cum Richtero adversus codicum omnium auctoritatem *illi* scribendum esse iudico: vs. 651 *quis tum ille fulsit*, quem locum Leo quoque affert, lectionem traditam satis tuetur.

Restat tamen unus versus in loco supra descripto, qui etiam nunc scrupulum mihi inicit: vs. 1027 sq. volo

*summum cacumen rorat expulso sale,  
spumat vomitque vicibus alternis aquas*

atque in editione priore Peiperi Richtérique coniecturas D. Heinsii *spumas vomitque* et Gronovii *spumans* commemoratas video, unde locum iam iis displicuisse et corruptum visum esse apparet. Summum cacumen h. e. caput monstri, quotiescumque expulit aquam marinam, rorasse dicitur — qua re? Nimirum *spumis*, quod pro verbo *spumat* reponendum est scilicet virgula post *sale* sublata: quo facto et structuræ sententiarum et sanæ rationi me consuluisse confido.

In monstri sui horroribus depingendis mirum quantum Seneca sibi indulisit multoque longior fuit quam Euripides in Hippolyto:

- 1035 *quis habitus ille corporis vasti fuit!*  
*caerulea taurus colla sublimis gerens*  
*erexit altam fronte viridanti iubam;*  
*stant hispidæ uires, orbibus varius color,*  
*et quem feri dominator habuisset gregis*
- 1040 *et quem sub undis natus: hinc flammam vomunt*  
*oculi, hinc relucent caerulea insignes nota;*  
*opima cervix arduos tollit toros*  
*naresque hiuleis haustibus patulæ fremunt;*  
*musco tenaci pectus ac palear viret,*
- 1045 *longum rubente spargitur fuco latus;*  
*tum pone tergus ultima in monstrum coit*  
*facies et ingens belua immensam trahit*  
*squamosa partem. talis extremo mari*  
*pistris citatas sorbet aut frangit rates.*

Ad vs. 1041 primum nonnulla observanda sunt.

Gronovius voc. *oculi* e margine irrepisse suspicatus est, quod recte eum suspicatum esse Peiper et Richter in editione priore ascripserunt atque vocabulo sublato poetam vel *at hinc* vel

*illinc* vel simile quid scripsisse addiderunt, in editione altera Richter *oculi* retinuit neque verbo quidem Gronovii suspicionem memoravit. Nihilominus eum iure voc. *oculi* in marginem relegasse mihi constat, verum ita detrusum esse credo epitheton aliquod ad *flammam* pertinens quale est *celerem* vel *rutilam*. Poeta igitur monstri formam usque ad vs. 1046 ita descripsit ut nulli non lectori illa taurina tota fuisse videatur. Deinde vero ita pergit:

*tum pone tergus ultima in monstrum coit  
facies et ingens belua immensam trahit  
squamosa partem.*

In hisce versus primus nullam difficultatem praebet et, nisi fallor, sic intellegendus est: tum pone tergus, h. e. in extrema corporis parte, facies ultima, h. e. ultima monstri forma, coit ita ut et ipsa quasi novum monstrum efficiat. Hoc sane probabile videri potest, nam forma tauri vulgaris non ea est quae natando nedum sub undis degendo admodum idonea sit: restabat igitur tauro caudam addere quali monstra et virgines marinae praeditae vulgo depinguntur. Seneca vero rursus facere non potuit quin etiam caudam illam tamquam monstrum alterum nobis proponeret et in immensum augetet, quo spectant verba:

*et ingens belua immensam trahit  
squamosa partem.*

Quid hoc est: et ingens belua squamosa trahit immensam partem? Primo adiectivum *ingens* post elaboratam monstri descriptionem sane pueriliter frigideque hoc loco additum est, deinde belua male dicitur squamosa, quoniam modo vs. 1044 sq. legimus:

*musco tenaci pectus ac palear vivet,  
longum rubente spargitur fuco latus.*

Immo, verba quae sanam interpretationem nunc vix admittunt, a Seneca adiecta sunt ut novum illud inventum suum *ultima in monstrum coit facies* illustrarent, verum ita emendata:

*tum pone tergus ultima in monstrum coit  
facies et anguem belua immensam trahit  
squamosa partim.*

Cauda enim, novum monstrum, anguis immensae formam habebat, belua autem per sui partem postremam tantum squamis tecta erat.

Pergit poeta ad terrores quos monstrum ubique iniecit tradendos:

1050 *tremuere terrae, fugit attonitum pecus  
passim per agros nec suos pastor sequi  
meminit iuencos; omnis e saltu fera  
diffugit, omnis frigido exsanguis metu  
venator horret. solus immunis metu*

1055 *Hippolytus artis continet frenis equos e. q. s.*

Inscita ista vocis metu iteratio si in Octavia praetexta occurreret, emendatione omni abstinendum esse putarem, poeta vero nostro indignissima est. Corrigas quaeso:

*omnis frigido exsanguis gelu-  
venator horret.*

cl. Troad. 624:

*reliquit animus membra, quatiuntur, labant  
torpetque vincus frigido sanguis gelu.*

Hippolytus ipse interritus manet et equos suos trepidantes diu perite coërcet, sed monstrum assidue eos persequitur

1078 *nunc aequa carpens spatia, nunc contra obuius  
oberrat, omni parte terrorem movens.  
non licuit ultra fugere: nam toto obuius  
incurrit ore corniger ponti horridus.*

Pro voc. *obuius* in vs. 1078 I. Gronovius *obviis*- Bentley *avius* coniecit. At id mutandum esse non credo, immo lectio optima est, nam verba significant, beluam modo latera equorum tegere eorumque cursum facile aequare, modo a fronte terrorem iis inicere, ubi tota in eos obvertitur. Hoc autem, quod primum identidem quasi ludens sed paulisper fecit, tandem facere non destitit — obsistit equis, tunc vero

*non licuit ultra fugere: nam toto ferox  
incurrit ore corniger ponti horridus.*

Ita enim emendandum est. Alterum *obuius* e vs. 1078 hoc loco per errorem repetitum detrussit lectionem genuinam sive *ferox*, quod reposui, seu *minans* vel tale quid. Cf. vs. 1172:

*taurus biformis ore cornigero ferox*

et vs. 1064: *contra feroci gnatus insurgens minax*

*vultu nec ora mutat et magnum intonat.*

Unum vitium exiguum in eadem narratione restat quod

tollere velim. Hippolytus, suis implicitus habenis, corripitur,  
 1098 *tandemque raptum truncus ambusta sude*  
*medium per inguen stipite ingesto tenet,*  
*paulumque domino currus affixo stetit.*  
*haesere biuges vulnere — et pariter moram*  
*dominumque rumpunt.*

Scribendum est: *at pariter moram cet.*

At nuntii narrationem missam nunc facio et reliquas meas animadversiones expositorum iustum versuum ordinem sequar.

Phaedra patriam suam alloquitur:

85 *O magna vasti Creta dominatrix freti,*  
*cuius per omne litus innumeræ rates*  
*tenuere pontum quicquid Assyria tenuis*  
*tellure Nereus pervius rostris secat.*

Editores vocabulo *pontum* crucem praefigere solent, pro quo Leo *portus* — Richter (*tuentur*) omne coniecerunt. Siquid mutandum est, equidem *cursum* requiram, sed nescio an *pontum* *tenuere* ita interpretandum sit: *pontum tanquam suam dicionem obsederunt*: utique aliud vitium hunc locum multo certius inquinare censeo et Nic. Heinsium iam censuisse postea vidi. Locus enim, qualis nunc legitur, ita tantum explicari potest, si construitur: *quicquid* (ponti) *Nereus secat* et si copulatio *pervius rostris* tamquam Nerei attributum sumitur. At *Nereus secat pontum* de Nereo natante tantummodo intellegi potest et huic loco minime convenit, contra *naves secant Nereum* sive *pontum* vulgaris formula est, quae hic requiritur, cf. vs. 530:

*nondum secabant credulae pontum rates,*

et Ag. 430: *aperitque cursus, mille quos puppes secant.*

neque vocabula *pervius rostris* coniungenda sunt: Seneca alibi quoque epitheton *pervius* ipsum per se Nereo attribuit, cf. vs. 336:

*spicula cuius sentit in imis*

*pervius undis rex Nereidum.*

Quae cum ita sint, restituendum esse nullus dubito:

*quicquid Assyria tenuis*

*tellure Nerea pervium rostris secat.*

atque cod. A sane verae lectionis vestigium (*pervium*) servavit. De pronomini *quicquid* usu pauca addere fortasse opus erit.

Poeta igitur dicit: cuius innumerae rates pontum tenere per omne litus, quicquid (ratium sc.) rostris secat Nerea pervium. Cf. vs. 1161:

*in me monstra caerulei maris  
emitte, quicquid intimo Tethys sinu  
extrema gestat, quicquid Oceanus vagis  
complexus undis ultimo fluctu tegit,*

quo loco poetam similiter pronomen idem adhibuisse videmus, nam *quicquid* h. l. = quicquid monstrorum.

Memoriam potentiae maritimae Cretae etiam tunc alte in hominum pectora descendisse ex nostro loco apparet et e vs. 149:

*quid ille, lato maria qui regno premit  
populisque reddit iura centenis, pater?*

In nutricis oratione, qua Phaedram ab infando amore revocare conatur, haec sunt:

140 *honesta primum est velle nec labi via,  
pudor est secundus nosse peccandi modum.*

In versu priore N. Heinsius *honesta* optime restituit e codicis Etrusci corrupta lectione *non ista*, prae qua codicis A scriptura *obstare* contemnenda est. At restat difficultas haud levis in versu altero, ubi *pudor secundus* dure infertur propterea quod ante de pudore primo mentio iniecta est nulla, itaque Richter pro *pudor est* coniecit: *gradus est*. Locum leniore medela sanandum esse puto. Scribas quaeso:

*honesta primus velle nec labi via  
pudor est — secundus nosse peccandi modum.*

Vides exitum vocabuli *primus* male exaratum primam, immo unicam omnium molestiarum fuisse originem, in quibus *gradus secundus* fuit nimirum interpunctio perversa.

In nutricis illa de Amore oratione, quacum ipsius Senecae in Octavia praetexta (vs. 557 sqq.) disputatio apte conferri potest, haec leguntur:

206 *tunc illa magnae dira fortunae comes  
subit libido: non placent suetae dapes,  
non tecta sani moris aut vilis scyphus.  
cur in penates rarius tennes subit  
haec delicatas eligens pestis domos?*

Non venit corrigendum esse, quod Bentley voluit, sed  
*cur in penates rarius tenues ruit*  
 ratio exigit et alliteratio commendare videtur.

Chorus Cupidinis potentiam cantu celebrat, cui Iuppiter ipse  
 obnoxius est:

303 *fronte nunc torva petulans iuencus*  
*virginum stravit sua terga ludo,*  
*perque fraternos nova regna fluctus*  
*ungula lentos imitante remos*  
*pectore adverso domuit profundum,*  
*pro sua vector timidus rapina.*

Lectio *nova regna* aliis ante me displicuit neque in libris  
 mss. constat, cum in cod. A exaratum sit: *mala regna*, itaque  
 Peiper *vaga r.* — Koetschau *nova ad arva* proposuerunt.  
 Maluerim:

*perque fratris, non sua regna, fluctus.*

Eiusdem cantus finis hic est

351 *amat insani belua ponti*  
*Lucaeque boves: vindicat omnes*  
*natura. sibi nihil immune est,*  
*odiumque perit, cum iussit Amor;*  
*veteres cedunt ignibus irae.*

Leo Buecheleri coniecturam recepit: *omnem | sibi naturam* —  
 iniuria, ut hic locus (vs. 1114 sq.) comprobare mihi quidem  
 videtur:

*o nimium potens,*  
*quanto parentes sanguinis vinclo tenes,*  
*natura, quam te colimus inviti quoque.*

Cf. etiam vs. 959: *o magna parens, natura, deum.*

Mutata vero distinctione in vs. 352 et traiectis vss. 354 sq.  
 sic locum reponendum esse opinor:

*amat insani belua ponti*  
*Lucaeque boves: vindicat omnes*  
*natura sibi. nihil immune est:*  
*veteres cedunt ignibus irae*  
*odiumque perit, cum iussit Amor.*

Hippolytus beatos praedicat viros vitam rusticam agentes.

490 *non ille regno servit aut regno imminens  
vanos honores sequitur aut fluxas opes,  
spei metusque liber, haud illum niger  
edaxque livor dente degeneri petit.*

Ita locum velim restituas:

*non ille regno servit aut regno imminens  
vanos honores sequitur aut fluxas opes:  
spei metusque liberum haud illum niger  
edaxque livor dente degeneri petit.*

In eadem laudatione porro legimus:

501 *sed rure vacuo potitur et aperto aethere  
innocuus errat.*

Immo *aequore*, nisi forte quispiam Senecam hoc loco artem volandi vaticinatum esse velit. Continuo haec sequuntur:

502 *callidas tantum feris  
struxisse fraudes novit et fessus gravi  
labore niveo corpus Iliso fovet.*

Pro *niveo*, quod etiam vs. 500 legitur et hoc loco alienum est, Rutgers coniecit *vivo*, equidem praetulerim *avito*.

Denique paulo inferius haec sunt

508 *hinc aves querulae fremunt  
ornique ventis lene percussae tremunt  
veteresque fagi. iuvat aut amnis vagi  
pressisse ripas, caespite aut nudo leves  
duxisse somnos e. q. s.*

Editores in vs. 510 coniecturam G. Fabricii *iuvat* pro *iuvat*, qua videlicet metrum corruptum restituere voluit, fideli concordia recipiunt, at non eam rationem esse arbitror qua vulnere senario inflicto sit medendum neque Leoni satis placuisse, cum scripserit I p. 25: „*iuvat* sic E cum reliquis, non *iuvit*; quamquam nescio aliud loco remedium”. Poetae manum sic restituisse mihi videor:

*veteresque fagi, <ubi> iuvat aut amnis vagi  
pressisse ripas e. q. s.*



Congressus Phaedrae et Hippolyti vs. 589 sqq. describitur, in quo illa primum se quid sentiat eloqui non posse fingit

602 *sed ora coeptis transitum verbis negant;*  
*vis magna vocem mittit et maior tenet.*

Corrige quaeso: *at maior tenet.*

Amorem suum privigno ita profiteri coepit

640 *pectus insanum vapor*  
*amorque torret. intimis fervet ferus*  
[*penitus medullas atque per venas meat*]  
*visceribus ignis mersus et venas latens*  
*ut agilis altus flamma percurrit trabes.*

Transscripti locum qualem Leo et Richter exhibuerunt; sciendum tamen est, primum vs. 641 in libris mss. hanc exstare lectionum discrepantiam *intimis ferit ferus* E<sup>1</sup> — *intima ferus vorat* E<sup>2</sup> — *intimas sevus vorat* A, lectionem vero *fervet* Peipero deberi; deinde vs. 642 in cod. E al. m. ascriptum esse; denique vs. 643 *venas* e coniectura Bothii substitutum esse pro codicum omnium scriptura *venis*.

Quibus omnibus consideratis locum sic melius restituere mihi videor:

*intimis furit ferus*  
*penitus medullis atque per venas meat*  
*visceribus ignis mersus et vulnus latens.*

Nempe Hippolytus cum istam apertam professionem audiit, simplex rogat (vs. 645):

*amore nempe Thesei casto furis?*

In Phaedrae quod nunc sequitur responso duas manifestas indicabo corruptelas, quarum prompta est emendatio:

646 *Hippolyte, sic est: Thesei vultus amo*  
*illos priores quos tulit quondam puer,*  
*cum prima puras barba signaret genas*  
*monstrique caecam Gnosii vidit domum*

650 *et longa curva fila collegit via.*  
*quis tum ille fulsit! presserant vittae comam*  
*et ora flavus tenera tinguebat pudor.*

An *flavus pudor*? Quid est? Nonne lanuginem, cuius modo (vs. 648) mentionem fecit, iterum commemorare videtur? At videtur tantum, nam pudoris hoc attributum sane impor-

tunum, immo absurdum est. Ne multa, emendare ne dubita  
*et ora salvus tenera tinguebat pudor*  
 h. e. tunc Theseus nondum erat qualis vs. 1167 a Phaedra  
 pingitur:

*amore semper coniugum aut odio nocens*  
 nequedum eam aetatem attigerat, qua (vs. 97 sq.)  
*stupra et illicitos toros*

*Acheronte in imo quaerit Hippolyti pater.*

Idem attributum substantivo pudor est vs. 712:

*maius hoc voto meo est,*

*salvo ut pudore manibus immoriar tuis.*

Ad corruptelam alteram nunc venio.

Mox Phaedra laudationem Thesei iuvenis ad Hippolytum  
 transfert:

655 *talis, en talis fuit*  
*cum placuit hosti, sic tulit celsum caput:*  
*in te magis refulget incomptus decor;*  
*est genitor in te totus et torvae tamen*  
*pars aliqua matris miscet ex aequo decus:*

660 *in ore Graio Scythicus apparet rigor.*

In hisce vs. 657 ita restituendus est, ut sequentia satis  
 comprobant:

*in te patris refulget incomptus decor.*

Hippolytus, de infando matris amore certior iam factus, et  
 alia multa exclamat et haec:

674 *omnis impulsus ruat*  
*aether et atris nubibus condat diem,*  
*ac versa retro sidera obliquos agant*  
*retorta cursus.*

Lectio *ac versa* cod. A, cum *retorta* sequatur, abundantiam  
 efficit molestissimam. In codice optimo E quoniam legitur *ac*  
*vestra* et vs. 786 luna appellatur

*sidus post veteres Arcadas editum,*  
 nata mihi est suspicio poetam scripsisse:  
*ac vetera retro sidera obliquos agant*  
*retorta cursus.*

Idem infra his verbis in novercam invehitur:

- 687 *o scelere vincens omne feminineum genus,*  
*[o maius ausa matre monstifera malum]*  
*genetrice peior! illa se tantum stupro*  
 690 *contaminavit, et tamen tacitum diu*  
*crimen bifirmi partus exhibuit nota*  
*scelusque matris arguit vultu truci*  
*ambiguus infans — ille te venter tulit.*  
*o ter quaterque prospero fato dati*  
 695 *quos e. q. s.*

Male editores, Bothio obtemperantes, vs. 688 uncinis includere solent: versus non delendus, sed suo loco, unde olim migravit, reddendus erat! Hunc autem esse post vs. 693 quivis semel monitus agnoscat neque pluribus verbis iam arguam.

Ad locum transeo, qui in cantus parte illa legitur qua chorus formam bonum breve caducumque mortalibus esse versibus asclepiadeis testatur. Quam partem ab editoribus ea de causa male recensitam esse arbitror quod mutationes quas Richter in tres versus continuos intulit receperunt neque versus singulos recta interpunctione distinxerunt. Unde factum est ut argumentatio minime sibi constet. Locum exhibeo qualis in codd. legitur apposita recensione in editione Teubneriana. Postquam chorus cecinit

*anceps forma bonum mortalibus,*  
*exigui donum breve temporis,*  
*ut velox celeri pede laberis!*

hanc cogitationem his verbis exsequitur:

	cod. E	Richter
764	<i>non sic prata novo vere decentia aestatis calidae despoliat vapor saevit solstitio cum medius dies et noctes brevibus praecipitant rotis languescunt folio ut lilia pallido et gratae capiti deficiunt comae</i>	<i>non sic prata novo vere decentia aestatis calidae despoliat vapor, saevit solstitio cum medius dies et noctes brevibus praecipitant rotis languescunt folia et lilia pallido: ut gratae capiti deficiunt comae</i>
770	<i>ut fulgor teneris qui radiat genis momento rapitur nullaue non dies formonsi spoliū corporis abstulit.</i>	<i>et fulgor teneris qui radiat genis momento rapitur nullaue non dies formonsi spoliū corporis abstulit.</i>

In Richtèri recensione primum vs. 768 magnopere displicet

tam propter duram verborum transgressionem quam ob numerum singularem *folio pallido*, at vero risum movet vs. 769! An non id vere ridiculum est, comas defluentes cum floribus languescen-  
tibus comparari atque etiam dici 'gratas capiti'? Minime dubito  
quin lectio cod. A *deficiunt rosae* unice vera ac genuina sit.  
Sic igitur locum emendandum esse puto:

*non sic prata novo vere decentia  
aestatis calidae despoliat vapor!  
saevit solstitio cum medius dies  
et noctes brevibus praecipitant rotis,  
languescunt violae et lilia pallida  
et gratae capiti deficiunt rosae.  
at fulgor teneris qui radiat genis  
momento rapitur nullaque non dies  
formonsi spoliū corporis abstulit.*

Iam chorus Hippolytum laudibus extollit

804

*tu licet asperos  
pugnacesque deos viribus audeas  
et vasti spatii vincere corporis:  
aequas Herculeos nam iuvenis toros,  
Martis belligeri pectore latior.  
si dorso libeat cornipedis vehi,*

810

*frenis Castorea mobilior manu  
Spartanum poteris flectere Cyllaron.*

Bentleium non fugit, asperos illos pugnacesque deos tamquam  
prorsus a re alienos huc illatos esse, et *asperas pugnacesque  
feras* scribi iussit, Scaliger etiam vss. 804<sup>b</sup>—806 spurios esse  
contendit, at videns Hippolytum deinceps cum Hercule comparari  
quod ad vastum corporis spatium attinet — cum Castore quod  
ad dextrae fortitudinem mobilitatemque itaque non cum deis,  
sed cum heroibus h. e. semideis per chiasmum conferri, locum  
ita fortasse refingendum esse duxi:

*tu licet asperos  
pugni semideos viribus audeas  
et vasti spatii vincere corporis.*

Cf. Hor. C. I 12, 25:

*dicam et Alciden puerosque Ladae,  
hunc equis, illum superare pugnis | nobilem.*

Denique Theseum ab inferis reducem appropinquare vident  
sed iste quisnam est, regium in vultu decus  
830 *gerens et alto vertice attollens caput?*  
*ut ora iuveni paria Perithoo gerit,*  
*ni languido pallore canderent genae*  
*staretque recta squalor incultus coma.*  
*en ipse Theseus redditus terris adest!*

In nomine illo *Perithoo* (*piritho* o E — *perithoo* τ — *pirithoi* A) tam librariis quam criticis aqua haesit atque profecto, si usquam, ante hunc versum 831 signum crucis haud alienum fuisset. Quae umquam causa esse potuit propter quam chorus inter Thesei ora et vultum, quem Perithous in iuventute habuerat, similitudinem ullam detegere sibi videretur? Homines cum Theseum procul advenientem conspicerent, videlicet primum dubitabant utrum Theseus esset necne. Videtur sane ipse esse (ita loquebantur), verum tamen vultus viri pallidior est quam Thesei esse solebat neque species nostri principis tam sordida et inculta erat. Cum vero propius accessit, laeti exclamant: En ipse est! Quo fato, rogo, Perithous in hunc chorum incidit?

Gronovius nodum difficilem expedire voluit legendo:

*ut ora comiti paria Pirithoi gerit,*

sed Alexandri more, nam sententiam quae requiritur sane restituit (Theseus vs. 244 etiam 'comes Pirithoi' vocatur), sed ratione minime probabili: quomodo enim *comiti* in *iuveni* depravari potuit et codicis Etrusci scriptura *pirithoo* explicatur? Immo, alia adhibenda est loci emendandi ratio.

Res nota est, Theseum nepotem fuisse Pitthei, regis Troezenis, atque ab avo suo esse eductum donec Athenas reverteretur, qua de causa oppidum a Statio Theb. IV 81 'Theseia Troezen' appellatur. Adiectiva autem, a Pitthei nomine derivata, *Pitthēius* et *Pitthēus* sunt, e quibus hoc apud Ov. Met. XV 296 legitur:

*est prope Pittheam tumulus Troezena.*

Id adiectivum per librariorum oscitantium incuriam, qui Pirithoi nomen in hac fabula frequentatum probe nossent,

Pithei vero non agnoscerent, nostro loco in *pirithoo* corruptum esse aio. Reponendum igitur est:

*ut ora iuveni paria Pittheo gerit*

et *iuvenis Pitheus* Theseus est, e tenebris Tartareis denique totus a me revocatus, ubi Pirithoum in omne tempus remanere iam iubeo: sic erat in fatis!

Phaedra, cum Theseo congressa, Hippolytum falso crimine insimulat, deos etiam testes invocans

888 *te, te, creator caelitim, testem invoco*  
*et te, coruscum lucis aetheriae iubar,*  
 † *ex cuius ortu nostra dependet domus:*  
*temptata precibus restiti e. q. s.*

N. Heinsius versum corruptum ita sanandum esse credidit ut pro voc. *dependet* substitueretur *descendit*, Leo autem verbo intacto relicto coniecit *ex quibus utrimque*. Nescio an sit legendum:

*et cuius ortum nostra dependit domus:*

ita Phaedra Ariadnen invocat: „et te, soror mea, invoco, quae quod in caelo nunc fulges impendio domus nostrae factum est”.

Alibi quoque (vs. 663 sq.) eam invocavit hisce verbis:

*te te, soror, quacumque siderei poli*  
*in parte fulges, invoco ad causam parem.*

Phaedra cum reliquias Hippolyti aspicit lamentatur

1176 *hac manu poenas tibi*  
*solvam et nefando pectori ferrum inseram*  
*animaque Phaedram pariter ac scelere exuam,*  
*et te per undas perque Tartareos lacus,*  
*per Styga, per amnes igneos amens sequar.*

Quid hoc novae rei? An umbra Hippolyti iter maritimum factura erat antequam infernas domos adiret? Nemo enim, puto, Senecam poetam ita insulsum fuisse credet ut adi. *Tartareos* tam ad *undas* quam ad *lacus* pertinere itaque tautologiam prorsus ineptam ei impingere velit. Emenda

*Lethes per undas perque Tartareos lacus.*

Cf. vs. 1201 sq.:

*pallidi fauces Averni vosque, Taenarei specus,  
unda miseris grata Lethes vosque, torpentes lacus.*

et Herc. Oet. 1161 sq.:

*ego qui relicta morte, contempta Styge  
per media Lethes stagna cum spolio redi.*

Quid nostro loco factum est? Rubricator cum litteram L omisisset, voc. *etes* facile in *et te* abiit: ita enim dempta aspiratione nomen exaratum fuisse suspicor, ut in cod. Etrusco saepius: vide Ind. p. 496 ap. Richterum, qui multa eius rei exempla conguessit, quibus addo Oed. 560 *Lethaei*, quod in codd. omnibus in *letalis* depravatam est, et inversa ratione Oed. 230 *Letoa* a N. Heinsio e *lethea* revocatum.

Theseus ministros, qui membra laniata Hippolyti apportant, iubet

1247 *huc, huc reliquias vehite cari corporis  
pondusque et artus temere congestos date.  
Hippolytus hic est?*

Voc. *pondusque* mendosum esse alii ante me viderunt. N. Heinsius *truncos et artus* — Koetschau *partes e. a.* coniecerunt, at maluerim:

*huc, huc reliquias vehite cari corporis  
quotcumque et artus temere congestos date.*

Cf. vs. 1254 sq.:

*complectere artus, quodque de nato est super,  
miserande, maesto pectore incumbens fove.*

et vs. 1278, ubi Theseus famulos alios membra iam congesta cremare, alios reliqua conquirere iubet:

*vos apparate regii flammam rogi,  
at vos per agros corporis partes vagas  
inquirite.*

# QUO TEMPORE EXARATA SIT TABELLA EMPTIONIS IN FRISIA NUPER REPERTA

SCRIPSIT

A. G. ROOS.



E monticulis, qui in regione septentrionali patriae nostrae multis locis exstant quibusque vernaculo sermone „terpen” vel „wierden” nomen est, cum jam multae antiquitatis reliquiae in lucem prodierint, nullae tamen me quidem iudice aequiperari possunt dedicationi deae Hludanae factae, quam ante hos triginta annos publici juris fecit Ursulus Philippus Boissevain <sup>1)</sup>, et tabellae emptionis aetatis Romanae nuper a Guilielmo Vollgraff editae et explicatae <sup>2)</sup>. Sed cum illa litteris pulchris nitidissime in lapide exarata sit, ut facile eam legas, in hac litterae minutae lectu difficillimae, quas „cursivas” appellare consuevimus, stilo insculptae sunt.

1) De vrije Fries 1888, p. 327; Mnemos. N. S. XVI, 1888, p. 439.

2) De vrije Fries 1917, p. 71; Mnemos. N. S. XLV, 1917, p. 341. Succincte de ea egit P. C. J. A. Boeles, Bulletin v. d. Nederl. Oudheidk. Bond 1917, p. 275. Fortasse non abs re erit, hic monere, ante hos duos annos constitutam esse societatem eo consilio ut hi monticuli via ac ratione investigarentur (Vereeniging voor Terpenonderzoek). Quod nunc fieri eo magis opus est, quod multi eorum lucri faciendi causa, nam humus inde egesta fertili-sima et ad agros stercorandos aptissima est, jam conequati et in planum deducti sunt, brevique tempore nulli supererunt. Nuper prodiit Societatis quam dixi primus Annalis (Eerste Jaarverslag), in quo invenias uberam relationem imaginibus aliquot et formis illustratam fossionum, quas sumptu Societatis v. d. A. E. van Giffen anno 1916 fecit in monticulo cui nomen Wierhuizen in pago Jukwerd prope oppidum Appingedam. Quos Annales qui sibi procurare velit et ad Societatem utilissimam, unde multum redundaturum esse speramus ad historiam patriae nostrae antiquiorem melius cognoscendam, annus stipe (floreorum duorum et dimidii vel plurium) collata accedere, nomen profiteatur apud v. d. J. G. C. Joosting archivarium Groningantum, qui Societati a rationibus est.



Accedit quod nonnullae earum temporum injuria vix distingui possunt, aliae prorsus evanuerunt, in aliis haereas utrum re vera litterae sint an laesiones fortuitae in ligno obviae, aliae denique sigla sunt, quae suam explicationem postulant. Quo magis admiror Vollgraffii et oculorum et mentis acumen, qui quid quoque loco scriptum sit egregia sagacitate indagavit, eaque quae legerat docta commentatione illustravit. Quicumque postea de hac tabella agere volet, Vollgraffii opere quasi solido fundamento inniti debet. In universum enim eum rem ac tetigisse mihi quidem persuasissimum est. Erant tamen quae me, cum lucubrations ejus qua dignae sunt cura perpendebam, offendebant. Qua de causa v. d. Petrum Boelesium, qui clarissimo Frisiae Musaeo quod Leovardiae floret praeest, precibus adii, ut locos nonnullos meum in usum denuo conferret. Boelesius vero non solum desideriis meis humanissime satisfacit, sed etiam die quodam mensis Decembris anni 1917, cum Leovardiam tabellae inspiciendae causa petissem, copiam mihi fecit, ut eam quamdiu lux hiberni solis sineret examinarem. Pro quo beneficio ei debitas ago gratias. Nunc in animo mihi est ea, quae tunc aliter ac Vollgraffius legere mihi visus sum, cum Mnemosynes lectoribus communicare. Pauca sunt, et, si unum locum excipias, parvi tantum momenti, neque, cum paucas horas tabellam manibus tenuerim, ausus essem alia proferre ac vir oculatus, cui per longum tempus eam domi examinare licuit, nisi denuo Boelesium adissem isque tabella rursus inspecta me certiore fecisset, iis locis sibi quoque lectionem Vollgraffianam incertam videri vel meam a se probari <sup>1)</sup>. Singulos locos indicavi litteris et numeris a Vollgraffio constitutis.

A 5. Litterae, quas *cesdio* legit Vollgraff, et Boelesio et mihi incertissimae videntur; primam litteram non *c* esse affirmat Boelesius, sed sibi *t* videri, neque ultimam hujus vocis partem clare distingui posse, cum cera eo loco paulum laesa sit.

---

1) Ut investiges quid in tabella exaratum sit, ipsam adeas oportet, nam in imaginibus phototypicis a Vollgraffio disputationi suae ad p. 343 additis litterarum ductus, quos quidem cernere sibi videbatur, albo colore superpinxit, cf. p. 342, quod sane necesse erat ut in imaginibus litterae dispici possent, sed unde factum est, ut ex iis Vollgraffianas tantum lectiones erueres.

A 6. Initio hujus lineae *lg-u* vidit Vollgraff, equidem *leg.u* assequi mihi visus sum <sup>1)</sup>. Litteras paene evanidas *muto*, quas incertas esse adnotavit Vollgraff, extricare non potui.

A 7. Initium sic legit Vollgraff: *cil.gør*; inter litteras *l* et *g* dispicere mihi videor litteram *e* <sup>2)</sup>, litteram autem, quae post *g* exstat, non *s* esse, sed *i*, confidenter affirmo gaudeoque me in hac lectione assentientem habere Boelesium. Longus enim ductus, qui in tabella hoc loco conspicitur, utriusque nostrum non stilo insculptus videtur, sed laesioni fortuitae ligni attribuentus esse; putamus igitur litteram *s* hic exaratam esse non posse. Stilo insculptum nobis videmur distincte dispicere ductum multo minorem, quo in hac tabella notatur littera *i*, et quo notari etiam potest numerus I.

A 8. Initio hujus lineae litterae *fuufio* et Bolesio et mihi incertae videntur; duas litteras, quae sequuntur, non *gn* lego sed *cn*.

B 2. Prima littera mihi non *n* videtur, sed *m*.

B 3. Vocis *lievus* litteram *i* incertam esse Vollgraff adnotavit; Bolesio et mihi eo loco non *i* litteram, sed *t* exaratam esse certum videtur. Pro littera *l*, quam legit Vollgraff, cernere mihi videor vel *e* vel *a*, cf. forma, qua littera *a* exarata est B 6 (*caius*) et apud H. B. van Hoesen, Roman cursive writing, tab. 2 N<sup>o</sup>. 21. Nescio an legendum sit *atavus* vel *atevus*.

Videamus quid novis his lectionibus proficere possimus ad aetatem tabellae definiendam. Legiones, quae in ea nominantur, esse XXI<sup>am</sup> Rapacem et VI<sup>am</sup> Victricem Vollgraff probare studuit, cum littera *u*, quae A 6, B 1, B 4 post vocem leg(ionis) exstat, significari putet cognomen legionis VI<sup>ae</sup> quod est victrix, et litteram *r*, quae A 7 ante litteras *ica* exarata est, pro siglo habeat vocis Rapacis, cognominis legionis XXI<sup>ae</sup>. Quae explicatio iam cum primum eam legi, scrupulum mihi injecit. Quamquam enim apud auctores, e. g. apud Tacitum, legiones saepe mero cognomine designantur, in inscriptionibus nun-

1) Bolesius ad me scribit se hic legere *lyto*, nempe pro lineola jacente, quam post litteram *g* conspici dicit Vollgraff p. 347, se cernere sibi videri *l*. Quam litteram eo loco neque Vollgraff neque ego conspeximus.

2) Bolesius ad me scribit, inter litteras *l* et *g* spatium quidem unius litterae esse, sed ipsam litteram se non conspiciere.

quam numero suo carent, cognomine modo addito modo omisso: solo cognomine igitur in inscriptionibus nunquam indicantur<sup>1)</sup>. Accedit quod cognomina Rapax et Victrix, ubi in inscriptionibus numeris legionum addita sunt, non per solas litteras *r* et *v* abbreviari solent, sed vel perscribuntur vel pluribus litteris, e. g. *rap.*, *vic.*, notantur<sup>2)</sup>. Quae cum etiam Vollgraff probe sciret, tamen sibi persuasit eum, qui hanc tabellam exaravit, secus fecisse. Cum enim A 7 legisset: *cil.gsr*, putavit eo loco legionem aliquam per solam litteram *r* designari, et, cum nullius alius legionis cognomen a littera *r* inciperet, XXI<sup>am</sup> Rapacem significari conclusit. Porro, cum legio Rapax sola littera *r* notata esse ei videretur, veri simile putavit legionem siglo *v* designatam esse legionem Victricem. Quae ratiocinatio tota concidit, si recte Boelesius et ego contendimus A 7 loco sexto non insculptam esse litteram *s*, sed ductum multo breviorum, quo notatur *i* vel *I*. Patet enim, si A 7 initio exaratum est: *cilegir*,

1. vocem *legionis*, quam contextus flagitat, non designari per abbreviationem *legs*, sed per *leg*, et siglum, quod post *leg* exaratum est, esse notam numeri quo legio designabatur, legionem igitur primam significari et compendia *cilegi* ita explicanda esse: *centurioni legionis primae*,

2. cum legio prima cognomen, quod a littera *r* incipiat, non habuerit, hanc litteram non conjungendam esse cum praecedentibus litteris *legi*, sed cum litteris *ica* quae sequuntur.

3. cum littera *r* non sit abbreviatio vocis rapacis, Vollgraffii sententiam tribus locis, ubi *leg v* exaratum est, designari legionem victricem opinantis, suo fundamento carere, immo in hac quoque inscriptione, sicut in ceteris omnibus, legiones numeris notari, non meris cognominibus, et iis locis legendum esse: *legionis quintae*.

Tabellam, qua de agimus, aetati imperatoris Trajani Vollgraff attribuit, et propter consulis nomen in ea commemorati,

1) Idem in Vollgraffii explicatione offendit Boelesium, l.l. p. 278.

2) Cf. A. Riese, Das rheinische Germanien in den antiken Inschriften, No. 714—735, 1047—1092. Rarissima est vocis Victricis per compendium *V* abbreviatio, neque unquam id per se positum invenitur, sed semper conjunctum cum nota numeri *sex*, cf. Dessau, Inscr. Lat. sel. 2365: mil. fr. leg. VI. v. = miles frumentarius legionis sextae victricis.

et propter legiones, quae nominari ei videntur, sed cum de aliis legionibus sermonem esse statuerimus ac ille putat, investigandum est, ratione habita historiae harum legionum, num Trajani temporibus centuriones et milites ex iis in Frisia comorari et ibi emptioni bovis testes interesse potuerint. Prius tamen videamus necesse est, quo modo explicanda sit littera *r*, quam cum litteris *ica*, quae eam sequuntur, conjungendam esse diximus. Has autem tres litteras egregie me quidem iudice Vollgraff sic explicavit: jus civile abesto; ejus vestigia premens siglis *rica* significari puto: ratio juris civilis abesto. Locutio ratio juris vel ratio juris civilis saepe apud Ciceronem et apud jurisperitos invenitur, cf. e. g. Cicero pro Caec. 78 „qui juris civilis rationem nunquam ab aequitate sejunxerit”; Marcianus in Digest. XXXV 1, 33 „hoc ita juris civilis ratione et constitutionibus cautum est”. Praeterea vox ratio in inscriptionibus saepe per compendium *R* notatur, cf. Dessau, Inscr. Lat. sel. 8714: *R* = ratio; 8717: *R. D. A.* = ratio domus Augustae; 5965: *R. P.* = ratio privata.

Nunc examinemus, quo tempore centuriones et milites legionum I et V Frisiam frequentare potuerint, et quaenam legiones — nam aetate imperatoria plures exstiterunt iis numeris insignitae — in tabella significantur. Legio V Macedonica in Germania nunquam fuit. Legio V, cui cognomen fuit Alauda <sup>1)</sup>, jam sub Augusto tendebat Veteribus, cf. Tac. Ann. 1, 31 sqq., anno 28 contra Frisios pugnavit, cf. Tac. Ann. 4, 73, anno 69 duce Fabio Valente in Gallias et Italiam profecta est, pro Vitellio militatura, cf. Tac. Hist. 1, 61 sq. Vespasianus eam post victoriam suam non in Germaniam remisit, sed in Moesia collocavit, cf. Tac. Hist. 3, 35; B. Filow, Die Legionen der Provinz Moesia (Klio, Beiheft 6) p. 27 sqq. Post annum 69 igitur milites

1) Riese, Über die fünften Legionen und ihre Beinamen (Germania, Korrespondenzblatt der röm.-germanischen Kommission, I, 1917, p. 38 sqq.) probare studuit, cognomen Alaudae non legioni V, quae in Germania Inferiore tendebat, proprium fuisse, immo hanc legionem semper cognomine caruisse, sed legionem V Macedonicam, quae in Moesia et deinde in Dacia tendebat, per aliquot annos regnante Claudio cognomine Alaudae insignitam fuisse. Quod mihi minime persuasit. De historia legionis V Alaudae cf. in universum W. Pfitzner, Geschichte der röm. Kaiserlegionen von Augustus bis Hadrianus, p. 235 sqq., Cagnat apud Daremberg-Saglio, Dictionnaire des antiquités III, 2, p. 1081.

legionis quintae in Frisia versari non potuerunt, unde sequitur, ut tabella ante eum annum scripta sit.

Tres legiones in Germania diversis temporibus tetenderunt, quae *primae* nominabantur. Legio I ea, quae mero numero designata cognomine caruit<sup>1)</sup>, anno 14 p. C. n. in civitate Ubiorum in praesidio fuit, cf. Tac. Ann. 1, 37; anno 70, cum vexillatio ejus in Italia pro Vitellio pugnavisset et pars ejus in Germania relicta proditione, seditione, sacramento semel iterumque rupto polluta esset, haec legio a Vespasiano exauctorata est, cf. W. Pfitzner, Geschichte der röm. Kaiserlegionen p. 214, E. Ritterling, De legione Romanorum X Gemina (Dissert. Lips. a. 1885) p. 66. Legio I Adjutrix inter annos circiter 70 et 86 Moguntiaci stativa habuit, cf. Ritterling, Westdeutsche Zeitschr. XII, 1893, p. 105, legio I Minervia circiter inde ab anno 83 Bonnae tetendit, cf. Ritterling, De legione Rom. X Gemina p. 72 sqq. Cum tabellam ante annum 69 scriptam esse viderimus, consentaneum est neutram ex his significari, sed designari eam legionem I, quae mero numero insignita erat et anno 70 exauctorata est.

Ante annum 69 igitur tabellam exaratam esse constat, sed artioribus etiam terminis aetatem ejus definire possumus. Inter annos enim 28 et 47, quo tempore Frisiorum natio Romanis infensa aut male fida erat, scripta esse non potest. Anno vero 47 Corbulo Frisiis senatum, magistratum, leges imposuit ac ne jussa exuerent praesidium immunivit, sed majora eum molientem et jam Cauchis bellum inferentem praesidia cis Rhenum referre Claudius jussit, cf. Tac. Ann. 11, 19 sq. An eodem tempore princeps legatum suum jusserit in posterum a Frisiorum rebus abstinere, nescimus; fieri potest ut etiam post annum 47, etiamsi praesidia Romana cis Rhenum relata essent, Frisii aliquamdiu imperio Romano subjecti manserint, sed utique inde ab anno 58, et adhuc anno 69, liberi erant, cf. Tac. Ann. 13, 54; Hist. 4, 15; Boissevain l.l. p. 446; Vollgraff p. 350. Patet igitur tabellam aut ante annum 28 scriptam esse aut non multo post annum 47, certe ante annum

1) Semel in inscriptionibus haec legio nominatur *legio I Germanica*, cf. Riese, Das rheinische Germanien in den antiken Inschriften No. 454, sed sollemne ejus cognomen hoc non videtur fuisse.

58. Illud mihi quidem veri similius videtur quam hoc, nam ea quae in tabella legimus, nempe milites Romanos in Frisia commorantes, negotiatorem Romanum in ea regione consistentem, hominem Gallicum ibi villam possidentem, hominem Frisium anulo instrumentum emptionis obsignantem, mihi minus convenire videntur tempori, quo Frisii modo a Corbulone domiti erant et quo praesidia Romana cis Rhenum relata fuisse Tacitus Ann. 11, 20 tradit, sed optime haec quadrare videntur in annos, annum 28, quo Frisii rebellaverunt, proxime praecedentes. Quid enim? Frisii tunc per quadraginta fere annos — nam anno a. C. n. 12 Drusus eos sibi conciliavit, — in Romanorum ditione erant et a praefecto regebantur, multi Romani in Frisia consistebant, etiam villae magnae ibi florebant <sup>1)</sup>, Frisios ipsos jam quadamtenus cultu Romano imbutos fuisse consentaneum est, denique milites Romani in Frisia praesidium agitabant, ut praefecto in tributo coriorum boum cogendo adessent <sup>2)</sup>. Mihi quidem veri simile videtur, vexillationes legionum I et V, quarum utraque in Germania Inferiore tendebat, eo tempore in Frisia in praesidio fuisse, et ad eas vexillationes pertinere duos centuriones et milites in tabella memoratos. Tabellam igitur rebellionem Frisiorum anni 28 antiquiorem esse suspicor et aetati imperatoris Tiberii eam assignare velim. Non tamen negaverim, fieri posse, ut brevi post annum 47, utique inter annos 47 et 58, scripta sit, quamquam id non probabile puto. Fieri enim potest, ut non statim anno 47, sicut e Tacito l.l. efficias, praesidia Romana Frisiam reliquerint, porro ut post Frisiam eo anno a Corbulone perdomitam Romani negotiatores ibi consistere festinaverint, denique ut homo Gallicus in agris recens receptis villam sibi comparaverit, sed veri similia haec mihi quidem non videntur.

1) Cf. Tacitus Ann. 4, 73 i. f. (agitur de Frisiorum rebellionem anni 28): „Mox compertum a transfugis non gentos Romanorum apud lucum, quem Baduhennae vocant, pugna in posterum extracta confectos et aliam quadringentorum manum occupata Cruptorigis, quondam stipendiarii, villa, postquam proditio metuebatur, mutuis ictibus procubuisse”. Quos Romanos non milites fuisse puto, sed eos vel negotiandi causa in Frisia constitisse vel ibi villas possedissee, nam villam Cruptorigis unicam in ea regione fuisse non est cur putemus.

2) Cf. Tacitus Ann. 4, 72 i. f.: „Rapti, qui tributo aderant, milites”, et porro: „haud spernenda illic (nempe in castello Flevo) civium sociorumque (i. e. legionariorum et auxiliariorum) manus litora Oceani praesidebat”.

Ad aetatem tabellae, qua de agimus, determinandam Vollgraff l.l. p. 346 non ab historia legionum orsus est, quae in ea nominantur, sed inde, quod consulum, quorum in fine tabellae mentio fit, alteri nomen est Cn. Minicius. Eorum enim nomina Vollgraff sic legit (A 8 sq.): *c. fuufio gn. minicio*. Quod ad priorem consulem attinet, jam dixi lectionem *fuufio* incertissimam esse; accedit quod scriptura per duplicem *u* inde a Gracchorum fere aetate usque ad tempora Sullana apud Romanos usitata <sup>1)</sup> aetate imperatoria rarissima est. Puto igitur, alius viri nomen hic latere. Melius res se habet cum Cn. Minicii nomine, quod clare in tabella cernitur. Hunc eundem esse Vollgraff suspicatur atque Cn. Minicium Faustinum, quem mense Septembri anni 116 consulem suffectum fuisse efficitur e diplomate militari Mattiaci in museo asservato, cf. C. I. L. III p. 870; Riese, Das rheinische Germanien in den antiken Inschriften N<sup>o</sup>. 93. Quae suspicio si per aetatem tabellae admitti posset, probabilis esset, sed ne tum quidem certa, nam recte Vollgraff p. 346 monuit non omnia nomina consulum Romanorum aetatem tulisse, itaque fieri posse ut etiam alius Cn. Minicius atque is, quem ex diplomate Mattiaco novimus, aliquando mense Septembri (quo mense tabella nostra scripta est) consul suffectus fuerit. Cum vero ex historia legionum in ea memoratarum demonstraverimus, tabellam certo ante annum 58 exaratam esse et Tiberii aetati attribuendam videri, sequitur, ut alius Cn. Minicius in ea significetur atque consul suffectus anni 116. Gens Minicia primo et secundo p. C. n. saeculis honoribus multis floruit. Primus ex ea consulatum adeptus esse adhuc credebatur L. Minicius Rufus, consul ordinarius anni 88 <sup>2)</sup>; ante eum praetura functi sunt A. Minicius Rufus, qui anno vel 40 vel 43 vel 71 proconsul fuit Cretae et Cyrenarum <sup>3)</sup>, et Minicius Thermus anno 66 a Nerone propter Tigellini simultates necatus <sup>4)</sup>. Per se igitur minime improbabile est, jam sub Tiberio, cujus aetati tabellam assignandam esse conjeci,

1) Cf. F. Ritschl, Opuscula IV p. 142 sqq.

2) Cf. Prosopographia Imperii Romani II p. 380 No. 443.

3) Cf. Prosop. Imp. Rom. l.l. No. 442.

4) Cf. Prosop. Imp. Rom. l.l. No. 445.

aliquem e Miniciorum familia consulem suffectum fuisse, neque huic suspicioni obstat, quod ejus nomen adhuc in consulum serie desideratur, nam non omnes, qui sub illo principe consules suffecti fuerunt, nobis innotuerunt. Sub Augusto enim inde ab initio fere aerae Christianae singuli consules paene omnes per dimidiam anni partem magistratu fungebantur, sed Tiberius modo per brevius, modo per longius tempus fasces iis tradere solebat <sup>1)</sup>. E consulibus sub eo creatis ordinarios quidem, qui kal. Januariis magistratum inibant, omnes novimus, sed suffectorum tantum eos, quorum nomina hic illic in inscriptionibus (praesertim in fastis Arvalium et in fastis Antiatribus) vel apud auctores inveniuntur. Etiam anni nonnulli inter annos 47 et 58 plures consules suffectos habuisse possunt quam nobis adhuc innotuerunt. Non igitur est cur mireris, si in nova inscriptione nova consulum suffectorum nomina occurrant.

Si ea, quae de tabellae aetate supra disputavi, recte se habent, sequitur, ut Cn. Minicius et collega ejus, cujus nomen nondum extricatum est, consules suffecti fuerint mense Septembri aut anno aliquo inter annos 15 et 28 p. C. n., quod equidem probabilius puto, aut inter annos 47 et 58. Otiosum videtur investigare, quonam anno consulatu functi sint, nam ex annis, quos dixi, multi mense Septembri consules suffectos antea ignotos habuisse possunt, et non est cur alium annum alii praeferas. Hoc tantum moneo, si Minicius inter annos 15 et 28 consul fuit, eum magistratum gessisse anno vel 16 vel 18 vel 21 vel 22 vel 26 p. C. n., nam ceterorum annorum consules, etiam suffectos, novimus omnes.

Superest ut investigemus, an in tabella insint, quae temporibus, quibus eam assignavimus, minus convenient, et ut

1) Cf. Cassius Dio 58, 20 τῶν δ' οὖν ὑπάτων ὁ μὲν Δομίτιος δι' ἔτους ἤρξε (32 p. C. n.), οἱ δ' ἄλλοι ὡς που τῷ Τιβερίῳ ἔδοξε. τοὺς μὲν γὰρ ἐπὶ μακρότερον τοὺς δὲ ἐπὶ βραχυτέρον ἂν ἤρξειτο, καὶ τοὺς μὲν ἔτι καὶ θάσσον τοῦ τεταγμένου ἀπήλασσε, τοῖς δὲ καὶ ἐπὶ πλεῖον ἄρχειν εἰδίδου. ἦδη δὲ καὶ ἐς ὕλον τὸν ἐνιαυτὸν ἀποδείξας ἂν τινα ἐκείνων μὲν κατέλυεν, ἕτερον δὲ καὶ αὐθις ἕτερον ἀντικαθίστη· καὶ τινὰς καὶ ἐς τρίτον ἐτέρους προχειρίζομενος, εἴτα ἄλλους ὑκατεύειν πρὸ αὐτῶν ἀνθ' ἐτέρων ἐποίει. καὶ περὶ μὲν τοὺς ὑπάτους ταῦτα δεῖα πάσης ὡς εἰπεῖν τῆς ἡγεμονίας αὐτοῦ ἐγγίγνετο. Mommsen, Röm. Staatsrecht II<sup>o</sup> p. 85 adn. 1: Die uns aus dieser Zeit vorliegenden Documente ... bestätigen Dios Angabe.



argumenta examinemus, quae Vollgraff praeter Minicii consulis nomen affert, ut eam saeculo p. C. n. secundo scriptam esse probet.

Vollgraff p. 346 sq. exposuit in hoc emptionis instrumento non observatum esse senatus consultum anno 60 vel 61 p. C. n. factum, quo cautum est „ne tabulae nisi pertusae ac ter lino per foramina trajecto obsignarentur neve aliter prolatae quicquam momenti haberent”<sup>1)</sup>. Cui legi et in tabulis Pompejanis post illum annum obsignatis et in tabulis prope Alburnum Majorem in Dacia inventis, quae inter annos p. C. n. 131 et 167 scriptae sunt, omnibus satisfactum est. Nostra vero tabella, ut Vollgraffii verbis utar, „in margine quidem duo foramina habet, ut omnes tabulae, quae aliis adnectendae erant, sed ceteroquin pertusa non est”. Per se igitur veri simile est, eam ante illud senatus consultum factum obsignatam esse. Vollgraff quidem contendit nullo modo constare „id quod in Italia interque cives Romanos jus esset, item religiose observatum esse, quando quis apud barbaros dediticios bovem a rustico emeret”, et id non constare equidem concedo, attamen verisimile mihi non videtur, Gargilium Secundum, si post illud senatusconsultum bovem emisset, eam legem sine ulla causa neglecturum fuisse.

E litterarum formis nihil proficere posse videmur ad aetatem instrumenti determinandam. Vollgraffio litterae saeculum p. C. n. primum aut alterius p. C. n. saeculi initium arguere videntur, et tabularum Dacicarum litteris certe antiquiores esse. Bis scriptum est compendium *ci* pro centurioni (A 5 et 7), quod Vollgraffio recentioris aetatis indicium videtur. Sane rarissime Romani compendiis, quae e prima vocis alicujus littera constabant, extremam ejus vocis litteram addiderunt, ut in aperto esset qui esset hujus vocis casus, sed secundo p. C. n. saeculo, cui Vollgraff tabellam attribuit, is abbreviandi modus non magis in usu fuit quam antea. Tribus enim primis aerae nostrae saeculis Romani eum rarissime adhibuerunt, et Christianis demum temporibus is usus latius patuit, cf. C. I. L. IX 5974 (temporis Valentiniani), IX 2826, 8 (aetatis Gothorum). Pauca

1) Cf. Sueton. Ner. 17; Paulus, Sent. 5, 25, 6.

tamen talium compendiorum exempla antiquiora ex indicibus Corporis Inscriptionum Latinarum collegi, cf. *Cs* = cupidus, in inscriptione parietaria Pompejana, C. I. L. IV 6667; *MO* = mancipio, in aere legis Salpensanae anni 81—84, C. I. L. II 1963, col. 1, 5 (Brunsv<sup>7</sup> N<sup>o</sup>. 30, Dessau 6088); *SSI* = suscripti, in dedicatione Herculi Invicto facta ab Aelio Martino, C. I. L. III 4272; *M. ES. M. MYR.* = municipes municipii Myrtilensis, C. I. L. II 15. Meo igitur iudicio compendium *ci*, quod in inscriptione saeculo secundo exarata aequè offenderet ac in titulo saeculi primi, minime indicium est, tabellam nostram saeculo demum secundo, non saeculo primo scriptam esse. Accedit quod in instrumento emptionis, in quo plane et dilucide scribas oportet, ne ulla de verbis dubitatio oriatur, tale compendium facilius quam in alia inscriptione ferri potest.

Transeamus ad nomina civium Romanorum qui in tabella memorantur, nam cum nominibus hominum natione Frisiorum vel Gallorum (Stelo, Reperius, Lopetejus, Lilus, cf. Vollgraff p. 349 adn. 1) nihil ad aetatem tabellae definiendam profici possit, e Romanorum nominibus nonnullis Vollgraff argumenta duxit, ut tabellam recentioris aevi esse probaret. Primum videamus de praenomine. Gargilius Secundus (A 1) praenomine caret. Quae res omni tempore et apud auctores et in inscriptionibus tam saepe invenitur, ut nihil habeat offensionis. <sup>1)</sup> Perscripta praenomina *Numerii f. et caius* (B 4 sq.) Vollgraffio p. 347 recentioris aetatis indicia videntur. Praenomina in nominum serie suo loco posita littera prima notari solent, sed per se posita perscribuntur. Voces *Numerii f.* (B 4) cum non suo loco posita sed ulterius trajectae sint, praenomen perscriptum non est cur mireris. Cum enim is, qui tabellam exaravit, patris praenomen post nomina tria et post legionis indicationem demum addiderit, perspicuitatis causa praenomen perscribere debuit, nam mera compendia *N. F.* post *leg. V* addita minus plana fuissent. Minus recte autem Vollgraff litteras *caius*

1) An centurio, cui cognomen est Admetus (A 6), praenomine caruerit, nescimus, cum litterae, quibus nomen ejus gentile notabatur, incertae sint. Fieri igitur potest, ut etiam praenomen in iis lateat. Si recte Vollgraff legit *cesdio* (A 5), is et praenomine et cognomine caret. Duerretus (A 10) solo cognomine indicatur, cf. infra.

(B 6) pro praenomine *Gajus* habet. Equidem non dubito quin hae litterae sic explicandae sint: C. Aius, nam Aius nomen gentile est, cujus multa exempla invenias in Thesaurio linguae Latinae s. v. et apud W. Schulze, Zur Geschichte lateinischer Eigennamen (Abhandl. d. kön. Ges. d. Wiss. zu Göttingen, Philol.-histor. Klasse, N. F. V, 5) p. 116. Praenomen igitur *Gajus* hic solito more per compendium C notatur.

Civium Romanorum (praeter consules) nomina gentilia in tabella occurrunt Gargilius (A 1), Cesdus (A 5, B 1)<sup>1)</sup>, Junnius (B 2), Aius (B 6); extricari non possunt gentilia centurionis, cujus cognomen est Admetus (A 6), et militis, cujus cognomen est Erepus (B 3), nam lectiones *muto* (A 6) et *lieuus* (B 3) incertissimae sunt. Pro *lieuus* jam dixi fortasse legi posse *atavus* vel *atevus*. Civis Romanus fuit etiam Duerretus veteranus (A 10), nam si legionarius fuit, civis jam erat, cum miles adhuc esset, sin autem peregrinus ingenuus in auxiliorum cohorte vel ala aliqua militavit, stipendia emeritus civis Romanus factus est. Milites enim auxiliarii honesta missione missi civitate donabantur. Cuius viri nomen et Duerretus et D. Verretus legi posse monet Vollgraff p. 349 adn. 1, sed cum nulla nomina gentilia Romana in -etus cadant, veri simile est, eum mero cognomine designari et igitur Duerretus esse legendum. Possis etiam nomen *Duerretus* cum nomine quod praecedit *Lilus* conjungere, et suspicari non duos fidejussores — de fidejussoribus enim hic sermonem esse egregia sagacitate Vollgraff p. 344 sqq. exposuit — sed unum tantum Lilum Duerretum veteranum in hac emptione fidem interposuisse. Cum tamen Lilus non gentile, sed cognomen sit, praestat sententia Vollgraffii, duos fidejussores nominari, Lilum et Duerretum.

E nominibus gentilicis, quae recensui, Cesdus tantum explicationem postulat, et, si forte ita in tabella exaratum est, *Atavus*, nam cetera usitatissima sunt. Nomen gentile *Atavus* legitur in inscriptione Hadriae reperta, C. I. L. IX 5022: L. Atavus Syntrophus; cf. praeterea Schulze l. l. p. 348; Thesaurus linguae Latinae II p. 1169. Nomen *Cesdus* nusquam alibi

1) Lectio *cesdio* (A 5) incerta est, sed de *cesdus* (B 1) constat.

legitur, cf. Vollgraff p. 349 adn. 1; non tamen est cur cum Vollgraffio id barbarum esse arbitreris. Equidem Italicum id esse puto, cum in inscriptionibus in Italia media repertis non raro nomina in -dius exeuntia inveniuntur juxta usitatiorum formas pleniores in -idius cadentes, velut *Tetdius* (C. I. L. I 1174 = IX 32827, inscriptio in Marsis reperta est) pro usitato *Tettidius*; *Ofdius* (C. I. L. I 1287 = IX 4371, ex agro Amiternino) pro Latino *Ofidius* (C. I. L. VI s. 32522); *Sabdia* (C. I. L. IX 6334, ex agro Corfiniensi) juxta solitum *Sabidius*, cf. W. Schulze l. l. p. 428 adn. 1, R. v. Planta, Grammatik der osk.-umbr. Dialekte I p. 216. Quibus nominibus per synopen abbreviatis *Cesdius* apte comparari posse videtur, et nescio an *Cesdius* forma contracta sit nominis *Casidius*, quod in nonnullis inscriptionibus Sentini repertis invenitur, cf. Onomasticon Thesauri linguae Latinae s. v. *Casidius*, Schulze l. l. p. 147. Praeterea conferri possunt nomina *Castius*, *Cestius*, *Cessius*, *Cessitius*. T. *Cesdius* igitur miles legionis V, vel centurio, si Vollgraff recte *cesdio* legit (A 5), minime homo barbarus fuit, sed ex Italia oriundus, unde primis aerae nostrae saeculis omnes fere centuriones orti erant<sup>1)</sup>.

Transeamus ad cognomina. E viris in tabella memoratis tres cognomine carent, nempe centurio legionis V, de cujus nomine non constat (A 5), T. *Cesdius* T. f. miles legionis V (B 1), M. *Junnius* M. f. (B 2), quae res in hominibus de plebe praesertim antiquiore aevo saepissime occurrit. Cognomina inveniuntur haec: *Secundus* (A 1), *Admetus* (A 6), *Duerretus* (A 10), *Erepus* (B 3), *Seceduus* (B 5). E quibus *Seceduus* plane incertum est, et Vollgraffio p. 349 adn. 1 tam mirum videtur, ut valde dubitet, num id recte legerit. Nomina *Secundus* et *Admetus* explicationem non desiderant; *Duerretus* et *Erepus* hic tantum inveniri videntur.

Iam videamus, an in nominibus, quae recensuimus, insint, quae aetati imperatoris Tiberii, cui tabellam assignavimus, minus convenient. Vollgraff enim e duobus nominibus efficere vult, tabellam post annum 40 p. C. n. scriptam esse, nam contendit p. 349: „*Cesdio* centurioni et Ti. *Lievo Erepo* militi

1) Cf. A. v. Domaszewski, Die Rangordnung des römischen Heeres p. 83.

nomina sunt barbara. Cum vero non ante Claudium cives Romani e provinciis oriundi in legionibus stipendia meruerint, sequitur ut tabella a. 40 p. C. n. recentior sit". At vidimus *Cesdus* Italicum nomen esse, lectionem vero *lievus* (B 3) incertissimam esse et fortasse pro ea legendum esse nomen Italicum *Atavus*. E nomine gentili igitur hujus militis, quod non constat, nihil de origine ejus effici potest. Cognomen ejus *Erepus* Vollgraffio Germanicum videtur collatis *Erpo*, *Erp*, nescio quo jure. Fortasse alia via proficere possumus. Milites legionis quintae (in qua militavit *Erepus*), quorum quidem patriam novimus, oriundi sunt e Gallia Cisalpina (Mediolano, Faventia), cf. Riese, Das Rheinische Germanien in den antiken Inschriften N<sup>o</sup>. 703, 704, Mommsen, Ephem. Epigr. V p. 214. Fieri igitur potest, ut etiam *Erepus* in ea regione natus sit et cognomen Gallicum ibi usitatum nobisque adhuc ignotum acceperit <sup>1)</sup>. Sed sive ex Italia sive e provincia aliqua oriundus est *Erepus*, nihil obstat quin sub Tiberio legionarius fuerit. Minus enim recte Vollgraff l.l. affirmat, sub Claudio demum cives Romanos e provinciis oriundos in legionibus stipendia meruisse, nam jam sub Augusto et Tiberio cives provinciales in legionibus militabant, cf. Mommsen, Die Conscriptionsordnung der römischen Kaiserzeit, Hermes XIX p. 5 sqq. (= Gesamm. Schriften VI p. 23 sqq.) Luculentum hujus rei exemplum praebent tituli sepulchrales militum legionis II Augustae in Germania reperti. Quae legio usque ad annum circiter 40 p. C. n. Argentorati in Germania Superiore tetendit, unde eo tempore in Britanniam profecta est neque unquam in Germaniam rediit. Milites igitur hujus legionis, quorum inscriptiones sepulchrales in Germania inventae sunt, ante annum 40 mortui sunt. Eorum autem non paucos oriundos fuisse ex Gallia Narbonensi et Lusitania inscriptiones nos docent, cf. Riese l.l. N<sup>o</sup>. 628, 631—633, Mommsen, Ephem. Epigr. V p. 204. Etiam *Erepus* igitur, si in provincia aliqua civis natus est, sub Tiberio in legione militare potuit.

Finem faciat nomen Duerreti veterani, quod Vollgraffio Gal-

1) Nescio an cum nomine *Erepus* comparanda sit vox gallica *arepos*, de qua viri linguarum celticarum periti dubitant, utrum significet aratrum, an nomen proprium sit, cf. A. Holder, Alt-celtischer Sprachschatz I p. 206.

licum videtur <sup>1)</sup>. Nescimus, utrum veteranus fuerit legionis alicujus, an in ala vel cohorte stipendia meruerit, nam etiam milites auxiliarii post honestam missionem veterani dicebantur, cf. Riese l.l. N<sup>o</sup>. 1430, 1439/40, 1459, 1645. Cum autem Duerretus mero cognomine eoque minime Romano designetur, veri similis videtur eum natione Gallum vel Germanum fuisse et in auxiliis militasse. Quod si verum est, una cum honesta missione etiam civitatem ab Augusto vel Tiberio accepit et nomen gentilicium ei *Julius* fuit, cui civis factus antiquum nomen suum Duerretus quasi cognomen adjunxit.

Omnia quae Vollgraffio in hac tabella inesse videbantur indicia recentioris aetatis, tractavi, et demonstrasse mihi videor, nihil in ea inveniri quod aetati Tiberii minus conveniat.

In extrema disputationis suae parte Vollgraff probare studet Frisios liberos fuisse usque ad annum 98, cum Tacitus in Germania (c. 34), quae ineunte eo anno scripta est, eos liberis populis Germaniae adnumeret, anno autem 98 Trajanum occidentalem utique Frisiae partem occupavisse et post eum annum demum inscriptionem Beetgumianam, quae dedicationem deae Hludanae a conductoribus piscatus factam continet, esse exaratam. Quod mihi quoque probabile videtur, quamquam fieri potest, ut ea dedicatio brevi post annum 47, quo Frisii Corbuloni se dederunt, scripta sit, nam etiam tum Romani piscatum in Frisia locare potuerunt <sup>2)</sup>. Ad aetatem autem tabellae nuper repertae definiendam haec non faciunt.

---

1) Fortasse cum hoc nomine conferri possunt nomina Gallica Duellus, C. I. L. XII 1830, et Duelo, C. I. L. II 938 = 5343, cf. Holder l. l. s. v.

2) Cf. Boissevain l. l. p. 447.

# QUAESTIUNCULAE ANNAEANAЕ

SCRIPSIT

H. WAGENVOORT H.F.

(Continuantur ex vol. XLIV p. 162).



## III. Ψόγος γήρωσ APUD SENECAM.

In epistula vicesima sexta Seneca a quibusdam vituperationibus senectutem defendere conatur. Tertiae autem paragraphi duae sententiae corruptae impediunt quominus verborum contextus plane intellegatur; lectio enim codicibus tradita haec est: *'ire in cogitationem iubet (sc. animus) et dispicere, quid ex hac tranquillitate ac modestia morum sapientiae debeam, quid aetati, et diligenter excutere, quae non possim facere, quae nolim, † prodesse habiturus. † ad qui si nolim quidquid non posse me gaudeo.* In Mnemosynes nostrae volumine XLIV<sup>o</sup>. p. 154 sqq. huius loci verba, quod ad sensum quidem attinet, integra restituere conatus sum et demonstrare, in his verbis depravatis adversarium illum ficticium in scenam produci, qui ut alibi ita hoc loco obiciendo et reprehendendo philosopho nostro sententiae suae clarius illustrandae praebet copiam. Cumque verba praecedentia Senecae animus pronuntiasse fingitur, adversarium illum philosophum ipsum intellegere consentaneum est. Quae animo suo obicit haec fere fuerint: *'velim prodesse et abiturus'*: etiam morte ante oculos versante non omnino inutilis esse cupiam. Respondet animus: *'atqui, si nolim quidquid non possum, gaudeo'*. Omnia, quae ad confirmandam sententiam meam in medium tum protuli, denuo enumerare longum est; novum autem argumentum, qua coniectura illa stabiliatur,

afferre mihi proposui, praesertim cum hac via et ratione nova quaedam indicia acquisituri mihi videamur, quomodo in ordinandis epistulis suis Seneca egerit.

Primos tres libros, triginta epistulas continentes, arte inter se conexas esse nemo ignorat. Quod non solum ad sententiam pertinet, quippe qua Lucilium sensim leniterque ad Stoicam doctrinam producere senex sapiens in animo habeat paterno erga eum animo adductus, quare Epicurum mitiorem priore loco ponit, severiorem autem Stoam ad tempus in posteriorem partem reservat, — sed etiam ad formam, cum ad unam omnes in fine ‘munusculum’ aliquod afferant, verba scilicet egregia, quae in auctorum sapientium cotidiana lectione prae ceteris moverunt philosophum.

Quod si in duodecima nostra epistula omnia minoris momenti additamenta praetermittimus, introductionem sc. (§ 1—3) et verba illa ab alia auctore sumpta (§ 10 et 11), media pars remanet, in qua duas res, quae Senectuti obici solent, Seneca refellere conatur: 1<sup>o</sup>. ‘*senectus omni voluptate caret*’ (§ 4 et 5). Ipsa quidem haec verba nequiquam requiras — quae praecesserant amplam iam copiam praebebant ut hunc locum persequeretur — nihilo secius hac de re dubitare nos quae sequuntur omnino prohibent. ‘*Complectamur illam (sc. senectutem) et amemus: plena est voluptatis, si illa scias uti*’. Paulo infra: ‘*quod in se iucundissimum omnis voluptas habet, in finem sui differt*’, nec non: ‘*aut hoc ipsum succedit in locum voluptatum, nullis egere*’. Altera deinde reprehensio senectutis additur: ‘*molestum est, inquis, mortem ante oculos habere*’ (§ 6).

In epistula autem vicesima sexta eadem additamenta excipientes eam partem retinemus, qua contra senectutem disserentibus itidem Seneca respondet. Haec enim sunt — dum ne omnia me fallant — quae hoc loco ei obiciuntur: 1<sup>o</sup>. ‘*velim prodesse et abiturus*’ et 2<sup>o</sup>.: ‘*incommodum summum est, inquis, minui et deperire et ut proprie dicam liquescere . . . . . singuli dies aliquid subtrahunt viribus*’.

Optimo iure NORDEN animadvertit <sup>1)</sup>: „auch die Briefe an Lucilius sind in ihrer Wesensart von seinen übrigen philoso-

1) ‘Die Römische Litteratur’, Einl. i. d. Alt. wiss. I. p. 386.



phischen Schriften nicht verschieden, sondern repräsentieren dasselbe εἶδος, die Diatribe". Deinde epistolam duodevicesimam cum dialogo cui titulus *De Ira*, undevicesimam cum eo qui est *De Otio* comparat. Operae est pretium me quidem iudice ambas Senecae de senectute epistulas, 12 et 26, cum commentationibus quibusdam eandem rem tractantibus conferre, quales sunt Ciceronis *Cato maior* et Iunci disputatio quam Stobaei Florilegium nobis servavit. Praesertim memoratu dignum est et Ciceronem et Iuncum, ubi de vituperatione senectutis sermo est, easdem illas quattuor causas tetigisse et refutasse, quas Senecae adversarius ficticius in medium protulit, mutato scilicet ordine. Locos scriptorum Latinorum hic componam cumque Iunci verbis comparabo.

## CICERO

## SENECA

*Cato m. V. 15:*

Cum complector animo, quattuor reperio causas, cur senectus misera videatur,

unam, quod avocet a rebus gerendis,

alteram, quod corpus faciat infirmius,

tertiam, quod privet fere omnibus voluptatibus,

quartam, quod haud procul absit a morte.

*Ep. 26.3:* velim prodesse et abiturus.

*ibid. 4:* incommodum summum est, inquis, minui et deperire et ut proprie dicam, liquescere . . . . . singuli dies aliquid subtrahunt viribus.

*Ep. 12.4, 5:* plena est voluptatis, si illa scias uti . . . . . *e.g.s.*

*ibid. 6:* molestum est, inquis, mortem ante oculos habere.

Ipsa haec argumenta apud Iuncum quoque occurrunt. Ibi legimus p. 84. 11 sqq.: διόπερ ἡδὺ μὲν οὐδὲν ἔτι παρακολουθεῖν Φασὶ τοῖς γεγηρακόσιν, ἐπίπονα δὲ ἅπαντα εἶναι καὶ χαλεπά, αὐτῷ τε τῷ πάσχοντι τὴν μεταβολὴν περαιτέρω τούτων ἐνοχλεῖν τὸν περὶ τοῦ θανάτου φόβον ἀεὶ ἐπόμενον αὐτῷ καθάπερ ἐπιβουλεύοντα ὁδοιπόρον ἢ σύνοικον.

p. 84.26 sqq.: τότε μὲν γὰρ συνεχεῖς νόσοι καὶ δίαίτια πάντως νοσῶδης . . . . ἐκείνον δὲ τὸν λεγόμενον εὐδαίμονα εἶναι καταναλίσκει.

p. 84.29 sq.: κεῖται γὰρ που γήραι παρειμένους, ἄσιτός τε καὶ ἄποτος καὶ ἀνέραστος, οὐδενὸς μὲν ξὺν ἡδονῇ μετέχων.

p. 85.5 sqq.: οὔτε γὰρ εἰς τὸν ἀριθμὸν τῶν Φυλετῶν ἐν ἐκκλησίᾳ παρῶν τάττεται, οὔτε μὲν ἀρχῆς οἶός τε ἐστὶ προῖστασθαι, κ.τ.λ.

In commentatione laude dignissima FRIDERICUS WILHELM haec dicit<sup>1)</sup>: „Ob die Quelle des Cicero und des Iuncus die nämliche war oder ob jeder von beiden eine besondere, der Quelle des andern irgendwie verwandte Vorlage verwertete, musz dahin gestellt bleiben. Vorsicht im Urteil ist bei der ohne Frage ziemlich weitgehenden Abhängigkeit der Schriftsteller untereinander dringend geboten“, et procul dubio rem acu tangit. Nec minus irritum fuerit, e concentu illo Ciceronis Senecaeque verborum pro certo concludere velle, e communi aliquo fonte utrumque hausisse, licet concedamus negari non posse, aliis quoque locis exstare convenientiam quandam<sup>2)</sup>. Sane in promptu est, cogitatione vinculum aliquod quaerere inter Aristonem Chium, philosophum Stoicum, quem compluribus locis noster laudat, et Aristonem illum Ciceronis in Catone fontem, qui utrum Cius an Chius fuerit per saeculiam fere spatium controversia fuit inter viros doctos: etiam nunc sub iudice lis est, quamquam Aristoni Cio Peripatetico maior pars eorum qui idonei arbitri habendi sunt favere videtur<sup>3)</sup>. Cum autem minime necesse sit Ciceronem etiam quadripartitam

1) „Über die Schrift des Iuncus *περὶ γήρωος* und ihr Verhältnis zu Ciceros Cato maior“, progr. gymn. Breslau 1911, p. 18.

2) Cfr. e. g. C. m. 12.42 ‘ut intellegatis, si voluptatem aspernari ratione et sapientia non possemus, magnam habendam senectuti gratiam, quae efficeret ut id non liberet, quod non oporteret’ et Sen. ep. 67.2 ‘ago gratias senectuti, quod me lectulo adfixit. quidni gratias illi hoc nomine agam? quicquid debebam nolle, non possum’; C. m. 7.24 ‘nemo enim est tam senex, qui se annum non putet posse vivere’ et Sen. ep. 12.6 ‘deinde nemo tam senex est, ut improbe unum diem speret’; C. m. 11.38 ‘ita sensim sine sensu aetas senescit nec subito frangitur, sed diuturnitate exstinguitur’ et Sen. ep. 26.4 ‘non enim subito impulsus ac prostratus sumus: carpimur. singuli dies aliquid subtrahunt viribus’.

3) Cfr. A. Gercke, *Arch. f. Gesch. d. Philos.* V (1892) p. 198 sqq.; O. Hense, *Teletis roll.* p. CVIII adn. 1; A. Mayer, *Philol. Suppl.* XI (1910) p. 562.

illam divisionem ab Aristone sumpsisse, hoc argumentum levius est quam ut multum ei tribuamus ad controversiam eam dirimendam.

Contra cuique perspicuum fore arbitror, rationem in epistulis disponendis a Seneca adhibitam aliquanto clariorem esse factam. Quippe dubitari vix iam potest, quin epistolae 12 et 26 una ab eo conceptae et brevi inter se intervallo scriptae sint. In primis libris speciem quidem praebere conatur, nil nisi temporum ordinem epistularum dispositionem destinasse. Epistula duodecima e.g. autumno scripta esse fingitur: miratur S., quod platani villae suae suburbanae omnibus iam foliis nudatae sunt; ep. 18 ita incipit: 'December est mensis'; in ep. 23<sup>a</sup> hiems iam praeteriit et philosophus queritur ver nimis asperum durumque. Quis ergo infitietur, specie saltem has duas epistulas 12 et 26 spatio fere semestri diiunctas esse? Quod in sententiam nostram supra expositam non quadrat. Itaque concludere coacti sumus, Senecam post epistulas confectas de industria propriam seriem commutasse. Quin etiam ipse Seneca errore fortuito invitus se prodidisse videtur. Epistula vicesima sexta ita incipit: 'modo dicebam tibi, in conspectu esse me senectis'. Adverbium illud *modo*, ut recte Hensius in editione adnotat, ad duodecimam epistolam pertinat necesse est. Quis autem quaeso litteras sex fere mensibus ante scriptas ita in memoriam revocat: 'modo dicebam tibi'? Immo hercle mea quidem sententia ad eam epistolam spectat, quae revera nuperrime scripta esset, sed postea cum ederetur longius ab altera abstraheretur.

---

#### IV. DE INTERPOLATIONIBUS QUIBUSDAM.

Quisquis virum tam multiplici doctrina ornatum qualis est Seneca minor pro merito aestimare sibi proposuit, protinus sentiet, quam difficilem rem sibi susceperit, quamque arduum opus sit vitia eius atque virtutes sincere expendere omnis expertem opinionis praeiudicatae. Cum enim philosophia eius aequae crebras repugnantias praebet ac vitae ratio, ita ut studiorum eius et factorum semitas plane diversas esse nonnumquam appareat, tum primum principatus saeculum multis animorum

perturbationibus aestuabat, quae Romae insuper tanto plus valebant quam in Graecia, quoniam Romanorum singulae mentes in rebus ad philosophiam religionemque pertinentibus tanto minus per se stare sui que arbitrii esse sciebant quam Graecorum, ita ut multo faciliores se praeberent in parendo arbitriis alienis. Quod si ergo de Seneca nostro recte iudicare volumus, huius rei rationem habere et licet et oportet neque Graecos et Romanos una pertica tractare fas est. Quod E. HOWALD nimis neglexisse mihi videtur, qui tribus fere annis abhinc in *Novis Annalibus* <sup>1)</sup> commentationem in lucem edidit doctiorem profecto quam iustiore, qua quaestione optime ponenda omnium quidem laudem meruerit, in solvenda autem ea verum non viderit. Postquam enim recte pariter atque eleganter demonstravit, quomodo eorum temporum rhetorica et doctrina Stoica arte inter se cohaerent et artes scientiasque ad vulgarem sensum accommodarent, postquam diserte ostendit, sapientiae disciplinam artificiose exstructam et antithesin rhetoricam iisdem radicibus ortas esse, postquam denique explanavit, quemadmodum rhetorica superior discesserit, — i. e. quomodo stilus sapientiam, traditio propriam cogitationis vim, artificium ipsam artem vivam liberamque vicerit — tum Seneca in iudicium vocatur et condemnatur. „Es ist alles Stoische bei ihm nur Umgestaltung, nur Neugruppierung alter Binsenwahrheiten, dass der Tod nicht gefürchtet werden müsse, dass der Arme glücklicher sei als der Reiche“. Paulo infra: „So reizvoll es sein mag, diese mühsam verwischte Gedankenfolge wieder aufzugraben, so betrübend ist das Ergebniss; tritt doch nur banalstes Allgemeingut ans Tageslicht; so sehr die Banalität der Form vermieden wird, ebensosehr gehört der Inhalt zum Trivialsten, was sich denken lässt“.

Quid nos ad haec? Primo quidem loco ne obliviscamur, de pastoris Stoici praedicationum quasi corpore hic agi, pastoris scilicet, cui et ipse princeps et Lucilius, ad quem hae litterae datae sunt, confessiones suas committerent. Quid ergo mirum, si primo aspectu philosophiae partes minus aequaliter compositae videantur atque ethica ceteras omnes vincat? Porro

1) „Die Weltanschauung Senecas“, Juli 1915.

haud difficile est intellectu, filium rhetoris veteris, Controversiarum auctoris, inde a pueritia secretis rhetoricae praeceptis carminibusque imbutum, nusquam non originem suam prodere et educationem. Quaerendum tantum est, utrum relictis rhetorum officinis operarius manserit an artifex exstiterit, utrum nihil aliud egerit, nisi ut in saeculi aris immolaret, an et servato aequalium more suas re vera cogitationes in medium proferret. Errant enim me iudice qui putant, orationem illam concisam, quae verbis ambigue adhibitis et paradoxis frequenter utitur, per se iam languidae esse eloquentiae et prolantis. Immo vero oratio est egregie paedagogica, quae eos qui audiunt vel legunt incitare conatur ut ipsi cogitent suoque arbitrio assidue utantur. Ipsum quoque Senecam vim istam paedagogicam orationis suae non fugisse et aliis locis apparet et ep. 38.1, ubi dicit: ‘non *multis* <verbis> opus est, sed *efficacibus*, quo loco sermo est de institutione.

De Senecae philosophia fusius disputare longum est et ab hac disputatiuncula alienum; id autem fatendum esse mihi videtur, in ipsis illis quos dicit ‘*stimulis et subitis ictibus sententiarum*’ multa inesse propria, quod vel maxime valet in *clausulas*. Ipse ep. 77.20 haec dicit: ‘nihil ad rem pertinet, quo loco desinas. quocumque voles desine: *tantum bonam clausulam impone*’. Semper me quidem iudice hoc praeceptum observavit, id quod duobus locis editores ne interpolationes manifestas in textum reciperent retinere debuerat. Summa quidem in accipiendis interpolationibus prudentia agendum est in Senecae Epistulis, nam crebrae profecto non sunt. Ubi occurrunt, a virtutis aliquo magistro plerumque insertae sunt: frigide dicta, vituperationem vulgo, aliquando assensionem indicantia; velut ad ep. 110.18, ubi scriba misericordiae plenus adscripsit: ‘quam pauper tu eras, Seneca, qui ista dixisti!’ Contra solitae glossae raro inveniuntur, quas cave ergo ne leviter accipias.

#### Ep. 77.2

Ita e.g. ep. 77.2, ubi de siparo sermo est, haec legimus: ‘<*navium*> *Alexandrinarum insigne indicium est*’. Hoc loco omnes editores, Muretum secuti, vocem q. e. *indicium* tollendam censuerunt. Iniuria id quidem: *insigne* adiective usitatum h. l.

significat 'peculiare'; cfr. Cic. ad fam. VII. 6. 1: 'In omnibus meis epistulis . . . . . legitima quaedam est accessio commendationis tuae, nec ea vulgaris, sed cum aliquo *insigni indicio* meae erga te benevolentiae'.

### Ep. 46.3

Contra facere non possum quin nonnulla addita esse credam ep. 46.3. His litterulis S. gratias agit pro libro quodam, quem Lucilius conscripsit et ad magistrum misit. Gaudio ille exsultat; uno tenore librum perlegit et opus discipuli laetissimus admiratur. Temporis vero exiguitas effecit, ut non nisi summam singulas res leviterque transierit; ergo: 'de libro plura scribam, cum illum retractavero: nunc parum mihi sedet iudicium, tamquam audierim illa, non legerim. Sine me et inquirere'. Tum haec sequuntur: '*non est quod vereraris. verum audies. o te hominem felicem, quod nihil habes, propter quod quisquam tibi tam longe mentiatur!*'<sup>1)</sup> Dignam profecto cogitationem, qua epistolam concluderet; forma quoque sententiae ea est, qua finem imponere epistulis Seneca amet, cfr. e.g. finem ep. 43: 'o te miserum, si contemnis hunc testem!' At fabula nondum acta est: ea autem quae succedunt aequae frigida sunt atque indigna quae clausula vice fungantur, immo vero ab huius loci contextu prorsus sunt aliena. '*Nisi quod iam etiam ubi causa sublata est, mentimur consuetudinis causa*'. Vide quam egregie haec verba contextum disturbent et ea quae S. scripsit irrita faciant! Etenim hoc dicit: nolo quidem in te ementiri, sed cave ne mihi confidas, quippe ut mentiamur altera nobis natura insita est! Non dubito equidem, quin Senecae peroratio scribam nescio quem in mentis cogitatione defixerit. Cumque ea doctrina staret, qua inde a puero imbutus esset, ad omnia mala mortales natura esse propensos, post gloriosam illam philosophi vocem interrogationis suum signum ponendum esse arbitratus, verba addidit q. s. '*nisi quod — consuetudinis causa*'.

1) Nuper F. Muller v. d. de hoc loco agens, huius vol. p. 58 verba *tam longe* in dubium vocavit et legendum proposuit *ita maligne*. At statim quaeras: *quam* maligne? Neque facile est perspectu, quod malignum mendacium auctorem spectare h. J. sumamus. Sine dubio verba *tam longe* recte se habent: facilius quis per litteras mentitur quam in ipso sermone amici oculis obiectus; itaque ea demum vera est laus, si mores alicuius vel maximo spatio diiunctos fucum ei facere nos prohibent.

## Ep. 120.22

In fine ep. 120 Seneca mobilitatem ingenii vituperat. Sapiens enim semper sibi constat, cetera autem turba identidem partes mutat. 'Hoc ergo a te exige', ita praescribit, 'ut, qualem institueris praestare te, talem usque ad exitum te serves. effice ut possis laudari, si minus, ut adgnosci'. Sane verbum illud *agnoscere* non semper facile vernacule exprimitur. Hoc fere significat: morum alicuius integritatem observare, vel saltem ex se aestimare aliquem, Ita e. g. ep. 5.5: 'temperetur vita inter bonos mores et publicos: suspiciant omnes vitam nostram, sed *agnoscant*'. Quin etiam, ut W. S. Summers demonstravit in egregio Epistularum florilegio anno 1913 cum commentario edito, nonnunquam sensum habet *intellegendi*, velut ep. 29.11: aura popularis virtuti non favet; quam si tibi vis conciliare, 'similem te illis facias oportet. non probabunt, nisi *agnoverint*'.

Quid autem factum est in fine epistolae supra dictae? Seneca scripserat: '*effice, ut possis laudari, si minus, ut adgnosci. vale*'. Praeclaram rursus clausulam, quodque attinet ad formam brevis consilii, cum aliis permultis concinnam. Scriba autem optimus cum huc pervenisset, stilum de manibus dimisit et diu multumque secum reputavit, quippe qui nondum perspexisset, quid Seneca verbo illo agnoscendi machinari posset. Postquam vero paulisper deliberavit, non iam tam mira ei visa est res, et denique interpretandi causa haec in margine adnotavit, quae postea in textum recepta sunt: '*de aliquo, quem heri vidisti, merito dici potest: 'hic qui est?' tanta mutatio est*'. De clausula autem — actum erat!

# DE NONNO EVANGELII JOHANNÆ INTERPRETE

SCRIPSIT

K. KUIPER <sup>1)</sup>.



Singularem in litteris Graecis locum occupat artis poeticae genus illud ad quod pertinet Nonniana παράφρασις, vel, ut cum melioribus codicibus loquamur, Nonni μεταβολή τοῦ κατὰ Ἰωάννην ἁγίου εὐαγγελίου. Quadamtenus enim haec scripturae sacrae interpretatio comparari poterit cum ea quam olim conati erant docti illi Judaei, quorum operum fragmenta partim lacera, partim satis integra Eusebius in Praeparatione Evangelica (IX. 20 sqq.) ex Alexandri Polyhistoris libro περὶ Ἰουδαίων nobis servavit: Philonis dico antiquioris poema περὶ τὰ Ἱεροσόλυμα, Theodotique carmen epicum περὶ Ἰουδαίων, et praesertim Ezechielis ἐξαγωγήν illam, quae exodi historiam in dramatis formam redigit. Cum hisce similibusque conaminibus Nonni paraphrasis eo convenit, quod utrumque poeseos genus versatur in sacris libris interpretandis. Ceterum autem toto caelo distant Ezechiel Judaeus et Nonnus Panopolitanus. Ille, artis poeticae expertus quamvis litteris Graecis haud leviter imbutus, unice id egit ut sacrae historiae notitiam, gloriamque antiquissimam gentis suae cognitam faceret externis quo magis constaret, apud eos quoque quibus sacros libros adeundi deesset facultas, quanto ac quam singulari amore Deus Summus populum Israelitarum

---

1) Quae hic offeruntur Mnemosynes lectoribus, communicata fuerunt cum Academiae Regiae Neerlandicae sociis mense Martio huius anni.



prae ceteris semper dilexisset<sup>1)</sup>. Sed longe aliud consilium prorsusque diversa ratio observari possunt in eo genere laboris poetici ad quod pertinet opus Nonnianum. Primum enim non Judaei aliive barbari hic sunt, qui Graece balbutiunt potius quam loquuntur, sed Graeci; deinde non eo consilio illi aguntur ut paganis historiam sacram commendent, Christianos potius, fidei suae socios, adeunt, sive ut fratribus suis delectamenta artis offerant ab illecebris poeseos paganae libera, sive ut proprio desiderio satisfaciant, Musaeque vacent sacrae, quandoquidem Graecarum Musarum hortos intrare vetabat eos sive interdictum imperatoris sive legis Christianae severitas.

Singula horum poetarum nomina hoc loco enumerare nihil habet utilitatis. Unum Apolinarium Laodicensem nominabo, qui, cum (teste Socrate in *Hist. eccl.* III. 16) Juliani imperatoris decretum Christianos vetaret Ἑλληνικῆς μετέχειν παιδείας, itaque iis interdiceret ne artem suam ad tractandam historiam litterasve Graecas adhiberent, veteris testamenti partem maiorem versibus epicis enarrare coepit, et τὰ εὐαγγέλια καὶ τὰ ἀποστολικὰ δόγματα ἐν τύπῳ διαλόγων ἐξέθετο καθὰ καὶ Πλάτων παρ' Ἑλλήνας.

Perierunt haec omnia. Quod, ni fallor, vix quisquam dolebit qui Apolinarii μετὰφρασιν τοῦ Ψαλτῆρος cognitam habet. Quis enim poetae eruditissimi versus verbosos ipsis psalmis praeponat? Aequalibus tamen placuit ea ars interpretandi; dixeris homines eius aetatis, in scholis rhetoricis educatos, sacrorum librorum sermonem simplicem gravemque tum demum acceptasse, cum eloquentiae graecae splendore ornatus iis offerretur. Idem certe valet de Nonni paraphrasi. Noli ex eo poemate sperare ullam animi voluptatem, intellegentiamve sanctissimi evangelii dilucidatam. Nisi quis sedulo perlectis Dionysiis iam ut ita dicam mentem obduraverit ad perferendum turgidum illum sermonem, festinantium versuum cursum properatum, imaginum copiam numquam exhaustam, quibus praeter ceteros excellit Bacchi vates Panopolitanus, vix sine animi indignatione audiet paraphrasten gravissima mysticismi Johannei arcana perdentem

1) Ezechielis ἐξαγωγήν cum commentariolo edidi in *Mnemonesyns* vol. XXVIII (1900) p. 237. Addidi huic opusculo novas observationes in *Rivista di storia antica* vol. VIII (1904) p. 62.

modo fluctibus verborum nonnianae, modo abundantia dialogi loquacissimi.

Quid igitur ad eiusmodi poetae lucubrationes lectorem arcesso? Facile praesto est, quod respondeam. Adsunt praeter Nonnum haud pauci scriptores poetae qui nos doceant, quo animo, qua mentis condicione, quam spe quove metu Graecia, iam iterum victa ac nunc quidem non telis Romanis sed cruce Iudaea, extremam antiquae lucis vesperam obierit. At vix alter cognoscitur poeta qui, ut Nonnus, prius pristinae theocrasiae vates deinde fidei christianae propheta extiterit. Operae pretium est propius adire mentem viri quo clarius nemo olim excitatum illud

*ἄξατέ μοι νάρθηκα, τινάξατε κύμβαλα Μοῦσαι*

intonuerat, quo fervidius postea vix quisquam fidem *παμμύητορα κόσμου* laudibus extulit.

Constatne igitur pro certo Nonnum illum, qui, libris totidem quot Ilias atque Odyssea coniunctae complectuntur, Dionysum celebravit, a paraphrasta non differre? Discrepant metaboles codices; quin immo Vaticanus haec habet: *καὶ παρά τισι λέγεται εἶναι ἡ μεταβολὴ Ἀμμωνίου Ἀλεξανδρέως Φιλοσόφου*. Attamen perpauci numero sunt inter philologos qui discernere conati sint a poeta Panopolitano metaphrasten Evangelii. Ego quoque, saepius dubitans, semper identidem eo redii ut abiudicandam esse Dionysiacorum poetae *τὴν μεταβολὴν* negarem. Imitatorem deprendere res est difficilis, gravior etiam labor est in quo versamur, cum, tamquam digito opus quoddam perscrutantes, certo cuidam auctori vindicare illud studemus; praesertim vero fallax et periculosus labor eiusmodi est, cum disquisitio nostra spectat opus scholae nonnianae, in qua schola imitatio ipsa summae laudi tribui solebat <sup>1)</sup>. Sunt autem imitationis quoque certi denique fines. Perlegat quispiam, at animo attento deditaque opera perlegat, post Dionysiaca metabolen, vix poscat argumenta: ut ex faciei lineamentis, ex voce, nutu, ingressu agnoscere solemus amicorum filios, sic ex dictionis singularitate, metro,

1) Juxta Homerum praecipue Callimachum Apolloniumque Rhodium dictione numeris verborum ordine soctatur Nonnus. Cum Orphicorum hymnis saepe convenit. Rarius cum Sibyllinis. Interdum, quod memorabile est, agnoscitur memoria artis antiquioris, veluti Empedoclis.

rhythmo, imaginum abundantia agnoscimus in paraphrasi poetam Dionysiacorum.

Christianum poetam, non Dionysiacorum vatem, hac dissertatione illustrare in animo mihi erat. Et ne hoc quidem operae pretium videretur, si verum censerem quod complures viri docti qui de historia litterarum Graecarum scripserunt, iudicare solent. Docent enim illi tantum non omnes, Nonnum, exceptis quibusdam ambagibus ad quas permovebat eum innata quaedam verbosa ubertas, „fere Evangelistae vestigia ipsa sequi”. Nihil autem minus verum est. Non quidem mutare aut variare textum Johanneum sustinet noster, at saepe ampliatur idque nonnumquam certa quaedam consilia secutus. Has ampliaciones propius spectare atque earum rationes quantum poterit dignoscere volo, in quo faciendo non opus erit quaestionem saepe tractatam tangere quae spectat textum Johanneum a Nonno adhibitum <sup>1)</sup>, theologiae autem christianae atque haeticorum placita eatenus tantum tangam quantum ab iis caute abstinere non iubet minima mea in rebus theologicis auctoritas.

## I.

Paraphrastae ampliaciones, quae generis sunt diversissimi, tripartito fere dividi possunt. Est ubi Nonnus textum exornat ampliaturque, innato quodam amore motus ut vividius et clariore colore quam convenerat sobrietati Johanneae imagines historiae sacrae lectoribus depictas proponat. Deinde imperitorum in usum nonnumquam quae obscurius dicta videbantur explanat verbis suis. Tandem autem hic illic auget textum evangelistae ea ratione ut consulto inter se opponantur prisca Graecorum superstitio atque religio Christiana cui nuper se addixerat. Et hae quidem ultimae ampliaciones praesertim dignae mihi videntur in quas accuratius inquiramus; attamen, ut appareat poetam in hisce non temere sed certo quodam consilio munere neophyti functum esse, quaedam de prioribus quas indicavi ampliacionibus praemittenda sunt.

1) cf. praesertim librum qui inscribitur „das Johannes-Evangelium nach der Paraphrase des Nonnus Panopolitanus mit einem ausführlichen kritischen Apparat herausgegeben von Dr. R. Janssen. Leipzig Hinrichs 1903.

Verbo memorare satis est, sacpissime Nonnum idcirco tantum verba evangelii exornasse, ut indulgeret propriae suae dicendi et depingendi voluptati. Iterantur, redeuntque identidem sonantia Dionysiacorum epitheta versusque haud raro tantum non integri ex priore carmine, quibus modo culpa Iudaeorum arguatur, modo habitus eorum, capilli promissi, gestusve singulares illustrentur; alias Romani, procuratorque Romanus magis benevole quam in evangelio factum erat depinguntur. Quae omnia uberius tractare inutile est. Quis miratur Dionysiacorum poetam vividiore colore indicare voluisse noctem appropinquantem, opera agrestium, mare procellis turbatum, milites talis ludentes ad crucis pedem <sup>1)</sup>. Mitto haec omnia: hoc unum addo, poetam non saepe tam graviter peccasse contra leges boni atque decori quam eo loco quo Domini verba ad Petrum (13. 38: ἀμήν, ἀμήν λέγω σοι, οὐ μὴ ἀλέκτωρ Φωνήσῃ, ἕως οὗ ἀπαρνήσῃ με τρίς) hunc in modum reddidit:

τρίς δὲ μόνῃς δασπλήτι μῆς ἐνὶ νυκτὸς ἀνάγκη  
Χριστὸν ἀπαρνήσαιο, πρὶν αὐχένα κυρτὸν αἰεῖρα  
ὀξὺ βέλος κλάξαιεν ἐγερσιβόητος ἀλέκτωρ.

Jam dignius ad quod attendamus, alterum genus est ampliationum quas si exegeticas vocamus nimis gravi doctoque nomine significare videbimur interpretationes a doctrina theologorum satis longe distantes. Malim tamen nimia erga Non-

1) Haec ultima spectant caput 19. 24 „ἀλλὰ λάχωμεν περὶ αὐτοῦ τίος ἔσται”. Quae verba sic reddit poeta (T. 122 Scheindl.):

οἶνοπα μὴ σχίζοιμεν ἀήθεα τόνδε χιτῶνα  
θέσκελον, ἀμφιέποντα τύπον ξένον, ἀλλ' ὑπὲρ αὐτοῦ  
δάκτυλα χειρὸς ἀφέντες ἐκηβόλα σύμβολα νίκης  
λαχμῶ πάντες ἴδοιμεν ἀδηρίτω, τίος ἔσται.

Quid sibi velint δάκτυλα illa nemo satis explicavit; quo iure enim interpretentur viri docti tanquam *aleas*, seu *talos*, frustra quaeras. Quoniam autem nec adjectivum ἐκηβόλα, nec participium ἀφέντες alcarum talorumve ludo conveniant, suspicor poetam milites alia ratione ludentes depingere voluisse, nempe eo lusu qui Graece sive τρόπα sive εἰς ὤμιλλαν dicitur. Pollux IX. 103 de eo lusu agit his verbis: παιδιὰ γίνεται μὲν ὡς τὸ πολὺ δι' ἀστραγάλων, οὐς ἀφιέντες στοχάζονται βόθρου τινὸς εἰς ὑποδοχὴν τῆς τοιαύτης βίψεως ἐξεπίτηδες πεποιμημένου, πολλάκις δὲ καὶ ἀκύλοις καὶ βαλάνοις ἀντὶ τῶν ἀστραγάλων οἱ βίπτοντες ἐχρῶντο. Quae verba mihi suadent ut nostro loco ἄκυλα pro vocabulo δάκτυλα legendum proponam. Genera saepe mutata habes apud nostrum. Quamvis igitur forma solita sit ἄκυλος, neutrum non habet quod offendat. Longum autem ᾧ defendi eo magis poterit forma nominis μιμαίκυλος, quod in brevium productione paraphrastes metri causa nonnihil sibi licere putat.

num urbanitate peccare quam cum Germanis quibusdam eas ampliaciones dicere „inhaltlose Ausführungen”. Concedo equidem poetam Panopolitanum, in arcanis mythologiae theocrasiaeque Graecae minime hospitem, nusquam se praestare verum theologum. Sed neophytus erat discendi cupidus, sedulo commentarios legebat, prae ceteris Origenem audiebat, et ardenti amore colebat τὸν παρθένον θεόλογον, cuius verba haud raro obscuriora versibus suis explanare et reddere lucidiora attente et sedulo conatus est.

Ex parte tantum cognosci poterit qualis fuerit harum explicationum indoles, si ad breviora additamenta attendes. Raptim percussisse libros veteris testamenti sufficiebat ut Abrahamum ξεινοδόκον diceret (Θ. 107) sive Eliam Θεσβίτιδος ἀστὸν ἀρούρης (A. 70); facile quoque erat ex eodem fonte addere de Elia „δίφρου ἄρπαγος Ἡλίας ἐλατῆρ πυρός” (A. 91) verum eo ipso quod haec addidit attentum se praestitit auditorem ecclesiasticorum. Amabant scriptores sacri Jesum comparare Eliae, idemque fecit Nonnus, cum — capite eodem primo — verba Johannis ἐμβλέψας τῷ Ἰησοῦ περιπατοῦντι (vs. 36) ita reddidit (A. 131):

Χριστὸν ἰδὼν στείχοντα βατὴν χθόνα πεζὸν ὀδίτην,  
ἄρματος ὑψιπόρσιο μετάρσιον ἠνιοχῆα,

versibus Dominum laudans vere Dionysiasticis (cf. Dion. 38 passim; 10. 141; 12. 16) in quibus hoc praesertim memorabile est, quod ipsa verborum copia Christum deo Helio, Soli invicto opponit.

Cum ita de suo sacrae scripturae verba brevi adnotatione illustrat, nonnumquam Nonno accidit humani aliquid. Docte XII. 66 Johanneum illud „καθὼς ἐστὶ γεγραμμένον” interpretatur „Ἡσαίας τόπερ εἶπε”, sed fallax est doctrina eius: leguntur enim verba ad quae evangelista respicit in libro Zachariae (9. 9.). In talibus Nonno credere non semper tutum erit. Non ipsos tantummodo Judaeos odio habet <sup>1)</sup>, sed linguam quoque

1) Valet hoc de iis quos Ἰουδαίους dicit, quo nomine tam Hebraeos omnes quam Judaeae praesertim incolas significat. II XXI. 125 θεοστρυγεῖς sunt, IX. 113 ἀνομανεῖς, VII. 6 ὄσιω χεῖροντες δλέθρω. Pharisaei VIII. 7 audiunt λαὸς Ἰουδαίων. Judaeis opponuntur Galilaei φιλόχριστοι (IV. 195) et θεοστόργοι (IV. 202).

Memorabilis est juxta haec locus in capite XVIII, quo iudicium coram Pilato habitum describitur: culpam damnationis integram in Judaeos devolvens, clemen-

eorum, quam XIX. 65 παφλάζοντα vocat, contemnit et odit. Sed ignoranter odit linguam quam nescit. Oculis vix credas, cum vides poetam verba evangelistae (Joh. 11. 44) „καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο” ita versibus suis ampliantem (XI. 173):

καὶ λινέῳ πεπύκαστο καλύμματι κυκλάδα κόρσην,  
σουδαρίον τόπερ εἶπε Σύρων στόμα,

quae verba ne aut poetae negligentiae cuidam aut scribarum errori imputes, obstat versus iteratus XX. 30.

Ceterum in evangelio Johanneo interpretando neque veteris testamenti subsidiis, neque synopticorum destitutus erat auxiliis; hic illic alios quoque fontes adiit. Baptistae habitum victumque eius in desertis, de quo fere silet Johannes, ope ceterorum evangeliorum ita depingit (I. 13):

μελισσοβότῳ δ' ἐνὶ λόχμῃ

ἔσκε τις οὐρεσίφοιτος ἐρημάδος ἀστὸς ἐρίπνης,

itidemque (I. 64):

ἔνδιον αὐτόρριζον ὄρεσσαύλοιο μελάθρου,

utroque loco indulgentiae abundantiae epithetorum quae Dionysiaci propria erant <sup>1)</sup>; Baptistae autem necati historiam quam Johannes paucissimis tantum verbis respicit (Joh. 3. 24: οὐπω γὰρ ἦν βεβλημένος εἰς τὴν φυλακὴν), Nonnus, recordatus Matthaei (14. 3) et praesertim verborum eius διὰ τὴν γυναικα Φιλίππου τοῦ ἀδελφοῦ, multo amplioribus describit verbis (III. 123)

οὐπω γὰρ διὰ λέκτρον ἀμερσιγάμου βασιλῆος

οἶκον ἀειφρούρητον ἐδύσατο πομπὸν ὀλέθρου.

Patientia lectorum abuti nolim, antiquioris enim poematis vestigia in talibus agnoscimus omnes. Unum tamen omittere nolo. Saepe facit Dionysiacorum poeta quod hic facientem cum

---

terque, benevole fere de Romanis ac procuratore Romano iudicans, acerbè ridet parricidas Christi, propter reverentiam legum sacrarum praetorium Romanum intrare metuentes (XVIII. 137)

τηλόθι δ' ἔστι

νήπιος, ἀγνώστων ὅτι, τηλίκον εἰς φόνον ἔρπων,

ἀγνὸν ἀλεξικάκων ἐφυλάσσετε δῶμα θεμιστῶν.

1) cf. i. a. Dion. 14. 85: κερασφόρος ἀστὸς ἐρίπνης, 17. 39: Βάκχον ἀνὴρ ἄγραυλος ἐρημάδι δέκτο καλιῆ Βρόγγος, ἀδαμήτων ὄρεσίδρομος ἀστὸς ἐναύλων, 25. 272 ἐρημάδος ἀστὸς ἐρίπνης.

videmus. Qua est fertilitate fingendi nova semper et sonantia epitheta, idem saepius adjectivum varia notione adhibere adamat. Ecce, Herodes versibus laudatis audit *ἀμερσίγαμος*, quoniam fratris nuptias adulterio evertit, at Juppiter eodem adiectivo indicatur in Dionysiakis (8. 373) cum fulmine letifero Semelen invitus percutiens spem connubii sponsae Thebanæ adimit<sup>1)</sup>.

Saepius Synoptici Nonno suppeditant quibus Evangelii Johannei enarrationem succinctam lectorum suorum commodo reddit vividiolem. Andreas (I. 149) *μερόπων ἄλιεύς μετὰ πόντιον ἄγρην* ab eo appellatur: redibant enim in mentem ei verba Matthæi (Matth. 4. 18): *ποιήσω ὑμᾶς ἄλιεῖς ἀνθρώπων*. Et, ut est prolixior noster quotiescunque dicendum est de rebus inferis animique humani post mortem sorte futura, gratus arripit synopticorum textum quo exornet caput illud Johanneum decimum quintum, vineae comparatione celeberrimum. In quo capite, quamvis nunc quidem praeclara Christi Johannei dictio ad parciolem quam qua delectari solet elocutionem poetam nostrum cogat, verba versus 6 (*καὶ συνάγουσι αὐτὸ καὶ εἰς τὸ πῦρ βάλλουσι*) consulto ex Matthæi capite 13 (vs. 49) hunc in modum amplificat (XV. 24):

*καὶ μιν ἀναλλέξαντες ἔσω βάλλουσι καμίνου  
αἰθέριοι δρηστῆρες,*

in quibus hoc praeicipue memoratu dignum videtur, verba *αἰθερίους δρηστῆρας* parum convenire cum Orci imagine qualem sibi Nonnus informasse ceteroquin videtur.

Nec propria poetae inventione carent amplificationes huiusmodi, neque errore. Inventioni deberi videtur quod in Thomae cognomine Didymo observari potest. Expressis verbis monet XIV. 15 nomen illud Thomae recens nato a parentibus inditum fuisse:

*ὃν Δίδυμον γενετῆρες ἐΦήμισαν ἐξότε κούρω  
ὄγδοῦτης ἀνέτελλε Φιλοτμήτου δρόμος ἡοῦς,*

longus est in Thomae dubiis enarrandis (XX. 107), sed cum tandem, eodem capite vs. 128 verba Christi ab evangelista tradita (Joh. 20. 27) *ἢ καὶ μὴ γίνου ἄπιστος, ἀλλὰ πιστός* hisce versibus reddit:

1) *ἀμερσίνοος* VI. 182 Lyssa dicitur, sed D. 1. 388 Cadmi *πηκτός*.

πιστότερος δὲ

εἰς ἐμὲ διπλοῦν ἔσσο, καὶ εἰσορώων καὶ ἀκούων,

vix, et ne vix quidem, dubito, quin indicare voluerit, nomen puero Thomae a parentibus insciis olim datum, tamquam omen fuisse.

Errori autem, quem facile ignoscas poetae Panopolitano, deberi videtur id quod X. 77 scribit ad verba Johannis 10. 22 (ἐγένετο δὲ τὰ ἐγκαινία ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις) interpretanda:

καὶ πάλιν ἡμᾶρ ἔην πνυδήμιον, ᾧ ἐνὶ λαοὶ  
μνημοσύνην τελέεσκον ἐτήσιον, ἐξότῃ νηοῦ  
ἔδρανα δαμήσας Σολομῶν εὐκίονι τέχνῃ  
θεσπεσίης ἀρχαῖον ἐκαίνισε θεσμὸν ἑορτῆς.

Ignorabat, opinor, Nonnus festum τῶν ἐγκαινίων a Juda Maccabaeo demum institutum fuisse (Macc. I. 4. 52) et eo quod Joh. 10. 24 στοὰ Σολομῶνος memorabatur, rem turbaverat, tem-  
plique conditori antiquo festi quoque institutionem tribuerat.

Quisquis paraphrasi lectitanda paulo propius accesserit ad mentem animumque poetae neophyti, in ampliacione tali qualem hic indicavi altiore quanda et magis reconditam notionem facile quaerat. Nunc quoque fortasse quispiam mysticismum indagare voluerit, quandoquidem templi renovatio ac resurrectio Domini mystico vinculo comparationis coniungi solent a sacris scriptoribus. Crederem, si Nonnus capite secundo Johannis verba vs. 20 vertens (ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν) idem τοῦ καίνισαι verbum adhibuisset. Nunc vehementer dubito. At ne vestigium quidem dubitationis mihi restat in capite undevicesimo. Evangelii verba enim (vs. 17) ἡτὸν λεγόμενον Κρανίου τόπον, ὃς λέγεται Ἐβραϊστὶ Γολγοθα" audiatis quaeso quomodo Nonnus ornet (XIX. 90):

Ἄδ' ἀμ πρωτογόνοιο Φερώνυμον ἄντυγι κόρσης.

Unde haec sacra traditio profluxerit, et quatenus inter Nonni aequales fuerit propagata, mihi quidem incertum est; non ita incertum quid significare poeta voluerit. Adamum cum Christo comparatum saepe invenerat sedulus librorum sacrorum lector. Nonne Paulus ad Romanos (IV. 25) ita scripserat: ὃς παρεδόθη διὰ τὰ παραπτώματα ἡμῶν? Nonne Petrus (I Petr. 2. 24) propius etiam accedens ad ea quae digito indicat Nonnus, haec habet: ὃς τὰς ἀμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι



αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον? Non in theologorum igitur tantummodo lucubrationibus haec volutabatur cogitatio, sed vivebat in mentibus fidelium, peccata mundi, in Adamo incohata, diluta esse beneficio crucis, verum idcirco universos quoque mortales, propter caedem Servatoris culpaе communi esse obnoxios. Hoc ipsum non obscure profecto sed disertis verbis significat Nonnus paulo supra. Pauca sunt verba Johannis (vs. 16) *παρέλαβον οὖν τὸν Ἰησοῦν*”, quae sic Nonnus interpretatur (XIX. 83):

*καὶ Πίλατος λαοῦ βοὴν ἄσβεστον ἀκούων  
Χριστὸν ἐκὼν ἀέκων ἀδίκῳ παρέδωκεν δλέθρῳ·  
καὶ θανάτῳ χαίροντες ἀναιδέες ἀρχιερεῖς  
Ἰησοῦν ἐδέχοντο θελήμονες· ὠκύμοροι δὲ  
ἀθανάτου Χριστοῦ βροτοὶ γεγάασι Φονῆες  
πάντες ὁμοῦ.*

Qui talem profitetur de crucis mysterio opinionem, eum, licet non praeunte evangelio, fidem christianam, τὴν Πίστιν, salutasse Μητέρα κόσμου, et memorabile videtur, et minime mirum <sup>1)</sup>.

Altius in haec inquirere, et praeceptorum quos Nonnus sectatus est in commentando Evangelio, praesertim Origenis, vestigia indagare vellem, nisi theologiae Christianae dumeta vitare cautius mihi videretur. Attamen una in re hoc mihi sumam ut ad arcana illius doctrinae propius accedam. Si dignoscere cupimus, quali mente Nonnus opus suum suscepit, necesse nobis erit scire, quid paraphrastes, olim theocrasiae tantopere addictus ut quidquid erat deorum uno fere Bacchi sui numine complecteretur, iudicaverit de summis novae fidei potestatibus: quid de Patris cum Filio affinitate, quid de trini-

1) I. 19 Πίστιν, ἀτέρμονα μητέρα κόσμου. Titulus plane Dionysiacus. Adjectivi ἀτέρμονος notionem Nonnus tam in Dionysiacis quam in paraphrasi saepe variat (D. 38. 320 ἀτέρμονος ἔδρανα κόσμου, sed 7. 68 μῆτιν ἐν ἐλέλιζεν ἀτέρμονα μητιέτα Ζεὺς, quem versum sonorum similitudine Nonnus I. 19 ex parte iterat lusu ingenii vel memoriae admodum usitato). Fidem eam quae mundum regenerat (XX. 141 πίστις βιοσσός) opponi dixeris Veneri antiquae (D. 33. 42: ἀνάου κόσμιο φυτοσπόρε μήτηρ ἐρώτων, 41. 315: ῥίζα βίου Κυθέρεια φυτοσπόρε μαῖα γενέθλης, ἐλπὶς ὕλου κόσμοιο) quae Dea in Orphicis, a quibus Nonnus minime alienus est, h. 55. 8 μήτηρ ἀνάγκης audit. Omnia haec in unum competunt. Sed cedunt numina antiqua symbolis christianis. Christianorum lingua utitur paraphrastes, cum V. 100 non fidem genetricem sed vitam ipsam quam Creator fidelibus largitur παμμήτορα κόσμου vocat, procul dubio haud immemor Isidis, quae apud paganos *rerum naturae parens* dicebatur (Apul. Met. XI. 12).

tate, quid de Spiritu cogitaverit. Porro, ut videamus quid maxime neophytorum illorum animos agitaverit, nonne utile erit poetam audire de baptismo, de regeneratione, de civitate dei disserentem, idque verbis non Johanneis sed suis, cum nova ea placita antiquis imaginibus, et dictione ex suis prioribus carminibus sumta exprimat, fidemque recentem splendore superstitionis reiectae exornet? Breviter summa attingam nec quaeram — quod theologorum est — unde sua poeta sumserit aut quatenus orthodoxiae leges fideliter observaverit.

*De Verbo.* (περὶ τοῦ Λόγου). Primum necesse erit audire proöemium paraphraseos, quo poeta mysticam praefationem, brevibus et concisis verbis ab evangelista conceptam, explanavit verbosa sane circumlocutione. Textum quantum opus est exscribo, Scheindlerum secutus, nisi quod eius coniecturas saepius neglego, et in interpungendis verbis meum iudicium sequor:

Ἄχρονος ἦν, ἀκίχητος, ἐν ἀρρήτῳ λόγος ἀρχῆ.  
 ἰσοφυῆς γενετῆρος ὁμήλικος υἱὸς ἀμήτωρ <sup>1)</sup>,  
 καὶ λόγος αὐτοφύτιο θεοῦ Φάος <sup>2)</sup>, ἐκ Φάεος Φῶς,  
 πατὴρ ἐν ἀμέριστος ἀτέρμονι σύνθρονος ἔδρῃ,  
 καὶ θεὸς ὑψιγένεθλος ἐν λόγος <sup>3)</sup>. οὗτος ἀπ' ἀρχῆς  
 ἀενάω συνέλαμπε θεῶ, τεχνήμονι κόσμου,  
 πρεσβύτερος κόσμοιο· καὶ ἔπλετο πάντα δι' αὐτοῦ  
 ἄπνοα καὶ πνεύοντα· καὶ ἐργοπόνου δίχα μύθου  
 οὐδὲν ἔφυ τόπερ ἔσκε· καὶ ἐμφυτος ἦεν ἐν αὐτῷ  
 ζωὴ πασιμέλουσα· καὶ ὠκυμόρων Φάος ἀνδρῶν  
 ζωὴ πάντροφος ἦεν, ἐν ἀχλύσειντι δὲ κόσμῳ  
 οὐρανίαις σελάγιζε βολαῖς γαιήοχος αἴγλη,  
 καὶ ζόφος οὗ μιν ἔμαρψε.

1) cf. D. 41. 53.

2) Codd. φῶς. Scheindler Koechlyum secutus γόνος, Tiedke πάις. Siquid mutandum videretur facilius erat φῶς scribere. Sed praestat ne litteram quidem mutare (nisi quod numerorum causa malim legere φάος). Iteratum nomen, quo primum indicetur αἴγλη i. e. lucidus splendor τοῦ αὐτογόνου θεοῦ, deinde lux eadem quae nascitur sive emanat ex summo deo, tam cum dicendi ratione quam cum philosophia nonniana optime congruit.

3) Adjectivum ὑψιγένεθλος omnino cum substantivo λόγος coniungatur. Filio unigenito convenit (cf. III. 82), languet autem si adjungas deo αὐτογόνου. Recte compares D. 27. 98 ubi ὑψίγονον audit fulmen quod pater omnipotens manu gestat.

Paginas implerem, si omnia referrem quae in hoc prooemio, sane verboso sed cum accuratissima deliberatione composito, Dionysiaca sive numeris sive dictionis sonitu sive ipsis verbis in animum revocant. Ne testimoniorum copia lectorum animos taedio conficiat simulque propter exemplorum abundantiam graviora levioribus obscurantur, pauca tantum attingam.

"Αχρονον vocare Logum, termino qui cosmologiae philonicae debetur <sup>1)</sup>, Nonno haud male conveniebat, ac prorsus id congruit cum ea ratione qua in Dionysiis usus erat cum dicendum erat de Aeone. Chrono, Horis <sup>2)</sup>. Nonnianum quoque est adiectivum ἀκίχητος. Varie hoc utitur poeta, raro ita ut homericum illud ἀκίχητα διώκων in memoriam revocet: celeritatem indicat XIX. 178 de milite qui latus Jesu telo perfodit θορῶν ἀκίχητος; saepius reconditum quid, quod investigari non potest, significat, ut XIV. 18 (Joh. 14. 5: πῶς οἶδαμεν τὴν ὁδόν;)

μέτρα πόθεν δυνάμεσθα μαθεῖν ἀκίχητα κελεύθου;  
et *ibid.* 53:

ἔττι μολεῖν ἀκίχητος ἐπείγομαι εἰς γενετῆρος <sup>3)</sup>,  
cap. VIII. 94 (ἕως χρονίη παρὰ νύσση ἰππεύων ἀκίχητος ἐλίσσεται καμπύλος αἰῶν) adjectivum aequo iure coniungatur cum verbo, notione celeritatis, ac cum Tempore. Sed in prooemio absolute ponitur, ut, cum per adjectivum ἄχρονος omnis temporis notio a Logi persona removeatur simulque ineffabilitas adiectivo ἄρρητος significetur, hac voce indicetur τὸν Λόγον ἀτόπαστον εἶναι καὶ ἀκατάληπτον, ut cum Philone loquamur <sup>4)</sup>.

1) Philo de Op. mund. 7 (I. 8. Wendl.) χρόνος γὰρ οὐκ ἦν πρὸ κόσμου. Convenit quoque cum Philonicis quod vs. 7 Logos dicitur πρεσβύτερος κόσμιο.

2) D. I. 172 ipsa Ὠρη dicitur ἄχρονος. Aeon autem qui D. 7. 73 a Jove salatur ἀενάων ἐτέων αὐτοσπόρε ποιμήν, in paraphrasi, id quod gnosticis deberi vix crediderim, multo magis quam quisquam ex antiquo deorum conventu propriam dignitatem integram servavit. Plerumque allegorice, negligenter adhibitae, id tribuere possis, veluti V. 145: καμπύλος ἔρπων, VIII. 94: χρονίη παρὰ νύσση ἰππεύων, 156: πουλυέλικτος; iam magis personae indolem dat Aeon poeta cum eum, versus ex D. 7. 23 haud immemor, εὐρυγένειον vocat (III. 79. VI. 145); prorsus redit ad veteres mythologiae artisque formas VI. 178: ἕως δολιχῆστο γενεῖου ἀμφιλαφῆς πολιῆσι κόμην λευκαίνεται Αἰῶν. Sed philosophia vitam addit antiquo deo, cum III. 79 ἀτέρμων dicitur, IX. 9 ἠνίοχος βίοτοις (cf. D. 24. 267), IX. 154 πάντροφος et praesertim XII. 197 ζῶν ἀθανάτην τὴν ἔλλαχε σύνδρομος Αἰῶν ἀενάω στροφάλιγγι.

3) Cf. quoque XIX. 227 δόμον ἦλθε λαθῶν ἀκίχητος cl. D. 2. 4. —

4) Cum hac vocis notione iam convenit D. 4. 267 ζαθέων ἄρρητον ἀμεγλόμενος γάλα βίβλων.

Justaene doctrinae et orthodoxiae terminos deserit Apolinarii discipulus in iis quae subsequuntur? Parum sectatorem τῆς δμουσίας decere dixeris illud ἰσοφυῆς versu secundo, cum praesertim memineris quam vaga illius adiectivi alibi fuerit notio, non solum in Dionysiatis (ut 19. 348: ἰσοφυῆς μίμημα πολυγνάμπτου ποταμοῦ, 36. 300 ἰσοφυῆς μίμημα λεοντείοιο μετώπου) sed etiam in paraphrasi (XIII. 73 ἰσοφυῆς μίμημα δαήμονος ἡγεμονῆος). Tamen non est quod propter hanc vocem Nonno heresiae crimen imputes. Multo expressius enim quam in Evangelio factum erat poeta naturam Patris cum Filio indivisam docet. Non solum, quod Christum frequenter Λόγον vocat. In quo titulo adhibendo notionem nominis λόγου ad normam philosophorum explanat <sup>1)</sup>, quin immo ultra fines theologiae Johanneae aliquando progreditur. Simplex fuerat et ab abscondita sapientia remotum quod scripserat Evangelista cap. 10. 35 „πρὸς οὓς ὁ λόγος ἐγένετο τοῦ θεοῦ”, nam nihil aliud est ac si dixisset „πρὸς οὓς ἔλεξεν ὁ θεός”: vocabulum λόγος eo loco valet idem atque ὄημα. Nonnus vero haec ita reddens (X. 125): οἷς τότε μοῦνον ἴκανε θεοῦ λόγος ἴσος ὀνειρώ ad multo altiore theologia adscendit: fingit Dei Logum, qui tandem „caro factus est et inter homines habitavit”, olim sed obscure modo et somni imaginii similem populo Judaeorum apparuisse, nec tamen ab iis intellectum fuisse <sup>2)</sup>.

Obscurioris haec sunt philosophiae et in carmine Nonniano

1) Cum Evangelii dictione certe non convenit quod saepius Nonnus Christum vocat „τὸν Λόγον υἱόν”. (I. 202; III. 82, 87; V. 38. *cell.*) quod profecto ante Nonnum iam fecerant theologī, sermonis elegantis parum curiosi. Eodem dicit quod poeta verba evangelistae (Joh. 1. 29) „ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ὁ αἰῶν τὴν ἀμαρτίαν τοῦ κόσμου” auget epitheto, si dictionis venustatem spectas ineptissimo (I. 106) ἠνῖδε παγγενέταο θεοῦ σχεδὸν ἀμνὸς ἐχέφρων, quo adiectivo addito omittit, praeter consuetudinem, ipsa verba quae Evangelistae comparisonem cum agno suppeditarunt. Saepius autem ita Nonnus, quamvis ipse imaginibus et comparisonibus vividis frequentissime indulgens, verba Johannis additamentis eiusmodi, quae philosophicae interpretationis instar sunt, pessumdat. Meminimus omnes praeclari sermonis illius Joh. 4. 163 θεάσασθε τὰς χώρας ὅτι λευκαὶ εἰσι πρὸς θερισμόν. Languescit imago, evanescitque omnis color ex vivida comparatione, cum Nonnus εὐγλωσσον illum θερισμόν dicit et στάχνας memorat ἐχέφρονας.

2) Consulto Nonnus hoc loco duplicem λόγου et Λόγου notionem inter se miscet. Qui Johannis verba vs. 35. 36 perlegerit, concedat necesse est sermonis obscuritatem confusioni occasionem praebere. Nec tamen aliter atque ego interpretatus sum verba Nonni accipienda esse, docet quoque vs. 128 λόγον αὐτόν, ὃν ὀψιμέδων πόνρε κόσμῳ.

rarioris. Sed videte, quam anxie det operam ut notum illud „Ego atque Pater meus unum sumus” fideliter in versione evangelii servetur. Dixerat Christus ad Philippum secundum Joh. 14. 9: *τοσοῦτω χρόνῳ μεθ' ὑμῶν εἰμι Φίλιππε, καὶ οὐκ ἔγνωκάς με; ὁ ἑωρακὸς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα.* Non sufficiunt haec poetae. Quam intima, quamque coniunctissima familiaritate Pater filiusque inter se iuncti sint, pluribus versibus exponere necesse habet (XIV. 31):

*ἀθλήτῳ τοκῆος*

*συμφυὲς ἔνθεον εἶδος ἔχων βροτοειδέϊ μορφῇ  
τηλικόν εἰμι Φίλιππε πολὺν χρόνον ἐνθάδε μίμνων  
σύννομος ὑμείων, καὶ ἐμὴν οὐκ εἶδες ὀπωπῆν;  
πᾶς βροτὸς ὅς με νόησε καὶ ἀφθιτον οἶδε τοκῆα·  
οὐπω πίστιν ἔχεις, ὅτι σύζυγός εἰμι τοκῆος,  
καὶ γενέτης μεθέπει με μιῇ συναρηρότα μορφῇ;*

Atque iterum brevius sed non minus lucide X. 107:

*αὐτὸς ἐγὼ μεδέων τε πατῆρ ἐμὸς ἐν γένος ἐσμὲν  
ἔμφυτον αὐτόπρεμνον.*

Neque hic subsistit. Alta mente conceperat absconditam doctrinam Logi: verbum divinum, simul lumen mundi ex deo ipso procreatum, quod tamen ab ipsa dei persona divelli nequit. Varie semper et quantum potest diserte diversas huius summae potestatis facultates illustrat. Logos enim simul et verbum est quod profluit ex summi numinis ore et filius quem Deus procreavit, et Deus ipse. Hoc ut interpretatione illustret verba Joh. 14. 11 (ὅτι ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ κ. τ. ε) ita explanat:

*ὅτι καὶ αὐτὸς*

*σύμφυτός εἰμι τοκῆος, ἐγὼ λαλέων, ὁ δὲ ῥέζων 1)*

Sed eo ipso quod haec novae fidei mysteria in intimum pectus conceperat poeta, vivunt et fermentantur in eo, et in carmine prodeunt antiquo splendore aucta atque exornata, qui nobis fortasse Johannei evangelii interpretem parum decere videatur, sed tamen libro nonniano suum dat colorem suamque vitam propriam. Non sufficiunt illi poetae brevina proöemii

1) Ulterius aliquanto quam Evangelista hanc doctrinam prosequitur XIV. 92. ubi verba pauca sed solemnia Christi (Joh. 14. 23) „καὶ μόνῃ παρ' αὐτῶ ποιησόμεθα” ita reddit: ἔνδιον αὐτοθέμεθλον ἀναστήσοιμεν ἐν αὐτῷ ἀνδρομέφ μίμνοντες ἐν αὐδήντι μελάθρη.

verba „καὶ λόγος ἦν πρὸς τὸν θεόν”. Christus enim ei est υἱὸς ἀμήτωρ et ἀμέριστος ἀθέρμονι σύνθρονος ἔδρη. Et haec ad oculos, ut ita dicam, demonstranda erant, color ac splendor ne deessent. Quod Johannes dixerat: „ἐν ἀρχῇ ἦν πρὸς τὸν θεόν” id noster reddit „ἀνάξω συνέλαμπε θεῶ” (I. 5), item I. 12 οὐρανίαις σελάγιζε βολαῖς. Praesertim autem ipsius poetae animum atque indolem cognoscas, quotiens, antiqua dictione usus, lucis splendore investit Christum suum quali olim Jovem-Solem Sarapidemve poetae ornare consuerant. Johannes cap. 6. 62 dixerat: „ἐὰν οὖν θεωρῆτε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου ἀναβαίνοντα ὅπου ἦν πρότερον”. Quid Nonnus (VI. 190)?

εἰ δέ κεν ἀβρήσητε συναστράπτοντα τοκῆι  
αἰθερίων, ὅθεν ἤλθεν, ἔων ἐπιβήτορα θάκων  
ἀνθρώπου Φίλον υἷα . . .

Agnoscis Dionysiacorum poetam. Rex sit Christus eius necesse est, aureo splendore et lumine vestitus. Induit Jovis ἀστράπτοντα χιτῶνα (D. 1. 481). Dionysi ἀστερέντα χιτῶνα. Gestat ἰθύντωρ κόσμου illud ποικίλον εἶμα quod olim induerat Hercules-Astrochiton qui a Sarapide non differt (D. 30. 370). Παμφαῆς propter hunc vestitum audit Jesus XIII. 144; verum sordent fere haec pallia terrestria si conferuntur cum splendore coelesti quem Maria Magdalena viderat, cum discipulis narraret (Joh. 20. 18 „ἀγγέλλουσα τοῖς μαθήταις ὅτι ἐώρακεν τὸν κύριον”):

ὅττι μεταχθονίου γυμνούμενα γυῖα χιτῶνος  
Χριστὸν ἶδε στίλβοντα θεοκμήτῳ τινὶ πέπλῳ.

Et tamen terrestre quoque illud vestimentum, quod Jesus ἀβροχίτων dum vivit inter mortales gestare solebat, suam quoque habuerat miram venustatem (XIX. 118):

θεσπεσίην ἐσθῆτα θεηγενέος βασιλῆος  
ἰστάμενοι δάσσαντο καὶ αἰγλήεντα χιτῶνα <sup>1)</sup>.

1) Imaginibus et comparationibus quae caelestium luminum splendorem lectoribus ante oculos ponunt, incredibile est quantum semper Nonnus delectatus sit. Data opera infra ad id argumentum recurram. Jam nunc memorabo, quo consilio saepe in paraphrasi antiquas illas solis ac lunae imagines adhibuerit. Uno exemplo defungar. In evangelii c. 5. 35 Jesus de Baptista ita disserit: „ἐκεῖνος ἦν ὁ λύχνος ὁ καιόμενος καὶ φαίνων, ὑμεῖς δὲ ἠβελήσατε ἀγαλλιαθῆναι πρὸς ὥραν ἐν τῷ φωτὶ αὐτοῦ”. Haud inconsulto poeta hanc comparationem amplificacione illustrat (V. 135): κείνος Ἰωάννης νοερούς σπινθῆρας ἰάλλων (cf. D. 27. 320) εὐσεβίης πέλε λύχνος ἐτήτυμος, ἀνδράσι φαίνων, ὑμεῖς δ' εἰς στροφάλιγγα μίης ταχυδινέος ὥρης

Sunt profecto qui putent haec omnia vana esse et inania, quippe quae hoc solum demonstrent, Nonnum, cum ad evangelium interpretandum accessisset, antiquae poeseos artificii abstinere se non potuisse, atque sic castam Evangelii simplicitatem falso colore fucasse et corrupisse. Tali iudicio equidem aliquatenus subscribo. Nemo, animo consolationem quaerens mentive voluptatem, Nonni paraphrasin sibi elegat, neglecto evangelio. Sed non voluptatis nostrae causa neophytum Pano- politanum adimus. Mentis hominum christianorum intellegere, melius quam antea perspicere, quamnam eius aetatis mortales imaginem sibi informaverint vitae aeternae regnique coelestis, cupimus. Et in ea re Nonnus poeta potius nos vera docebit quam alta et recondita evangelii sapientia. Rex Nonno erat Christus, et licet ipse quoque poeta Jesum dicentem fecerit ad Pilatum (XVIII. 168)

οὐ χθονίη τελέθει τις ἐμῇ βασιλῆιος ἀρχή<sup>1)</sup>,

fatendum tamen erit, Nonnum omnia quae ad regnum illud caeleste, sive ad βασιλείαν τῶν οὐρανῶν pertinent, ita lectoribus proponere ut tamquam terrestri quadem gloria splendeant. Sic factum est, ut in prooemio quidem philosophiam Johannis magis absconditam dictione sua sequeretur, et λόγος ille αὐτοτέλεστος I 40 (cl. Joh. 1. 14) diceretur

ὀψίγονος προγένεθλος, ἐν ἀρρήτῳ τινὶ θεσμῷ<sup>2)</sup>

Ξυνώσας ζαθέην βροτοειδέϊ σύζυγα μορφῆν,

sed in reliqua paraphrasi quidquid de regno seu civitate dei desseritur, minus ad κόσμον νοητὸν pertinere videatur. Aluntur haec omnia et confirmantur antiqua quadam ratione de rebus divinis cogitandi. Spectat Nonnus res christianas, quas firma fide recipit et profitetur, antiqua et pagana mente. Ita fit

---

κείνου μαρτυρήσιν ἐφαιδύνασθε φανέντος ὕδασιν ἀστράπτοντος ἀγαλλόμενοι περὶ λύχνου. Egregie hoc loco poeta, ut expressius significaret quam Evangelista, lucem quam praebebat praedicatio Baptistae, secundariam tantummodo et derivatam esse cum Christi lumine praeclaro comparatam, imaginem adhibet in Dionysiis plus quam semel occurrentem. Sapientia baptistae facis luci similia est per aquam repercussae, ὡς παρὰ χεῦμα παλίμπορον Ὠκεανοῦ ἐσπερὶ σελάγιζε δι' ὕδατος ὀμπνια Μήνη (D. 5. 487. cl. 38. 122).

1) Cf. VIII. 54 ξείνος ἐγὼ κόσμοιο καὶ αἰθέρος εἰμὶ πολίτης.

2) i. e. αὐτόγονος (II. 65) sicut Ἄνεῦμα III. 36 ἀμαιεύτω τινὶ θεσμῷ ex Deo profluens.

nonnumquam ut aequo animo difficultates et obscure dicta, in quibus theologi frustra laborarent, liberius vertat. Quantum enim molestiarum *δοξασθῆναι* illud, quod legitur apud Johannem 7. 39, doctis interpretibus creavit! At Nonnus, altioris illius doctrinae minime peritus, verba Evangelistae „*οὐπὼ γὰρ ἦν πνεῦμα δεδομένον ἔτι Ἰησοῦς οὐπὼ ἐδοξάσθη*” ita reddit (VII. 152):

*οὐπὼ γὰρ βροτέησιν ἐνεργίζωτο μενοιναιῖς*

*Χριστὸς ἀναξ γενέταο Φανείς ἀγχίθρονος ἔδρης. 1)*

Ita consulto arcana mysticismi Johannei planiora facit et hominum simpliciorum animis, fortasse quoque sibi, magis accommodat. Domus illa paterna (Joh. 14. 2) in qua *μοναὶ πολλαὶ εἰσι*, ita a poeta describitur, ut terrestribus aedibus quam simillima fiat: memorat *μονὰς στοιχηδὸν ὁμόζυγας* et *ἄξιον ὑμείων νεοτευχέα χῶρον*, atque eadem via pergens, capite tertio ea quae Johannes de vita per fidem Christi aeterna plane mystice dixerat (vs. 16): „*ἵνα πᾶς ὁ πιστεύων εἰς αὐτὸν ἔχη ζωὴν αἰώνιον*”, unice ad vitam post mortem beatam applicat. Dixeris poetam, consulto Orphicorum Aegyptiorumque promissis spem fidei Christianae opponentem, antiquis uti loquendi terminis in nova ea beatitudine adumbranda (III. 83):

*ὄφρα μιν ὃς δέξοιτο μετὰτροπον ἦθος ἀμείψας,*

*πίστιν ἐς ἀστυφέλικτον ἐκούσιον αὐχένα κάμπτων 2),*

*ζωῆς οὐρανίης αἰώνιον εἰς χορὸν ἔλθη,*

*ναίων ἀφθίτου οἴκου ἐν εὐδένδρῳ παραδείσῳ.*

Nec aliter accipit felicitatem eorum „*quij Dei liberi appellabuntur*” 3).

1) Cf. quoque XII. 70 (Joh. 12. 16 *ὅτε ἐδοξάσθη*) ἀλλ' ὅτε *καμμεδέουσαν ἐὼν ἀνεδύσατο μορφῆν*. Quoniam *δοξασθῆναι* illud et *ὑψωθῆναι* nonnullis antiquorum theologorum idem fere valuisse videntur, operae pretium est adnotare quali libertate interpretandi in hoc verbo quoque Nonnus usus sit. Joh. 3. 14 (*καὶ καθὼς Μωσῆς ὑψωσεν τὸν ὕψιν ἐν τῇ ἐρήμῳ, οὕτως ὑψωθῆναι δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*) operam dedit nequem fugeret Christum verbis suis crucis supplicium significasse. Ligneum pro aeneo anguem finxit (III. 75 *δουρατέης μετέποντα τύπον ποιητὸν ἀκάνθης* (cf. D. 4. 317 et Par. XIX. 68). At contra interpretationes peritorum cap. 8. (vs. 28): *ὅταν ὑψώσητε τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου*) verbum *ὑψοῦν* tanquam *δοξάζειν* accipit (VIII. 68): *ὀκπάταν εὐαγγέσσει ἀνυψώσητε μενοιναιῖς ἀνθρώπου φίλον υἱά*, in quibus adiectivum *εὐαγγέσσει* mutare in *ἀναγγέσσει* (cui metrum non obstat) summae mihi videtur temeritatis. (cf. VI. 91. VIII. 149).

2) Cf. D. 3. 229.

3) Joh. 1. 13. cl. Par. I. 31. Huc toti pertinent, dignissimi qui comparentur, sermones cum Nicodemo habiti, veluti 3. 4 = Par. III. 18 *αἰθέρος αὐλὴν οὐ*



Christus igitur huius regni futuri rex ei est. Nam Christi est *κρίσις ἐσομένη*, is est *ἰθύντωρ κόσμου* <sup>1)</sup>. Videtur fere minus difficile fuisse Nonno Filii potestatem atque personam sibi fingere aliisque depingere quam Dei Patris. Attamen sedulo dedit operam ne *υἱὸς ἀνθρώπου* a Patre discerni posse aut separari videretur. Integra est apud eum doctrina *τῆς ὁμοουσίας*, ita tamen ut anxie curam dederit, ne voluntati patris obsequi potius quam propria voluntate uti Jesus videretur. Nihil vult Christus Nonnianus quod non prorsus cum Patris voluntate conspiraret; *ὁμοβελῆς* est cum Deo, at idem *αὐτεξούσιος*. Operae pretium est animadvertere, quantam in hoc placito explicando curam Nonnus adhibuerit. Cum cap. 7. 30 Johannes narrat „καὶ οὐδεὶς ἐπέβαλεν ἐπ' αὐτὸν τὰς χεῖρας, ὅτι οὐπω ἐληλύθει ἡ ὥρα αὐτοῦ”, Nonnus accurate exponit extrema illa, hoc tamen addens (VII. 113):

ὅτι οἱ αὐτῆ

οὐπω πατρόθεν ἦλθε θελήμονι Φοίνιος ὦρη,

quod nec temere nec fortuito eum addidisse apparet ex iteratis verbis (vs. 125):

θεσπίζων ταχύποτμον ἐὼν αὐτάγρετον ὦρην,

Sed nullus locus luculentius id docet quam versus illi quibus interpretatur caput duodecimum. Quis non memoria tenet verba, quibus Jesus illo loco secum certans depingitur (vs. 27) „νῦν ἡ ψυχὴ μου τετάρκται, καὶ τί εἶπω; πατέρ, σῶσον με ἐκ τῆς ὥρας ταύτης; ἀλλὰ διὰ τοῦτο ἦλθον εἰς τὴν ὥραν ταύτην”. Jam audite paraphrasten (vs. 108):

νῦν δ' ἐμὸν ἦτορ ἔχω δεδονημένον· ἀλλὰ τί λέξω;

ψυχὴ ἐμὴ κλονέει με. πάτερ, φρενοδινεὸς ὦρης

ἐκ ταύτης με σάωσον ἀκαμπέος. ἀλλ' ἐπὶ τούτῳ

βιγεδανὴν ἀβίαστον ἐκούσιος ἤλυθον ὦρην.

δύναται βροτὸς οὗτος ἰδεῖν αἰώνιον ἀρχήν. Quin etiam verba Joh. 3. 12 „πᾶς, ἐὰν εἶπω ὑμῖν τὰ ἐπουράνια, πιστεύετε”; ita ἀπὸ τῶν νοητῶν πρὸς τὰ αἰσθητὰ detrudere non veretur (vs. 62): εἰ στρατιὴν πτερέεσαν ἢ αἰθέρος ἔργα βοήσω.

1) Idcirco verbis Johannis 6. 14 „οὗτός ἐστιν ἀληθῶς ὁ προφήτης ὁ εἰς τὸν κόσμον ἐρχόμενος” Nonnus de se addit (VI. 57): ὃν φάτις ἀνάσιο μολεῖν ἰθύντορα κόσμου, cf. VII. 173. Iudicium futurum (*κρίσις ἐσομένη*) tractatur magna cum verbositate cap. V, praesertim vs. 83. 104. 116. Dicitur illa *κρίσις „ὄψιτέλεστος”*, nec tamen negleguntur Johannea illa „καὶ νῦν ἐστί”. (cf. cum Joh. vs. 25 Nonni vs. 96 et 108.)

Unum addam. Cum ad extremam Christi horam narratio Nonni pervenit — in qua parte carminis verbosa et florida dictio poetae vix ferenda videtur <sup>1)</sup> — notissima verba *καὶ κλίνας τὴν κεφαλὴν παρέδωκε τὸ πνεῦμα* (Joh. 19. 30) reddit versu, ut decet, gravi atque sonoro (XIX, 160):

*καὶ κεφαλὴν ἔκλινε, θελήμονι δ'εἶκαθε πότμω,*

sed ita τὸ παραδιδόναι vertit ut perspicue appareat totum illud sacrificium deberi τῇ τοῦ Χριστοῦ αὐτεξουσίᾳ.

*De Spiritu.* Pauca disserenda videntur *περὶ τοῦ Πνεύματος*, eaque non perspicua admodum <sup>2)</sup>. Licet enim in tertia Trinitatis persona delineanda strenue operam dederit poeta, ut mysticae doctrinae arcana lectoribus patefaceret, parum ei res successit, id quod vix cuiquam mirum videbitur: multo longius enim a vetere, qua educatus erat, mythologia distabat haec pars theologiae sacrae, quam Patris Filiique personae. Principia tantum rei tractabo, initio sumpto a capite Johannis 14. 16 ubi agitur de paracleto. Sunt verba Evangelii: „*καὶ ἐρωτήσω τὸν πατέρα, καὶ ἄλλον παράκλητον δώσει ὑμῖν, ἵνα μεθ' ὑμῶν ἦ*

1) Taedium legentibus movere nolim, ne nimis succenseant Nonno. Uno tamen exemplo illustrari illorum temporum argutias haud inutile videtur. Videte quomodo verba evangelistae vs. 29 *σπάγγον οὖν μεστὸν ἕξους ὕσώπῃ περιέντες* etc.) amplifcet. Non solum ἕξους illud (quod ὕσώπῃ κεκρασμένον dicit) ἕξους δλίθρου vocat, sed addit de se: *ἀντίδοτον βασιλῆι μελισταγέος νιφτοῖο* (verbis ex Dionys. desumptis, 8. 260; 5. 257). Quorsum haec? Scilicet respicit poeta caput evangelii sextum, ubi dominus (IV. 133) ipse se *ἀρτὸν οὐρανόθεν καταβάντα* cum pane quod erat manna comparaverat.

2) Singulari disquisitione digna esset Nonni daemologia. Diabolus ei est „dominus mundi” (XII. 123; XIII. 120 e. a.); Judas non diaboli est incarnatio sed *διάβολος νέος ἄλλος*; est tamen itidem diabolus antichristus V. 165. Magis autem quam haec omnia memoratu dignum est qua ratione Nonnus locum commentatoribus molestissimum, Joh. 8. 44 tractaverit. (*ὕμεῖς ἐκ τοῦ πατρὸς τοῦ διαβόλου ἐστέ . . . ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς . . . ψευδὴς ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ*). Nonnus cum haec reddit ultima (vs. 132) „*ψευστὴς αὐτὸς ἔφυ ψευδήμονος ἐκ γενετῆρος*” plane favet ei loci explicationi (quam reiciebant interpretes antiqui) qua diabolus patrem habere a Jesu dicitur. Gnosticorum erat eiusmodi doctrina de demiurgo, quae Philonis quoque placita revocat in mentem; Genio malo enim Philo quoque vices in mundi officio tribuit. Et haud improbable mihi videtur tale quid Nonnum quoque credidisse, quoniam illud *ἀνθρωποκτόνος ἀπ' ἀρχῆς* ita amplifcat „*ἐξέτε κόσμου ἐξ ἀρχῆς τετέλεστο θεμελίον*. Comparanda autem cum hisce sunt Joh. 12. 31 (Nonn. XII. 123) et praesertim 8. 23 (*ὕμεῖς ἐκ τῶν κάτω*) quod poeta vs. 50 ita explicat: *ὕμεῖς νερερίοιο κατῆλυδὲς ἐστε βερέθρου*.

εις τὸν αἰῶνα". Poterat sane, si voluisset, Nonnus ad illustrandam paraclети figuram et commentatores adire Christianos, et Philonis libros. Vix tamen indicia extant quibus efficias eum tale quid conatum esse. Hoc tantum apparet, eum quantum verbis suis posset significasse, tertiam trinitatis potestatem, illam, sive παράκλητον sive πνεῦμα eam dicas, una cum Patre ac Filio esse natura atque origine. Videte enim quanta addiderit Johannis verbis quae supra attuli (XIV. 61):

καὶ θεὸν αἰτίζω, γενέτην ἐμὸν, ὃφρα κεν ὑμῖν  
οὐρανόθεν πέμψει παράκλητον μετὰ νάστην  
Χριστῶ σύγγονον ἄλλον ὁμοίιον

Consolandive an defendendi vices acturus sit ille paracletus ex coelo migrans, non indicat; neque indolem naturamque spiritus accurate discernit; modo enim Christo similis esse dicitur et ἀρχέγονον Φῶς audit (XIV. 67), modo πνεῦμα θεοῦ γενετῆρος. Ceterum haec doctrina, quae spiritum sanctum sibi fingit tamquam potestatem quandam secundariam, ex Deo in homines emanantem, magis accepta fuisse videtur Nonno quam illa. Ecce verba quibus reddit evangelium eodem capite vs. 100 (Joh. 14. 26: ἡ δὲ παράκλητος (τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ὃ πέμψει ὁ πατήρ ἐν τῷ ὀνόματί μου) ἐκεῖνος ὑμᾶς διδάξει πάντα"):

παράκλητος δ' ὅταν ἔλθῃ,  
ὑμᾶς ἰθυνητῆρι λόγῳ τάδε πάντα διδάξει,

contra vero, cum capite insequenti ad spiritum redit Christi sermo 15. 26 (ὅταν δ' ἔλθῃ ὁ παράκλητος ὃν ἐγὼ πέμπω ὑμῖν παρὰ τοῦ πατρὸς) nomen paraclети missum facit, spiritumque divinum τὸ πνεῦμα dicit (XV. 105):

ἐπὴν δ' ἐπιδήμιον ἔλθῃ  
πνεῦμα θεοῦ νοεροῦ διορνούμενον γενετῆρος. <sup>1)</sup>

Confusa haec merito dicas, et ad intellegendam antiquorum Christianorum theologiam parum idonea. Non equidem hoc negabo. Sed operae pretium erat haec paucis verbis indicare ut appareret, qua causa motus Nonnus in evangelii loco quodam celeberrimo et conclamato ab interpretatione complurium commentatorum deflexerit. Spiritus enim ille divinus, ἀρχέγονον

1) Cf. XVI. 26: πνεῦμα θεοῦ ζῶντος et XIV. 70 (ad explicanda evangelii verba καὶ ἐν ὑμῖν ἔσται) πάντας ἔχων νοερὸν δόμον.

Φῶς, in Dei Filium quoque vim habere ei videtur; proficiscitur enim et emanat ex summo deo, quoniam est πνεῦμα θεοῦ γενετῆρος. Quod cum secum reputaret poeta, verba quae leguntur Joh. 11. 34 (ἐταράχθη τῷ πνεύματι) non accepit de commoto Christi animo sed sic vertit (XI. 121):

πνεύματι πατρῶν δεδονημένος,

quod ne tribuas negligentiae poetae, monet versus XIII. 95 (Joh. 13. 21 ταῦτα εἰπὼν Ἰησοῦς ἐταράχθη τῷ πνεύματι) ubi redeunt eadem:

πνεύματος οὐρανόθεν δεδονημένος ἔμφρονι παλμῷ <sup>1</sup>).

Ut in extremo hoc versu agnoscimus Dionysiacorum poetam, ita Nonnum ipsum, non theologiae parum intellectae interpretem, sed ψέφυτον fidei novae ex animo addictum audimus, quotienscumque depingit, qua via atque qua ratione ad homines audire paratos Spiritus dei perveniat. Ipsa evangelii dictio ad duplex comparandi genus hic incitat poetam. Cum ignis vi simul ac cum aquae potestate benifica spiritum sanctum comparat. Nimis abundant huius dictionis exempla quam ut ea enumerem <sup>2</sup>). Moneri sufficit, quod in Dionysiacorum poeta non expectaveris, imaginibus ex aquae natura desumptis hic saltem magis delectari Nonnum quam ignis comparatione. Semel in capite de Nicodemo — quod caput eximia cura tractatum est — (III. 46 = Joh. 3. 8) palingenesiam baptismi ope consummatam duplici hac imagine illustrat

οὕτω παντὸς ἔφυ τύπος ἀνέρος ἐκ πυρὸς ὑγροῦ  
πνεύματι τικτομένοιο,

1) Obiter indicari licebit locum ubi mire deflexit a textus notione Nonnus, III. 162. Verba Johannis 3. 34 „οὐ γὰρ ἐκ μέτρου δίδωσι τὸ πνεῦμα” Nonnus ibi ita reddit: οὐ γὰρ μέτρα λόγιο φέρε λόγος, ἀλλὰ οἱ αἰεὶ μόνον πνεῦμα δίδωσιν ἀειλιβέος βῶον ὀμφῆς. In qua sententia vocabulum πνεῦμα subjecti vicem tenere perspicuum est.

2) Non pertinent huc VII. 150 (Joh. 7. 37) εἶπε προθεσπίζων ἐπιδήμιον ὕψιμον αἰγλην πνεύματος et XVII. 60 πνευματικῶ πυρὶ γυῖα λελούμενοι, quae spectant spiritus effusionem pentecostes festo factam. Exempla autem ut quaedam afferam, nominabo I; 27 (Joh. 1. 9: ὁ φωτίζει πάντας ἀνθρώπους) ὃς ἀνέρα πάντα καθαρῆι πνευματικαῖς ἀκτίσι καταυγάζων φύσιν ἀνδρῶν, I. 125 (Joh. 1. 33: οὗτός ἐστιν ὁ βαπτίζων ἐν πνεύματι ἁγίῳ) „ἐν πυρὶ βαπτίζων καὶ πνεύματι” et ibidem vs. 120 (Joh. 1. 33: ἀλλ’ ὁ πέμψας με βαπτίζειν ἐν ὕδατι): „βαπτίζειν ἀπύροισι καὶ ἀπνεύστοισι βρεθροῖς”.

ὕγρον autem illud πῦρ indicat Φωτισμὸν baptismi <sup>1)</sup>.

Aquarum amoenitates laudare numquam desierunt poetae Graeci. Abundant quoque in Dionysiis versus quibus celebrantur fontium aquae perennes. Nolo tamen unice huic causae attribueri quod Nonnus tantopere amaverit, imagines de aqua sumptas, in quibus praeierat evangelista, augere de suo et amplius ornare. Audire operae pretium est interpretationem capituli quarti. Praecipue considero vs. 14: „ἀλλὰ τὸ ὕδωρ, ὃ δῶσω αὐτῷ, γενήσεται ἐν αὐτῷ πηγὴ ὕδατος ἀλλομένου εἰς ζωὴν αἰώνιον”. Loquax est poetae interpretatio et merito displicet (IV. 63):

ὅπερ δέ οἱ ἐγγυαλίξω  
οὔποτε διψήσειε πῶν αἰώνιον ὕδωρ,  
ἀλλὰ οἱ ἐν πραπίδεσσι μένει ῥόος ἔμφρονι παλμῷ  
ἀλλόμενον νοερότο βυθοῦ θεοδινεί ῥιπῇ  
πηγῆς ἐνδομούχοιο παλιμφυῆς ἔμπεδον ὕδωρ  
ζωῆς ἀενάοιο. <sup>2)</sup>

Unde haec abundantia adjectivorum? Et qui fit ut Jesus eodem capite *dominus aquarum* vocatus sit? <sup>3)</sup> Vix dubium mihi videtur quin hac arte Jesus vitae aeternae largitor et dominus opponatur vanae spei mysteriorum praesertim Isidis atque Osiridis, a quibus τὸ ψυχρὸν ὕδωρ refrigerationis precibus petunt Aegypti incolae. Ipse Nonnus profecto olim Aegyptiorum summa numina ea spe invocaverat. Superest in Anthologia Palatina (IX. 383) epigramma, non temere ab editoribus Nonno adscriptum, quo epigrammate mensis Μεσορὶ celebratur, quoniam Νεῖλοιο Φέρει Φυσίζοον ὕδωρ. Nunc aliud ὕδωρ est quod poeta laudibus celebrat.

1) Cf. Sibyllae versus I. 339 sqq. R.: καὶ ὕδατι φωτίζεσθαι πᾶν δέμας ἀνθρώπων, ἵνα γεννηθέντες ἄνωθεν, μηκέτι μηδὲν ἕλωσ γὰρ παρεκβαίνωσι δικαίων, ubi ἄνωθεν γεννηθῆναι eadem ratione palingenesiam baptismi indicat qua apud Nonnum III 17 (cf. Joh. 3, 3: ἐὰν μή τις γεννηθῆ ἄνωθεν) „τίκτεσθαι τὸ δεύτερον”.

2) Qui cap IV totum perlegerit videbit quanta cura hic aquae fons divinus assidue opponatur fonti Samaritanorum (quem a Jacobo effossus esse nescio quo auctore poeta dicit) quae aqua non sine certo consilio νεότερον ὕδωρ vocatur.

3) IV. 27 καὶ μιν ἄναξ ὑδάτων ἀπὸ κάλλιδος ἦτεον ὕδωρ. In quibus nonli ὑδάτων cum substantivo κάλλιδος coniungere, quod et per se ineptum est et antithesin delet quae in deliciis est paraphraetae (IV. 123: Χριστῷ Χριστὸν ἔλεξε, ἀοσσητήρα δὲ κόσμου ὅψὲ μολεῖν ἀγόρευε τὸν ἐγγύθεν εἶχε μόλυντα. III. 5: ἔννευχος εἰς δόμον ἤλθεν ἔπη φάος. II. 108: ἔπτι δόμον δέμας εἶπεν.

Cedunt Nili numina domino fontis baptismi, largitori aquae regenerationis, cuius domini vocem, revocantem mortuos ad vitam, in historia Lazari enarranda poeta *Φουσίζοον ἠχώ* vocat:

## II.

Vereor ne quis lector, qui hucusque ambages meas laudabili patientia secutus sit, me incuset quod in loquacissimo poeta tractando ipse magis quam par erat fuerim loquax. Chartae tamen parcebam, nec plus afferebam quam necesse erat, ut viam mihi praemunirem. Nempe probandum erat Nonnum in amplificando evangelii textu certa consilia esse secutum. Accuratiore nunc disquisitione in paucis quibusdam partibus evangelii inquiram, quo animo et quo consilio poeta versionis opus persecutus sit. Ne autem labor crescat in inensum, versus Dionysiacorum parallelos conferre omitto, nisi certa quaedam causa afferendi extat.

### 1. *Vinum Canae ex aqua factum* (Joh. 2).

Etiamsi nulla iusta causa ampliandi extaret, in hoc capite vix quaeras, quid ad verborum poetam Dionysiacorum incitaverit. Coenas nuptias dapumque hilaritates depingere numquam non placebat Nonno. Breve et simplex exordium est narrationis quo utitur Johannes (2. 1): *καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ γάμος ἐγένετο ἐν Κανᾷ τῆς Γαλιλαίας, καὶ ἦν ἡ μήτηρ Ἰησοῦ ἐκεῖ· ἐκλήθη δὲ καὶ ὁ Ἰησοῦς καὶ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ εἰς τὸν γάμον.*

Ad antiquum tympanorum sonitum scripti videntur dactyli quibus haec vertit Nonnus (II. 1):

Ἄλλ' ὅτε πέτρας  
πορφυρέας τριτάτῃ θαλαμηπόλος ἔγραφεν Ἠώς,  
ἀμφὶ πέδον Καναναῖον ἀξιφύτου Γαλιλαίας  
παιδοτόκου γάμος ἔσκε βίου πρωτοσπόρος ἀρχή·  
καὶ γάμος ὄλβιος ἦεν, ἐπεὶ χθονίῳ παρὰ παστῶ  
Χριστὸς ἔην σύνδορκος.

Sonant, resonantque in his versibus memoriae carminis antiquioris. In quibus quid casui, quid consilio debeat, non

facile est diiudicari. Non magni est momenti, quod exordium conceptum est dicendi ratione Dionysiaca <sup>1)</sup> Neque singulare est quod redit versus fere integer ex historia Beroës quae praecipue cordi fuerat poetae prioris carminis <sup>2)</sup>, D. 43. 398:

*καὶ γάμος ὄλβιος ἦεν ἐπεὶ βυθίῳ παρὰ παστῶ.*

Sed iam aliqua est certa oppositionis notio in eo quod aurora nuptiarum θαλαμηπόλος ἡὼς dicitur ab eo poeta qui D. 7. 307 θαλαμηπόλον ὄρφνην dixerat noctis tenebras quas Juppiter prolongare cupiebat quo diutius Semeles amoribus frueretur <sup>3)</sup>.

Personas mutato ordine Nonnus enumerat, quoniam uberius ei dicendum videtur de Matre Domini. Summa enim reverentia colit τὴν θεητόκου, et cordi ei est diserte indicare eam αἰὲ παρθένον fuisse. Primum id facit nostro capite, ubi de se addit vs. 8:

*ἔς εἰλαπίνην δὲ καὶ αὐτὴ*

*παρθενικὴ Χριστοῦ θεητόκος ἴκετο μήτηρ,  
ἀχράντῳ παλάμῃ γαμίης ψαύουσα τραπέζης,  
παιδοτόκος Φυγόμενος, αἰὲ μεθέπουσα κορεινῇ <sup>4)</sup>,*

atque extremum in eo evangelii capite undevicesimo in quo facundia vere Dionysiaca laudibus effert ipsum Johannem, τὸν παρθένον θεόλογον (XIX. 139 cl. Joh. 19. 26):

*γύναι Φιλοπάρθενε μήτηρ,  
ἠνίδε παρθένον υἷα. καὶ ἔμπαλιν εἶπε μαθητῆ·  
ἠνίδε παρθενικὴ, Φιλοπάρθενε, σεῖο τεκοῦσα  
νόσφι τόκου. κείνης δὲ μετὰ δρόμον εὐποδος ὄρης  
παρθένον εὐώδινα συνέστιον ἔσχε μαθητῆς  
ἔνδον ἐοῦ μεγάροιο· καὶ ἄσπορος ἔσκε τεκούσης  
υἱὸς ἀνὴρ ἀλόχευτος, ἀπειρώδινος ἀνάσσης <sup>5)</sup>.*

Sed alibi quoque Mariae virginitatem respicit. Singularem ratione

1) D. 1, 55 ἀλλ' ὅτε πορφύρεοιο ε. q. s. — cf. quoque D. 22, 136; 34, 124.

2) Frequens propterea in paraphrasi est memoria libri decimi quarti.

3) Cum versu quarto inter alia conferri poterit D. 1. 398 (de Amore deo) τελεσσιγόνοιο γάμου πρωτοσπόρος ἀρχή.

4) Minervae saepe memor est Nonnus, cum dicendum est de Maria virgine. Sic nostro loco non solum menti eius obversantur versus qualis est D. 27. 144 (παρθενικὴ φυγόμενος ἀνέτρεφε Παλλάς ἀμήτωρ), sed nullo significationis respectu versuum sonitum quoque iterat, ut in versu 10 ἀχράντῳ ... γαμίης sonitus edit verborum ex D. 47. 417 ὤμοσεν ἀχράντοιο γαμήλιον ἕρκον Ἀθήνης.

5) Cum extremis versibus conferri utile erit D. 29. 261.

et satis memorabili id fecit capite secundo. Versu 12 ibi scripserat Johannes: κατέβη εἰς Καφαρναοὺμ αὐτὸς καὶ ἡ μήτηρ αὐτοῦ καὶ οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ. At noster a „fratribus” illis matrem Dei secernit (II. 65):

αὐτὸς ὁμοῦ γνωτοὶ τε συνήλυδες· αὐτογόνοφ δὲ  
παρθένος ὠμάρτησε θεητόκος υἱεὶ μήτηρ.

Ecce αὐτόγονος est filius Dei, virgo mater. Quid autem fratres? Γνωτοὺς eos vocat, quae appellatio latiori sensu accipi poterat quam nomen ἀδελφῶν. Negat enim eos iure dici posse fratres uterinos Christi, filiosve ex Maria matre natos. Quod disertis verbis profitetur VII. 9 (Joh. 7. 3: εἶπον οὖν οἱ ἀδελφοὶ αὐτοῦ)

γνωτοὶ ψευδαλέοι, τετράζυγες υἱεὶς Ἰωσήφ.

Unde haec opinio de „fratribus Jesu” quam non suppediabant verba Evangelistae? Docuerat Evangelium Petri, ἀδελφούς eos Josepho natos fuisse ex nuptiis prioribus<sup>1)</sup>. Ἐvangelium Petri notum fuisse nostro, sive ipse manibus suis tenuit, sive apud Origenem verba eius legit, iam per se haud est dissimile veri<sup>2)</sup>; favet autem magnopere huic coniecturae quod ipse Nonnus scripta Petri (de quibus tacet Evangelista) singulari laude memorat, cum caput 21 evangelii eo ipso consilio, nec sine magna ac rara licentia amplificat. Ter apud Johannem Dominus ad Petrum „ποιμαίνει” illud iteravit. Quae secutus versibus 89. 98. 108, poeta quarto loco vs. 116 hoc addidit:

καὶ σοφίης πλήθοντι θεὸς πάλιν ἔννεπε Πέτρῳ·  
ἄρναις ἐμὰς ποιμαίνει σάφροναις ἄνθεσι βίβλων.

Haec eo minus negligenda videntur quod Petrum ceteroquin quoque Nonnus reverentia quadam prosequitur. Laudat ἀρραγῆ πίστιν eius quem Dominus apud Matthaeum (14. 31) ὀλιγόπιστιν appellaverat. Etenim, etsi haud magis quam Johannes poeta

1) Prenschen *Antileg.* p. 13 τοὺς δὲ ἀδελφούς Ἰησοῦ φασὶ τινεὶ εἶναι, ἐκ παραδόσεως ὀρμώμενοι τοῦ ἐπιγεγραμμένου κατὰ Πέτρον εὐαγγελίου ἢ τῆς βίβλου Ἰακώβου, υἱούς Ἰωσήφ ἐκ προτέρας γυναικὸς συνακηκείας αὐτῷ πρὸ τῆς Μαρίας (Origenes Comm. in Mt. X. 17).

2) Praesertim hoc conicere licet, si verum vidisse putandus est Daniel Völter qui (Z. N. T. W. 1905 p. 368) monuit Evangelium Petri ab eo evangelio, quod inscribitur τὸ κατὰ τοὺς Αἰγυπτίους non differre. Quod autem Origenes auctoritatem Evangelii κατὰ Πέτρον reiecit et auctorem in eorum numero ponit qui tantummodo „ἐνεχειρίσαν”, nihil referre mihi videtur.



memorat πέτραν ἐν ᾗ ἡ ἐκκλησία οἰκοδομηθήσεται, dignitatem futuram Apostoli respicit I. 165:

ἔπανυμῖν δὲ καλύψει  
πρεσβυτέρην Σίμωνος ὑπέρτερον οὐνομα Πέτρου,  
πίστιος ἀρραγέος σημήϊον.

Sed ad coenam Canaeam redeundum est. Miraculum in ea coena manibus Christi factum sponte sua poetam carminis Dionysiaci ad verba modosque veteres revocavit. Redeunt itaque singulis versibus exempla dictionis assuetae, placetque sibi poeta, dum ea in novum usum variat atque detorquet. Nec mirum nec memorabile hoc est <sup>1)</sup>. Verumenimvero haec quoque imitatio certo quodam consilio non caret. Summam Christi potestatem, et verum salutiferumque miraculum aquae in vinum mutatae opponere volebat Nonnus alteri illi miraculo quod in hostium perniciem olim perpetrasse Bacchum narraverat. Non fortuita enim similitudo est quam statim quis lector observabit, enarratione capitis secundi comparata cum iis quae leguntur D. 14. 411. Ut hostes suos perdat Dionysus aquam lacus Astacidis in vinum mutaverat. Artem poetae non laudare non poteris cum miserum hostem Bacchi Indum vides vini voluptatem tunc primum degustantem et prima ebrietate perditum. Paucos versus describam, ceteros ipse lector perlegat:

ἀντιβίους δ' ᾧ κτεῖρε θεὸς Φιλοπαίγμωνι θυμῷ  
καὶ προχοαῖς κατέχευε μέθης γέρας, ἐκ δὲ βόαν  
χιονέην ἤμειψε Φυὴν ξανθόχροον ὕδωρ,  
καὶ ποταμὸς κελάρυζε μελίρρυτα χεύματα σύρων,  
καὶ προχοαῖς ἐμέθυσσεν· ἀμειβομένων δὲ βόαν  
ἔπνεον ἀρτιχύτοιο μέθης εὐώδεις αὔραι.

Versus venusti et numerorum rhythmicque elegantia sonora praestantes. Quos memoria tenebat paraphrastes cum fluvium Indicum amphoris Canaeis mutavit:

ἄφνω δ' ἔπλετο θαῦμα, καὶ εἰς χύσιν αἶθοπος οἴνου  
χιονέην ἤμειψε Φυὴν ἑτερόχροον ὕδωρ,

1) Rationem imitandi si uno exemplo cognoscere velis, conferas quaeso cum D. 13. 264 sq. Paraphr. II. 20. 41.

χεύματι Φοινίσσονται <sup>1)</sup>), καὶ ὕδροτόκου διὰ πόλπου  
ὕδατος ἀκρήτοιο Φιλεύιος ἔπνεεν αὔρη.

Artis venustate antiquoris carminis versus longe antecedunt imitationem; sed ipsa imitatio, a qua abesse omnem allegoricam doctrinam symbolicamve interpretationem non fugit nos, habebat tamen quo utriusque carminis lectorem detineret: Bacchi cruento miraculo opponitur pax coenae Canaëae, Dionyso feroci placida imago Christi.

## 2. *Jesus super mare incedens* (Joh. 6. 16—21).

Alterum amplificationis exemplum idoneum affert caput sextum. Causam ampliandi iterum miraculi enarratio praebet. Incitant poetam eius modi narrationes. Tum surgere orationem vides, firmioribus numeris versus procedunt, imaginibus Dionysiacis ornatur dictio. Dixerat Johannes vs. 17 „καὶ σκοτία ἤδη ἐγεγόνει” quo nihil est simplicius. At Nonnus (VI. 67):

ἀρτιφανῆς δὲ  
γαῖαν ὅλην ἐκάλυψε μελαγκρήδεμος ὀμίχλη,  
καὶ χροῖ ποικιλόνωτον ἐπισφίξασα χιτῶνα  
ἀστερόεν σελάγιζε,

in sequentibus quoque premens vestigia prioris carminis <sup>2)</sup> ut ipsa imitatione animum lectoris praeparet. Duae autem res sunt quas in miraculo enarrando accurata interpretatione indigere censet. Dubitabant, ut videtur, iam tum nonnulli, deambulantemne super mare Dominum depinxisset Evangelista brevibus illis verbis „θεωροῦσι τὸν Ἰησοῦν περιπατοῦντα ἐπὶ τῆς θαλάσσης”. Ne quid dubii restet, Nonnus versu 75 addit:

Χριστὸν ἐβήσαντο διαστείχοντα θαλάσσης  
ἄβροχον ἴχνος ἔχοντα, βατῆς ἀλῆς ὄξυν ὀδίτην, <sup>3)</sup>

1) Cf. D. 14. 417 ὄχθαι ἐφοινίσσοντο. Versu Par. 38 olim Koechly vocabulum ὕδατος mutavit in νέματος ut vinum indicaretur. Iniuria multi huic coniecturae assensu sunt. Optime convenit argutae arti Nonnianae eam aquam quae in merum vinum mutata est ὕδωρ ἄκρητον dicere. Prorsus eadem ratione D. 15. 22 flumen vino profluens ποταμὸς φιλάκρητος dicitur.

2) Cf. i. a. D. 18. 160 καὶ ζόφον ἐχλαίνωσεν ἐπὶ χροὶ σιγαλή νύξ, οὐρανὸν ἀστερόεντι διαγράψασα χιτῶνι e. q. v. collatis D. 18. 167 cum Par. VI. 84.

3) Sic Pan (D. 43. 214) per mare incedit ἀβάτοισιν ἐν ὕδασι κοῦφος ὀδίτης, ἄβροχος. Sic per aerem stella volitat D. 42. 6: δι' αἰθέρος ὄξυν ὀδίτης. Nec ab-

neque haec sufficiunt: ipsius Christi voce miraculum denuo enuntiandum est (vs. 79):

*Χριστὸς ἐγὼ ταχύγουνος ὀδοιπόρος εἰμὶ θαλασσης* <sup>1)</sup>.

Nonni aequalibus eiusmodi miracula quale hic poeta depingit, cognita erant et ex vetere mythologia et ex recentioribus. Iam inde ab Euphemo plures *θαλασσοβατοῦσι*. Ut autem Christum, tamquam alterum Euphemum *διὰ θαλάσσης πορευόμενον*, ampliore narratione quam Johannes fecerat, paraphraseos lectoribus proponeret, alia quoque causa poetam adduxisse mihi videtur. Interpretatione indigebat evangelii enarratio. Rem totam diverse traditam esse non fugiebat Nonnum, qui legerat Synopticos (Matth. 14. 26; Marc. 6. 48). Mitto ea quae Matthaeus solus habet de Petro frustra ad Dominum accedere conato. Sed secundum synopticos Jesus navem ascendit „*καὶ ἐκόπασεν ὁ ἀνέμος*”. Aliter rem exponebat Johannes, sed brevitate obscura eius verba erant et ambigua (vs. 21): „*ἤθελον οὖν λαβεῖν αὐτὸν εἰς τὸ πλοῖον, καὶ εὐθέως ἐγένετο τὸ πλοῖον ἐπὶ τὴν γῆν εἰς ἣν ὑπῆγον*”. Antiqui interpretes nonnulli, ut concordia esset inter synopticos Johannemque, contendebant illud ἤθελον λαβεῖν fere velle *ἐμελλον λαβεῖν*, hoc autem nihil aliud significare quam *ἐλάμβανον*. Merito haec interpretandi ratio aliis commentatoribus displicebat: non idem a Johanne enarrari miraculum iudicabant, immo multo maius quoddam et Christo dignius. Hisce adstipulatus est Nonnus, idque non temere, sed data opera et diligenter. Primum consulto dictionem Evangelistae brevem et abruptam, servat, versibus vere Nonnianis rem exponens (80)

*καὶ μιν ἐλεῖν μενέαινον ἐς ὀλκάδα, καὶ μέσον ἄλμης  
ἦν τότε, καὶ πέλεν ὄρμος, ἐπεὶ θεοδινεὶ παλμῶ,  
οἷα νόος πτερόεις ἀνέμων δίχα νόσφιν ἐρετμῶν  
τηλεπόροις λιμένεσσιν ὀμίλειεν αὐτομάτη νηῦς.*

sonum est Deucalionem memorare (D. 6. 367): *καὶ τότε Δευκαλίων, περὶ ὧν ὑψούμενον ὕδωρ, ναυτίλος ἦν ἀκίχης ἔχων πλοῖον ἠερόφοιτον, καὶ στόλος αὐτοκέλευθος, ἄτερ ποδῶς ἄμμορος ὄρμου*. Res enim est diveisa, sed verba huc faciunt, quoniam comparari potest Par. VI. 82 *ἀνέμων δίχα νόσφιν ἐρετμῶν*.

1) Quanto gravius simplex illud „*ἐγὼ εἰμι*” (Joh. vs. 20). Adjectivum autem *ταχύγουνος*, quod hodierno lectori fere risum movet, prorsus cum arte Nonni convenit. Comparari (et opponi) possunt ea quae leguntur D. 2. 55.

Dionysiaca legere, haec legens, tibi videris. Neptuno convenit *παλμὸς* iste *θεοδινής*, Dionysi memoriam revocat hic Christus <sup>1)</sup>. Attamen ipsa Dionysi vita, quamvis miraculis abundans, nihil poetae praebat cui apte hoc Christi miraculum opponeret. Nec vero in antiqua Graecorum mythologia id quaerebat. Hic aperte, ni fallor, poetam Panopolitanum depredimus patriae suae numina oppugnantem. Olim cum in Dionysiacis suis antiquum deorum pantheon laudibus efferret, Sarapidem ita celebraverat ut a summo universoque Lucis numine, quod Herculis-Astrochitonis nomine salutare amabat, ne minimum quidem differre videretur (D. 40. 369). Jam respuit veterem superstitionem, removitque se ab eo deo cuius Sarapeum nuper dirutum jacebat. Nec tamen ignorat, quantum et olim et etiam nunc valeat apud patriae suae cives numinis Aegyptii auctoritas. Deos Pelagios — Isidem Osirique — summa veneratione nautae et navigatores adorant. Cantatur in Orphicis *Ισις οἶδμα καθιππεύοισα*; Sarapis autem, quis non Alexandrinus recordabatur, quam mire olim, *θεοδινεί παλμῶ*, navem qua simulacrum eius Alexandriam deportaretur intra spatium bidui trans mare transmisisset <sup>2)</sup>. Nonne videtur Nonnus tota sua narratione haec cum Christi miraculo componens tamquam alta voce clamare: „Ecce quod amplius est quam Sarapis!” Incitabat autem ad eiusmodi comparisonem ipsum hoc poetam, quod cum Iside Mariam conferre ut cum Horo Christum etiam tum doctorum theologorum nonnulli consueverant, et necesse habebat neophytus palam civibus ostendere suis, deum illum quem recenti fide colebat, miraculosa quoque potestate mirum quantum dis antiquis praestare.

### 3. *Caecigenus a Jesu sanatur* (Joh. cap. 9).

Si caput de Lazari resurrectione agens excipimus vix ullo paraphraseos capite Nonnus magis indulget verbositati atque

1) Dionysum praedonibus D. libro 45 illudentem cogito, praesertim 45. 137 *μηκεδανοὶ δὲ καλῶες ἐχιδναῖοι πέλον ὕλκοι*. (cf. quoque 44. 241).

2) Tac. *hist.* IV. 81 sqq., praecipue haecce: „Miram inde dictu tertio die tantum maris emensi Alexandriam appelluntur”. — Digna sunt, quae cum hisce componantur verba militis quae referuntur in Roscheri Lexico IV. 358: *εὐχαριστῶ τῷ κυρίῳ Σεράπιδι ὅτι μου κινδυνεύσαντος εἰς θάλασσα ἕσωσε εὐθέως*.

dialogorum prolixitati quam in narratione de caecigeno. Nihilominus necesse est exordium saltem capitis ad verbum referri.

Παραστείχων δὲ κελεύθου

ἤμενον ἄνδρα νόησε, τὸν ἐκ κόλποιο τεκούσης  
 τυφλὸν ἔτι σπαίροντα λεχωῖδες ἔδρακον ὄραι,  
 ὅστις ἔην περίφοιτος, ἀφωτίστοιο προσώπου  
 συμφερτὴν ἀμέριστον ἔχων ἀχάρακτον ὄπωπῆν,  
 ἦν φύσις οὐκ ἐτύπωσε· λιποβλεφάροιο δὲ κύκλου  
 οἰδαλέον ξένου δμμα γενεθλιάς εἶχεν ὀμίχλη <sup>1)</sup>

Ipsa autem dictionis verbosa abundantia habet quod nos detineat. Primum ad quem attendas dignus est versus 3. Supra vidimus in Aeone depingendo Nonnum magis quam soleat in ceteris, antiquae mythologiae morem secutum fuisse. Simile quid in Horis observari potest. Ad veteres Ithyias fere accedunt nostro versu *λεχωῖδες ὄραι*. Hora qua febris aegrotum vexare coepit, simili genere dicendi XII. 16 indicatur: *πυρώπιδες ὄραι*, id quod in memoriam revocat Sirii ardorem (D. 5. 221: *λοίγιον εὐνήσαντι πυρώπιδος ἀστέρα μαίρης*). Conveniunt illa cum antiqua mythologia; opponuntur autem consulto bacchicae superstitioni — Bassaridum enim memorantur D. 46. 158 *χορίτιδες ὄραι* — verba quibus IV. 204 Johanneum illud (4. 45) *ἐν τῇ ἑορτῇ* reddit:

ιεῖς ὅτε κῶμον ἑορτῆς

μητέρες εὐσεβίης θιασώδεις ἤγαγον ὄραι.

Sed haec obiter. Multo magis digna est ad quam, non animi delectandi causa, sed ad ipsius poetae mentem cognoscendam attendamus, pericope quae primis hisce versibus subjecta est. Longum est totum locum exscribere, sed quisquis attenter perlegerit verba quibus poeta miseri hominis caecitatem describit, procul dubio concedet, nihil intemptatum reliquisse Nonnum, ut apertissime indicaret hominem caecigenum fuisse, oculisque prorsus orbatum. Accedit autem, quod diligentissime hic dictione utitur, quae mundi creationem, veterum cosmologiam quam dicunt, in memoriam revocant: oculi massa conturbata *συμφερτῇ* dicitur vs. 5, quo adjectivo mare illud tur-

1) Vs. 72 poeta eam caecitatem *ἀλαπὸν ὀμίχλην* dicit, quibuscum cf. D. 25. 282 *κάμμορος ἀχλυέσσαν ἔχων ἀλαπὸν ὀμίχλην*.

bidum et indivisum indicatur, quod Beroë arte sua texuerat (D. 41. 297):

*οὐρανὸν ἐσφαίρωσε τύπῳ κεχαραγμένον ἄστρον,  
συμφερτὴν δὲ θάλασσαν,*

et ἀμέριστος hominis erat ὀπωπή. Novimus adjectivum alio sensu adhibi tum in proemii versu quarto; nunc vero eam vim obtinet qua Neoplatonici ac Philo primam illam confusam et indivisam rerum congeriem, τὴν ἀμέριστον οὐσίαν, significaverant. Eiusdem generis verbum est τυποῦν (vs. 6) quod de natura rerum formatrice haud semel legitur in Dionysiis, optime autem illustratur verbis hymni Orphici XXXIV, ubi ad Panem-Apollinem haec dicuntur:

*παντὸς ἔχεις κόσμοιο σφρηγίδα τυπῶτιν.*

Certum quoddam in hac singulari dicendi ratione consilium secutus est poeta, in ceteris theologiae christianae dubia solvere vix cupiens. Ita, ut uno exemplo defungar: quod attinet ad illud quod anxii quaerunt discipuli (Joh. vs. 2): ἠραββί, τίς ἡμαρτεν, οὗτος ἢ οἱ γονεῖς αὐτοῦ, ἵνα τυφλὸς γεννηθῆ᾽ operam non dedit, ut molestum illud ἴνα, quod ipse vertit εἰσόκε, interpretatione explanaret, memorabile autem est quod illud „quis peccavit?” ita reddit (vs. 12):

*οὗτος ἀλιτραίνων θεὸν ἢ καχεν, ἢ ἐ τοκῆς;*

Ceterum fert huius poeseos proclivitas in dialogos ut longiore multo sermone Jesus cum discipulis, et homo qui caecus fuerat cum pharisaeis disserant, quam Johannis narrandi generi convenit; idem valet de sermone quem cum muliere Samaritana habet Dominus. Haec itaque praetermittens unice attendo ad Johannis verba vs. 5 (ἦταν ἐν τῷ κόσμῳ ᾧ, Φῶς εἰμι τοῦ κόσμου) quoniam uno vocabulo addito vs. 23 tanquam digito monstrat Nonnus, quatenus totius miraculi fuerit vis ac ratio:

*εἰμὶ δὲ κόσμου*

*Φέγγος ἐγὼ ζοφθέντος, ἕως ἔτι κόσμον ὀδεύω.*

Sed sanationis enarratio denuo est exscribenda:

25 εἶπεν ἄναξ καὶ θεῖον ὑπὸ στόμα διψάδι γαίῃ  
λυσίπονον, πάλλευκον ἀπέπτυνεν ἄφρον ὀδοντων.  
καὶ χθονίῳ κενεῶν πεφυρμένον ἄφρον ἐλίσσω  
πτύσματι πηλὸν ἔτευξε Φαεσφόρον· ἰκμαλέον δὲ  
ἄνδρὸς ἐπιχρίσας λιποφεγγεῖ πηλὸν ὀπωπή

- 30 ἀνέρος ἔπλασεν ὄμμα, τὸ μὴ φύσις εὔρεν ὀπάσσαι,  
 ἀνέρος ἔπλασεν ὄμμα, καὶ ἀγλήνοιο προσώπου  
 γράφας δίπτυχα κύκλα μέσσην ἐχάραξεν ὀπωπὴν,  
 ὀφθαλμοὺς τελέων νεοτευχέας ἠθάδι πηλῶ  
 ἐκ χροῶς ἀνδρογόνοιο.

Ex fonte perenni Dionysiacorum pleraque haec hausta; Nonniana prae ceteris λιποΦεγγής, λιποβλέΦαρος, et plus quam semel in priore poemate ἀΦρός ὀδόντων memoratur <sup>1)</sup>). Luxuries quaedam est imitandi, opponendi, alludendi a qua tamen non omnis abest dicendi gravitas. Strenue enim studet poeta ut hoc omnium oculis proponit: prorsus novum oculum a Christo esse creatum, ἀγλήνου ὀμματος et tumidi pallentisque pupilli loco.

Nec obscurum videtur quid ad tantam curam Nonnum adduxerit. Virum Panopolitanum, incolam eius terrae quae ab antiquis inde temporibus oculorum medicina inclaruit, hoc praesertim studuisse ut ὀφθαλμιατρίας quoque gloria Dominum suum ornaret, nemo mirabitur; nam huic arti praeter cetera deorum numina patroni extabant Aegyptiorum dei. Isis quam saepe caecis hominibus opitulata esset omnes noverant <sup>2)</sup>) sed Sarapide frequentius nullus deus in caecitate auxilii causa adibatur. Ea aetate qua paraphrasin suam Nonnus scripsit fortasse iam ea sorte obrutus erat deus magnus Ptolemaeorum, quam (post eventum) vaticinata est Sibylla (V. 487 Rz.):

καὶ σὺ Σάραπι λίθους ἀργούς ἐπικείμενε πολλοὺς  
 κείσῃ πτῶμα μέγιστον ἐν Αἰγύπτῳ τριταλαίνῃ,  
 ὄσσοις δ' Αἰγύπτου πόθος ἤγαγεν ἐς σέ γ' ἅπαντες  
 κλαύσουσθαί σε κακῶς, νοῦν δ' ἄΦθιτον ἐν Φρεσὶ θέντες  
 γνώσουσθαί σε τὸ μηδεν ὅσοι θεὸν ἐξύμνησαν.

Scribere haec potuerat Nonnus, quamquam versibus numerosioribus et graecitatis maiore elegantia. Nam ne ipsius quidem diebus emortua erat pristina Sarapidis auctoritas. Haerebat in hominum mentibus memoria Demetrii sanati <sup>3)</sup>) Noverant omnes

1) Incertus haereo, num alluserit quoque poeta ad D. 13. 179.

2) Cf. Drexler apud Roseh. II. 521 sqq.

3) Diog. Laert. V. 76: λέγεται δ' ἀποβαλόντα αὐτὸν τὰς ὕψεις ἐν Ἀλεξανδρείᾳ κομίσασθαι αὐτὸς παρὰ τοῦ Σαράπιδος ὕβεν καὶ τοὺς παιᾶνας ποιῆσαι τοὺς μέγιστους ἄδομένους.

id quod Tacitus (*Hist.* IV. 81) de Vespasiano tradidit: „Ex plebe quidam Alexandrina oculorum tabe notus genua eius advolvitur monitu Serapidis dei, quem dedita superstitionibus gens ante alios colit, precabaturque principem ut genas et oculorum orbis dignaretur respargere oris excremento”. — Meministis cetera: haesitat imperator, medicos consulit, at illi „varie disserere; huic non exesam vim luminis et redituram si pellerentur obstantia”. — Tum Vespasianus precibus hominis caeci obtemperans miraculum sanationis perficit.

Videsne quanto magis polleat potestas τοῦ λόγου υἱοῦ? Novos oculos fingit, non solum pellit quae lumini obstant.

Sed addendum etiam nunc erat aliquid. Novi formantur oculi, verum formantur ex iisdem elementis, ex quibus olim hominem Creator effinxerat. Praeclarum symbolum τῆς παλιγγενεσίας! Quod non necesse est subtiliter ex poetae verbis exquiri: diserte enim ipse id indicavit, vs. 27: καὶ χθονίῳ κενεῶνι πεφυρμένον ἀφρόν ἐλίτσων. Non possum igitur satis mirari, fuisse qui in vocabulo κενεῶνι offendentes, κονιῶνι (vocabulum prorsus incognitum) proponerent. Nominis κενεῶνος notio variat apud Nonnum. Joh. 20. 8 (XX. 34) „λιθογλυφέος κενεῶνος” antrum sepulchrale indicat!); paulo obscurius, saltem exquisitius, cap. XIII. 51. dicitur „ἀβάτοιο τεμεῖν κενεῶνα κελεύθου”. Sed nostrum locum rectius compones cum cap. I. vs. 211. Ibi memorantur caeli ἀθήητοι κενεῶνες, profundi caelorum recessus. Quibus hic opponuntur χθόνιοι κενεῶνες, telluris profunditas quam longe aliter fertilitate donaverat Bacchus in Dionysiis (31. 4):

οἰνοτόκους ἐμέθυσσεν ὄλης κενεῶνας ἀρούρης.

Eodem pertinent vs. 34 „ἠθάδι πηλῶ” et „χρὸς ἀνδρογόνοιο. Quorum utrumque terrae caenum ex quo Adam formatus erat indicat. Hic simul cum sacra veteris testamenti traditione mythologiam Graecam respicere potuit. Non enim differunt inter se Adam quem Deus ἐπλασεν χοῦν ἀπὸ γῆς atque homo quem Prometheus finxit. Eadem autem sunt natalicia Gigantum, quos Pelaginos docte Callimachus dixerat in hymno ad Jovem, ad quorum historiam multa vestigia in paraphrasi attentum lectorem reducant. Ecce versus ex Dionysiis (41. 51)

1) II. 28 λαίνεφ κενεῶνι, IV. 28 πεδοσκαφέων κενεῶνων de puteis.



ἐνθάδε Φῶτες ἔναιον ὀμήλικες ἠριγενεῖς  
 οὓς Φύσις αὐτογένεθλος ἀνυμφεύτω τινὶ θεσμῷ  
 ἤροσε νόσφι γάμων, ἀπάτωρ ἀλόχευτος ἀμῆτωρ,  
 ὁππότε συμμιγέων ἀτόμων τετράζυγι δεσμῷ  
 ὕδατι καὶ πυρόεντι πεφυρμένον ἕρος ἀτμῷ  
 σύζυγα μορφώσασα σοφὸν τόκον ἄσπορος ἰλὺς  
 ἔμπνοον ἐψύχωσε γονὴν ἐγκύμονι πηλῷ,  
 οἷς Φύσις εἶδος ὅπασσε τελεσφῆρον.

Prometheus ὁ πηλοπλάθος in Dionysiacis locum non inveniat, necdum „novum Promethea” Nonnus Christum nuncupavit. Sed Naturae genetrici, quam antiquae laudaverant fabulae, Christum Generatorem opponit.

#### 4. Lazarus ex Orco revocatus (Joh. 11).

Generator ille Christus, dominus τῆς παλιγγενεσίας, iterum lectoribus paraphraseos ante oculos proponitur in enarranda Lazari resurrectione. Ut par erat, in hac evangelii parte, qua praesertim via ad crucem Salvatorem deducens praemonstrari ab Evangelista videbatur, summam operi suo Nonnus curam navavit. Totum locum tractare inutile est; quaedam singula praemittam.

Primis versibus quibus Lazarus aegrotans (ἀδρανέων χλοερῷ πυρὶ) describitur, oriundus is esse dicitur αἰδομένης ἀπὸ κόμης Μάρθης καὶ Μαρίης. Non temere additum hoc participium est, quale videri possit θεουδῆς ἀρούρα, de altero Bethania pago dictum I. 100, vel κλυτὸν οὐδας de Judaea XI. 26. Animum poetae moverat Maria Magdalena, quae Domini pedes unxerat νάρδω πιστικῆ; bis enim pietatis mulieris mentionem facit, tam hoc capite undecimo quam sequenti. Cum igitur αἰδομένην patriam eius dicit, respexit id quod legitur apud Matthaeum (26. 14) „ὁπου ἂν κηρυχθῆ τὸ εὐαγγέλιον τοῦτο ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ λαληθήσεται καὶ ὁ ἐποίησεν αὕτη”. Et ipse laudem illam Magdalenae exorditur, quandoquidem nomine quod proxime ad θεητόκον accedit, apud eum audit Χριστοῦ καλλιέθειρα θεηδόκος <sup>1)</sup>.

1) Addidit mulieris imagini in nostro capite datae ea quae tradiderat Marcus 7. 38: καὶ στήσα παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ ὀπίσω κλαίουσα ἤρξατο βρέχειν τοὺς

Sed alia quoque est in hoc capite amplificatio evangelii quam miratus causam tantae verbositatis iure quaeras. Leguntur in evangelio versu 19 haec verba: „καὶ πολλοὶ ἐκ τῶν Ἰουδαίων ἐληλύθεισαν πρὸς τὰς περὶ Μάρθαν καὶ Μαριάμ, ἵνα παραμυθῆσονται αὐτάς”. Haud paucis verbis opus est Nonno ut ea reddat: audite modo (XI. 84)

καὶ πολὺς ἔρπων  
 λάος Ἰουδαίων ὑπεδύσατο γείτονα κώμην.  
 κεῖθι Φιλοξείνιο μετήιε δώματα Μάρθης  
 καὶ Μαρίας, γνωτοῖο κατευναστήρια πότμου  
 ξυνὰ παρηγορέων, τάπερ ἠθάδι πολλάκι μύθῳ  
 Φρικτὰ πεπαινομένης ἀπεσείσατο κέντρα μερίμνης,  
 πένθεος ἀγρύπνοιο λυτήρια.

Longior haec est digressio et magis sedula cura eam composuit poeta, quam ut aut loquacitati merae eam tribuas aut studio rem dramatica quadam arte exornandi. Saepe hoc accidit perlegentibus paraphrasin ut cognitum quoddam iter perambulare nobis videamur: itque reditque quod saepius adspeximus, familiariores resonant voces. Non tamen semper tam facile deprehendas imitationem quam hoc loco, nec saepe tam impense, primo saltem obtutu, miratus rogaveris, quid ad eiusmodi rationem semet imitandi poetam adducere potuerit. Ecce pericope, quam hic Nonnus imitatione aemulatus est. Depingitur in duodecimo Dionysiacorum libro Bacchus deus mortuum suum Ampelum maerens. Ad quem Atropus, rediturum ad vitam adolescentulum (quamvis alia novaque forma) pollicita, haec ait D. 12. 142:

ζῶει τοι Διόνυσε, τέος νέος, οὐδὲ περήσει  
 πικρὸν ὕδωρ Αχέροντος.

Nondum vestigia imitationis agnoscimus. Sed pergamus in perlegenda historia Ampeli sub vitis forma reviviscentis. Jam „largo pubescit vinea fetu”, iam fit vindemia, iam fruuntur homines Ampeli dono, iamque surgit poetae narratio in hymni formam (D. 12. 268):

---

*πόδας αὐτοῦ δάκρυσι*, nam eorum memor Nonnus verba Johannis 11. 32 „ἔπεσεν αὐτοῦ εἰς τοὺς πόδας” ita amplioribus reddit: „μυρομένη δὲ ἰκμάδι πενθαλέῃ ζαθέους ἐδίδνατο ταρσοῦς (XI. 114).

ἀνὴρ πένθος ἔχων, ὅτε γεύσεται ἠδέος οἴνου,  
στυγνὸν ἀεξομένης ἀπεσείσατο ὄγκον ἀνίης.

Haec sunt quae praesertim in poetae mentem recurrebant. Comparantur utraeque consolationes vanae: nihil magis valet ad maestitiam vere levandam Ampeli donum quam Judaeorum sermo ξυνὰ παρηγορέων. At quantum distat Ampeli resurrectio α Lazaro.

Nolo haec ulterius persequi, ne abundantia exemplorum lectorem obruam <sup>1)</sup>. Propero ad id quod rei caput et summa est. In qua re enarranda poeta Evangelistam sequitur ita fideliter, ut tamen haud pauca de se addat. Nihil tam animum eius commovit quam ipsa Lazari redeuntis imago. Putaveris fere hic Nonnum enarrare quae non solum in sacra scriptura legisset sed sive sculptoris arte sive pictoris vidisset oculis proposita. Dixerat Johannes vs. 44: „δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις, καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίφ περιεδέδετο”. Jam antequam ad sepulcrum perventum erat de hac mortui specie Jesus apud Nonnum coram discipulis mentionem fecerat. Verbis enim, quibus utitur Dominus apud Johannem (vs. 42) „ἵνα πιστεύσωσιν ὅτι σύ με ἀπέστειλας”, addidit poeta (vs. 154):

ἔσαθρήσαντες ὀπωπαῖς  
νεκρὸν ἀελλήεντα διαστείχοντα βερέθρου,  
ἰλλόμενον δεσμοῖσι καὶ οὐ πίπτοντα κόνιῃ,

1) Pauca tamen in calce paginae sunt adnotanda. Inprimis attendendum est ad Johannis verba vs. 33 ἐνεβριμήσατο τῷ πνεύματι καὶ ἐτάραξεν ἑαυτὸν. Supra (p. 245) iam vidimus tam hic quam 13. 21 (ἐταράχθη τῷ πνεύματι = Nonn XIII. 94: πνεύματος οὐρανοῦ δεδονημένος ἔμφρονι παλμῷ) poetam non evangelistae mentem sed suam secutum verba evangelii interpretatum esse. Neque recedit ab hac de spiritu sancto opinione dum reddit Joh. 11. 33. Etenim prorsus neglexit totum illud ἐνεβριμήσατο, quod inde ab antiquissimis temporibus tantas interpretibus paraverat molestias, et cum vs. 38 redit eadem apud Johannem locutio (ἐμβριμώμενος ἐν ἑαυτῷ ἔρχεται ἐπὶ τὸ μνημεῖον) verbi ipsius vim aliquantum debilitat, nam verbi loco adverbium adhibet (vs. 131): ἐπειγομένω δὲ πεδίλω ἀχρῦμένος βριμηδὸν ἀπὸ φρενὸς οἶκτον ἀνέλκων Ἰησοῦς πεφόρητο καὶ ἦγεν ἐγγύθι τύμβου. Ergo „tamquam succensens” — quoniam affectu homine quam deo digniore commotus erat — Jesus a poeta depingitur. Misericordia enim effecerat ut fleret (vs. 123 ὄμμασιν ἀκλαύτοισιν ἀηθέα δάκρυα λείβων, ut Bacchus Hyacinthi mortem deflens D. 3. 161). Nunc vero vi quadam eripit se affectui humano ut dei vice functas consummet miraculum.

atque id ipsum quo aucta ei videtur totius rei vis miraculosa iterum expressis memorat verbis vs. 167

καὶ ποδὸς ὀρθωθέντος ἀκαμπέα γούνατα σύρων <sup>1)</sup>

Id vero praesertim animum eius movet, quod homo mortuus, facie obvoluta, certus tamen progreditur (vs. 168 τυφλὴν ἰθυκέλευθον ἔχων ἀντάπιον ὀρμήν), quodque cruribus colligatis ire non prohibetur (160: καὶ ἔτρεχε νεκρὸς ὀδίτης στείχων αὐτοκέλευθος ὁμοπλέκτω χθόνα ταρσῶ). Cum enim Johannes simplicioribus verbis usus dixisset: „καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθηγκὼς δεδεμένος τοὺς πόδας καὶ τὰς χεῖρας κειρίαις καὶ ἡ ὄψις αὐτοῦ σουδαρίῳ περιεδέδετο“, Nonnus Lazarum κειρίαις totum implicatum et illigatum fuisse fingit (vs. 170)

ἐκ ποδὸς ἄχρι καρῆνου

σφιγγόμενον πλεκτῆσιν ὄλον δέμας ἔσχε κειρίαις.

Videt itaque Lazari demortui corpus compositum secundum Aegyptiorum mores, quos iam memorat Herodotus II. 86: κατελίσσουσι πᾶν αὐτοῦ τὸ σῶμα σίνδονος βυσσίνης τελαμῶσι κατατετμημένοισι.

Haec vero fortuita non sunt. Saepius redit in hac quoque parte operis Nonniani memoria rerum Aegyptiacarum. Non ausim idcirco vestigia in eius narratione quaerere doctrinae cuiusdam mysticae de animi post mortem sorte futura, quales propriae sunt cultui Isidis atque Osiridis <sup>2)</sup>; sed vulgabantur in patria Nonni mirae narrationes de hominibus mortuis divina arte ad vitam revocatis. Ridet Lucianus in Philopseude magos in mari deambulantes resuscitantesque mortuos homines. At non ridet eam artem Apuleius cum *Met.* II. 28 sacerdotis Aegyptiaci cuiusdam, quem Zatchlan nominasse videtur, artem mirificam exponit: „Propheta sic propitiatus herbulam quampiam ob os corporis et aliam pectori eius imponit, tunc orientem obversus incrementa solis augusti imprecatus <sup>3)</sup> venerabilis scaenae

1) Verba ipsa quibus haec describuntur ex Dionysiis pleraque sumpta sunt. Sic Volcanus 2. 225 ἀπειθέα γούνατα σύρων (vide quoque 2. 59, et cf. cum vs. 154. 184. 185 D. 44, 260; 3, 119).

2) Propterea componere vereor Lazarum cum Adonide (quem eundem esse atque Osiria nonnulli contendebant, cf. Lucian. de dea Syria c. 7). Nunquam enim in Dionysiis memoratur Adonis ex morte ad vitam resuscitatus, id quod tamen in culta Alexandrino celebratum esse tantum non certum est, vid. Theocr. XV. 102.

3) Nonn. vs. 148 ἄναξ δ' ἀντάπιος ἕστρων ὀφθαλμοὺς ἀνάειρεν.

facie studia praesentium ad miraculum tantum certatim arrexit". Et plura exempla ex Aegypto afferri poterunt, sed inutile hoc est, quandoquidem Nonnus non certam quandam miraculi memoriam respexisse videtur, verum id universe egisse putandus est, ut clara luce proponeret Lazari imaginem, omnibus eis miraculis quae in religione Isidis atque Osiridis celebrabantur longe anteferendam. Osirinne an Dionysum eum deum dicas nihil refert. Jam in Dionysiatis utriusque dei numina uno nomine complexus erat (4. 270)

καὶ Αἰγυπτίου Διονύσου

εἷα Φοιτητῆρος Ὀσίριδος ὄργια Φαίνων,

nam inter Dionysum-Zagrea atque Osirin-Sarapidem discrimen non admittit. Sed suo more in Christi potestate divina celebranda tamquam digito monstrat quantum cedant veris novi dei miraculis fabulae antiquae. Huc pertinet quod tam saepe nova narrat versibus antiquis. Quis enim credat dicendi inopia quadam factum esse ut versu 164 de Lazaro diceret:

ἀθρήσας μετὰ τέρμα βίου παλινάγρετον ἀρχήν,

fere iisdem verbis quibus de Zagreo usus erat D. 6. 175

τέρμα βίου Διόνυσος ἔχων παλινάγρετον ἀρχήν.

Res ipsa ferebat ut poeta, homo Graecus in Aegypto natus, et antequam fidei Christianae se addixisset religione aegyptiaca haud leviter imbutus, frequenter rebus moribusque patriae suae opponeret ea quae in historia sacra relata invenisset <sup>1)</sup>. Praesertim in narratione de Lazaro saepe hoc usu venit. Vox Domini, quae Lazaro vitam reddit (qua ἄπνοον ἐψύχωσε δέμας) versu 159 appellatur νεκυσοσός ἡχώ, quo epitheto in Dionysiatis Mene-Persephonea, numen sexcentis ornatum nominibus,

1) Instar multorum exemplorum sit Joh. 16. 2: „ἀλλ' ἔρχεται ὥρα, ἵνα πᾶς ὁ ἀποκτείνας ὑμᾶς δόξῃ λατρείαν προσφέρειν τῷ θεῷ". Nomini λατρεῖα Nonnus notionem *cultus* tribuit, tum verba evangelii augeat his versibus:

ἄνδρα θυπολέον βοῆς μίμημα γενέθλης,

ισάζων τυέεσσι βοῶν φισήνορα λοιβήν.

Graecos ritus hic respici nemo putabit; Aegyptiorum mores perstringuntur quorum exemplum praebet id quod memorat Cassius Dio. 71. 4, Romanum centurionem cum comitibus sacrificatum, alterumque Plinius N. H. 26. 18: „cum in reges incidisset (sc. malum leprae) populis funebre, quippe in balneis solia temperabantur humano sanguine ad medicinam suam".

indicatur, qua dea nulla est Isidi similior <sup>1)</sup>. Et cum ita vocem Christi epitheto ornasset ex antiquorum deorum thesauris sumpto simul lectorem ipsis verbis suis ad pristini Orci confinia duxit. Non solet Nonnus ita antiquis deis partes dare in paraphrasi ut nunc fecit. Audite poetam, Johannis illud „καὶ ἐξῆλθεν ὁ τεθνεώσ” versibus suis interpretantem (XI. 162)

καὶ ἐν Φθιμένοισιν ἀκούσας  
 ἐξ Ἄϊδος νόστησε Φυγὰς νέκυς ὄψιμον ἄλλην  
 ἀθήσας μετὰ τέρμα βίου παλινάγρετον ἀρχὴν  
 θαμβαλέην. Ἄϊδος δὲ μάτην παρὰ γείτονι Λήθῃ  
 πανδαμάτωρ ἀδάμαστον ἐδίξετο νεκρὸν ἀλήτην.

A solita enarrandi ratione quam sequitur Nonnus Christianus, haec tantopere discrepant, ut causam rei quaerere non absonum videatur. Quorsum igitur spectat mentio Lethes insuete hoc loco facta? Nonne veri simile est Nonnum memorem fuisse quanti momenti in Isidis Osiridisque mysteriis esset apud cives suos Aegyptios fluminis Orcini aqua ac janua Lethes? Prope Memphin erat notissima illa Lethes porta quam Plutarchus quoque memorat in libro de Iside (c. 29); quod autem Hades παρὰ γείτονι Λήθῃ Lazarum quaesiisse dicitur („in confinio mortis et limine Proserpinae” ad quod accessit Lucius in Apulei metamorphosesin XI. 23), id certo tribuere licebit poetae consilio. Frustra quaeritur mortuus ille in confinio Proserpinae ad Lethes portas: non igitur in promissis Aegyptiaci alicuius mysticismi spem posuerat, sed vocem audiit domini illius qui ipse de se professus erat (VI. 157)

ἀλλὰ μιν ἀχλυόεντος ἀναστήσοιμι βερέθρου  
 νόστιμον ἐκ νεκύων.

##### 5. De laternis in horto Gethsemane (Joh. 18).

Proprium est toti generi disquisitionis in quo versatur haec mea investigatio, quod vix unquam quidquam secundum leges artis mathematicae demonstrari potest: verisimilia congerendo, coniecturas faciendo, probabilia proferendo, quorum alterum altero nitatur, altero reiecto alterum labefactetur tota res, sat

1) Cf. D. 44. 204 cl. 196.

scio, continetur. Tamen omnia quae huc usque a me prolata sunt incitant me, ut in ultima ampliacione de qua agere in animo fuit eandem explicandi rationem sequar. Qua ampliacione non ullus locus magis Dionysiacorum memoriam servavit, aut melius poetae ipsius mentem consiliumque illustrare posse videtur.

Versatur igitur poeta in vertendo capite duodevicesimo. Intrat hortum Judas, postquam eo devenit Dominus cum discipulis: „ὁ οὖν Ἰούδας λαβὼν τὴν σπεῖραν καὶ ἐκ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν Φαρισαίων ὑπηρέτας ἔρχεται ἐκεῖ μετὰ Φανῶν καὶ λαμπάδων καὶ ὄπλων”. Ita Johannes versu tertio. At Nonnus — exscribere enim totum locum, quamvis verbosum, omnino necesse est — rei introitum describit hunc in modum (vs. 12 sq.):

καὶ στρατὸν ἀσπιστήρα δεδεγμένος ἀρχιερέων  
καὶ πολὺν οἰστρήεντα παρ' ἀρχεκάκων Φαρισαίων  
σύνδρομον ἄλλον ἔχων κορυνηφόρον ἐσμὸν ὀδίτην  
ἤλυθεν ἄλλοπρόσαλλος ἐς ἡθάδα κῆπον Ἰούδας  
τεύχεα καὶ λαμπτήρας ἔχων.

Hucusque versus Nonniani non multum habent, quibus refelli possit iudicium eorum qui contendunt merae et inani loquacitati poetam per totam hanc pericopen indulsisse. Quod Iudas ἄλλοπρόσαλλος vocatur, et hortus in quem *πολλάκις συνήχθη ὁ Ἰησοῦς μετὰ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ*, vocatur ἡθάς κῆπος Domini, vix nos detinebit<sup>1)</sup>. Neque adeo miratur, quisquis Nonnum bene novit, quod inter cohortem Romanam et ἐσμὸν illum ὀδίτην, turbam ministrorum tumultuariam, accuratius quam Johannes discrimen facere necesse habuit. Sed in tanta verborum abundantia tamen desideramus aliquid, simulac pervenimus ad illa *τεύχεα καὶ λαμπτήρας ἔχων*. Nempe *Φανούς καὶ λαμπάδας* Johannes memoraverat: *λαμπάδες* autem faces sunt, *λαμπτήρες* apud Nonnum. Sed *Φανοὶ* secundum usum tam Novi testamenti quam Nonni non faces sunt, ut apud antiquiores, verum *laternae*. Ad eas autem describendas vide quot versibus opus fuerit poetae:

1) Aptus est qui cum hoc loco conferatur D. 8. 116 de Apate „ἐνθα οἱ ἄλλοπρόσαλλος ὀρεστιάς ἤντητο δαίμων. — ἡθάς autem in Dionysiacis frequentissime occurrit; cum nostro loco comparari poterit D. 7. 162 ἐς ἡθάδα ναῖον Ἀθήνης.

καὶ δρόστολος ἀνὴρ  
 χερσὶ πολυσπερέεσσι μετάρσιον ἄλλος ἐπ' ἄλλω  
 λύχνων ἐνδομύχων ἀνεμοσκεπὲς ἄγγος ἀείρων,  
 ἄγγος, ὅπερ δονάκεσσιν ἀμοιβαίοισι συνάπτων  
 20 πυκνὰ μεριζομένοισι γέρων κυκλώσατο τέκτων  
 ἄσπερον μίμημα καὶ εἶκελον δξεί κόσμω,  
 μεσσοφανῆς ὅθι λύχνος δμοζυγέος διὰ κόλπου  
 δξὺ Φάος πολυωπὸν ὑπὸ σκέπας ἐκτόθι πέμπων  
 ἀκροφανῆς σελάγιζε πυλυσχιδὲς ἀλλόμενον πῦρ.

Frustra quaeras in tota paraphrasi pericopen quae magis quam decem hi versus Dionysiacorum artem redolet, ac dictione, verborum ordine sonituque, praecipue vero ipso comparationum genere, lectores magis ad carmen antiquum revocet. Quod ad nomina dictionemque attinet, necesse erit paucis exemplis rem illustrare, quamquam data opera fere singulae voces cum Dionysiacorum memoria conjungere quis poterit. Raptim locum percurram ut quaedam indicare possim. Comitatur igitur Judam conferta quaedam virorum multitudo (δρόστολος ἀνὴρ ἄλλος ἐπ' ἄλλω) qui ἄγγος — ita enim recte Tiedke mutavit quod est in codicibus ἄλλος — in quo lumen intus ardet, manibus tollunt, χερσὶ πολυσπερέεσσι. „Crebris, multis manibus” si hoc veritas, fortasse non integrum reddas poetae quod ei debetur. In Dionysiacis admodum frequens illud est adjectivum. D. 24, 226 Sileni cum Satyris commixti χερσὶ πολυσπερέεσσι μιῆς ἔψαυσαν ἐδωδῆς, D. 18. 252 mentio fit πολυσπερέων παλαμάων quibus rapax utitur Scylla, 13. 303 aptissime de formicarum pedibus idem dicitur. Et sic saepe variat usus adiectivi ab Homeri πολυσπερέων ἀνθρώπων (B 804) longius longiusque remotum. Hic vero si conferas D. 17, 14: ἰδὼν δέ μιν ἢ τάχα Φαίης Ἥελιον πυρόεντα πολυσπερέων μέσον ἄστρον, simulque D. 5. 113: πολυσπερέων δαΐδων, dabis mihi apte hoc adjectivo illustrari manuum sublatarum multitudinem variam, luce laternarum collustratam.

Versus eiusdem exitus numerose cadit secundum Dionysiacorum rationes. Ingens est copia exemplorum quacum conferri potest, veluti 28. 174 Φεραυγέα δαλὸν ἀείρων (cf. 4. 240. 6. 46, πυρόν, 4. 432, ὄπλον) vel potius propter imaginis similitudinem 6. 65 εὐκυκλον ἀείρας σφαῖραν ἐλισσομένην, τύπον αἰθέρος, εἰκόνα



κόσμου. Tum addam, in adjectivo ἐνδόμυχος Nonnum saepe notionem paululum mutare solitum, tamen semper eo adiectivo, quod in deliciis ei est, id indicasse quod intus est reconditum. Dionysos uterum Semeles percutit 8. 28 ἄλμασιν ἐνδομούχοις (cf. 25. 479 ἄσθμασιν ἐνδομούχοις) aptior autem ad quem referatur locus noster est D. 21. 331, ubi sol memoratur radiis suis in densum penetrans fruticetum: ἐνδομούχοις ἀκτῖσιν ὀμόπλοκα Φύλλα χαράξας.

Eximia cura deinde ipsa laterna describitur, in qua tamen descriptione interpretanda mirum quantum discrepant viri docti. Brevitati consulere mihi omnino necesse videtur; missis itaque at non neglectis ceterorum interpretationibus exponam tantummodo qua ratione versus illi mihi interpretandi esse videantur. Laternam fecerat arte sua operarius peritus — hoc enim significat γέρων: sufficiat conferre D. 24. 249 γέρων ἐρράψατο τέκτων vel 37. 109: γέρων τερνώσατο τέκτων — artifex igitur dignus qui compararetur cum eo qui 45. 191 σοφὸς τέκτων dicitur<sup>1)</sup>, circumdederat lucernam corbe quadam sive fiscella, texta ex juncorum schedis tenuissimis, quas schedas tamen non firmissime contexuerat, sed ita alteram alteri oblique superimposuerat, ut inter schedas transverse colligatas luci transitus patefieret. Argutius paulo et exquisitius quam in laterna satis simplici necesse videri posset haec duobus versibus exposuit poeta. In quibus verbum συνάπτειν nihil habet difficultatis, quoniam et proprio sensu sicut hic, et translate persaepe in Dionysiasticis notione colligandi occurrit. Sed dubitari poterit de adiectivo ἀμοιβαῖος; varia enim et mutabilis fuit semper eius adjectivi notio; quidquid vicissim, quidquid alternantibus vicibus fit, ἀμοιβαῖον dici poterit: dicuntur in Dionysiasticis ἀμοιβαῖοι pedes natantium, singultus qui se excipiunt alternantes, in paraphrasi quoque manus militum qui sua vice singuli Jesum dextris suis feriunt. Sed languet ἀμοιβαῖον nostro loco si *alternum* explices. Schedas transverse colligavit artifex, fecit itaque laborem haud dissimilem fabro illi quem Nonnus ipse affabre descripsit D. 36. 404:

1) Aliter D. 47. 37 γέρων ἐχόρευσεν ἀλωεύς.

ἴκρια δ' ἄλλος

ὀρθὰ περὶ σταμίνεσσιν ἀμοιβαίησιν ὕφαινων  
ὀλλκᾶδι τοῖχον ἔτευξεν, ἐπηγκενίδας δὲ συνάπτων  
μηκεδανὰς κατέπηξε.

Sed quaeri licebit, cuiusnam junci (*δόνακος*) fuerint schedae illae tenuissimae (*πύκνα μεριζομένοισι*); *δόναξ* enim harundinum calamorumque genera varia apud Nonnum indicant, canna quoque ita dicitur palustris, ut taceam de tibiis. Quoniam vero hoc genus calamorum ad usum quem hic adhibet faber paulo durior est et flexibilitate caret, subito rogare num forte papyri cortice usus sit artifex. Aptissima sane est papyrus, quae in lucerna tegenda idem opus praestat quam in laterna cornea laudat Martialis (XIV. 61):

Dux laterna viae clusis feror aurea flammis  
Et tuta est gremio parva lucerno meo<sup>1)</sup>.

Tam frequens ac varius usus papyri fuit in patria poetae, ut minime audaci videatur coniectura niti qui suspicetur mecum Nonnum cogitasse de laterna quadam papyracea. Sed quid attinebat tam verbose loqui idque loco, ut primo obtutu videtur, tam parum idoneo, de eiusmodi laterna? Responsum paratum habet poeta iis versibus qui statim sequuntur. Non enim *ὁ τυχῶν Φανός* est quem tam accurate descripsit. Caelum stellis fulgentibus ardens conspicere sibi videtur, qui harum laternarum multitudinem manibus ministrorum sublatam spectat. Etenim: „per cavitatem affabre compositam (*ὁμοζυγέος διὰ κόλπου*<sup>2)</sup> fulget in medio ardens lumen lucis splendorem emittens per munitum perforatum, clarum multifidumque flammae nitorem”. Quo fit ut revera efficiatur quod sibi proposuit artifex: laterna imitatur caeli stellati splendorem<sup>3)</sup>.

1) Occurrit in Anthologia Palatina (VI. 249) epigramma Antipatri Thessalonicensis: *λαμπάδα κηροχίτωνα, Κρόνου τυφίρεα λύχνον, σχοίνα καὶ λεπτή σφιγγομένην παπύρη*. Sed hoc non aptum est ad nostram laternam explicandam: non enim circumdat ibi papyrus ceram sed cera quasi tunica papyraceum myxum circumdat.

2) *ὁμοζυγής* quod idem adj. significat Homeri *νῆας ἕϊσας*, aequabilitatem operis indicat; *κόλπος* nonnumquam de cava caeli forma dicitur.

3) *εἰκελον ὀξέει κόσμῳ*, quamquam *ὀξέος πυρρός* recte ac frequenter a Nonno dicitur, nec minus saepe *ὀξέος* celeritatem indicat (*ὀξέει παλμῶ*), vix in nostrum locum quadrat. Jure igitur in hoc adjectivo offenditur Ludwig; sed quod ipse

Vix exhaurias abundantiam exemplorum quibus in Dionysiis Nonnus caeli luminumque caelestium magnificentiam celebravit. Zodiacus, septizonium, Planetarum Solisque viae, Lunae formae variatae semper animo eius obversantur. Heroum loricas clypeos paludamenta numquam non caeli imaginem solis splendorem, Lunae lucem argenteam referre poetae videntur; sed prae ceteris vestitus ille quo ornatur Hercules-Astrochiton, a Sarapide nihil differens, omnis reddit ἀστερόεν μίμημα, totus refert τύπον αἰθέρος, εἰκόνα κόσμου. Praesto itaque erat in laterna depingenda, si eam cum caelo comparare volebat, ingens copia exemplorum: imitationes singulis versibus agnoscit quicumque Dionysiaca cognita habet<sup>1)</sup>; equidem unum modo locum indicabo ex libro duodetricesimo (vs. 187) qui non tam vocabulorum quam totius imaginis similitudine quadam cum nostro convenit:

Καὶ Στερόπης κεκόρυστο σέλας μιμηλὸν ἐλίσσω,  
αἰθεραῖαι στεροπῆσι Φέρων ἀντίκτυπὸν αἴγλην,  
σβεστὸν ἔχων ἀμάρυγμα, τόπερ τέκεν Ἑσπερίη Φλόξ,  
σπέρμα πυρὸς Σικελοῖο καὶ αἴθοπος ἔσχαρᾶνος,  
καὶ νεφέλη σκέπας εἶχεν ὁμοῖον, ἐνδόμυχον δὲ  
κρύπτε καὶ ἄψ ἀνέφηνε σέλας.

Sed licet haec ostendant — quod demonstrari vix opus est — Nonnum semper proclivem fuisse in comparationes caeli splendorem revocantes, non ea sufficiunt ad explicandum, quid poetam adduxerit ut in capite de Gethsemane istiusmodi proclivitati indulgeret. Quaerenda tamen haec causa est, cum praesertim nusquam per totam paraphrasin ampliatio tam longa poeta evangelii textum auxerit. Et mihi quidem hac quoque in re certum consilium adhibitum esse a poeta videtur. In turba eorum,

---

proposuit αἴθοπι in litteris traditis nihil habet subsidii. Cum recorder quam varia notione poeta in Dionysiis adhibuerit vocabulum ἕξ (43. 344 ἐποχούμενος ἕξι ταύρον cf. 6. 293; 6. 271; 11. 151, 27. 133) ita ut non magis coxas quam latera ac tergum indicat, dubius rogo — collato versu D. 41. 176 — num forte poeta scripserit ἕξι κόσμου (quo sensu saepius ἄντυγι κόσμου, e. g. D. 36. 118; 38. 108), aetheris κόλπωμα et simul zodiacum significans.

1) Pauca sufficiunt. Sonorum similitudo in trito illo „ἀστερόεν μίμημα revocat D. 6. 203; 7. 312; 5. 604; 8. 187; 47. 609; ad πολύωπον ὑπὸ σκέπας cf. 3. 98; ad σελάγιζε 5. 488; 6. 233. Cum toto versu comparetur 30. 77: οὐρανὸθεν πυρῆεις ἠφαιστος δρούσας σύγγονον ἀμφελέλιξε πολυσχιδῆς ἀλλόμενον πῦρ (vide quoque 45. 337 et 34. 136).

qui μετὰ Φανῶν καὶ λαμπάδων Judam secuti ut Jesum deprehenderent, mox tamen Christo dicente „ἐγὼ εἰμι” omnes (vs. 46)

αὐτόματοι πίπτοντες ἐπεστόρνουντο κονίη, assignat poeta, et consulto assignat, locum hominibus qui lucernas portant caeli stellati imaginem clare reddentes. Ecce, ut olim in somnio Josephi ὁ ἥλιος καὶ ἡ σελήνη καὶ ἔνδεκα ἀστέρες προσεκύουν αὐτόν (Gen. 37. 9) ita poeta vidit λυχνοφόρους suos Jesum προσκυνοῦντας. Certas quosdam ergo laternas eum cogitasse probabile videtur, lucem suam humi demittentes cum cederent gloriae Domini, ipsa ea hora qua is ad extremam humilitatem dejectus esse videbatur. Quaeenam istae laternae? Iterum ad cultum Aegyptiacum res referenda videtur. Jam Herodotus II. 62 diem festum τῶν λυχνοκαϊῶν memorat, ubi λύχνια adhibentur quae sunt ἐμβάφια ἔμπλεα ἄλδς καὶ ἐλαίου, additque nocte festi accendi eiusmodi laternas per totam Aegyptum, causam vero illius caeremoniae contineri ἱερῶ quodam λόγῳ. Postea vero locum habent lucernae sacrae in vario deorum Aegyptiacorum cultu, Isis, Osiris, atque Sarapidis illius, qui Phanes est in Orphico hymno apud Macrobiū (I. 18. 22) pallio splendente indutus μίμημα περικλύτου Ἡελίοιο <sup>1</sup>). Ratio notioque eorum luminum, cum in cultu adhibentur, semper eadem erat, eaque nusquam apertius significatur quam in celeberrima Apulei descriptione (Met. XI. 9): „magnus praeterea sexus utriusque numerus lucernis taedis cereis et alio genere facium lumina siderum caelestium stirpem propitiantes” itemque capite insequenti: „quorum primus lucernam claro praemicantem porrigebat lumine, non adeo nostris illis consimilem quae vespertinas illuminant epulas, sed aureum cymbium, medio suo patore flammulam suscitans largiorem”.

Ceterorum quoque numinum Aegyptiacorum cultui lucernas minime defuisse notum est <sup>2</sup>). Inter quae maxime memorabile est quod refertur in inscriptione ex Talmi urbe, quam lacunis probabiliter expletis ita editam habemus apud Preisigkium

1) Cf. praecipue eius hymni vs. 6 δέρμα πολύστικτον θηρὸς κατὰ δεξιὸν ὄμων, ἕστρων δαιδαλέων μίμημα ἱεροῦ τε πόλοιο (cl. D. 15. 239).

2) Cf. Hibeppap. p. 149. 154. Oxyrrh. IV. 786. 91. p. 231; XI. 1380; XII. 1449.

(Sammelbuch p. 287 n<sup>o</sup>. 4126. vs. 10): *νεύων γὰρ κατέδειξάς μοι σεαυτὸν ἐν τῷ χρυσοδέτῳ σκάφει διαπερῶντα τὸν οὐράνιον πόλον*, quibus verbis invocatur Mandulis deus. Tandem conferri potest Josephus c. Ap. II. 112: „Zabidam vero fecisse quoddam machinamentum ligneum et in eo tres ordines finxisse lucernarum et ita ambulasse ut procul stantibus appareret quasi stellae per terram *τὴν πορείαν ποιουμένων*”.

Cognitumne fuerit Nonno, iam Philonem (quis rev. div. her. 216 sqq. Cohn II. 49) candelabrum septimum allegorice tamquam symbolum *τοῦ ἑπταζώνου οὐρανοῦ* accepisse, non facile quis dixerit. Si vero Philonem legit, longe tamen differt eius consilium a ratione Philonis. Hic allegoria sua laudes Dei caelestis spectat, at Nonnus, olim Dionysii Sarapidisque cultor aliud indicat. Cum lucernae, caeli stellas imitantes, humi demittuntur in horto Gethsemane, cedit gloriae Christi Sarapis ille *ποικίλον εἶμα φέρων τύπον αἰθέρος, εἰκόνα κόσμου*, et obscuratur splendor *τοῦ ἀστροχίτωνος* luce vera eius dei qui *ἐν ἀχλυόεντι δὲ κόσμῳ οὐρανίαις σελάγιζε βολαῖς γαιηόχως αἴγλη, καὶ ζόφος οὐ μιν ἔμαρψε*.

Haec sunt quae praecipue notanda mihi videbantur ut demonstrarem, non deesse in paraphrasi indicia, qua patria oriundus et quam superstitione reiecta Nonnus ad evangelium Johanneum interpretandum se adinverit. Quae si non vana et temere excogitata lectoribus meis videbuntur, opus molestum non frustra suscepisse mihi videbor.

Κάθαρσις τῶν παθημάτων

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



Libros qui nunc de literarum Graecarum historia scribuntur consulentes, ubi ad tragoediam perventum est, modo leniter et urbane modo imperiose et arroganter sed semper maxima cum gravitate admonemur ne hoc unquam ex animo nostro effluere patiamur tragoediam antiquam Atticam „toto caelo” distare ab omnibus tragoediis, quotquot postea apud alios populos vel scenae vel chartae sint commissae.

Quorsum ista tanta verborum vehementia et unde tam subito erupit?

E re quam neque ignorat quisquam neque unquam ignoravit qui quidem in literis antiquis non plane hospes esset.

Quem enim mortalium latuit olim vel nostra aetate ullo modo latere potest artissimo inter se vinculo esse iunctas rem scenicam Atheniensium et rem divinam atque tam tragoediam quam comoediam Atticam feriarum in dei honorem susceptarum fuisse partem?

Verum estne ea causa idonea cur aliquam tragoediam Aeschyli, Sophoclis, Euripidis legentes semper et ubique nobis rem istam notam, tritam, decantatam inculcemus?

Minime, minime vero. Ne tunc quidem facere id oporteret, si plane verum esset quod de immensa illa discrepantia clamant libri quos dixi.

At nunc simul et verum est et falsissimum.

Ad *originem* enim tragoediae tota ista discrepantia solam pertinet, ad naturam eius et indolem omnino non pertinet.

E dei cultu tragoedia nata est, hic eius fons est atque stirps sed procedente tempore suum sibi rivum habere coepit suumque truncum, suis sibi vigentem radicibus, ramis, foliis.

Certam habemus tragoediae notionem eamque unam et individuum quae distrahi nullo modo possit. Atque illam poetis Atticis acceptam referimus. Quodnam drama *tragoedia* sit appellanda et quod non, nulla est vel esse potest dubitatio. Neque in Aeschylum magis quam in quemvis vel recentissimarum tragoediarum scriptorem illa notio convenit.

At *origo* tragoediae Atticae quae fuerit quid prodest semper recordari?

Hoc volo: benene an male cohaereat aliqua Euripidis fabula, sintne eius personae ad vivum depictae, sintne animis nostris commovendis et vel amore et admiratione vel indignatione et odio implendis aptae an exangues sint umbrae hominesque qui risum potius quam misericordiam moveant, diiudicare non possumus nisi quavis pagina in promptu habeamus doctrinam illam de tragoedia Attica e cultu dei nata?

Num quisquam unquam in ulla tractanda tragoedia *ideo* gravem commisit errorem quod non in tempore meminerat tragoedia Attica unde nata esset? Inspicite mihi virorum doctorum, qui et olim in toto hoc genere principatum tenuerunt et nunc tenent et semper fortasse tenebunt, VALCKENAERIUM dico et PORSONUM, nihil eiusmodi invenietis. De coniecturis vero quibus critici singulos tragoediarum versus emendare sunt conati affirmare illud plane est inutile. An ulla unquam coniectura de aliquo vocabulo versuve mutando delendove *ob eam causam* iure condemnata est quod auctor eius aut ignoraret aut oblivisceretur tragoediam antiquo tempore caerimoniam fuisse in dei honorem susceptam?

Accedit res quam ludicram et iocosam dicerem nisi in tam gravi versarer argumento. Quae cuiusmodi sit iam exponam.

Aristoteles, magnus ille Aristoteles, fueritne satis subtili praeditus pulchri sensu et sitne hic quoque eius standum iudicio nunc certe disputare nolim, sed hoc nemo unquam negare poterit plures eum cognitas habuisse tragoedias Graecas quam nostrum quemquam. Immensa enim fuit eius in hac quoque universae philosophiae parte doctrina, eamque formula et de-

fnitione est complexus cuius ea pars quae intelligi potest non minus apte quadrat in flebilem illam Dumasii fabulam quam in Aeschylī ἐπὶ τῇ Θήβας. An non *Camelianae* nos MISERET *mulieris*, non de sorte eius sumus solliciti, non *metuimus* illi?

Sunt autem haec verba illa quae sola ex Aristotelica tragoediae definitione intelligi posse aio:

ἔστιν οὖν τραγωδία μίμησις πράξεως σπουδίας δι' ἐλέου καὶ φόβου περιένουσα...

Obiectum in praesentia omitto, non enim addere necesse est, quoniam ipsum illud περιένειν verbum satis dilucide significat tragoediam hic dici *ad finem quem sibi proposuerit* pervenire, quisquis ille esse dicatur.

Esto: ad finem quem sibi proposuerit tragoedia pervenire dicitur simulque *qua via* eo perveniat demonstratur. Ita enim illud διὰ accipiendum arbitror ut *via* potius qua ambulat tragoedia quam *instrumentum* quo utitur eo indicetur.

Iam plenam habemus tragoediae definitionem quae in omnes quotquot unquam actae scriptaeque sunt convenit tragoedias, et quam scripsit Aristoteles, de origine tragoediae Atticae plane securus. Neque de illa origine cogitabat cum cetera omnia addebat, quae sunt ipsis tenebris nocturnis obscuriora.

Ista enim καὶ τελείας, μέγεθος ἔχουσης ἡδυσμένῳ λόγῳ χωρὶς ἑκάστου τῶν εἰδῶν ἐν τοῖς μορίοις δρώντων καὶ οὐ δι' ἀπαγγελίας quis intelligit intelligetve?

Sed hanc quidem ignorationem aequo ferimus animo: ad externam enim tantummodo rei speciem pertinet. Illud vero torquet nos, exercet, quietem nobis denegat quod nobis hic paulo post tragoedia exhibetur δι' ἐλέου καὶ φόβου περιένουσα τὴν τῶν τοιοῦτων παθημάτων κάθαρσιν.

Ain verò? Num misericordia et metu nos iusta tragoedia purgat, ita ut posthac vitam degamus omnis expertes clementiae et humanitatis atque ferarum beluarum instar in ferrum flammisque irruamus? Praeclarum, hercle, eventum summae artis!

An ipsa nostra misericordia purgabitur *metusque noster*? Nam hoc quoque vocabula illa significare possunt. Sed quid istud est *misericiordiam purgare* alicuius? Nihil aliud hic excoGITARE possum quam hoc: efficere ne quis postea falsa, id est inconsiderata, tangatur misericordia. Utilissima profecto res!



Nam qui eam accepit iam non stipem porriget mendico lamentanti, qui mox eam in vappam sit conversurus, sed vere miseris et misericordia dignis nummos suos servabit. Sed estne tragoediae vel poetae tragici officium illud?

Et quid est *metum alicuius purgare*? Nihil, ut opinor, aliud ea significare vocabula possunt nisi: demere homini metum eorum quae sunt

nihilometuenda magis quam

quae pueri in somno metuunt finguntque futura eumque docere solam culpam esse metuendam vitandamque, omnia quae homini extrinsecus eveniant aequo esse ferenda animo. Nihil profecto praestantius fingi cogitarique potest. Non tamen qui se falsis terroribus dirisque imaginibus perturbari sentit, in cavea aliqua desidebit ut lacrimosa spectet poemata Pupi, Aeschylive pervolvat in suo umbraculo Agamemnonem sed ad Plutarchum aliquem curret eique morbum suum fatetur.

Quodsi tamen vel morbos tragoedia purgat, vel homines purgat morbis, non ad unum vel duo morborum genera illa ars pertinebit sed ad aliud alia tragoedia.

Sensit hoc ante paulo minus quadraginta annos vir quidam doctus in cervisiae patria atque ab hoc initio profectus, postquam diu rem ab omni parte consideravit totumque se ei dedit, tandem aliquando gloriabundus in lucem emisit libellum cuius titulo declarabat a se inventam clavem qua Aristotelicae *καθάρσεως* thesaurus aperiri posset.

Factum est quod erat exspectandum. Deridebatur vulgo vir doctus cum suo sibi libello inventoque. Nimirum erat homo parum notus, in aliquo Bavariae latebat angulo neque erat adscriptus „verorum doctorum” ordini, nullius erat Academiae extraneae socius, nullum dum in lucem ediderat spissum librum unde spissae essent ortae tenebrae. Ab eiusmodine homuncione subito repertum quod per duo plurave saecula frustra esset quaesitum a summorum regum clientibus?

Qui factum sit nunc non memini, sed vix dum prodierat libellus cum mihi in manus venit, sive ab eo qui scripserat mihi dono datus sive missus a bibliopola. Legi, relegi, probavi, immo vero plausi atque ex animi sententia gratulatus sum

inventori illi, tam mecum quam per epistulam. Et rem cum amicis communicavi.

Solebamus autem certis diebus convenire aliquot philologi amici qui ad viam habitabamus ferratam Amstelodamo Roterodamum ducentem. Edam nomina ut appareat omnes fuisse viros strenuos qui et tunc sedulo darent arti nostrae operam et postea daturi essent. Sequar aetatis ordinem:

*Van der Mey*, gymnasii Leidensis tunc rector cum *I. C. Vollgraffio* tunc eiusdem gymnasii prorectore, *van der Vliet* tunc Harlemensis, *van Aalst* Haganus, *Polak* Roterodamensis, *van Leeuwen* tunc Amstelodamensis, *Lehman de Lehnsfeld* Schiedamensis, *Garrer* Harlemensis, denique ego ipse.

His ego omnibus libellum tradidi et a Leeuwenio petii ut in proximo conventu de eo referret, quo ille tamquam sibi mandato officio diligentissime elegantissimeque, ut semper, functus est.

Si bene memini, assentiebamur omnes docto Bavarico, neque in Actis illius societatis, quae composui ipse et servavi, quemquam invenio tunc novo invento oblocutum.

Argumento enim inventor usus erat re nota quidem nobis omnibus sed cuius („turpiter” forsitam dixerit censor paulo morosior) hactenus immemores fueramus quotiescunque in loco illo Aristotelis non minus difficili quam noto haerebamus.

Sic enim ille ratiocinabatur: „adiectivi *τοιούτος* sensus aliquanto latius patet, liberiorque eius est usus quam primo aspectu videtur, ita ut *qualis* ea res sit, quam illo ornamus adiectivo, legentis fere permittatur iudicio prudentiaeque”. (Belgice ergo pro re nata in eo vertendo uti possis vocabulis qualia sunt *onderhavig, desbetreffend, aan de orde zijnde*) „E contextu quid illud *τοιούτον* sibi velit saepe est efficiendum, nam paulo negligentius significat id quod rei de qua agitur aliquo modo sit cognatum. Ergo nostro loco *παθήματα τοιαῦτα* non talia dicuntur qualia sunt *ἔλεος* et *Φέβος*, sed qualia sunt ea quae *in scena* proponuntur”.

Placebat nobis et tota disputatio et argumentum illud. Quid enim? Si spectamus hominem aliquo laborantem mentis vitio (puta: superbia, pertinacia, vindictae studio, invidia) nonne *miseriordia tangimur* videntes quam graves ille det poenas,

nonne *terremur* eius supplicio et nonne misericordia illa et metus nos vitio illo purgant, dum monent nos ut illud vitemus?

Et ad argumentum quod attinet recordabamur et alios multos locos optimorum auctorum ubi *τοιούτος* ita adhiberetur et festivissimum illum ex Anabasi ubi Xenophon, postquam taxiarchum refutavit qui monuerat ut Tissapherni se dederet Cyri occisi exercitus, haec fere addit (nam nunc Anabasis mihi prae manibus non est, sed locum illum norunt omnes):

*ἀλλὰ δοκεῖ μοι, ὦ ἄνδρες, ἀφελομένους τὸν ἄνθρωπον τὰ ὅπλα καὶ ἐπισάξαντας τὰ σκεύη ὡς τοιοῦτῳ χρῆσθαι.*

Poteratne disertius inveniri exemplum? Et poteratne Xenophon urbanius significare *iumentum*?

Huius ergo loci Xenophontei paucorumque ex Herodoto inventorem nostrum admonui. Nollem factum. Quid enim ille? Undique (paene cum Cobeto dixerim „ab Homero ad Eustathium”) locos corrasit ubi *τοιούτος* legeretur, etiam illos ubi nihil proprium et peculiare haberet illud adiectivum. Labet ipsa optimi viri afferre verba: habent enim aliquid quod non possit non risum movere lenem: „ich habe” ait „eine förmliche *τοιούτος*-Jagd veranstaltet”. Atque multas implevit tabulas locis quos ex omnibus poetis scriptoribusque Graecis excerpserat et sic, ut fieri solet, parum abfuit quin ipsam rem obrueret.

Tamen, nescio quomodo, cum apud doctorum, qui nunc in ea versantur disquisitione, aliquem in locum incido ubi verba illa Aristotelis tractantur vel obiter respiciuntur, in mentem mihi Bavarici venit inventi, cui iam obtemperare videntur omnes. Statuunt enim vitio aliquo mentis nos sanare tragoediam per misericordiam et metum.

Falsissime, ut equidem opiner. Non est, non est tragoediae neque omnino ullius est artis „saluti perpetuae” hominum „consulere”, multo magis „brevis” eorum consulit „voluptati”. Et est quaedam et eorum voluptas qui vehementius commoventur et lacrimas tenere non possunt. Neque Aristotelis est eo nomine artem tragicam laudare quod spectantes meliores felicioresque reddat. Describit tantummodo artem tragicam et *singulae* tragoediae, quae quidem eo nomine dignae sint, quam vim *in praesentia* habeant non quam postea per totam spectantium vitam *sint habiturae* exponit.

Sed accedunt alia certiora. Etiam in Politia Aristotelis (VIII, 6 et VIII, 7) ἡ κάθαρσις nominatur sed neque ullus ibi additur genitivus et semper *hominum* ibi illa est non earum rerum quae in mente hominum locum suum habent.

Hoc vero gravissimum quod viros doctos illos fallere videtur id, quod in colloquio illo nos fallebat, minime eadem esse πάθη et παθήματα. Illa revera sunt *vitia morbi que* mentis humanae, at haec *affectus*, quibus certo aliquo tempore *commoventur* homines. Similiter enim loco illo Politiae Aristoteles vocabulo quod est κίνησις utitur.

Quid ergo restat, si ne nova quidem illa adiectivi τοιοῦτος interpretatione quidquam proficimus? Nihil, ut opinor, aliud quam ut concedamus in luto nos haerere tenaci unde frustra plantam evellere studeamus. Luti enim similia sunt ista δι' ἐλέου καὶ φόβου περιζίνουσα τὴν τῶν τοιούτων παθημάτων κάθαρσιν non minus quam quae praecedunt. Sed non in Aristotele culpa est istius perturbationis verum in librariis. Et de ceteris quidem emendandis equidem despero, at, de quibus nunc agimus, verba nullo negotio purgari possunt eo emendandi genere quo multis iam locis insperata sed certa lux est allata et quo nunc Aristoteli redditur quod sit ab omni parte Aristotelicum nostroque proposito aptissimum.

Legamus enim: δι' ἐλέου καὶ φόβου καὶ τῶν τοιούτων παθημάτων περιζίνουσα τὴν κάθαρσιν.

Nunc sicut in Politia κάθαρσις est ὄνομα τεχνικόν significatque gratum illum iucundumque sensum hominis qui prius malo aliquo aliquamdiu laboravit, deinde subito eo levatur purgaturque. Et hoc non dubito quin sibi voluerit Aristoteles: „bona tragoedia prius torquet angitque spectatores misericordia metuque, sed et eo rem perducit ut se cum voluptate quadam ea molestia liberatos sentiant”. Conferantur enim quae in Politia legimus: (cantibus orgiasticis videmus homines) κηλισταμένους ὥσπερ ἰατρείας τυχόντας καὶ καθάρσεως et (oportet hominibus qui πάθουσι quibusdam laborant) γίγνεσθαι τινὰ κάθαρσιν καὶ κοῦφίξεσθαι μεθ' ἡδονῆς.

Nihil est, concedo, sublime, nihil excelsi, nihil quod animum denotet vel vehementioribus vel tenerioribus affectibus percipiendis aptum in hac definitione. Quid enim? „dolore nos afficit

tragoedia ut cum voluptate nos eo liberatos sentiamns", nonne in mentem hoc nobis revocat Lucretii versum II, 427:

tactus enim tactus pro divum numina sancta  
 corporis est sensus, vel cum res externa sese  
 insinuat vel cum laedit quae in corpore natat  
*vel iuvat egrediens,*

atque praeclaram illam Platonis cavillationem qua ineptum sophistam ludibrio habet Socrates? Dixerat ille summam esse felicitatem hominis qui quam maximis praeditus sit cupiditatibus easque explere possit. Refutat hominem Socrates rogando: „ergone beatus est dicendus ille qui quam maxime pruriat maximamque habeat scabendi facultatem?" Sed est *viri docti* definitio hominisque sobrii, qui operam dat ut quam brevissime accuratissimeque naturam tragoediae describat.

Neque inepte me hic admonuit amicus in re musica versatus canticorum quae aliquamdiu sonis „dissonantibus" suspensos teneant auditores deinde illis „solvendis" eos placent sedentque eorum mentes.

Atque e Politiae verbis apparet pro *κάθαρσιν* etiam *κατάστασιν* vel *ἀποκατάστασιν* legi posse: „per metum et misericordiam tragoedia ad propositum finem rem perducit".

A perturbatis Aristotelis verbis profecti seriores multo sunt commenti absurdiora. Sic Iamblichus (de myst. I, 11) *ἀλλότρια* ait *πάθη θεωρῶντες ἴσταμεν* (utrum *perpendimus* an *inhibemus*?) *τὰ οἰκεῖα πάθη καὶ μετριώτερα ἀπεργαζόμεθα καὶ ἀποκαθαίρομεν.*

Quam sint haec absurda sic tibi propone: unicum filium vel dilectissimam filiolum amisit pater sed paratum habet solatium. Sic enim secum loquitur: „ergone miser? immo felicissimus sum prae Oedipode qui patrem occidit, matrem duxit uxorem, deinde, cum suis sibi manibus oculos extirpasset, ὄδῶν προδεικνύς a suis est in obscurum carcerem coniectus filiiis". Ipse fac experimentum quisquis es et, si forte dentibus laboras, reputa nullum esse dolorem illum si cum Promethei cruciatibus comparetur saxo affixi et iecur suum aliti devorandum cotidie praebentis.

Sed nescio an magis etiam ridiculum sit quod nobis narrat Proclus. Is enim nos cogitare cogit de versiculis quibusdam quibus nuper Professor quidam Academicus, cum se medico

prae buisset arte Ienneriana praemuniendum, sic auditores certiores fecit fieri posse ut mox per paucos dies scholas suas differre deberet:

morbum adii metuens morbum, nunc a fore dicunt  
hunc, illumque brevem spero levemque fore.

Utitur enim Proclus verbo q. e. ἀφροσύνη tamquam si ideo tragoedias spectemus ut particula aliqua mali alicuius perfuncti postea adversus malum ipsum totumque tuti simus atque securi.

Sed neque Aristotelis definitio mihi placet, quamvis multo illis Iamblichi et Procli praestet — intra eos enim se continet terminos intra quos oportet: tantummodo describit quid? Quo modo composita esse soleat debeatque tragoedia et quo modo in praesentia spectatores afficiat — atque adeo quod omnino tantam rem definire sit conatus ego vituperandum censeo. Sed talis est Aristoteles: omnia, vel celsissima, complecti atque comprehendere certa formula studet, quod cum fecerit multum se profecisse et ceteris mortalibus profuisse putat. Ne ipsi quidem Deo omnipotenti parcat sed eum quoque certa quadam lege constringit, quam impiam et scelestam vocarem nisi tam esset ridicula. Quod enim, Aristotele iudice, Summi Dei opus? Cogitat Deus et cogitat de se ipso, praeterea nihil agit.

Non sentit Aristoteles magnos artifices et prae ceteris magnos poetas suas sibi leges ferre atque ita fieri ut eorum opera et intelligere et admirari possimus omnis praeterea doctrinae expertes et incuriosi. Admirari possumus Aeschylī Προμηθέα δεσμώτην etiamsi — ut sumam aliquid quod neque factum sit unquam neque possit fieri — ne nomen quidem τοῦ λυομένου ad nos pervenerit unquam. Confidenter τὸν δεσμώτην legamus censeo et totum λυόμενον missum faciamus. Quid enim fiet? Non habebimus Prometheum aliquem malis atque tormentis ad poenitentiam adactum atque purgatum, hoc enim totius trilogiae fuisse argumentum statuunt viri docti, neque ego obloquor de re de qua nemo mortalium quidquam scire possit, et ne hoc quidem dico non posse me magni facere Iovem illum qui nulla iustitia sed tantummodo vi maiore rem eo perduxerit. Sed habebimus heroem adeo de misera hominum sorte sollicitum, tanto erga homines ardentem amore ut pro

iis ne aeternum quidem supplicium atque plenum perfectumque interitum adire recuset dumque oculis nostris subtrahitur suo

ὦ μητρὸς ἐμῆς σέβας, ὦ πάντων  
αἰθῆρ κοινὸν Φάος εἰλίσσων  
ἔσορᾶς μ' ὡς ἔκδικα πάσχω

novorum tyrannorum condemnet iniurias atque crudelitatem οὐδὲ οὕτω κακῶς. Talia vel legentes commovemur et τραγικῶς commovemur, quod quale sit non nostrum est *definire* sed Aeschyli statuere.

Denique, ne quid critici generis huic desit opusculo, in Politia 8,7 legitur: τοῖς τοιοῦτοις μέλεσι θετέον τοὺς τὴν θεατρικὴν μουσικὴν μεταχειριζομένους, sed pro θετέον lege ἐπιθετέον. Reputa modo cum aliis multis locis illum apud Herodotum in ipso initio: αὐτίκα νευτιλίησι μακρῆσιν ἐπιθέσθαι et propter structuram, ut non pervulgatam ita minime raram, confer Matthiae Gr. Gr. § 447,4.

AD SCHOL. HOM. IL. I, 189.

διάνδιχα μερμήριξεν,  
ἦ ὅ γε Φάσγανον ἐξὺ ἐρυσσάμενος πρὰ μηροῦ  
τοὺς μὲν ἀναστήσειεν, ὁ δ' Ἀτρεΐδην ἐναρίζοι,  
ἢ ἐχόλον παύσειεν ἐρητύσειέ τε θυμόν.

Ultimus versus nonnullis spurius esse videbatur.

Schol. A: ὅτι δύο ἐμερίμνησεν οὐκ ἐναντία ἀλλήλοις, ὅπερ ἐκλαβῶν τις προσέθηκεν· ἢ ἐχόλον παύσειεν.

Legendum est: ὅπερ οὐ καταλαβῶν τις, „quod cum non intellexisset aliquis”.

G. V.

# AD SENECAE HERCULEM OETAEUM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.

Hercules his verbis aperit tragoediam:

- 1 *Sator deorum, cuius excussum manu  
utraeque Phoebi sentiunt fulmen domus,  
secure regna — protuli pacem tibi,  
quacumque Nereus porrigi terras vetat.*

Neminem mihi oblocuturum esse reor, verba *secure regna* tum demum interpretationem admittere, si *regna* imperativum verbi regnandi esse sumimus, neque de voc. *secure* ulla potest esse dubitatio quin sit adverbium, ita ut versus legi repugnet quae dicit ne pes alter dipodiae iambicae sit spondeus. Una litterula mutata locus in integrum restitui poterit, si correxeris:

*secura regna* sc. *sunt*.

Eiusdem verbi omissi pauca e multis exempla affero:

- 794 *pacata tellus, inquit, et caelum et freta.*  
1701 *si pace tellus plena, si nullae gemunt  
urbes nec aras impias quisquam inquinat.*  
1758 *timete, superi, fata: tam parvus cinis  
Herculeus, huc huc ille decrevit gigans!*

Similiter H. F. 955 Hercules exclamat:

*perdomita tellus, tumida cesserunt freta,  
inferna nostros regna sensere impetus.*

Ultimus locus etiam numerum pluralem vocis *regna* confirmat, ut in nostra fabula 1160: *iam te caeli regna secuntur*.

Ne cui adiectivum *securus* rei additum scrupulum inicit, ad Troad. 1167 eum refero, ubi *secura classis* legitur.



Si quis traditam lectionem tuendam esse perhibeat propterea quod perpauca alia exempla eius enormitatis metricae in Senecae tragoediis reperiantur, hoc respondeam: inter decem fere milia versuum, quibus fabulae Annaeanae constant, si duo vel tres versus inveniuntur qui legem quandam metricam migrent, prompta ac licita iam suspicio est, eos vitiose traditos esse et corruptela qualicumque laborare. Versus istos hic obiter considerare et, si fieri potest, emendare lubet.

Troad. 263 sq. Agamemnon in altercatione quam cum Pyrrho iniit acerrima et alia dicit et haec:

*magna momento obrui  
vincendo didici.*

Habemus hic longam syllabam in pedis secundi initio. At locum corruptum esse mihi quidem persuasissimum est: lectio genuina est:

*magna momento obrui  
imperia didici.*

Glossa autem *vincendo*, quam nescio quis supra voc. *imperia* addiderat, hoc detruxit. Conferas quaeso

Troad. 258 sq. *violenta nemo imperia continuit diu,  
moderata durant.*

Phoen. 664 *imperia pretio quolibet constant bene.*

Oed. 11 *imperia sic excelsa Fortunae obiacent.*

ibid. 527 *imperia solvit qui tacet iussus loqui.*

Secundus versus a lege metrica abhorrens est Troad. 932:

*altum vadoso sigaeo spectans sinum,*

qui, in codice Etrusco ita manifeste mutilatus traditus, ab editoribus o Gronovii correctione fere recipitur:

*altum vadoso Sigeon spectans sinu?*

Vel sic tamen spondeum in pede quarto exhibet. Birt id vitium tollere voluit coniciens:

*altum a vado Sigeon aspectans sinum,*

quae coniectura quamquam mihi displicet, locum utpote vires meas superantem missum facere et sagaciori critico relinquere melius duco.

Versus tertius idemque ultimus, qui eodem laborans mendo mihi quidem innotuit, legitur Phoen. 558, ubi Iocaste Polylicem rogat:

*petendo patriam perdis? ut fiat tua,  
vis esse nullam?*

Hic vero nullus dubito quin librario, qui verborum ordinem mutavit, culpa imputanda sit, nam tam sententia quam prosodia flagitat:

*patriam petendo perdis?*

Iam vero ad ceteras meas annotationes ad Herculem Octaeum ut dicitur excutiendas transeo.

In eodem Herculis soliloquio haec sunt

30 *si negat mundus feras,  
animum noverca, redde nunc nato patrem  
vel astra forti.*

Ita Ritter e codicis A scriptura locum recensuit male spreta codicis Etrusci lectione perplexa *coercam*, cui signum corruptelae additum esse Leo affirmat, qui ipse vocabulis *animum novercam* crucem praefixit et coniecit *tandem novercae*, Heinsius *nimum novercae*. At relinquenda non est via, quam codex optimus monstrat, quoniam vestigia verae lectionis etiam nunc nobis servavit. In ambiguo enim vocabulo *coercam* initium et finem duorum vocabulorum agnosco, nam inde elicio quod sensus requirit:

*si negat mundus feras,  
caelum novercam, redde nunc nato patrem  
vel astra forti.*

Postquam vocabula *caelum* et *novercam*, compendiose exarata, in unum *coercam* coaluerunt, hoc nimirum mox in *novercam* abiit et novum vocabulum *animum* ad versum explendum in libris posterioribus adiectum est, quod tot coniecturas genuit: *nimum* Heinsii, *tandem* Leonis, *dominum* Peiperi.

Mundus et caelum etiam inter se opponuntur vs. 76 sq.:

*sparserit mundum licet  
caelumque terris peius ac peius Styge  
irata faciat, dabitur Alcidae locus.*

Chorus virginum captarum patriae Oechaliae excidium plangit.

Quae postquam illum numquam miserum esse cui facile sit mori declaravit, pergit ita

- 112 *illum si medio decipiat ratis*  
*ponto, cum Borean expulit Africus*  
*aut Euris Zephyrum, cum mare dividunt,*  
 115 *non puppis lacerae fragmina conligit,*  
*ut litus medio speret in aequore:*  
*vitam qui poterit reddere protinus,*  
*solus non poterit naufragium pati.*

Pro *cum mare dividunt*, quod post *cum Borean* cet. inscite dictum videtur, Bothe *qui m. d.* — Peiper *quae m. d.* scripsit, corrigendum esse censeo: *dum mare dividunt*. In vs. 118 nescio an sit legendum:

*sortis non poterit naufragium pati.*

Post istas sententias generales virgines transeunt ad suam condicionem miserrimam spectatoribus exponendam lamentandamque

- 119 *nos turpis macies et lacrimae tenent*  
*et crinis patrio pulvere sordidus.*  
*nos non flamma rapax, non fragor obruit:*  
*felices sequeris, mors, miseros fugis.*

† *stamus nec patriis messibus heu locus*  
*et silvis dabitur lapsaque sordidae*

- 125 *fient templa casae.*

Ita Leo, verba tradita intacta relinquens, locum edidit.

Richter e codicis A lectione *patriae moenibus* illud vocabulum recepit et in versu sequenti Scaligeri correctionem *at pro et* — *utrumque male*, ut mox demonstrabo.

Coniecturas protulerunt N. Heinsius *quo stamus, patriae messibus h. l.* et Leo *stamus nec patria est: mess. h. l.*

Locum hucusque non bene intellectum et inde male immutatum esse moneo. Vs. 119—122 virgines de statu suo loquuntur, quam querimoniam generali illa sententia claudunt

*felices sequeris, mors, miseros fugis.*

Deinde vs. 123—132 patriae Oechaliae vastationem commiserantur.

Denique vs. 133—142 sortem suam futuram incertamque deplorant.

Versu igitur corrupto 123 de se queri iam desierunt, de patriae loco sermo omnis esse debet.

Quae cum ita sint, unum modo vocabulum *stamus* emendatione eaque lenissima indiget revocata insuper recta scriptura codicum deteriorum *nunc pro nec*: legendum enim est

*sanctus nunc patriae messibus heu locus  
et silvis dabitur.*

Nenia chori in patriam deinde ita continuatur

125 *iam gelidus Dolops*

*hac ducet pecudes qua tepet obrutus*

*stratae qui superest Oechaliae cinis.*

*illo Thessalicus pastor in oppido*

*indocta referens carmina fistula*

130 *cantu nostra canet tempora flebili.*

Pro illo Leo recepit *ipso*, quod de Wilamowitz scribi iusserat, Richter infeliciter pro *in oppido*, quod sine dubio sanum est, de suo *inops* loco recensuit. At non *ipso* substituendum esse puto, sed *isto*, quod Senecam in tragoediis saepissime pro hoc, meo, nostro usurpasse et alii multi loci comprobant et hi

269 *omnes in isto pectore invenies feras.*

428 *post haec quid istus innocens servo manus.*

823 *resistite, inquit, non furor mentem abstulit,*

*furore gravius istud atque ira malum est.*

925 *per has aniles ecce te supplex comas*

*atque ubera ista paene materna obsecro.*

328 *Graiorum in istos terra consurget lares.*

In cantici fine, quod abiit in Herculis virium ingentium designationem haec legimus

162 *muros Oechaliae corpore propulit,*

*nil obstare valet; vincere quod parat*

*iam victum est — quota pars vulnere concidit?*

*pro fato patuit vultus iniquior*

*et vidisse sat est Herculeas minas.*

Lectio ambigua codicum E A *potuit* in iuniore Itala correctae est in *patuit*, quod vulgo ab editoribus recipitur. Malim

*pro fato valuit vultus iniquior*

quod non modo sana ratio exigit sed etiam alliteratio et oppositio *nil obstare valet* (vs. 163) commendare videntur.

Sequitur Ioles querela, in qua deos implorat ut formam suam mutant, cuius rei exempla nonnulla memorat:

196 *Cyprias lacrimas Myrrha tuetur,  
raptum coniunx Ceyca gemit,  
sibi Tantalus est factu superstes.*

Codex Etruscus *cypria* exhibet, quod in cod. A in vulgatam lectionem est correctum. Poeta forsitan scripserit:

*Cinyram lacrimans Myrrha tuetur*

h. e. formam meam quaeso mutetis ut Myrrham mutavistis, quae nunc lacrimis suis tuetur Cinyrae patris memoriam.

Eadem paulo inferius clamat:

207 *vidi, vidi miseranda mei  
fata parentis, cum letifero  
stipite pulsus tota iacuit*

210 *sparsus in aula:  
a si tumultum fata dedissent,  
quotiens, genitor, quaerendus eras?*

Interiectio *a* ante verba *si tum. f. d.* in codice non est, sed a Wilamowitzio additum est, cum in cod. A exstet *pro*.

Repono:

*tibi si tumultum fata dedissent.*

Deianira precatur ut Iuppiter feram aliquam in Herculem immittat

263 *vel si feruae negantur, hanc animam precor  
converte in aliquod — quodlibet possum malum  
hac mente fieri.*

Pro *aliquod* lectio iunioris Italae est *aliquid*, N. Heinsius voluit *aliud*.

Scribendum puto *aliquam* sc. feram.

Nutrix Deianiram dehortatur ne consilium Herculis interficiendi persequatur

323 *effugere terras crede et humanum genus  
te posse, fulmen genitor Alcidae gerit:  
iam iam minaces ire per caelum faces  
specta et tonantem fulmine excusso diem.*

N. Heinsius iam vidit, imperativum verbi spectandi ab hoc loco alienum esse et *specto* scribi iussit, quod quamquam versui proxime antecedenti bene convenit ad verba sequentia *tonantem* — *diem* minus aptum videtur; accedit quod versus quoque sequens imperativo modo regitur:

*mortem quoque ipsam, quam putas tutam, time:*

Equidem Senecam non *specta* scripsisse suspicor, sed *spera* h. e. *exspecta*, cuius significationis apud Plautum, Terentium, Vergilium, alios exempla in lexicis et alia enumerari solent et Verg. Aen. I 543, IV 419, XI 275, Flor. 3,1.

Eadem hoc argumento postea utitur:

363 *dilecta Priami nempe Dardanii soror:*  
*concessa famula est; adice quot nuptas prius,*  
*quot virgines dilexit: erravit vagus.*

Aut ego locum male intellego aut verba *erravit vagus* sic ferri non possunt, quorum vis nunc nimis intenditur quasi nutrix dicat: Hercules multa magnaque itinera fecit, ergo multas matronas et virgines amavit. Hanc miram argumentationem sustuleris, si mecum leges:

*quot virgines dilexit errans et vagus.*

Deinde virgines enumerat, quas Hercules amare iam desiit:

371 *hospes Timoli Lydiam fovit nurum*  
*et amore captus ad leves sedit colus,*  
*udum feroci stamen intorquens manu.*

N. Heinsius pro *et amore* voluit *meroque* cl. vs. 572. Locum corruptum esse non credo: siquid mutandum esset, ipse praeferrem *languore* tam alliteratione et ratione palaeographica quam sententia ductus.

Deianira respondens formam suam marcescentem cum Ioles pulchritudine virginali comparat

387 *quicquid in nobis fuit*  
*olim petitum cecidit et pariter labat*  
*materque multum rapuit ex illo mihi.*

390 *aetas citato senior eripuit gradu*  
*vides ut altum famula non perdat decus?*

388. *et partu labat* A, aut *pariter* l. M. Müller, et *p. labor* Leo.

290. *del.* Habrucker, Leo, *ante vs. 389 posuit* M. Müller, Richter.

Quin Habrucker verum viderit vs. 390 cum in marginem

relegaret neque ego dubito neque multos dubitatuos esse puto. Neutra tamen lectio ad vs. 388 proposita satis placet, qua de causa ipse temptavi: *et raptim labat*.

Obiter moneo, vs. 389 simul tueri lectionem codicis A in vs. 356

*multumque ab illa traxit infelix status*

ubi pro *multumque* Luc. Mueller D. R. M. p. 170 *vulnusque* vel potius *ulcusque* scribi iussit et alii alia immerito substituere voluerunt.

Deianira Herculis levitatem queritur:

414 *cuius triumphos ultimi Seres canunt  
et quisquis alius orbe concepto iacet,  
levis est nec illum gloriae stimulat decor.*

Huic loco quamquam multi mederi iam conati sunt, e coniecturis prolatis *consumpto* Grotii, *confecto* Gronovii, *composito* Peiperi, *contemptor* Richteri nulla editoribus satis placuit ita ut èt in Teubneriana èt in Leonis editione *crux* ante *voc. concepto* appicta sit. Licet arduum sit locum a tantis viris hucusque frustra temptatum denuo sollicitare, facere tamen non possum quin duos locos apud poetam nostrum ostendam qui viam fortasse nobis monstrare possunt ad veram lectionem indagandam, sc. vs. 666:

*quae Phoebeis subditus euris  
legit Eois Ser arboribus.*

Haec legenti suspicio mihi nata est, Senecam loco nostro scripsisse:

*cuius triumphos ultimi Seres canunt  
et quisquis euris orbe supposito iacet*

Alter locus, quem ad nostrum conferre utile erit, legitur Thyest. 378 sq.:

*et (quocumque loco iacent)  
Seres vellere nobiles.*

Vides, de iisdem gentibus ibi sermonem inferri atque idem verbum iacendi positum esse. Cf. etiam vs. 159 sq.:

*aut qui soliferae suppositus plagae  
vicino Nabatae vulnera dirigit  
Parthus Gnosiacis certior ictibus.*

Inversa ratione legitur vs. 1445 sq.:

*Oete modo infra steterat ac totus fuit  
suppositus orbis.*

Iam Deianira consilium suum nutrici aperit  
485 *est in remoto regiae sedis loco  
arcana tacitus nostra defendens specus.  
non ille primos accipit soles locus,  
non ille seros, cum ferens Titan diem  
lassum rubenti mergit Oceano iugum.*

Iniuria Leo post vs. 488 lacunam statuit sic fere explendam:  
*exurgit undis, cumque germanam vocans.*

Si pro *ferens* mecum reposueris *tegens*, locum in integrum  
restitueris. Mox haec sequuntur:

491 *altrix, fatebor: auctor est Nessus mali  
quem gravida Nephelē Thessalo genuit duci,  
qua trepidus astris inserit Pindus caput  
ultraque nubes Othrys eductus riget.*

Ipsam poetam montis nomen epitheto inficeto, immo inep-  
tissimo *trepidus* exornasse neque ego credo neque crediderunt  
alii, quandoquidem Leo crucem vocabulo *trepidus* apposuit  
coniecitque *qua aetherius* — O. Rossbach *qua rigidus*: illud  
tamen propter duram elisionem, hoc propter sequens verbum  
*riget* mihi quidem minime arridet. Scripturam iam olim am-  
biguam fuisse lectio codicis A *celsus* comprobat. Emendandum  
esse opinor:

*qua penitus astris inserit Pindus caput*

et lectionem *trepidus* ortam esse e litterarum translatione, quod  
vitium in codice Etrusco frequens est. Cf. vs. 123, ubi *sanctus*  
in *stamus* — vs. 388, ubi *raptim* in *pariter* et *partu* abiit.

In cantu, quo mulieres Calydoniae sortem Deianirae deflent,  
haec sunt

586 *nos Acheloi tecum solitae  
pulsare vadum, quom iam tumidas  
vere peracto poneret undas  
gracilisque gradu serperet aequo  
nec praecipitem volveret amnem  
flavus rupto fonte Lycormas.*



Notum est, veteres cunctis fluminibus cornua tribuisse, unde suspicio mihi nata est, non cum N. Heinsio *rupto ponte* esse scribendum, verum *rupta fronte*, id quod Peiperum in priore Teubneriana iam recepisse postea vidi. Nihilominus hanc coniecturam omittere nolui propterea quod duos locos afferre posse mihi videor qui ad eam commendandam atque confirmandam pertineant. Cf. Herc. Fur. 141:

*ludit prato liber aperto  
nondum rupta fronte iuencus*

Troad. 538: *primisque nondum cornibus findens cutem  
cervice subito celsus et fronte arduus  
gregem paternum ducit ac pecori imperat.*

Deinde postquam pericula, quae numquam non regem circumdant, exposuerunt, sequitur:

614 *noctem quotiens summovet Eos,  
regem totiens credite nasci.*

Numerus pluralis hoc loco intempestivus est. A vs. 604 inde *tu quicumque es qui sceptrata tenes*

chorus personam regis compellavit, qui si verbo *credite* spectatores subito alloqueretur, prorsus incongruens esset atque absurdum. Dubito an poeta scripserit

*regem totiens crede renasci*

h. e. singulae noctes tantum periculi tibi minantur, ut quotiens insidias noctis et mortem evaseris, totiens denuo te natum esse crede. Cf. Oed. 945:

*iterum vivere atque iterum mori  
liceat, renasci semper ut totiens nova  
supplicia pendas.*

Porro mulieres in nonnullis ambitionis et aviditatis exemplis enumerandis haec cantant:

627 *nec si totus serviat Hebrus  
ruraque dives iungat Hydaspes  
intraque suos currere fines*

630 *spectet toto flumine Gangen:  
avidis, avidis natura parum est.*

Protasis *nec si* — *Gangen* tota videlicet ad avarum illum pertinet, quem vs. 621 describere coeperunt. Quoniam autem voc. *avidis* bis repetitum vehementer offendit, illud apodosin

detrusisse suspicor atque ita fere locum esse restituendum:

*nec si totus serviat Hebrus  
ruraque dives iungat Hydaspes  
intraque suos currere fines  
spectet toto flumine Gangen,  
satis est: avidis natura parum est.*

Denique 'coniunx modico nupta marito' laudibus effertur vs. 658—670, quo facto feminae nobiliores ita breviter perstringuntur:

671 *sequitur dira lampade Erinys  
quarum populi coluere diem,  
nec sibi felix pauper habetur  
nisi felices cecidisse videt.*

Vs. 673 sq. huic loco parum aptos esse et alibi inserendos Richter et Koetschau censuerunt, ubi vix convenientius eos legi reor.

Farnabii interpretatio: „Tum se beatum agnoscit pauper, ubi potentes ex alto gradu videt cecidisse” tum demum bona erit, si correxeris 'beatam', nam ad feminam principem, quales vs. 671 sq. carpuntur, verba spectare pro certo habeo. At tamen mihi constat, versus loco suo nunc legi sed corruptela laborare, de cuius medela dubito: Sententia, quae requiritur, evaderet, si scriberes:

*nec sibi felix prorsus habetur*

quamquam fieri posse non nego ut vocabula *nec sibi corrupta* sint.

Deianira, vim pallii tabe Nesea inliti experta, horrorem suum nutrici exprimit.

710 *ut fractus austro pontus etiamnum tumet,  
quamvis quiescat languidis ventis dies,  
ita mens adhuc vexatur excusso metu.*

Emendandum videtur: *ut fractus oestro* cl. Oed. 440 sqq.:

*iam post laceros Pentheos artus  
Thyades, oestro membra remissae,  
velut ignotum videre nefas.*

Deinde quomodo veneni periculum fecerit enarrat:

723 *laxabat ardens fervidum Titan diem.  
vix ora solvi patitur etiam nunc timor.*

*medios in ignes solis eiceram facem  
quo tincta fuerat palla vestisque inlita.*

Multimodis lectio corrupta vs. 725 a viris doctis temptata est, pro qua cod. A exhibet:

*medios in ignes solis et claram facem.*

Coniecit Leo: *vellus eieci madens*, Richter de suo edidit: *solis eieci pavens* et post hunc versum lacunae signum posuit.

At vero opus non est a codicis Etrusci scriptura tam procul recedere ut vera ac genuina revocetur lectio. Deianira cum de Nessi tabe mentionem inicit, semper et ubique eam designat voc. *malum*: cf. vs. 491, 524, 566, 833, 835, 1226, 1231 e. a., qua de causa non dubito quin Senecae manus sic restituatur:

*medios in ignes solis eieceram malum,  
quo tincta fuerat palla vestisque inlita.*

Iam Hyllus funesti muneris effectum matri nuntiat exclamans:

746 *regna triumphi, templa Iunonis pete:*

*haec tibi patent, delubra praeclusa omnia.*

Leo quamquam coniecturam Lipsii *regna triumphata* et suam *regnat triumphat* (sc. Iuno) in apparatu memoravit, crucem versui praefigere melius duxit, Richter Leonis coniectura allata ascripsit: „At *regna* nescio an acc. pl. sit a positione producta (*regna* scil. ubi Iuno triumphat)“.

Emenda:

*certae triumphi templa Iunonis pete:*

et cf. vs. 1548:

*solaque obductis foribus deorum  
templa securae pateant novercae.*

et vs. 1655 (ut H. F. 1070):

*et certa praedae tela de caelo fluent.*

nec non vs. 882, ubi Deianira Iunoni exprobrat:

*laus tibi erepta incluta est,  
ingens triumphus: aemuli, Iuno, tui  
mortem occupavi.*

Hyllus patris dolores exponere pergit

766 *mors refugit illum victa quae in regno suo  
semel est nec audent fata tam vastum nefas*

*admittere. ipsas forsitan trepida colus  
Clotho manu proiecit et fata Herculis  
timet peragere.*

Malim: *ipsa*. Neque mors neque fata Herculem prosternere audent, quin etiam ipsa Clotho refugit.

Hercules Lichan tamquam auctorem sui interitus occidit.

810 *complexus aras ille tremibunda manu  
mortem metu consumpsit et parvum sui  
poenae reliquit. dumque tremibundum manu  
tenuit cadaver: 'hac manu, hac' inquit 'ferar,  
o fata, victus?'*

Leo pro verbis *tremibundum manu* coniecit *semianimum parens*, sed cruce locum notavit, cum Richter Bentlei mutationem *moribundum* receperit. Mihi potius legendum videtur: *dumque furibunda manu* cl. vs. 905

*Lernaea figens tela furibunda manu*  
et Troad. 940: *vel Achillis ante busta furibunda manu  
occidere Pyrrhi.*

nec non ibid. 93: *vacet ad crebri verbera planctus  
furibunda manus*

Hyllus diros Herculis cruciatus persequitur.

828 *exuere amictus quaerit: hoc solum Herculem  
non posse vidi; trahere conatus tamen  
et membra traxit; corporis palla horridi  
pars est et ipsam vestis immiscet cutem.*

Versus postremus manum emendatricem etiam nunc manet. Post Wilamowitzii enim conamina, qui recepta codicis A lectione *ipsa* coniecit:

*pars est et ipsa: vestis increscit cuti*  
et sua: *pars est et ipsam pestis immiscet cutem* (scil. pallae)  
Leo vocabulo *vestis* crucem praefigere maluit, Richter de suo dedit:

*pars est et ipsa: pestis immiscet cuti*  
explicans: *i. cuti* scil. *pallam*.

Multum diuque hic locus me vexavit et fuit tempus cum fortasse legendum esse crederem: *et ipsam vestis imbu it cutem*  
vel *imminuit cutem*

cl. H. F. 455: *primus sagittas imbu it Phoebi draco,*

at vero lectio *immiscet*, quae in libris mss. omnibus est, ita non explicabatur, nam *inbuit* in *immiscet* abiisse verisimile non est, atque tandem haec mihi incidit suspicio corrigendum esse:

*corporis palla horridi*

*pars est et ipsa vestis in vice est cutis.*

Verba *in vice est* cum in *immiscet* corrupta essent, prompta nimirum erat vocabuli *cutis* in *cutem* mutatio.

Postremo Hyllus refert, Herculem ad ardorem restinguendum litus petiisse ut in undas se praecipitaret:

837 *famularis illum retinet errantem manus.*  
*o sortem acerbam! fuimus Alcidae pares.*  
*nunc puppis illum litore Euboico refert*

840 *Austerque lenis pondus Herculeum rapit;*  
*destituit animus membra, nox oculos premit.*

Versus ultimus, qui Peipero auctore in cod. E Deianirae attributus — in cod. A omissus est, sec. Leonem Deianirae datus in cod. A, dum de cod. E nihil infert, miror si suo loco nunc legitur. Probe scio, Herculem a Cenaeo Euboeae promontorio navicula ad Oetam vectum esse, ubi exspiravit, sed eo offendor quod Hyllus, posteaquam patrem in continentem transferri iam enarravit, denuo ad eius condicionem describendam redit. Vss. 839 sq. iustam pulchramque totius narrationis clausulam efficere videntur, vs. 841 vero traiciendus esse post vs. 838, quo triste certamen Hylli ministrorumque cum Hercule infirmo iam reddito breviter indicatur.

Hyllus matrem rogat:

916 *serpentis illi virus enectae autumas*  
*haud posse vinci qui malum vivum tulit?*  
*elisit hydram dente cum fixo tenens*  
*media palude victor, effuso obrutus*  
*artus veneno.*

Tam Richter quam Leo crucem ante verba *cum fixo tenens* collocarunt et suam uterque coniecturam adiecerunt: Leo *dente dum infecto tumet*, Richter *dente iam infixo tumens*. Proponere velim:

*elisit hydram, dente confixo tuens,*

h. e. vultu firmo constantique monstrum intuens. Cf. vs. 1737:

*semiustus ac laniatus, intrepidum tuens*  
 et H. F. 218 sq.: *quos contra obuius*  
*reptabat infans igneus serpentium*  
*oculos remisso lumine ac placido intuens.*

Deianira furens furias sibi adesse imaginatur, dum Hyllo ut se interficiat persuadere conatur:

1001 *scelus remitto, dexteræ parcent tuæ*  
*Eumenides ipsæ — verberum crepuit sonus.*

Post voc. *verberum* interiectionem en excidisse suspicor.

In cantu, quo chorus laudes Orphei celebrat, versibus duobus, qui nunc inepti videntur, locus suus reddendus est. In codice Etrusco sunt:

1079 *sic cum inquirens inferos*  
*Orpheus carmina funderet*  
 1081 *et vinci lapis improbus*  
 1082 *et vatem potuit sequi,*  
*consumptos iterum deæ*  
*supplent Eurydices colus;*  
*sed dum respicit immemor e. q. s.*

Versus priores Richter sic corrigere voluit:

*sic cum vinceret inferos*  
*Orpheus carmine funditus*

sed versuum duorum sequentium locum non perspexisse eum credo.

Vs. 1082 procul dubio ad Eurydicen est referendus et versum 1084 apte sequetur:

1083 *consumptos iterum deæ*  
 1084 *supplent Eurydices colus*  
 1082 *et vatem potuit sequi;*  
 1085 *sed dum respicit immemor e. q. s.*

Alter versus (1081) longius e loco suo aberravit: reponendus enim est post vs. 1069, cum de Sisyphe dicatur cui inter Ixionem et Tityum locus suus reddendus est ita:

1068 *haesit non stabilis rota*  
 1069 *victo languida turbine,*  
 1081 *et vinci lapis improbus,*

- 1070 *increvit Tityi iecur,*  
 1071 *dum cantu volucres tenet.*

Hercules loquitur:

- 1161 *ego qui relicta morte, contempta Styge*  
*per melia Lethes stagna cum spolio redi*  
*quo paene lapsis excidit Titan equis,*  
*ego quem deorum regna senserunt tria,*  
*moriō e. q. s.*

Haec e codice aliquo interpolato lectio ab editoribus fere recipitur — iniuria, ut credo. Scriptura iam olim incerta fuisse videtur, cum cod. E. praebet *quo poenae lassis* — A *cum paene trepidis.*

Veram lectionem esse arbitror:

*quo paene pavidis excidit Titan equis.*

Adverbium *paene* ad verbum *excidit* necessarium est et adiectivum *pavidus* in tali re legitimum est, cf. Phaedr. 1055 sq.:

*Hippolytus artis continet frenis equos*  
*pavidosque notae vocis hortatu ciet.*

Coniectura mea alliteratione insuper commendatur.

Idem ad superos deinde se convertit his verbis:

- 1173 *pro mundi arbiter*  
*superique quondam dexteræ testes meae,*  
*pro cuncta tellus, Herculem vestrum placet*  
*morte ferire? dirus o nobis pudor,*  
*o turpe fatum, femina Herculeae necis*  
*auctor feretur!*

Locum misere mutilatum editores cruce significant. Cod. A exhibet: *Herculis vestri pl. mortem perire.* Ceterum viri docti varie versum sanare temptarunt: N. Heinsius coni. *morte hac perire*, Birt *morbo perire*, L. Mueller *perire inertem*, Leo *inertem obire*, sed nihil universa assensione comprobatum adhuc est.

Corrigas quaeso

*pro cuncta tellus, Herculem vestrum placet*  
*mortis pudere? dirus o nobis pudor e. q. s.*

Cf. vs. 1191: *pudeat irarum deos*, 1205 sq.:

*perdidi mortem, ei mihi,*  
*totiens honestam: titulus extremus quis est?*





*rupes ligatum Caspiae corpus trahant  
atque ales avida — cur Promethei vacant  
scopuli? vacat cur vertice immenso feras  
volucresque pascens Caucasi abruptum latus  
nudumque silvis!*

Tandem morte propinqua Hercules iam apotheosin suam  
cernere et quasi e caelo inferiora despiciere sibi videtur:

1432 *quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo  
aut inter astra positus evasi genus  
mortale tandem? quis mihi caelum parat?*

1433. *aut vel at vel et codd. A et interpolati — omisit E.*

De versu superiore primum videamus. Negari nequit, si inter-  
rogandi signum post *tandem* ponatur, ut Leo fecit, sententiam  
certe posse explicari: ita habemus duplicem rogationem et  
Herculem quasi dubitantem faciemus utrum etiam nunc in Oeta  
monte versetur an iam inter deos immortales receptus sit.  
Vereor tamen ne locus infra tragicæ orationis dignitatem et  
amplitudinem sic habendus sit, cum praesertim Hercules ad  
se reversus exclamet vs. 1441 sqq.:

*quid hoc? quis arcem cludit et ab ipsis, pater,  
deducit astris? ora Phoebus modo  
afflabat axis, iam prope a caelo fui —  
Trachina video; quis mihi terras dedit?*

Verba *Trachina video*, quamquam recensio Leoninae non  
obstant, haud dubie ne Richteri lectionem accipiamus vetare  
videntur, qui recepta N. Heinsii coni. en edidit:

*quid hoc? rigenti cernitur Trachin iugo,  
en inter astra positus evasi genus  
mortale tandem.*

Birtio lectio tradita eundem quem mihi scrupulum iniecis-  
se videtur, quoniam pro *cernitur* voluit *mergitur*, cui quamquam  
plane assentior quod ad loci sententiam attinet, aliud tamen  
verbum ad litterarum similitudinem voc. *cernitur* propius  
accedere opinor et veram lectionem esse:

*quid hoc? rigenti conditur Trachin iugo  
et inter astra positus evasi genus  
mortale tandem. quis mihi caelum parat?*

Cf. Ag. 470: *cum subito luna conditur, stellae latent.*

In cantico, quo chorus Herculis immortalitatem praedicat, legitur:

1581 *tu comes Phoebos, comes ibis astris.  
ante nascetur seges in profundo  
vel fretum dulci resonabit unda,  
ante descendet glacialis ursae  
sidus et ponto vetito fruetur,  
quam tuas laudes populi quiescant.*

Numquam mihi persuadebitur, poetam versu 1583 dicere voluisse: 'prius mare dulcescet', sed reponendum esse:

*vel fretum dulci resonabit umbra,*  
quo vocabulo Seneca pro foliis umbrosis fere utitur, cf. Phaedr. 968:

*nunc arbustis redeant umbrae.*

Mox sequitur locus vitiosa lectione inquinatus, cuius in aperto ac propatulo est emendatio:

1587 *te, pater rerum, miseri precamur:  
nulla nascatur fera, nulla pestis,  
non duces saevos miseranda tellus  
horreat, nulla dominetur aula  
qui putet solum decus esse regni  
semper impensum tenuisse ferrum.*

Non cum N. Heinsio *intensum* vel *intentum* neque cum Richtero *impedens* scribendum esse (in codice Etrusco vs. 1564—1606 omissi sunt), sed corrigendum esse *impurum* locus docet, quem noster versus respicit 1561:

*parcite, o dices, inhibete dextras:  
laudis est purum tenuisse ferrum.*

Denique de duobus locis in nuntii relatione obviis pauca in medium proferre lubet, quorum prior est

1645 *voltus petentis astra, non ignes erat,  
ut pressit Oeten ac suis oculis rogam  
lustravit omnem. fregit impositus trabes.  
arcus poposcit.*

Nonne legendum: *stravit, impositus trabes?* Cf. Ov. Met. IX 209:

*saepe illum gemitus edentem, saepe frementem,  
saepe retemptantem totas rescindere vestes  
sternentemque trabes irascentemque videres  
montibus aut patrio tendentem brachia caelo.*

Alter continuo sequitur: arcum cum sagittis Philocteti tradit, quem et aliis verbis alloquitur et hisce

1652 *victrice felix, iuvenis, has numquam irritas  
mittes in hostem; sive de media voles  
auferre volucres nube, descendant aves  
et certa praedae tela de caelo fluent  
nec fallet unquam dexteram hic arcus tuam.*

Leoni haec sententia per *sive* incohata fuisse videtur e. g. *sive eris in acie*, sed tamen et ipse et Richter vocabulo *victrice* crucem praefigere maluerunt. Dubito tamen num verum viderit. Cf. vs. 1260, ubi Hercules virus quo consumitur compellat:

*quaecumque pestis sive quaecumque es fera,  
palam timere!*

Ibi quoque *sive* semel positum est et prior sententiae pars ea est ut quivis facile verba *quaecumque pestis (es)* interpretetur: *sive es pestis aliqua*. Quae cum ita sint, necesse non esse arbitror alterum *sive* loco nostro inserere, verum alio modo eum esse sanandum. Ad tragoediam cui Hercules Furens titulus est, quae ad librariorum menda in Hercule Oetaeo corrigenda totiens nos adiuvat, confugio unde huic quoque loco remedium petam et conferri iubeo versus simile initium habentes

800: *victrice magnum dextera robur gerens*

895: *victrice dextra fusus adverso Lycus  
terram cecidit ore.*

399: *ego rapta quamvis sceptrā victrici geram / dextra.*

1103: *lacertos / verbera pulsent victrice manu.*

Iamque non possum adduci ut voc. *victrice*, quod fere criticis in suspicionem venit, depravatum esse putem, sed voc. *felix* potius suspectum habeo. Quid multa? Hic quoque nescio an poeta scripserit

*victrice dextra, iuvenis, has numquam irritas  
mittes in hostem sive e. q. s.*

Loco autem sic constituto alterum *sive* non desideratur, nam ablativus *victrice dextra* id supervacaneum iam reddit utpote

qui tantum non vice fungatur sententiae sive praelium committes.

---

Alcmena neniam canit:

1863 *flete Alcmenae magnique Iovis  
plangite natum, cui concepto  
lux una perit cet.*

Pro *flete* Leo scripsit *ite* et Richter eum secutus est: potius corrigendum puto *mecum*, ut vs. 1901:  
*mecum miserae plangite gentes.*

---

AD. VERG. ECL. VII vss. 14—17.

Meliboeus a Daphnide invitatus ut certamini Thyrsidis et Corydonis adsit haec secum reputat:

14 Quid facerem? neque ego Alcippen nec Phyllida habebam,  
Depulsos a lacte domi quae clauderet agnos;  
Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum,  
Posthabui tamen illorum mea seria ludo.

Neque priorem bene sequitur vs. 16 ubi potius *sed* expectes quam *et*, neque ipsius vs. 16 sententiae apte respondet vox *tamen* in ultimo versu, qui particulam consecutivam velut „itaque” flagitat, non adversativam. At permutatis vss. 16 et 17 omnia bene decurrunt. Dicit igitur Meliboeus: non ego quidem habebam ancillas, quae agnos curarent:

„posthabui *tamen* illorum mea seria ludo; *et* certamen erat, Corydon cum Thyrside, magnum” i. e. omnia mea illorum certamini postposui, quae et ipsa paene res seria fuit.

J. BERLAGE.

---

# AD PLATONIS REMPUBLICAM

SCRIPSIT

J. L. V. HARTMAN.

(Continuantur ex huius Vol. p. 52).



P. 515 C: In praegressis cod. Mediceus Iamblichi ἡχῶ exhibet. — V<sup>am</sup> l. τῶν δεσμῶν <τε> καί, quam Burnet recepit, minime spernenda est. Sequentia εἰ φύσει τοιάδε ξυμβαίνει αὐτοῖς aliter ab aliis viris dd. explicata non intelligo. Vulgatam corruptam censens aut εἰ φύσει τοι (pro τοιάδε) ξυμβ. κτλ aut Σκόπει δὴ . . . οἷα τις ἂν εἶη. ἤ (interrog. part.) φύσει τοιάδε (singul.) ξυμβαίνοι <ἂν> αὐτοῖς; legatur suadeo. Iamblichus ἢ pro εἰ praebet. Posterius, quod et palaeographia commendat, a Platonis argumentandi ratione non abhorreere mihi videtur (cf. 545 CD φέρε τοίνυν, ἣν δ' ἐγώ, πειρώμεθα λέγειν τίνα τρόπον . . . ἐξ ἀριστοκρατίας. ἢ τὸδε μὲν κτλ). Herwerdenus (Mnem. 1891) v<sup>a</sup> l. φύσει εἰ pro εἰ φύσει recepta sic distinxit οἷα τις ἂν εἶη, φύσει εἰ τοιάδε κτλ („ipsorum naturae beneficio”). — Verba πρὸς τὸ φῶς (in 532 B τὸ φῶς ignem cavernae indicare videtur) ἀναβλέπειν aliud quid significare quam infra (D ult.) verba πρὸς αὐτὸ τὸ φῶς βλέπειν manifestum est: priora nimirum tantummodo indicant solutum δεσμώτην oculos a tenebris ad lucem, ab illo igni editam convertere, posteriora autem eum oculos in ipsum ignem defixos habere. Quae cum ita sint, Herwerdeni dubitantis (Mnem. 1884) C<sup>a</sup> τὸ <τοῦ πυρὸς> φῶς nobis non opus est. — Ad ἀλλοῖ s. ἀλλοίη cogita τὸ σῶμα, praesertim σκέλη et αὐχένα.

P. 515 D: Richardsi (Class. Rev. 1894) C<sup>am</sup> ἐγγυτέρω <ᾧν>

recte Adam in ed. priore probaverat. Parisus<sup>5</sup> A praebet ἐγγυτέρωι. Teste Adamo Par. A non ὀρθότερα, sed ὀρθότερον exhibet; ad ὀρθότερα cf. 403 B μακρότερα, Politic. 276 E εὐηθέστερα. Variam l. βλέπει (pro βλέπει) Bekker Ast Stallbaum Adam (ed. I) iure receperunt, nam propter praegressum ἑώρα et sequens ὅ, τι ἔστιν scriptor orationis rectae quae fuisset τότε μὲν ἑώρας Φλυαρίας, νῦν δὲ ὀρθότερον βλέπεισ καὶ ἀποκρίνου ὅ,τι ἔστιν ἕκαστον tempora immutata servasse videtur. Conferatur ex 517 A λέγοιτο ἂν περὶ αὐτοῦ ὡς ἀναβάς ἄνω διεφθαρμένος ἦκει τὰ ὄμματα. — In Astii et Bekkeri editionibus caput alterum rectius a verbis Εἰ δέ, ἦν δ' ἐγώ, κτλ incipit; duabus enim actionibus λύσις illa τῶν δεσμωτῶν constat, προτρέψει πρὸς τὸ Φῶς τὸ τοῦ πυρὸς et ἀναβάσει ἐκ τῆς καταγείου οἰκήσεως.

P. 515 E: Vox Φεύγειν vertenda est „conari fugere”. Richardso (l. c.) suadenti ἂ δύναιτο (pro δύναιται) καθορᾶν iure editores non paruerunt. Naber (Mnem. 1909) ἀνιείη (v. v. l. l. ἀνείη et ἀνίη) propter praegressum ἔλκοι postulavit; ob similem causam Herwerdenus in 504 D (θεάσασθαι, ἀλλὰ ... μὴ παριέναι) aor. παρεῖναι malebat. Ipse nil mutandum censeo.

P. 516 B: Variam l. (συλλογίζοιτο περὶ αὐτοῦ ὅτι) οὗτος pro αὐτὸς editores inde a Schneidero praeter Stallbaumium (1859) Adamum Burnetum non receperunt, sed αὐτὸς indicaret post aliquid dubitationis eum collegisse solem esse anni temporum auctorem. Lectio οὗτος confirmatur iis quae de νοητοῦ γένους principio dicuntur in 517 C ὀφθεῖσα δὲ (sc. ἡ τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέα) συλλογιστέα εἶναι (sc. φαίνεται) ὡς ἄρα πᾶσι πάντων αὕτη ... αἰτία. — Cobeto in § C corrigenti (nota manusc.) τῷ δξύτατον (pro -τα) καθορᾶντι non assentior, siquidem δξύτατα hic valet „celerrime” (cf. 401 E δξύτατ' ἂν αισθάνοιτο).

P. 516 D: Vulgatam ἡ τὸ τοῦ Ὀμήρου ἂν πεπονθέναι<sup>1)</sup> καὶ σφόδρα βούλεσθαι ἐπάρουρον ἔοντα θητευέμεν ἄλλω ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ corruptam censens Naber (Mnem. 1888 p. 100 et Mnem. 1908) legendum esse coniecit τὸ τοῦ Ὀμήρου [ἂν πεπονθέναι

1) Adam contulit Symp. 198 C τὸ τοῦ Ὀμήρου ἐπεπονθή.

καί] σφόδρα κτλ, ut τὸ τοῦ Ὅμ. esset κατὰ τὸ τ. Ὅ.; Adamo autem in ed. I (1897) unum πεπονημένοι suspectum erat. Ipse textum sanum esse existimo, dummodo in sententiae fine legatur ὅτιοῦν δὴ (sic pro ἄν Richards in Class. Rev. 1894) μᾶλλον sc. βούλεσθαι deleteo verbo πεπονημένοι (Plato scripturus fuerat ὅτιοῦν δὴ πάσχειν s. παθεῖν μᾶλλον ἢ κείνα κτλ). Nabero in sequentibus [πεπονημένοι] ἄν δέξασθαι suadenti plane assentior eandem ob causam.

P. 516 E: Omnes fere recentes editores necnon Cobetus (Mnem. 1862) θᾶκον pro θῶκον probarunt. Paulo post propter omissum ἄν Hermann et Cobetus (Mnem. 1862) non improbante Stallbaumio (1859) ἄν πλέως pro ἀνάπλεως optime coniecerunt (cf. 486 C λήθης ἄν πλέως i. e. μεστός s. ἔμπλεως). Baiteri <sup>ca</sup> <ἄν> ἀνάπλεως (sic Herwerdenus Mnem. 1884, Adam, Burnet) ob huic loco incommodam vocis ἀνάπλεως i. e. μεμολυσμένος significationem reicienda est. — Verbum γνωματεύειν hic valet „definire”. Post pauca <sup>vsm</sup> l. ἀμβλυώττοι pro -τει Bekker Stallbaum (ed. Goth.) Herwerdenus (Mn. 1884) Richards (Class. R. 1894) iure probarunt, quo artius haec cohaerent. Frustra Adam contulit ex 515 E ἂ δύναται (revera potest) καθορᾶν. In proximis Herwerdenus l. c. et Naber (Mnem. 1909) ἀμβλυώττοι <ἔτι> πρὶν καταστῆναι τὰ ὄμματα postularunt coll. 517 D ἔτι ἀμβλυώτων, sed propter πρὶν illud ἔτι mihi non opus esse videtur. Facillime autem inter ἀμβλυώττοι (sive -τει) et Πρὶν voculam ETI haplographia interire potuisse nemonon sentit.

P. 517 A: Verba τῆς συνηθείας quae plane frigent, deleantur. Adscripsit haec aliquis memor eorum, quae 516 A συνηθείας δὴ, οἶμαι, δέοιτ' ἄν et 517 D πρὶν ἰκανῶς συνηθείας γενέσθαι leguntur. Pronomen οὗτος in verbis οὗτος δ' ὁ χρόνος tempus significat intercedens inter τὸ ἀμβλυώττειν et τὸ καταστῆναι τὰ ὄμματα. — Vulgatam καὶ ἀποκτείνειν, ἀποκτινύναι ἄν <sup>1)</sup> corruptam esse viri docti (praeter Bekk. Schneiderum Campb.

1) Burnetus edidit ἀποκτείνουαι ἄν secutus Vind. F, qui exhibet ἀποκτείνουαι ἄν (idem codex in 488 C ἀποκτείνοντας pro ἀποκτινύνοντας praebet).

Burnet) optimo iure censuerunt. Quisnam Schneidero assensus est, qui commate post ἄνω ἰέναι restituto contendit Platonem sic scripsisse, quia pro ἄρ' οὐ γέλωτ' ἂν παράσχοι καὶ λέγοιτ' ἂν etiam dicere οὐκ οἶει γέλωτ' ἂν παρσχεῖν καὶ λέγεσθαι ἂν ei licuisset? Quum vero perdifficile sit pro certo statuere quid Plato scripserit, non mirum est editores alium aliud excogitasse: Ast (probante Hermanno) coniecit λαβεῖν, καὶ ἀποκτείνειαν, Baiter (prob. Iw. Mueller, Symb. Crit. p. 37) λαβεῖν, καὶ ἀποκτείνειαν <ἂν>, Stallbaum (1859) λαβεῖν, καὶ ἀποκτείνουεν ἂν, Cobetus (Mnem. 1874) λαβεῖν, καὶ ἀποκτινύουεν, Adam denique λαβεῖν καὶ ἀποκτινύουαι, ἀποκτείνειαν ἂν. Postrema ratio δεσμων ἰρακυνδίαν non tam bene significat ac reliquae emendationes „si comprehendere possint, vel occidant”. Mihi Baiteri ratio maxime placet (sic dittographia mendum ortum esse apparet).

P. 517 B: Vox ἔδραν significat ἔδος sive τόπον, regionem, fines. In proximis τελευταία cum ὄρασθαι iungendum est. — In § C Heller quoque (Curae Crit. p. 24) αὐτῆ κυρία (sc. οὔσα) probavit; idem et cod. Mediceus Iamblichi praebet.

P. 517 D: In sequentibus δικαίου σκιαὶ ad δικαίου ἀγάλματα sic se habent, ut in caverna αἱ τῶν παραφερομένων σκιαὶ ad τὰ παραφερόμενα. Sunt autem τὰ τοῦ δικαίου ἀγάλματα iura in legibus ac iuris praeceptis (absque philosophiae ope elaboratis) sita et αἱ σκιαὶ ficta sive adumbrata iura (malitiosae iuris interpretationes). Recte Astius vertit „umbris vel imaginibus has umbras reddentibus”. Campbell σκιάς et ἀγάλματα sic distinxit „the last may be conceived to be the enactments of Athenian Law; and first the sophistries of pleaders relating to them and the like”. Dubitanter corrigatur suadeo περὶ τοῦ ὅπῃ pro π. τοῦτου ὅπῃ. — In § E lege οὐδ' ὀπαστιῶν [θκυμαστόν], ἔφη. Cod. F ἔφη, θκυμαστόν praebet.

P. 518 B: Richards (Class. Rev. 1894) verba ὑπὸ λαμπροτέρου spuria censuit, vereor ne temere, quamquam textum corruptum duco. Nam primum (in § A) πλείονος sensu cassum: ecquid in priore membro post ἐκ Φαντερίου βίου ferri potest



εἰς σοφίαν ἤττονα? Quominus πλείονος vertamus „trop” vel „assez grande ignorance” tam ratio quam reliquorum comparativorum vis prohibet nec prodest πλείστης reponere. Deinde metaphora vocabulo ἀμαθίας (pro σκότους) adiecto tollitur ac difficilium ad Φανότερον audias βίον. Postremo in praegressis post ἤκουσα non additum est εἰς σκοτώδέστερον, quas ob causas verba ἐξ ἀμαθίας πλείονος, quae fortasse e male lecto additamento ἐξ ἀμαθίας πλέω (i. e. μεστοῦ) sc. βίου nata sunt, ad marginem releganda censeo. — Fortasse reponendum erit τοιόνδε <τι> νομίσαι; Iamblichus praebet δεῖ νοῆσαι περὶ αὐτῶν τοιόνδε τι. In eadem sententia Richards l. c. prius εἶναι non male insititium putavit.

P. 518 C: Miror editores (praeter Schneiderum) vocem δύναμιν iunxisse cum verbo περιεκτέον nec sensisse ἐνοῦσαν hic positum esse pro ἐνεῖναι, itaque duabus scriptorem hic constructionibus (partic. et infinit.) usum esse. Pristinum autem verborum ordinem fuisse suspicor ταύτην ἐνοῦσαν ἐκάστου τὴν δύναμιν vel potius ταύτην τὴν δύναμιν ἐνοῦσαν ἐκάστου ἐν τῇ ψυχῇ. Veri simile est verba ἐνοῦσαν ἐκάστου ante ἐν τῇ ψυχῇ in antiquo exemplari omissa postea sede aliena inserta esse. Praeterea corrigendum est οἶον [εἰ] ὄμμα μὴ δυνατὸν (l. οὐ δυνατὸν) ἦν κτλ, quia nulla hic ellipsis est: componas velim Timaeum 19 B προσείκει δὲ δὴ τινὶ μοι τοιῶδες τὸ πάθος, οἶον εἰ cum Reip. 360 E οἶον κυβερνήτης ἄκρος ἢ ἰατρός τά τε ἀδύνατα ἐν τῇ τέχνῃ . . . διαισθάνεσθαι κτλ, οὕτω καὶ ὁ ἄδικος κτλ.

P. 518 D: In verbis τούτου <sup>1)</sup> τοίνυν, ἦν δ' ἐγώ, αὐτοῦ τέχνη ἂν εἴη τῆς περιαγωγῆς τίνα τρόπον κτλ vocem τέχνη praedicatum, verbum autem ἡ παιδεία, cuius vim in § B τινες haud recte definire dicti sunt, subiectum esse Astius optime monuit. Si verba τῆς περιαγωγῆς genuina, tunc ista τούτου αὐτοῦ (i. e. τοῦ ὀργάνου) sublato commate post εἴη e genitivo τῆς περιαγωγῆς pendere (sic Ast 1814 Hermann Adam) putemus necesse est, ne si cum reliquis editoribus verba τῆς περιαγωγῆς pro appositis habeamus vocis τούτου αὐτοῦ, Platonem balbutientem

1) Sic Paris. A, non τοῦτο.

faciamus. Multo autem elegantior sententiam nanciscemur verbis τῆς περιαγωγῆς ad marginem relegatis, quo facto τούτου αὐτοῦ verbis τίνα τρόπον κτλ explicatur. — Verba οὐδὲ βλέποντι οἱ ἔδει interpreti reddantur. Variam l. δὴ μηχανήσασθαι pro διαμηχ. unus Ast sine causa recepit. Post pauca Campbell malebat ἐγγύς τι τείνειν (cf. 548 D Phaedon. 65 A) pro ἐγγύς τι εἶναι (cf. Phaedon. 67 A 80 B Gorg. 520 A), vereor ne temere; mihi εἶναι s. ἰέναι s. τείνειν hoc loco ferri posse videtur.

P. 518 E: Variam l. ἔθεσι [τε] καὶ ἀσκήσεσιν editores inde a Baitero receperunt. Verba παντὸς μᾶλλον coll. 520 E *quam maxime, most assuredly* (Adam) significant, ut reiciendam putem plane inutilem nullique probatam editori Madvigii cam Φρονῆσαι πλάσματος (s. ὑφάσματος) θειότερου. Nec minus improbandum est Richardsi (Class. Rev. 1894) inventum Φρονῆσαι ὀργάνου μᾶλλον θειότερου, quippe quod vox ὀργάνου hinc alienissima est. In subsequentibus suadente ratione ἀγωγῆς pro περιαγωγῆς reponendum est. Non assentior Adamo scribenti „ὑπὸ δὲ τῆς περιαγωγῆς is equivalent to ὑπὸ δὲ τῆς περιαγωγῆς τε καὶ μή”. Variam l. χρήσιμόν <τε> καὶ ὠφέλιμον (sic optimi codd.) omnes editores praeter Hermannum et Baiterum probarunt.

P. 519 A: Cobetus (Mnem. 1862) διορθῶ τὰ (pro ταῦτα) ἐφ' ᾧ κτλ et in § B ὥσπερ καὶ <τὰ> ἐφ' ᾧ νῦν κτλ commendavit (cf. 510 A πρὸς τὸ ὧ ὁμοιώθη et exempla ad 412 D congesta), quae incertissima sunt. Post pauca Adam (1897) ὥστε . . . ἐργάζεται pro ἐργαζόμενον sine causa coniecerat. Post ἡναγκασμένον recte sequi ὥστε cum participio multi iam docuerunt (vid. interpretes ad Isocrat. Paneg. § 64 φαίνονται δ' ἡμῶν οἱ πρόγονοι τοσοῦτον ἀπάντων διενεγκόντες, ὥσθ' . . . ἐπιτάττοντες, ubi multi ὥσθ' delerunt). — Varia l. τὰ τῆς γενέσεως ξυγγενῆ (sic Ast Bekk. Stallb. in ed. Goth.) parum perspicua est. Etiam Iamblichi cod. Mediceus τὰς τ. γ. ξυγγενεῖς exhibet probante Cobeto in Mnem. 1874 p. 281.

P. 519 B: Jackson teste Adamo malebat ἐδωδῆς pro ἐδωδαῖς. Astius Vind. F l. <τῶν> τοιούτων recepit, sed etiam 343 A idem cod. unus <τὰ> τοιαῦτα praebet. Varia l. [τε] καὶ λιχνεῖαις

probanda mihi videtur. In proximis optimorum codd. I. *περὶ* [τὰ] *κάτω στρέφουσι* Madvigius (*περὶκάτω* reponens coll. *κατωκάρρα*; comp. *ὑποκάτω*, *ἐπάνω* alia) Cobetus (Mnem. 1874 p. 281) Baiter Adam (ed. II) iure probarunt, quum *περὶκάτω στρέφειν* e Photii testimonio solemniter apud Atticos locutus esset pro *κάτω περιστρέφειν* et per totum hunc locum de *περιστροφῇ* et *τῷ περιστρέφεσθαι* sermo sit. Hermannii (Schneidero praeunte) ca [περὶ] *κάτω στρέφουσι*, quam Burnet recepit neque improbat Campbell, temere prolata est ac praeterea sententiam minus gravem reddit. Lectionem *περὶ τὰ κάτω* (sic et Iamblichus) Ast Bekker Stallb. Schneider Iw. Mueller (Symb. Crit. p. 9) Adam (1897) receperant, sed tunc *εἰς τὰ κάτω* opus erat, ut in subsequentibus legitur *περιστρέφετο εἰς τάλληθῆ*. Codex Mediceus Iamblichi *ἔξυτα* ... (spatium viginti fere litt.) ... *περ καὶ ἐφ' ἃ κτλ* praebet. Variam I. *τί δαί* pro *τί δέ* perperam Stallbaum recepit. — In § B Nabero (Mnem. 1909) pro *ζῶντες ἔτι* suadenti *ζῶντες ἔξω* coll. Criti. 108 E *τοῖς θ' ὑπὲρ Ἑρακλείας στήλας ἔξω κατοικοῦσι καὶ τοῖς ἐντὸς πᾶσιν* paucos assensuros puto.

P. 519 E: Ad *Ἐπελάθου*, ἣν δ' ἐγώ, *πάλιν κτλ* conferunt 420 B *ἐροῦμεν γάρ, ὅτι κτλ* et 466 A; vide etiam 497 A *οὐδέ γε, εἶπον, τὰ μέγιστα, μὴ τυχῶν πολιτείας προσηκούσης· ἐν γὰρ προσηκούσῃ αὐτὸς τε μᾶλλον αὐξήσεται καὶ μετὰ τῶν ἰδίων τὰ κοινὰ σώσει*. In eadem sententia malim ἐν <τῇ> πόλει, quia Platonica civitas spectatur; cf. 520 B ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι, 420 B 421 B. Post pauca dub. suadeo ἀλλ' [ἐν] ὄλῃ τῇ πόλει τοῦτο μηχανᾶται ἐγγενέσθαι coll. ex. gr. 421 B ὅπως ὅτι πλείστη αὐτοῖς εὐδαιμονία ἐγγενήσεται. — Verba *ἕναρμόττων τοὺς πολίτας πειθοῖ τε καὶ ἀνάγκῃ*,] *ποιῶν μεταδίδοντι* sic Latine vertenda sunt „concentu inter cives persuasione ac vi composito efficiens ut etc.”, nam ὁ νομοθέτης (cf. § E in νόμῳ) universam εὐπραγίαν consequitur efficiendo ut cives utilitatem quam quisque praestare possit alius cum alio communicent, quod cives haud dubie non facerent, nisi ἀρμονία quadam τὰ τρία eorum γένη inter se continerentur: ubicumque enim cives inter se dissident, nocere alius alii quam auxiliari student.

P. 520 A: Recte Schneider ἀφίη pro ἀφιῆ edidit. — In § B Nabero (Mnem. 1909) coni. ὡσπερ εἰς σμνήνεσιν pro ὡσπερ ἐν σμ., non assentior, quia mente supplere licet ἐν τῇ πόλει. — In § C v. l. καταβατέον οὖν ἐν μέρει ἕκαστον pro ἐκάστῳ memorabilis, sed non necessaria mihi videtur.

P. 520 D: Part. σχοῦσαν pro aor. gnomico nonnulli habent. Satius est vel variam l. ἰσχυσαν (Vind. F ἰσχυσαν) recipere vel cum Richardso et Nabero (Mnem. 1909) ἔχουσαν corrigere. In 370 E aliquot codd. σχοῦσα perperam pro ἔχουσα praebent. — In § E malo ἐκάστη <τῇ> πόλει.

P. 521 C: Fortasse corrigendum est πῶς γὰρ οὐκ [βούλομαι], ἔφη; vide dicta ad 348 A. Variam l. (Vind. F) τουτὶ δὴ pro τουτ' ἤδη Burnetus commemorare non debuerat; iotacismo enim qui dicitur, ea debetur. — Optimorum codicum l. ψυχῆς περιαγωγή ἐκ νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος οὔσαν ἐπάνοδον Schneider <sup>1)</sup> Stallbaum (1850) Campbell Adam 1902 Burnet servarunt, e quibus Adam post ἀληθινὴν distinxit ad ἀληθ. mente ἡμέραν supplens et verbis τοῦ ὄντος οὔσαν ἐπάνοδον ista εἰς ἀληθινὴν (sc. ἡμέραν) explicari putat („into the true day, that is, the ascent into Being”), sed ἀληθ. ἡμέρα est ipsa ἀλήθεια et ipsum ὄν. Astius coniecerat ἀληθινὴν τὴν (vel καὶ) ὄντως (v. l.) οὔσαν (sc. ἡμέραν), ἣν δὴ ἐπάνοδον φιλοσοφίαν ἀληθῆ φήσομεν εἶναι. Varia l. ἰούσης pro οὔσαν, quam Bekker et Stallbaum (ed. Goth.) receperant, plane absurda est, nam si ψυχῆ quae ἀνέρχεται εἰς τὸ ὄν, περιάγεται, tum necessario ad malas artes deflectitur. Hermannus Iamblichum οὔσα ἐπάνοδον, ut videtur, praebentem secutus edidit εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος οὔσα ἐπάνοδος, cui assentior dummodo corrigatur praeterea <τὴν> τοῦ ὄντος οὔσα ἐπάνοδος. Sic elegantissimam antithesin nanciscimur: νυκτερινὴ enim ἡμέρα (s. φῶς) est κιβδηλὴ ἡμέρα sive τὸ τῷ σκότῳ κεκρυμμένον, τὸ γιγνόμενόν τε καὶ ἀπολλύμενον (508 D), unde ψυχῆ extrahenda est ad ἀληθινὴν ἡμέραν sive τὸ οὐ καταλάμπει ἀλήθειά τε καὶ τὸ ὄν (ibid.); cf. 519 B ὣν εἰ ἀπαλλαγὴν

<sup>1)</sup> Is τοῦ ὄντος ἐπάνοδον explicans εἰς τὸ ὄν ἐπάνοδον contulit Apollodorum Heynii p. 200 τῆς "Λίδου καταβάσεως στόμιον.

περιστρέφετο εἰς τᾶληθῆ. Bakius in Biblioth. Crit. Nov. vol. 4 (p. 37) Astii coniecturam citans scripserat „Poterit fortasse lenius corrigi εἰς ἀληθινὴν τὴν ὄντως οὐσίαν (etiam in Sophist. 248 A τὴν ὄντως οὐσίαν) coll. Porph. in Stob. Tit. 21, 27 ult.’’. Cöbeti <sup>cam</sup> (Mnem. 1862) ψυχῆς περιαγωγὴ <καὶ> ἐκ νυκτερινῆς τινος ἡμέρας εἰς ἀληθινὴν τοῦ ὄντος οὐσίαν ἐπάνοδος Baiter et J. Nuesser (Bl. für bayr. Gymn. 21. 1885) probarunt nisi quod <καὶ> neglexerunt, sed ita carebimus eleganti antithesi (cf. ex. gr. 525 C μεταστροφῆς ἀπὸ γενέσεως ἐπ’ ἀλήθειάν τε καὶ οὐσίαν). Id quod Adam in editione I (1897) commendaverat ἄγρουσα ἐπάνοδον pro οὔσα ἐπάνοδον postea ipse improbavit. E. Wuest (Beiträge zur Textk. u. Ex. d. Plat. Politeia, Muenchen 1902) coniecit δούσα (pro οὔσαν) ἐπάνοδον. Ad verba Φιλοσοφίαν ἀληθῆ conferas 486 B Φιλ. ἀληθινῆς, 490 A.

P. 521 E: Varia l. <Καὶ> γυμναστικὴ μὲν που περὶ κτλ, quam Stephanus probaverat et Burnet recepit, mihi ut Schneidero non necessaria videtur. Bis initio sententiae positā vox gymnastices argumentationi non obest.

P. 522 A: Variam l. ἔθῃ pro ἔφῃ, quam unus Stephanus probaverat, iure Burnet recepit, nam insolenter ἔφῃ iteratum est neque ethicam, ut Schneider putabat, vim hic commode obtinet. Cum vero εὐαρμοστία et εὐρυθμία ni fallor (cf. praegressa ἔθεσι παιδεύουσα) ἔθῃ sint, lectio cod. Vind. F ἔθῃ genuina mihi videtur et vulgatum ἔφῃ librariorum incuriae deberi (eodem modo saepius θήσομεν et Φήσομεν in codd. confusa sunt). Ad ἄττα interpositis paucis a voce ἕτερα separatum conferas Politic. 268 D δεῖ καθ’ ἑτέρων ὁδὸν πορευθῆναι τινα. In editione I (1897) Adam ex uno codice ἔφῃ omiserat. Partic. ἔχουσα hic fere idem valet ac παρέχουσα (cf. supra παραδιδούσα). In subsequentibus μάθημα δὲ πρὸς τοιοῦτόν τι ἀγαθόν, οἷον σὺ νῦν ζητεῖς, οὐδὲν ἦν ἐν αὐτῇ illud τοιοῦτόν τι vix ad diu praegressa (521 D) ψυχῆς ὅλκον ἀπὸ τοῦ γιγνομένου ἐπὶ τὸ ὄν referri potest neque οἷον ad μάθημα, quod praegressa 521 D τὸ μάθημα ὃ ζητοῦμεν 521 E ὃ ζητοῦμεν μάθημα (vid. etiam 523 A in τῶν πρὸς τὴν νόησιν ἀγόντων — μαθημάτων — φύσει εἶναι ὧν ζητοῦμεν) suadent et ratio poscit. Quas ob causas textum cor-

ruptum censeo et legendum μάθημα δὲ πρὸς ΤΟ ΝΟΗΤΟΝ pro μ. δ. π. τοιοῦτόν τι recepta varia l. ἄγον, quam c. Eusebio codices F et Π (in marg.) praebent (cf. infra 523 A in. τῶν πρὸς τὴν νόησιν ἀγόντων φύσει εἶναι ὧν ζητοῦμεν). Adam vulgatam vertit „useful for any such purpose as you now require” addens „the words οἶον ζητεῖς are equivalent to πρὸς οἶον — ζητεῖς sc. μάθημα ἀγαθὸν εἶναι”; Campbell mire annotavit „ἀγαθὸν is to be taken with τοιοῦτόν and not with μάθημα” οἶον ad μάθημα pertinere suspicatus; Burnet denique vulgata τοιοῦτόντι servata unum ἄγον pro ἀγαθὸν (*idoneum ad*, cf. 407 E ἀγαθὸς πρὸς τὸν πόλεμον, Xen. Mem. 4. 6. 10) Stephano et Astio <sup>1)</sup> praeuntibus recepit.

P. 522 B: Nabero (Comm. Platon. I 1862) ὃ δαιμόνιε [Γλαύκων] legenti non obtemperandum censeo. Post pauca Astio αἱ [τε] γὰρ τέχναι corrigenti assentior, cum Glauconis responsum πῶς δ' οὐ non ostendat Socratem, ut Schneider putabat, ab eo interpellatum esse praeterque τέχναις nil Socratem addere voluisse Glauconis verba μουσικῆς καὶ γυμναστικῆς καὶ τῶν τεχνῶν κεχωρισμένον documento sint. Vulgata l. describentis errore (sequitur ΤΕΧΝΑΙ) ortum mihi videtur. — In § C Bekker Ast Burnet <sup>vam</sup> l. <τὸ> ποῖον, ἔφη probarunt; fortasse recte, quia praecedit ΤΟΤΤΟ (τὸ κοινόν). In proximis Astius sine causa <sup>vam</sup> l. (παγγέλοιον) οὖν pro γοῦν recepit: vulgata enim, qua Socrates significatur ridens Glauconi assentiri, orationem alacriorem reddidit.

P. 522 D: I. I. Hartmano (De Emblem. etc. 1898 p. 65) et Nabero (Mnem. 1909) verba εἶπερ ἀριθμεῖν μὴ ἠπίστατο (Theo Smyrn. praebet εἰ γε μὴ ἠπίστατο ἀριθμεῖν) delentibus nullus adversor. Ubi nunc leguntur, ferri nequeunt. Dubitanter ipse ea transponenda censeo hunc in modum καίτοι ποῖόν τιν' αὐτόν οἶε στρατηγὸν εἶναι, <εἶπερ ἀριθμεῖν μὴ ἠπίστατο>. ΑΤΟΠὸν τιν' κτλ.

P. 522 E: Rogandi formula ἄλλο τι οὖν Latine vertatur

1) In ed. 1822 in calce annotavit Astius „fortasse ἀγαθόν”, quod ferri nequit: aut ἄγον aut ἀγωγόν (sic Hottinger, cf. 523 A 525 A) opus est.

„ergone”. Varia I. <καὶ> λογίζεσθαι (sic editt. inde a Schneidero praeter Stallbaumium et Burnetum) improbanda mihi videtur, quia propter praegressa 521 D (δεῖ μάθημα) μὴ ἄχρηστον πολεμικοῖς ἀνδράσι εἶναι et 522 C ult. οὐκοῦν, ἦν δ' ἐγώ, καὶ ἡ πολεμική; (sc. ἀναγκάζεται αὐτῶν μέτοχος γίγνεσθαι) prae ceteris τὸ ἀναγκάζον eminere debet. Illud καὶ ex interpolato et male lecto ἦ, quod in compluribus codicibus legitur, ortum est. Paulo post Nabero (Mnem. 1909) τάξεων <πέρι> ἐπαίειν commendanti non assentior.

P. 523 A: In verbis τῶν πρὸς νόησιν ἀγόντων φύσει εἶναι vocem φύσει ad εἶναι pertinere sequentia χρῆσθαι δ' οὐδεὶς αὐτῶ ὀρθῶς i. e. „eius naturam homines non agnoscunt” docent. Nabero (Mnem. 1909) ἀγωγὰ τε εἶναι οἱ λέγομεν καὶ <ᾧ> μὴ postulanti assentiri non possum propter τε additum. In eadem sententia malo σαφέστερον εἰδῶμεν pro σ. ἴδωμεν; tritum est σάφ' ἴσθι et similia. Naberum l. c. idem postulasse video (cf. § C σαφέστερον εἶσει). Propter sequens δείκνυμι (non δεικνύω) editores inde a Baitero v<sup>am</sup> l. δείκνυ' pro δείκνυ probare non oportuerat.

P. 523 B: Verba ὡς τῆς αἰσθήσεως οὐδὲν ὑγιὲς ποιούσης per se spectata optimum sensum praebent, ut nobis Astii <sup>ca</sup> νοούσης non opus sit. Praeterea vix credo Platonem h. l. τὴν αἰσθησιν νοεῖν dicere potuisse, quod ἡ αἰσθησις tantummodo σημαίνει s. παραγγέλλει s. δηλοῖ. — Ad μὴν in verbis ποῖα μὴν, ἔφη, λέγεις (recte Campbell vertit „but what then are the things you mean?”) conf. Theaet. 142 A ποῦ μὴν; Alcib. I 119 C ἀλλὰ πρὸς τίνας μὴν; — In § C corrige sis οὐτοί pro οὔτοι, quum Socrates haec dicens tres digitos porrigat; cf. Arist. Nub. 653 τίς ἄλλος ἀντὶ τουτουὶ τοῦ δακτύλου, Plat. Prot. 335 D τοῦ τρίβωνος τουτουί, ibid. Lach. 179 A ἡμῖν εἰσιν υἱεῖς οὔτοι, ὅδε μὲν τοῦδε κτλ, Menon. 82 C ταυτασὶ κτλ. In sequentibus ὡς ἐγγύθεν τοῖνυν ὀραμένους λέγοντός μου διανοῦ particula ὡς ad λέγοντός (in animo habere, cogitare de) pertinet. Variam I. Δάκτυλος μὲν <που> αὐτῶν (sic et Iambl.) unus Burnet recepit. Et mihi που (ορίηορ) non ineptum hic videtur et facile inter μεN et ΑΥΤῶν excidere potuit.

P. 523 D: Ex Iamblichō Burnet ἐπ' pro ἐν (ἐσχάτω) coll.

§ E ἐπ' ἐσχάτῳ recepit. Mihi unius Iamblichi auctoritas non sufficere videtur ad vulgatam mutandam (cf. Sophocl. fr. ἔχει γὰρ ἔδραν Ζεὺς ἐν ἐσχάτῳ θεῶν). In sequentibus Faehse (fortasse coll. 524 A ἐν τοῖς τοιοῦτοις) sine causa (ἐν πᾶσι γὰρ) τοιοῦτοις pro τοῦτοις coniecit (praeterea τοῖς τοιοῦτοις opus erat). Astio post pauca verba τῶν πολλῶν (plerorumque s. plurimorum, Campbell vertit „the ordinary mind”) delenti iure Schneider oblocutus est (mirum in modum Herwerdenus — Mnem. 1884 — ci. ἀναγκάζεται <μὰ> τὸν <Α> πόλλῳ).

P. 524 A: Verba παρηγγέλλει (τῇ ψυχῇ) ὡς . . . αἰσθανομένη significant παρηγ. ὡς αἰσθάνεται. Verbis enim sentiendi (διανοεῖσθαι) et declarandi (σημαίνειν, νομοθετεῖν, τιθέναι, πείθειν) necnon vocibus δῆλον λόγος μῦθος aliis saepissime additur ὡς cum participio: cf. Theaet. 158 B' ὡς πετόμενοι ἐν τῷ ὕπνῳ διανοῶνται, Legg. 626 E ταῦτά γὰρ ὡς πολέμου ἐν ἑκάστοις ἡμῶν ὄντος πρὸς ἡμᾶς αὐτοὺς σημαίνει, Resp. 560 D μετριότητα . . . ὡς ἀγροικίαν καὶ ἀνελευθερίαν οὔσαν πείθοντες. Adam autem haec sic interpretatus est ὡς ταῦτὸν σκληρόν τε καὶ μαλακόν ἐστίν, εἰ οὕτως αἰσθάνεται („when it perceives it to be so”) addens „it should be remembered that touch does not always report that an object is both hard and soft”. Sed vide in § C μέγα μὴν καὶ ὄψις καὶ σμικρὸν ἑώρα, Φαμέν, ἀλλ' οὐ κερχωρισμένον, ἀλλὰ συγκεχυμένον τι. — In subsequentibus cod. Vind. F 1.<sup>em</sup> ἐν <γε> τοῖς τοιοῦτοις unus Burnet recepit; mihi γε dittographia ortum videtur (ad οὐκοῦν . . . αὐ conf. 444 A ult. οὐκοῦν στάσιν τινὰ αὐ). In 523 D ult. τό γε τοιοῦτον idem codex male γε omisit. Inde a Schneidero editores v<sup>am</sup> l. (τί ποτε σημαίνει) αὕτη ἢ αἰσθήσις pro αὐτῇ ἢ αἰσθ. probarunt. Schneider verbis αὕτη ἢ αἰσθήσις significatam putabat τὴν τοῦ σκληροῦ αἰσθήσιν (sive τὴν ἐπὶ τῷ σκληρῷ τεταγμένην), Adam autem interpretatus est „this present sensation” addens „non the sense of touch in general”. Si αὕτη (sic Par. A et Vind. F) genuinum est, significatur ἡ τοῦ σκληροῦ τε καὶ μαλακοῦ αἰσθήσις. In § ult. corrigatur suadeo τί τὸ κοῦφόν <τε> καὶ βαρύ.

P. 524 B: Herwerdeno (Mnem. 1884) αὐταὶ γε ἄποροι pro ἄτοποι postulanti non assentior, siquidem ἐρμηνεῖται (Adam vertit



„communications”) non minus recte ἄτοποι (*mirae*) quam ἄποροι (difficiles intellectu) dici possunt. Praeterea vox ἄτοποι satis defenditur praegressis (523 B) ὡς τῆς αἰσθήσεως οὐδὲν ὑγιὲς ποιούσης. In eadem sententia Schneider cum uno codice articulum αἰ ante ἐρμηνεῖαι expungendum censebat, ut sensus esset „assurément, voilà etc.” At conferas 530 D αὐταὶ ἀλλήλων ἀδελφαί τινες αἰ (omisit unus cod.) ἐπιστῆμαι εἶναι (sc. κινδυνεύουσι), Legg. 629 B ταῦτα γὰρ ἀνήκοάς πευ καὶ σὺ τὰ ποιήματα, Legg. 676 C, alia.

P. 524 C: In verbis μέγα μὴν καὶ ὄψις καὶ σμικρὸν ἐώρα articulus coll. 523 D ἡ ὄψις et 523 E ἡ ἀφή desideratur et καὶ ante ὄψις sensu caret, nisi ἀλλ’ (ante οὐ) expungitur. Miror Adamum annotasse „sight also, sc. as well as νόησις”. Veri est simile igitur in antiquo libro scriptum fuisse μέγα μὴν ἢ καὶ ὄψις, unde variae ll. fluxerunt. Itaque Stephanus et Astius recte μέγα μὴν ἢ ὄψις ediderant. Pronomen τι etiam ad κεχαρισμένον pertinet, sed fortasse τι e sequenti Ἡ ΓΑΡ dittographia natum est. — Verba τί οὖν ποτ’ ἔστι τὸ μέγα αὖ καὶ τὸ σμικρὸν orationis quae recta dicitur, esse existimanda sunt, si iure nonnulli οὖν ab oratione indirecta alienum iudicarunt. In Prot. 322 C ἐρωτᾷ οὖν Ἑρμῆς Δία, τίνα οὖν τρόπον δοίη Cobetus δᾶ postulavit. Obstare videtur Aeschyl. Agam. 489 sq. τάχ’ εἰσόμεια... εἴτ’ οὖν ἀληθεῖς εἴτ’ ὄνειράτων δίκην κτλ, quamquam nullo negotio εἴτ’ ἄρ’ (librarii AP AN OTN sexcenties confuderunt) emendare possis (cf. Phaedon. 70 C Theaet. 169 A Thucyd. 6. 60,2 alia); apud poetas ἄρα saepe idem atque ἄρα valet.

P. 524 D: Variam l. πότερον pro ποτέρων soli Hermann et Baiter probarunt, quod parum eleganter pro ποῖον dictum foret. Ad vulgatam ποτέρων defendendam conf. Hipp. Mai 303 B Theaet. 186 A Symp. 184 A. In Phaedri 263 C Hirschigio (ed. Apolog. 1853) ποτέρων pro πότερον postulanti Stallbaum aduersatus est. In Euthydem. 305 B pro ποτέρων ἦν... πότερον κτλ Cobetus (Mnem. 1874) coniecit πότερον ἦν altero πότερον expuncto. De litteris o et ω in Parisino A confusis vide dicta ad 399 C.

P. 524 E: Dativus αὐτῷ pendet a voce ἐνκντίωμα. In § ult.

ad verba ἐν αὐτῷ (ψυχὴ ἀπορεῖν) Adam annotavit „is not ἐν τῷ ἐνί, but in the case in question, in such a case”. Ipse Gallice interpretor „à son sujet”. Verba καὶ ἀνερωτῶν post ζητεῖν male abundare et insiticia puto.

P. 525 A: Ad μεταστρεπτικῶν (v. l. est μετατρεπτικῶν) conf. § C μεταστροφῆς, 518 D μεταστραφήσεται, 526 E. Verba τοῦτό γ' ἔχει significant τὴν ψυχὴν ἀπορεῖν ποιεῖ. Utrum in sequentibus ἢ περὶ τὸ αὐτὸ ἔψις (sic cum Par. A. Ven. Π. Stephanus Herm. Baiter Campbell <sup>1)</sup> Adam 1902) an ἢ περὶ αὐτὸ ἔψις (sic Vind. F Iamblichus) legendum sit ambigitur, at τὸ αὐτὸ legendo sententiarum nexum (Glaucōnem enim diserte respondere oportet ποτέρων — τῶν ἀγωγῶν πρὸς ἀλήθειαν et τῶν μὴ — sit τὸ ἔν) interire verissime Schneider monuit. Quisnam assentiet Adamo scribenti „τὸ αὐτὸ is in reality more elegant . . . (and) means the same as that with which ἡ μάθησις (praecedit ἢ περὶ τὸ ἐν μάθησις) was concerned (viz. τὸ ἔν) and not one and the same object of vision”? In proximis ἅμα γὰρ ταῦτόν ὡς ἔν κτλ vox ταῦτόν significat „unum idemque”. In § ult. Pari A lectionem (ταῦτόν πέπονθε) τούτῳ pro τούτῳ soli Hermann Baiter Campbell iniuria probarunt. Burneto dubitanter suadenti (ἀλλὰ μὴν λογιστικῇ) γε pro τε non assentior.

P. 525 B: Male in sequentibus C. Liebholdum (Philologus 1877) coniecisse διὰ τὸ τῆς οὐσίας ἀπτόον [εἶνχι] et μηδέποτε λογιστικῷ γενέσθαι <ἔστιν i. e. ἔξεστιν>. Ἔστι ταῦτ', ἔφη nemonon videt. — In § C variam l. τῆς ψυχῆς ἐκστάνης [τε] μεταστροφῆς Ast Schneider Stallbaum (ed. Goth.) Adam Burnet iure probarunt.

P. 525 D: Ad duo ἀριθμητικῆς genera conf. Phileb. 56 D Ἀριθμητικὴν πρῶτον ἄρ' οὐκ ἄλλην μὲν τινα τὴν τῶν πολλῶν φατέον, ἄλλην δ' αὖ τὴν τῶν φιλοσοφούντων. — Verba ἄνω ποι (ἄγει τὴν ψυχὴν) dicta sunt pro εἷς τι τῆς ἀληθείας μέρος; conf. Legg. 705 D εἷς ἀρετὴν ποι βλέπει κτλ. In § ult. codd.

1) In notis autem scribens „τὸ αὐτὸ is retained, not as inherently more probable, but as the reading of the best MSS.”

A et Π praebent *δεινοῦς* <δύο>, quod incaute Burnet in *δεινοῦς* <αὐ> mutandum censuit. Praestat, ni fallor, cum ceteris editoribus δύο e margine invectum putare.

P. 525 E: Herwerdeno (Mnem. 1884) suadenti *μήποτε Φανῆ τὸ ἐν μὴ ἔν, ἀλλὰ πολλὰ [μόριον]* non assentior propterea quod verba in 526 A *μόριόν τε ἔχον ἐν ἑαυτῷ οὐδέν* nos cogunt ista interpretari „ne τὸ ἐν videatur non indivisibile, sed e multis partibus compositum”.

P. 526 A: In § ult. Nabero (Mnem. 1909) corrigenti *πάντως ἐπιδιδόσιν* pro *πάντες ἐπιδ.* („quotidiana experientia hoc falsum esse arguit, nisi rescribas *πάντως*”) paucos assensuros puto. Neque *πάντες* (omnes proficiunt, quamquam non pari modo) ineptum est et *πλεῖστα* sive *πλεῖστον*, si quid mutandum esset, magis quam *πάντως* placeret. — In § D unus Burnetus v<sup>m</sup> I. *γεωμετρικός* <τε> καὶ μὴ recepit. Idem in § ult. cum Stephano et Astio I. <καὶ> *βραχύ τι ἂν ἐξαρκοίη* quam pauci codd. praebent, probavit, sed *βραχύ τι* emphatice pronuntiandum est.

P. 527 A: Vocem *λόγοις* pro spuria habeo. In proximis *λέγουσι μὲν που μᾶλλον γελοῖως τε καὶ ἀναγκασίως* ultimum verbum multis molestum visum est. At *ἀναγκασίως λέγειν* (manca atque imperfecta oratione uti) *οἱ γεωμετρικοί* eam ob causam dicuntur quod melioribus loquendi modis destituti deterioribus iisque fere ridiculis uti coguntur. Sic apud Thucyd. V 8 Brasidae militum *ἔπλασις* (armatus) *ἀναγκασίω*, hoc est *imperfecta*, vocatur, quoniam necessitate quadam melioribus armis carebant (vide eundem scriptorem in libro VI 37 *ἀναγκασίως παρασκευῆς*, quod Franco-galli vocant „un armement de fortune”). Quare nec Madvigii ca *ἀκάκως* (*simplicius*) nec Naberi (Mnem. 1909) *σκιῶς* necessaria mihi videtur. Non male Adam vertit „in beggarly fashion”. Campbellius interpretatus „with merely practical needs in view” aperte falsus est.

P. 527 B: In verbis *τοῦ ποτέ τι γιγνομένου καὶ ἀπολλυμένου* pronomen *τι*, quod Stallbaum in ed. Gothana secundum aliquot codd. omisit, plane friget et dittographia ortum videtur: τῷ

ἀεὶ ἔντι opponendum τό ποτε γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον. Praeterea corrigatur <τε> καὶ ἀπολλυμένου. Post pauca Campbellius dub. commendavit ὁ (pro ᾧ) νῦν κάτω οὐ δέον ἔχομεν, quo ni fallor, opus non est.

P. 527 C: Herwerdenus (Mnem. 1884) vulgatam (ἐν τῇ) κλλιπόλει ut „sequioris aetatis” (contulit Μεγάλη πόλις et Μεγαλόπολις) improbabat et variam I. κλη πόλει (Stephanus ex uno cod. Καλλίστη dederat) recipiendam ducebat, cui non assentior, quamquam p. 472 E legimus παράδειγμα . . . ἀγαθῆς πόλεως, ap. Herod. 6. 22 ἐς Καλὴν ἀκτὴν, ibidem 4. 147 ἐν τῇ νῦν Θήρη καλεομένη νήσῳ, πρότερον δὲ Καλλίστη τῇ αὐτῇ ταύτῃ (apud Isocrat. 4. 23 librarii κλης τῆς in καλλίστης mutaverant). Satis enim nomen vulgatum defenditur vocabulis similibus Καλλικολώνη, Καλλιρρόη (fons) Καλλιδρομος (collis), κάλλιχθους necnon lepidius est quam κλη (s. Κλη) πόλει. Themistius quoque vulgatam κλλιπόλει exhibet, quamquam eius aetate ἡ καλλίπολις notum cognomen Byzantii erat. Nomen Καλλιπολίτας ap. Herod. 7. 154 ad κλλιπελιν referendum videtur. — Dub. suadeo <τὰ> πῶς. In proximis Herwerdenus l. c. collecto 526 D γεωμετρικὸς καὶ μὴ partic. τε post ἡμμένος expunxit; cum vero illic quoque <τε> καὶ sensu salvo multi codices praebeant, ab omni mutatione abstinere praestat, etsi τε facillime dittographia nasci potuit. V<sup>am</sup> lectionem τί δαὶ recte omnes fere editores improbarunt.

P. 527 D: Lectio ἔμοιγ' οὖν prava est, vide dicta ad 352 D; sine ulla autem constantia multi editores hic ἔμοιγ' οὖν, sed 530 B ἐμοὶ γοῦν sola codicum auctoritate ducti ediderunt. Exemplum τοῦ τὴν ἀστρονομίαν καὶ στρατηγῶν προσήκειν vir d. Montijn (Quaest. et Explicat. Platonicae 1864) e Livii lib. 44, 37 protulit „castris permunitis C. Sulpicius Gallus etc.” — Sequentia τὸ δ' ἔστιν (at revera) οὐ πάνυ Φυῶλον, ἀλλὰ χαλεπὸν πιστεῦσαι ὅτι ἐν τούτοις τοῖς μαθήμασιν ἐκάστου ὄργανόν τι ψυχῆς ἐκκαθαίρεται τε καὶ ἀναζωπυρεῖται ἀπολλύμενον καὶ τυφλούμενον ὑπὸ τῶν ἄλλων ἐπιτηδευμάτων, κρεῖττον ἢ σωθῆναι μυρίων ὀμμάτων tanta lectionis varietate a Theone Smyrneo citantur ut dubium esse nequeat quin interpolato sit usus

codice. In Theonis autem lectione ὅτι ἐν τούτοις τ. μαθήμασιν ἐκάστου <οἶον> ὄργανοις τὸ ψυχῆς ἐκκαθαίρεται καὶ ἀναζω-  
 πυρεῖται <ὄμμα> τυφλούμενον καὶ ἀποσβεννύμενον  
 ὑπὸ ... κρεῖττον ἐν σαθῆναι μυρίων ὀμμάτων vox ὄμμα non  
 ferenda nisi e Nicomacho (quem in Isag. Arithm. 1. 3 com-  
 pendiose Platonis verba memorasse statim apparet) σωματικῶν  
 vel ex Iamblichō (De vita Pythag. p. 148 ed. Kiesl.) σαρκίωνων  
 post μυρίων inserto. At vulgata ἐκάστου ὄργανόν τι ψυχῆς non  
 modo coll. 518 C τὸ ὄργανον ᾧ καταμανθάνει ἕκαστος optimum  
 sensum praebet, verum etiam Plutarchi (Symposiac. l. 8. prob.  
 2 πῶς Πλάτων ἔλεγε τὸν θεὸν αἰεὶ γεωμετερεῖν) Theone anti-  
 quioris testis verbis καὶ τὸ μυρίων ἀντάξιον ὀμμάτων  
 ὄργανον ψυχῆς καὶ Φέγγος ἀπόλλυσιν, ᾧ μόνῳ θεατὸν ἐστὶ  
 τὸ θεῖον satis superque defenditur. Porro τυφλούμενον voce  
 ὄμμα non adiecta recte se habet coll. 411 D οὐκ (nonne) εἴ τι  
 καὶ ἐνῆν αὐτοῦ Φιλομαθῆς ἐν τῇ ψυχῇ, ... ἀσθενές τε καὶ κωφὸν  
 καὶ τυφλὸν γίγνεται, ἅτε οὐκ ἐχειρόμενον κτλ. Itaque impro-  
 bandam censeo Cobeti (Mnem. 1862) necnon C. Wexii (Fleck.  
 Jbb. 1863) sententiam Platonis manum fuisse πιστεῦσαι ...  
 ἐκάστου <οἶον> ὄργανοις τὸ ψυχῆς ἐκκαθαίρεται τε καὶ ἀνα-  
 ζωπυρεῖται <ὄμμα> ἀποσβεννύμενον<sup>1)</sup> καὶ τυφλούμενον. Cobetus  
 praeterea ob verba Theonis τὸ δ' ἐστὶν οὐ πάνυ φαύλοισι, ἀλλὰ  
 πᾶσι χαλεπὸν πιστευθῆναι ὅτι κτλ et Nicomachi τὸ δ' ἐστὶ  
 παρχάλεπον, μᾶλλον δὲ ἀδύνατον ipsi Platoni παρχάλεπον (pro  
 χαλεπὸν) reddendum putabat, vereor ne temere. In eadem  
 sententia Herwerdenus (Mnem. 1884) ἐκάστῳ pro ἐκάστου  
 postulabat, at vide similem compositionem in 518 C σημαίνει  
 ταύτην τὴν ἐνοῦσαν ἐκάστου δύναμιν ἐν τῇ ψυχῇ, 411 D οὐκ  
 εἴ τι καὶ ἐνῆν αὐτοῦ Φιλομαθῆς ἐν τῇ ψυχῇ, alibi. Corrigendum  
 arbitror ἀπολλύμενόν <τε> καὶ τυφλ. (sic Alcinoüs, qui c. aliis  
 ἀποτυφλ. praebet) aut ἐκκαθαίρεται [τε].

P. 527 E: Ad verba ἄλλην γὰρ ἀπ' αὐτῶν οὐχ ὁρᾷσιν ἀξίαν  
 λόγου ἀφέλειαν Adam annotavit „the logical sequence is some-

1) Hoc debetur iis qui ὄμμα in textum intulerant. Alcinoüs (Isagog. 27) ἀπο-  
 λύμενον, Nicomachus (Isag. Arith.) κατορυγτόμενον praebet, quod fortasse e 533 D  
 ἐν βορβάρῳ βερβαρικῷ τινι τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα κατορωρυγτόμενον petitum est.

what difficult. Do not (says S.) be so anxious to persuade *οἱ πολλοί* of the usefulness of our curriculum. Its *true* utility is difficult to understand, and *οἱ πολλοί* will not easily be persuaded of it... for they can see no *practical* advantage (worthy of mention) accruing from them (they cannot see any other, i. e. any practical *ὠφελία* worth mentioning in Plato's studies). "Ἄλλην cannot be understood as „beyond their practical applications" (Davies and Vaughan) unless we refer it to Glauco's remark τὸ γὰρ περὶ ὥρων εὐκισθητοτέρως ἔχειν κτλ in § D, to the [detriment both of grammar and of sense". Haec probet qui velit; ego aliquid excidisse puto et legendum esse ἄλλην ΓΑΡ <ῚΗΣ ΕἴΠΙΑΣ> ἀπ' αὐτῶν κτλ (Bastien, interpres Gallicus Platonis verba vertit „car ils ne voient dans ces sciences, après l'utilité dont tu as parlé, aucun autre avantage qui vaille la peine d'être mis en ligne de compte").

Codicum A et Π lect. ἢ οὐ πρὸς οὐδετέρους Bekker Ast Herm. Campb. Adam (1902) servarunt, at *οὐ* neque „nonne" interpretari licet neque emphasis causa (sic Campb. et Adam) adiectum esse arbitrari. Quam ob causam alii (Schneider — in notis dub. σὺ pro *οὐ* commendans — et Stallbaum 1859) *οὐ* sec. aliquot codd. omiserunt, alii prudentius agentes coniectura locum sanare conati sunt: Cobetus (Variae Lectiones II) et Badhamus (in Euthyd. ed.) probantibus Campbellio Adamo (1897) Burneto coniecerunt ἢ οὐδὲ πρὸς ἑτέρους <sup>1)</sup>, Madvigius ἢ εἰ πρὸς οὐδετέρους, quod Baiter recepit ipse dub. suadens ἢ εἰ οὐδὲ πρὸς ἑτέρους, C. Liebholdus (Philologus 1877) denique ἢ που („doch wohl an keine von beiden, sondern"). Mihi sola Cobeti et Badhami *οὐ* cum Glauconis responso non pugnare videtur.

1) Conf. Thucyd. II 72 καὶ ἔστε μὴδὲ μεθ' ἑτέρων, δέχεσθε δὲ ἀμφοτέρους φίλους, Demosth. 42. 12 οὐδ' εἰς ἑτέραν τῶν ἡμερῶν.

# UNDE VERGILIUS HAUSERIT PRAECEPTA DE RE APIARIA? (GEORG. IV 1—280.)

SCRIPSIT

G. PIEPERS S.J.

---

De auctoribus, quos Vergilius in Georgicis secutus sit, plurimi jam viri docti scripserunt. Maxime autem laudare velim J. van Wageningen in libello: de Vergilii Georgicis (Traj. ad R. 1888) et P. Jahn, qui in ephemeride, cui nomen Philologus (1904), fuse de hac re egit et in nova Georgicorum editione (Weidmann, 1915) sententiam suam non mutavit. Plura autem nomina afferre inutile mihi videtur; qui ea vult cognoscere, adeat libros quos modo laudavi.

Omnes autem in id fere consentiunt, ex Varrone maxime Vergilium sua de agro colendo hausisse praecepta. Cui sententiae nolo equidem contra dicere, dum agitur de tribus prioribus Georgicorum libris. Cum enim nullam ipse de hac re instituerim inquisitionem, decet me tacere et viris doctissimis assentiri, quos diligentissime operam huic rei dedisse persuasum habeo. Sed de quarto libro aliud sentio. Agit ibi poëta de apibus et cum ex multis antiquis scriptoribus, qui ante Vergilium de apibus scripsere, duo tantum tulerint aetatem, Aristoteles (Ilist. An. V 21. 22 IX 40) et Varro (de Agricult. III 16), mirum non est illos auctores a viris doctis cum Vergilio esse comparatos et inde communem hodie vigere sententiam maxime ex Varrone Vergilium sua de apibus desumpsisse praecepta. Vereor autem ne multi philologi, qui nunc isti opinioni sunt addicti, longe aliam amplexuri fuerint sententiam, si paululum ipsi in arte apes colendi et tractandi fuissent

versati. Negari enim vix potest Vergilium, quamvis fuerit maximus certe poëta et omni laude dignissimus, in consuetudine et usu rei apiariae fuisse hospitem. Risum enim movent, quae narrat de examinibus, de pugna inter duos reges commissa, de custodibus portarum, de origine apium. Noli autem mihi respondere has res, quas indicavi, antiquis temporibus non satis fuisse cognitatas. Nam quamquam libenter concedo Romanos et Graecos universam apium naturam et ingenium non ita nota habuisse ut nos nunc ea cognovimus, persuasum tamen habeo jam sua aetate ineptum et stolidum Vergilium futurum fuisse apiarium, nam plura affert quae ét Varro ét Aristoteles aut plane negant aut longe aliter intelligunt. Sed pluribus verbis id exsequi nolo.

Nunc in animo mihi est inquirere, quem auctorem Vergilius in prima parte libri quarti maxime sit secutus et imprimis, id quod caput est totius hujus disputationis, utrum Vergilius Varronis praesertim doctrina sit usus necne.

Prius autem in memoriam revocare velim, qua ratione in hac quaestione dirimenda viri docti hactenus sint usi. Diligentissime conquisierunt omnia, quae Vergilius et Varro haberent communia, et maxime attenderunt non ad ipsas res sed ad verba quibus res narrarentur. Mihi autem haec ratio non satis certa securaque esse videtur. Notissimum enim est duos scriptores, si de eadem re agant, etiamsi inter se plane sint ignoti, solere in multis rebus et verbis convenire, neque inde licet efficere eos inter se dependere. Si, ut hoc exemplo utar, duo auctores, inter se ignoti, de apibus agunt, fieri vix potest quin ambo dicant apes in quadam societate et exercitu vivere. Si quis de fucis verba facit, non potest non loqui de fucorum ignavia. Si sermo incidit in alvos et materiam ex qua sint constructae, necesse paene est de corticibus et viminibus ali quid dicere. Corticeae enim et vimineae alvi tunc ubique in usu erant. Ob hanc rationem in tali auctorum comparatione non magis mihi attendendum videtur ad ea in quibus consentiunt quam ad ea in quibus discrepant.

P. Jahn non dubitavit Vergilii artem, qua hoc Georgicorum carmen composuerit, cum opere musivo comparare, in quo lapilli varii coloris et undique collecti apte inter se compo-



nuntur et in hoc magnam inesse laudem putat, quod poëta summo labore ex diversis auctoribus verba quaedam elegerit, poëticae ornaverit et diligentissime suo quodque collocarit loco. Cum Vergilius versum aliquem incipit a verbis *saepe etiam*, ineptissime suspicatur ille haec verba usitatissima ex alio poëta esse desumpta quasi Vergilius non potuerit ipse ex suo ingenio haec afferre. Cum Vergilius dicit de haedis *petulcis*, Lucretium audet nominare, qui alicubi agit de agnis *petulcis*, et inde sibi videtur aliquid efficere posse. Sed plura afferre taedet. Mihi enim ista ratio versus componendi plane videtur puerilis et Vergilio indignissima. Quis enim persuadere sibi poterit poetam carmen scribentem singulis fere temporum momentis sistere ut epitheton aliquod aptum quaerat, deinde alios inspicere auctores et tandem felicissimo casu incidere in vocem, qua versum suum possit explere. Hoc non est poëtae, sed pueri imperitissimi, artem versus componendi primum tentantis.

Immo longe alia videtur ineunda esse via.

Primo enim loco statuendum mihi videtur, quid poëta in re apiaria ipse minime versatus ex aliis fontibus haurire *debuerit*. Sunt autem ea quae ad ipsam artem et usum rei apiariae pertinent. Hujusmodi enim res Vergilius ex suo non potuit eruere ingenio, quia, id quod mihi certissimum videtur et ex ipso carmine facile potest probari, ipse apium vitam et cultum in rerum natura numquam attente inspexit. Non potuit Vergilius omnium herbarum et florum nomina nota habere quae apibus utiles essent, neque ipse potuit scire qua ratione apes essent curandae, qui essent earum morbi morborumque remedia, e qua materia constructae essent alvi, quae genera essent apium et alia ex eo genere. Si autem has res, quas indicavi, ét in Vergilio ét in Varrone inter se comparaverimus, solidum mihi videor habere fundamentum, in quo aptum et verum possimus exstruere argumentum.

Hac ratione Vergilium perlegenti statim occurrunt mihi versus 8—17, in quibus poëta inter animalia apibus inimica enumerat *oves, buculos, lacertos, meropes aliasque volucres*. Si Varronem inspicimus, ne verbo quidem de his animalibus mentionem factam videmus.

In versu 26 agit poëta de fonte unde bibere possint apes

monetque ut in aqua *grandia coniciantur saxa* ne apes in aqua pereant. Varro autem hortatur quidem, ut in illa aqua adsint *testae et lapilli*. *Grandia* autem saxa, quae Vergilius affert, risum movent cuicumque in arte apes curandi paululum versato. Aliunde igitur sumpsit Vergilius consilium istud ridiculum, non a Varrone. Sed etiam plura hinc efficere posse mihi videor. *Grandia* enim illa saxa Vergilii me movent ut suspicer Vergilium Varronis librum vix legisse, nam si vere Varronis caput 16 perlegisset, non tam stolidum dedisset consilium.

Versibus 30—32 praecipit Vergilius, ut prope ab alveario apponantur *casiae, serpulla, thymbrae, violaria*. Varro autem ét serpulla ét quindecim alias enumerat plantas, sed de casiis, thymbris, violariis ne mentionem quidem facit. Jure igitur meo rogo potueritue Vergilius Varronis librum prae manibus habere cum hos versus scribebat. Equidem hoc mihi persuadere non possum.

At in versibus 33 sq. Varronis auctoritas certissime videtur agnosci, nam alvos ibi construere jubet Vergilius ex cortice aut viminibus, quae duae materiae etiam apud Varronem occurrunt. Sed id Vergilius ubique potuit invenire, non in solo Varrone ut jam supra monui. Accedit quod Varro tres alias adicit rationes conficiendi alvos, scilicet ex arboribus cavatis, ex fictilibus, ex ferulis quadratis et de his tacet Vergilius.

Sequuntur versus 58—66, ubi Vergilius multa et inepta tradit de examinibus apium, quae numquam eum vidisse persuasum mihi est. Habet tamen quaedam cum Varrone communia. Uterque enim auctor monet ramos arborum *saporibus* esse aspergendos et *tinnitu* etiam examina ad eos ramos esse allicienda. Sed tota examinibus descriptio tam est exilis et jejuna, ut vix Varronem mihi legisse hic videatur. Sed quidquid id est, tinnitus et ramorum aspersio ét nunc ét antea tantopere erant in usu, ut apud omnes fere auctores ea praecepta Vergilius potuerit invenire. Nil igitur inde effici potest ad Varronis auctoritatem confirmandam.

Versus 67—87 agunt de pugna inter duos reges *extra alvos* commissa. Pulcherrimi sunt illi versus, res ipsa quae narratur ineptissima, nam talem pugnam fieri posse jam Aristoteles negaverat qui (Hist. An. IX 40): apes, inquit, *ἔξω ὑτ' ἀδι-*

κοῦσιν ἀλλήλας οὔτε τῶν ἄλλων οὐδέν, et: reges numquam ex alvo egrediuntur nisi μετ' ἀφέσεως. Unde autem Vergilius miram hanc narrationem hauserit, plane ignoro, nam numquam mihi persuadebo pauca quaedam verba quibus Varro dicit *plures reges inutiles fieri propter seditiones*, et apes *inter se signa pacis et belli habere* Vergilio ansam praeuisse ad eam pugnam tam fuse describendam. Etiam discrepare inter se Varro et Vergilius mihi videntur, nam hic de justa regum pugna agit extra alvos commissa, ille hujusmodi pugnam nusquam commemorat.

Sed majus pondus addere meae sententiae videtur versus 92, ubi Vergilius *duo esse genera regum* affirmat, Varro autem (III. 16. 18) *tria esse* contendit. Quis dicat Vergilium haec potuisse dicere, si Varronem legisset?

Idem dicendum de versu 228 ubi *duo tempora messis* commemorantur, Varro autem *tria esse* dixerat. Neque sua auctoritate Vergilius Varroniana potuit mutare, ut vult v. Wageningen, nam qui haec conatur mutare, in eo major requiritur rei apiariae scientia, quam in Vergilio fuisse constat.

Et si Vergilius (v. 153) et Varro apes in societate aliqua et exercitu vivere dicunt fucosque esse ignavos affirmant, iterum respondeo, id quod saepius jam monui, ex quolibet auctore haec desumere potuisse Vergilium, nam vix fieri posse ut quis de apibus et fucis agens non dicat eas in exercitu vivere fucosque esse ignavos.

Confirmari etiam mea sententia videtur ex eo quod Vergilius plurima habet quae nec ipse potuit excogitare nec invenire in libro Varronis. Paucis tantum verbis has res enumerare velim ne satietatem afferam legenti. Tacet Varro de consuetudine alas regibus eripiendi ad impedienda examina (Verg. 106 sq.), tacet de universa apium vivendi et laborandi ratione quam Verg. 178—190 fuse describit, tacet de portarum custodibus (Verg. 165 sq.), de lapillis quibus apes *se per inania nubila librant* (Verg. 194 sqq.), de aetate apium (207), de morbis eorumque remediis (251—280). Injuria autem cum his ultimis versibus nonnulli conferunt verba Varronis (III 16. 36). Vergilius enim agit de morbis, Varronis autem verba respiciunt non morbum sed inertiam aliquam apium quae ipsae sanae

sint. — Nusquam commemorat Varro apes *amisso rege rumpere fidem ipsasque mella diripere* (Verg. 214), numquam jubet Varro *exhauriri alvos ut acrius apes laborent* (248—250) sed fere contrarium mihi videtur enuntiare cum (33) haec habeat: „Exemptio cum est major, neque universam neque palam facere oportet ne deficiant animum”. Postremo numquam Varro tam imperitum se ostendit ut dicere potuerit *multa nocte apes redire* (Verg. 180. 186).

Ex omnibus autem rebus quas hactenus attuli satis constare mihi videtur Varronem et Vergilium in plurimis rebus inter se discrepare et ita quidem ut vix credere possim poetam ex Reatini operibus praecepta de apibus hausisse. Altera igitur oritur quaestio, ex quo alio auctore Vergilius ea potuerit depromere. Hunc autem auctorem Hyginum esse puto, quem constat de apibus magnum edidisse librum. Probe autem scio non primum nunc ejus nomen in hac re nominari, sed meo jure existimo majorem ei auctoritatem in hac quaestione esse tribuendam quam adhuc factum est. Jam Columella monuit (I. 1. 11) *Hyginum quasi paedagogum fuisse Vergilii*; deinde (Col. 9. 2. 1) eum habere *fabulose tradita de origine apium et alia quae studiosis quoque literarum gratiora sunt in otio legentibus quam negotiosis agricolis . . . veterum etiam placita secretis dispersa monumentis industrie eum collegisse*. Ex hoc igitur libro omnia Vergilius potuit eruere, quae sibi ut poetae viderentur utilia

Editus autem est quo tempore Vergilius componendis suis Georgicis operam dabat, nam cum Varro numquam Hygini mentionem faciat, sequitur ut post annum 37 a. Chr. quo anno Varronis liber prodiit, in lucem sit editus. Initium autem Georgicorum fecit Vergilius anno 36 a. Chr., si verum est anno 29 eum carmen suum coram Augusto recitasse et septem eum annos ei impendisse (Serv. vita Verg.). Maxime igitur videtur verisimile eum Hygini librum, qui nuper esset editus, prae manibus habuisse quo tempore carmen suum conderet. Id autem, quod solemus fere omnes, ille etiam non potuit non facere, ut scilicet avidissime ipsum illud arriperet quod esset recentissimum cum praesertim amplissimum ibi universae rei apiariae enchiridium reperiret.

Doleo autem vehementer, quod ex magno illo libro tam pauca aetatem tulerunt ut ex comparatione cum Vergilii carmine instituta aliquod solidum argumentum pro mea sententia afferre possim. Aliquid tamen hic proponam. Monet enim Hyginus (Col. 9. 14) ineunte anno alvos fumo esse purgandas et maxime auferendas esse *araneas, tineas et papiliones*. Paulo post etiam *crabro* ab Hygino affertur ut inimicus apibus. Mirum in modum hic Vergilius (245 sqq.) cum eo consentit.

Etiam versus 149 sqq., in quibus narrat poeta apes *Dictae caeli regem pavisse sub antro* originem potuerunt trahere ex Hygino, quem idem narrasse Columella 9. 2. testis est. Plura autem ex paucis Hygini fragmentis vix afferri possunt.

Fortasse multis viris doctis non magni pretii videbitur id quod de tota hac quaestione in medium attulerim. Id tamen certo mihi videor probasse non ex Varrone sua de apibus praecepta hausisse sed inspexisse alium auctorem, quem fuisse Hyginum mihi valde videtur verisimile.

#### IV. AD THEOCRITI ID. III, 32.

Anus cribro vaticinans a pastore, cui praedixit infelicem eum fore in Amaryllidis amore, appellatur *ἡ πρᾶν ποιολογεῦσα παρριβάτις*. Nihili est istud sic nude positum *παρριβάτις*. Sed morem gere Scholiastae et *ποιολογεῦσι* rescribe. Is enim annotat: *ἡ παρακολουθεῖσα τοῖς θεισταῖς καὶ τοῖς στάχυας ἀναλεγομένη*. „Nuper paupercula erat ista anus ec tantum non mendica, pone messorum enim currebat si quam posset colligere spicam, at nunc suo cribro rem facit!” Egregie miserum amatorem decet ista verborum acerbitas.

J. J. H.

## AD SENECAE EPIST. 27.

SCRIPSIT

J. BERLAGE.

§ 5.

In hac epistula Seneca nobis pingit Calvisium Sabinum, libertinum illum ditissimum veluti belli lucris superbientem, cuius e memoria identidem excidebat nomen Ulixis, Achillis, Priami, „quos tam bene [noverat] quam paedagogos nostros novimus”. Gronovium „noverat” illud tollentem plurimi editores nec non Otto Hense novissima editione Teubneriana et apud nostrates vir d. H. Wagenvoort jr. secuti sunt. Sic tamen contextus nondum vitio caret. Nam parum apte Seneca eiusque aequales, *profecti aetate homines*, belli Troiani duces tam bene quam *paedagogos suos* novisse dicuntur. Porro Seneca, mea quidem sententia, cum heroibus antiquis numquam comparaturus fuit paedagogos, servili condicione homines. Paedagogorum vero hoc loco commemoratio jam statim monet eos non obiecti sed subiecti vice fungi debere, ita ut potius legendum videatur: quos tam bene [noverat] quam paedagogi nostri novimus i. e. quos nos, eruditi omnes, tam bene novimus, quam paedagogi nostri noverunt.

„At paedagogi non fuere magistri praeceptoresve, sed tantum custodes et comites puerorum, quos in scholam et e schola deducebant, itaque non ii antiquarum literarum periti”. Videtur sane apud Graecos ea sola condicio paedagogorum fuisse, sed apud Romanos eos non semper humili illo officio functos esse ita ut una cum nutricibus nominarentur (Senec. ep. 60. 1. Cic.

de amic. 74), docet praeter Flavium Vopiscum (in vita Bonosi XIV „paedagogus litterarius”) imprimis Columella, qui (de Re Rust. I 1. 13) post Hesiodum, Vergilium alios Hyginum quasi *paedagogum* agricolationis, nempe *praeceptorem* a. vocat. Tum ipse Quintilianus I. 1. 8 haec habet: „De paedagogis hoc amplius, ut aut sint *eruditi plane, quam primam curam esse velim*, aut se non esse eruditos sciant”. Hinc patet eos saepissime pro praeceptoribus fuisse, vel saltem de varia doctrina cum alumnis loqui solitos esse, nec non facile intellegitur, si quid saperent, ante omnia notas de bello Troiano fabulas calluisse.

Quare scrupulus ille textui a me proposito obstare non potest. Qui textus tamen nondum prorsus placet. Iterata loci lectio me adduxit ut de Gronovii coniectura magis magisque dubitarem, in qua dubitatione confirmatus sum a V. cl. Hartman, quocum coniecturam meam communicaveram. Senecae enim verba haec sunt: „Huic memoria tam mala erat, ut illi nomen modo Ulixis excideret, modo Achillis, modo Priami, quos tam bene [noverat] quam paedagogos nostros novimus”. Immo „noverat” illud optime habet. Nam *nominum* tantum obliviosum fuisse Calvisium — ut sunt nonnulli — luculenter patet. Unde ei nunc huius nunc illius nomen excidebat. Homines ipsos optime noverat. Unde confidenter legendum suadeo *quos tam bene noverat, quam paedagogi nostri*, expuncta ultima voce „novimus”. Verisimile est aliquo scribarum errore nominativum „paedagogi nostri” in accusativum mutatum esse, et hoc primum vitium vocem „novimus” additam peperisse.

## AD NEMESIANUM

SCRIPSIT

F. MULLER JAC.FIL.



In Mnemosynae Vol. 45, p. 53 sqq. vir doctus P. J. Enk ut est poesis latinae amator ardentissimus, ita copiosissime disputavit de vinculo, quod ei inter Gratti et Nemesiani carmen intercedere videbatur. Neque hercle in intimam doctrinam de catulis ibi propositam cum vatibus una descendere dedignatus inde tam nobis quam aliis in hac cynica disquisitione hospitibus ducem se praebeuit admodum spectatum fidumque.

Quodsi nunc pauca addere mihi libet, docta sodalis comitas nullam in his observationibus offensam scrupulumve, sat scio, sentiet: grata ei legentis memoria hocce cumuli vicem ei offert  
*πόλο κύντερον ἄλλο.*

Iam statim mihi quidem litem obtinere ii videntur, qui ut Enkius sumant Gratti carmen Nemesiano notum fuisse. Mitto observationes, quales p. 67 enumeravit v. d. ut alterum alterius isagogen cognitam habuisse comprobaret: non enim multum valent eius modi similitudines. Verum melius aliquanto ei suffragantur versus, quibus uterque poeta indolem futuram virtutemque tamquam in catuli cunis per facta perspicuam depingit. Sunt in primis versus hi; apud Grattium:

*illius et manibus vires sit cura futuras  
perpensare: leves deducet pondere fratres.*

quibus in Nemesiani carmine respondent:

*pondere nam catuli poteris perpendere vires  
corporibusque leves gravibus praenosceri cursu.*



Loci scitent difficultatibus, de quibus Enkius egit p. 62 sq., ubi videas: haec enim illis applicantur.

Quaenam fuit Gratti sententia? Optime nimirum ille quidem sciebat, qui aut ipse venator fuerit aut non modo auctores sed vitam descriptionis haberet exemplar, graviore canes et robustiores fore et diutius venandi studio incitatas praedam insecturas. De hac re auctor antiquissimus locupletissimus idem est: Xenophon ita dicit in Cynegetici c. III, 3 (Rühl): *χείρους δὲ καὶ πλείους αἱ τοιαῖδε, μικραὶ, γρυπαὶ κτλ. . . : αἱ μὲν οὖν μικραὶ πολλάκις ἀποστεροῦνται τῆς ἐργασίας διὰ τὸ μικρόν* c. IV, 1: *πρῶτον μὲν οὖν χρὴ εἶναι μεγάλαια, εἴτα ἐχούσας τὰς κεφαλὰς ἐλαφράς*; et ib. § 2: *καὶ ἐὰν ᾧσι τοιαῦται αἱ κύνες, ἔσονται ἰσχυραὶ τὰ εἶδη, ἐλαφραὶ, σύμμετροι, ποδώκεις*.

Sequitur ut Nemesianus recte, auctores videlicet secutus, iudicaverit de canum indole dignoscenda, rectius quam Enkius p. 66 eum sensisse putat.

Propius igitur iam ad Grattium accedit auctor posterior, immo omnibus numeris ei simillimus esset, si scripsisset Nemesianus

*perpendere vires  
corporis atque leves manibus praenoscerē cursu  
(an: cursus?)*

Nam quod argutius quam probabilius *perpensare* et *ponderare* inter se differre autumat Enkius, id mihi non persuasit. Huius modi verbum iterativum <sup>1)</sup> alibi quoque Grattius habet, c. g. v. 239 (loquitur de cane) *mandit humum celsis adprensat naribus aures*; Gratti igitur locutio *perpensandi* iam per se notionem exprimit *ponderis*, id quod Nemesianus

1) Iam inde a poetis aetatis Augusti verba quae dicuntur iterativa crescere numero atque usu notissimum est, v. Wölfflin A. L. I. 4, 208, Cooper Wordformation etc. 207, Stolz Hist. Gram. (1894) 606, Bourciez, Elém. ling. rom. 56, 66; nuper Norden *Ennius und Vergilius* 45 Anm. „aspectare ist ein Wort, das wie viele Intensiva, ursprünglich auf die archaische Sprache beschränkt war, . . . dann aber durch Vergils Nachahmung der alten Dichter (er hat es achtmal) Bürgerrecht in der jüngeren Poesie erhält und aus dieser seit Tacitus in die Prosa eindringt“. Similia habet Vergilius *nova circumvectare, convectare, domitare, exhortari, insertare, lapsare, motare, praenatare, resultare, scitari, strepitare, subvectare*, v. Norden Aen. VI<sup>2</sup> 239. Vergilium autem Grattius curiose imitatus est, v. Pauly-Wissowa VII, 1843, 45 sqq. 1844, Schanz<sup>2</sup> II, 1, 354.

reddit *pondere perpendere*: nam metrum alteram formam respuebat atque adeo delectabatur „poeta” figura ista etymologica, nobis quidem sane quam frigida.

Praeterea ut Nemesianus *futuras vires reddidit verbis vires... praenosceret*, ita Grattium imitatus est, qui a numero singulari incipiens postremis vocibus pluralem adhibet. Hac ipsa de causa minime equidem dubito, quin arte Nemesianus exemplum, Gratti carmen, presserit, immo quin totus hoc loco ex poeta superiore pendeat. Quod ut demonstrem, latius quodammodo vagari mihi liceat.

Quid sibi voluerit illud *deducet* iam Enkios quaerit (p. 65): alias interpretationes postquam reiecit, ipsa vertit: ad humiliorem statum referre. Cui tandem persuadedit in descriptione adeo vivida subito verbum emergere omni colore carens, immo contextui parum accommodatum? Praeterea hoc quoque offendit lectorem, quod locus Livianus ab Enkio allatus nullo modo huc spectare videtur, Cicero vero (de fin. V, 91 sq.) in verbis: *terram, mihi crede, la lanx et maria deprimet* nequaquam, id quod Enkios ei tribuit, *deprimet = vincet* usurpat. Quobus locis Ciceronis sententia illustranda est: acad. pr. 12, 38 *ut enim necesse est lancem in libram ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere*; Tusc. V, 17, 51 (ubi idem designat quod dixit in libro de Finibus): *quo loco quaero, quam vim habeat libra illa Critolai, qui cum in alteram lancem animi bona imponat, in alteram corporis et externa, tantum propendere illam putet, ut terram et maria deprimat*. Tres hi loci, quibus adiungendum est illud *deducet* apud Grattium obvium (cf. versus notissimus Homeri X 212 (τάλαντα)... ἔλκε δὲ μέσσα λαβῶν· ῥέπε δ' Ἐκτορος ἰπποδάμοιο, v. Leaf ad loc.) indicare videntur eum qui pondere aut viribus superet cuiusque lanx ideo demittatur, vinci necnon postponi adversario leviori.

Adeone revera occaecati fuerunt homines antiqui in rebus cotidianis, ut iis quidem obscura, si ita fata tulissent, usque remansissent verba illa in pariete ardentia, admonitionis atque omissis plena: „gewogen, gewogen, te licht bevonden”? Nemo ita credet!

Longe aliter comparatum est. Fac te puerum etiamnunc, nondum doctrinae onere nimis, heu, gravatum, Socratem illum

Aristophaneum imitari *ἄεροβατοῦντα*, cum aequali tuo — baebaculo crassi corporis crassaeque Minervae, Terrae Matri usque adhaerenti nimisque glebae suae addicto —: iter illud *ἄνω κάτω* emetieris sedens, pendens, suspensus in libra nostratum ·balance lignea, quam Batavi diserto nomine depinxerunt: „wip”; ecce, sedet in infima trabe cruribus quam latissime diductis, quo propius terrae insinuetur, melius omni pondere utatur maiore! At tu? Sola altera tibi patet *ἄνω ὄδος*, semita arcta, si dis placet, dextra laevaue praecipit: medius tutissimus ibis, at in tuum pervenias locum excelsum. Ibis? immo repis pedetemptim, digitis crispatis tignum illud, unicum adminiculum, amplexans, usque dum in ultimae trabis extremum finem perveneris, ubi novissima te manet quaestio: deprimesne Crassum?

Ne multa, simulac in altera lance librae cotidianae res imposita erat, cuius pondus erat definiendum, tum quasi una rei facies se Romanis ostendebat: temo ille eminens, hoc est, res ipsa pendenda, tamquam orans necnon invocans te, ut demitteretur ac deprimeretur; cum primum satis ponderis in secunda lance posueris, alterius pondus, hucusque resistens, deprimis, tibi submittes, vinces. Nunc demum mihi Gratti sententia luculenter esse perspicua videtur.

Quodsi recte se habent, quae disputavi, Nemesiano vitio ne veritatem, quod locum ita salebrosum non satis expedivit. Legebat in textu, id quod codices praebent: *levis deducet pondere fratres*. Satis constat in linguis plurimis notiones alacer, pernix et levi pondere tenui discrimine seiungi; qua de re uberius egit Osthoff in libro, cui nomen *Morphologische Untersuchungen VI, 1—70*, in primis p. 14, 16, cf. Varro R. R. III, 12, 6 qui *lepus* a *levipes* deducit; in vocabulo graeco *ἐλαφρός* eandem sensus affinitatem animadvertere licet; supra iam monui Xenophontem uno loco *ἐλαφραί* et *ποδώκεις* scripsisse. Utcumque est, Nemesianus *levis* tamquam *levīs* (nom. sing.) interpretatus est sensu celer, pernix Grattiumque auctorem ita intellexit: „nam levis celerque futurus pondere et viribus postea fratres superabit”. Audacem nimis hanc Nemesiani sententiam, clamabis; „quomodo tandem ita uno enun- iato complecti *levis* et *pondere* sustinuit”? Paulisper videas,

oro, quid poeta ipse ex his effecerit. Num minus contortus tibi videtur ordo verborum et vocabula *leves gravibus* ita iuxta collocata

*corporibusque leves gravibus praeoscere cursu* ?

A                    B                    A                    B

Nil moror, quomodo casus ille *corporibus gravibus* explicandus sit, sive cum praenoscenti verbo coniunctum idem valet atque graece *τεκμηρίσθησί τιμι*, sive ablativus est qui vocatur qualitatis: nam graecus hoc loco fons atque auctor deprehenditur et iam supra testabatur vox *levis* tamquam graece *ἐλαφρός* adhibita. Hoc utique constat locum nostrum artissimo vinculo cum Gratti versibus esse conexum. Itaque delegamur identidem ad verba exempli: ita demum èt insulsus ille numerus pluralis, quem apud Nemesianum invenisti (*catuli: corporibus, leves*) lucem accipit; namque *fratres* a priore poeta lepide dictum de catulis certis et definitis aemulus post in pluralem generalem qui dicitur vertit nimis languidum.

Sed ut iam finem imponam *Κυνὸς κυνικώτερος*, immo *κύων ἀδελός*, en habes quaestiunculam extra ordinem ut Canis etiam iactum mittam. Nonne ita mutatus multo fiet vivacior veriorque locus Grattianus, qui catulum describit postremum omnium in corbem tuguriumve redeuntem, nihilo secius optimum subinde sibi impetrantem locum, quippe qui propter grave pondus alios indicta causa summoveat dimoveatque? Videas, quaeso:

v. 294 *ubera tota tenet, a tergo liber aperto*  
 et v. 297 *irreptat turbaque potens operitur inertī,*  
 nonne, denuo rogo, multo melius cum superioribus convenient  
 eoque lepidiora evadent multo ipsa verba versus 298 sq., si  
 hoc modo mecum legas

*(illius et manibus vires sit cura futuras*  
*perpensare): levis diducet (an diducet...?) pondere fratres. ?*

# VARIA AD VARIOS

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.



## 1. PARADOXA HORATIANA.

Textum Horatii vulgatum, qui dicitur, ab omni labe purum ad nos pervenisse tam certa esse videtur philologorum, penes quos nunc rerum summa est, opinio, ut si quis vel unum vocabulum tangat, ridiculus atque adeo nefarius habeatur. Revera tamen ita res se habet ut quicumque harum rerum non imperitus libera mente Venusini poetae aliquam paginam paulo accuratius perlustret mox vitium aliquod deprehendat admodum absurdum, quod lenissima medela possit sanari. Exempli causa duas dabo certissimas emendationes nuperrime ad me perlatas.

Altera est Polenarii mei, cuius iam antea haud semel mentionem feci, philologi, ut ita dicam emeriti, sed cum laude praemioque e nostris missi castris et „sensim sine sensu” eo redeuntis. Is mihi de notissimis versibus Epod. II, 45 sq.

Claudensque textis cratibus laetum pecus  
distenta siccata ubera

haec fere scribit: „aliis istud *laetum* placeat, mihi ab hoc loco alienum, certe languidissimum videtur. Rogo ergo quanam vaccae et quae oves mulgeri possint, et paratum habeo re-

sponsum: eae quae paulo ante pepererunt. Lege ergo: FETUM pecus”.

Alteram iuveni debeo praestantissimo MEHRWALDIO, in Universitate Amstelodamensi literarum candidato, mox palmam accepturo doctoris. Est emendatio vs. 8 c. 20 L. III. Pyrrhum iuvenem periculi admonet poeta si Nearchum, formosum puerum, abducere conabitur puellae pugnacissimae quae eundem deperit puerum, et „grande certamen” exclamat:

grande certamen, tibi praeda cedat  
maior an illi.

Non fugit Peerlkampium non *grande* sed insanum, taetrum, horribile hic nobis describi certamen quo miser puer in duas diripiatur partes. Sed quod reposuit

tibi praeda cedat  
maior an illa

paulo contortius dictum est, et *maior* sensu *superioris* dictum vix probari potest. Quanto elegantius MEHRWALDIUS:

grande certamen! tibi praeda cedat  
*miror* an illi.

Ecquem obloqui iuvat? Vix opinor.

## 2. AD PINDARI OL. VI, 104.

Agesiae post splendidam in certamine victoriam reportatam sic felicem in patriam reditum apprecatur poeta:

δέσποτα ποντόμεδον, εὐθὺν δὲ πλόον κμαμάτων  
ἐκτὸς ἔόντα δίδοι.

Non navigii, ut opinor, sed navigantis est cura, labore simm. liberatum esse. Lege ergo *ἔόντι*, quo facto simul substantivum uno tantum ornabis adiectivo *εὐθύν*, quod multo est venustius quam si praeterea istud *κμαμάτων ἐκτὸς ἔόντα* (in quo nescio quid ingrati habet et duri participium *ἔόντα*) addes et Pindarum dicentem facies quod vel maxime huic loco accommodatum: „iam gravi est labore perfunctus Agesias, multa tulit, fecitque,

sudavit et alsit ut victor evadere posset, nunc otiosus naviget". De laboribus quos victor pertulit ut in certamine inclaresceret non solet tacere poeta, v. Isthm. VII in., ubi epinicion vocat *λύτρον εὐδοξον κκμάτων*, aliosque locos ubi victoris *μόχοι* commemorantur.

### 3. AD DEMOSTHENIS *de falsa legatione* p. 403 A.

Narrat orator de insigni contumelia qua Aeschines eiusque comites inter pocula affecerint matronam quandam Olynthiam, quae cum accumbere et cantare recusasset, lorarium illi accessiverunt:

*ἦκεν οἰκέτης ἔχων βυτῆρα, καὶ πεπωκότων, οἶμαι, καὶ μικρῶν ὄντων τῶν παροξυνόντων, εἰπούσης τι καὶ δακρυσάσης ἐκείνης, περιρήξας τὸν χιτωνίσκον ὁ οἰκέτης ξαίνει κατὰ τοῦ νώτου πολλάς.*

Iam paene puer haec in meo exemplari correxi cum typographetae errore mihi rem esse ratus. Nuper demum vidi — et obstupui — antiquissimum illud esse vitium quod et alios criticos omnes et ipsum Cobetum fugisse videatur. Sed quis verbo monitus non videt pro *μικρῶν* legendum *πικρῶν* esse? „Cum convivae, qui lorarium incitabant, et vino et ira incaluisent". At istud *μικρῶν* quem, obsecro, sensum habere potest?

Simul vide quanto cum emolumento pulcherrimi loci sub finem istud *ὁ οἰκέτης* eximatur.

Dum plagulas corrigo, etiam a Lehmano de Lehnsfeld τῷ *μακκρίτη* istud *πικρῶν* repositum esse cognosco.

# AD OVIDII DE CEYCE ET ALCYONE NARRATIONEM

(Metam. XI, 410—748).

annotationes varias

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

---

Nullus Ovidianarum Metamorphoseon locus hoc magis me cepit unquam sibi que divinxit, nihil — ut ingenue fatear — quod latine graeeve scriptum esset adeo me commovit, nihil vehementius animum meum perculit. Et possum idoneam eius rei afferre causam. Hinc enim Ovidium legere coepi, hoc mihi fuit tirocinium artis cui postea me dediturus eram totum. Profecto non possum satis laudare atque admirari *Karsteni* nostri iudicium qui, ipse tum iuvenis etiam, pueris nobis hanc narrationem tractandam, vertendam, ediscendam proposuerit. Quam quoties relego, vel potius mihi solus recito, subito mihi illius in mentem venit temporis et — vere hoc declarare possum — quicumque me tum versus maxime tenuerunt eosdem nunc post tot annos repetens saepe vix lacrimas teneo. Atque dum illas Ovidii pervolvo paginas, totum mihi gymnasium Amstelodamense exsurgit ante oculos: pueros video videoque magistros et quidquid eodem tempore evenit, quamvis leve sit, simul mihi in memoriam redit.

„Quid nobis” — sic me forsitan interpellet quispiam eorum qui unice veram artis nostrae sibi vindicant rationem — „quid nobis cum affectibus tuis tuaque admiratione? Quem locum in



literarum latinarum historia narratio ista teneat edoce nos, dic quos auctores hic poeta ille sit secutus, unde habeat cum argumento omnia illius ornamenta, quid sumserit ab aliis, quid addiderit ipse. Et ante da documentum te eiusmodi enucleandis quaestionibus esse idoneum. Docto homine nobis opus est, non eo qui ex libris antiquis delectationem petat voluptatemque vel aliam cuiuscumque modi titillationem”.

Equidem, si hoc est virum doctum esse: *non* amare literas, neque quidquam curare utrum Iliada legas an Lycophronis Alexandram, cum Stoicorum insanissimis nil admirari et lucum putare ligna, tunc ego neque doctus sum neque haberi velim, sed idem probe novi et saepe expertus sum subtiles et accuratas de rebus, quae prima specie leviusculae videntur, disquisitiones claram saepe arti nostrae attulisse lucem *quia* a vero et sincero antiquarum literarum erant profectae Amore. Inutilis enim et sterilis omnis est doctrina nisi illum et patrem habet et fidelem assiduumque socium adiutoremque. Quid quod investigationum nostrarum eventum falsum esse pro certo constat si a iudicio nostro quod sponte natum est nimis longe recedit. Primum aut admiremur aut improbemus aliquem scriptorum poetarumque nostrorum locum, deinde quam firmissimis argumentis quae illius admirationis vel condemnationis causa sit statuere atque demonstrare conemur.

Esto: primum in Metamorphosesin Ovidii narratio de Ceyce et Alcyone locum tenet. Hoc mihi pro certo constat, hoc nunquam ex animo meo evelli patiar, neque criminibus, quae protulerunt et proferre etiam possunt alii, neque vitiis illis quae ipse mihi hic illic deprehendere visus sum. Age iam videamus possimusne illius praestantiae originem causamque invenire et in clara ponere luce. Quod ut recte et ordine fiat haud inutile fortasse erit brevi conspectu quae de rege illo Trachinio eiusque uxore apud alios leguntur exponere.

*Hyginus* ergo (fab. 65) sic narrat:

„Ceyx, Hesperii sive Luciferi et Philonidis filius, cum in naufragio periisset, Alcyone, Aeoli et Aegiales filia, uxor eius propter amorem ipsa se in mare praecipitavit: *qui deorum misericordia* ambo in aves sunt mutati, quae Alcyones dicuntur. Hae aves nidum, ova, pullos in mari *SEPTEM diebus faciunt*

*hiberno tempore. Mare his diebus tranquillum est, quos dies nautae Alcyonia appellant*".

Unde matres illas Philonidem et Aegialen habeat doctus bibliothecarius nescio neque, nunc certe, magnopere curo. Cetera omnia ab Ovidio sumpsisse eum vel maxime e poetae apparet versibus hisce (741 sqq.):

et tandem, *superis miserantibus*, ambo

alite mutantur . . . . .

perque dies placidos hiberno tempore *septem*

incubat Alcyone pendentibus aequore nidis e. q. s.

ubi prae ceteris nota illud *septem*, nam plerumque Ἀλκυονίδες ἡμέραι *quatuordecim* esse dicuntur.

Ab Ovidio longe recedit Apollodorus (I c. 7 § 4):

Ἀλκυόνην δὲ Κήυξ ἔγημεν Ἐωσφόρου παῖς· οὗτοι δὲ δι' ὑπερφάνειαν ἀπώλοντο· ὁ μὲν γὰρ τὴν γυναῖκα ἔλεγεν Ἥραν, ἡ δὲ τὸν ἄνδρα Δία. Ζεὺς δὲ αὐτοὺς ἀπωρνέωσε καὶ τὴν μὲν ἄλκυόνα ἐποίησε, τὸν δὲ κήυκα.

Eodem modo Schol. ad Il. IX, 562 ubi tamen legimus *quatuordecim* dies hibernos placidos factos iussu Iovis, Alcyones miseriti.

Omnium uberrimus est scholiasta ad Ar. Aves 250, qui, postquam de illa Ceycis et Alcyones narravit superbia, sic pergit:

Καὶ ποτε ἐν θαλάσῃ πλέοντος αὐτοῦ ὁ Ζεὺς ὄργισθεις αὐτὸν τε διέφθειρε καὶ τὴν ναῦν· ἡ δὲ ἄγαν περιπαθῆς ᾤδύρετο τὸν τοῦ ἀνδρὸς θάνατον παρὰ τῷ αἰγιαλῷ, ἣν ἐλεήσας ὁ Ζεὺς ἀπωρνέωσε. καὶ ἐκεῖνον δὲ εἰς ὄρνεον μετέβαλεν ὄν κήρυλον καλοῦσι. Tum de *quatuordecim* diebus hiberno tempore placidis, Iove ob misericordiam ita iubente.

Scholiasta ad Theocritum VII, 52 tantum de *quatuordecim* illis diebus placidis agit: ἐπτὰ αἰτ πρὸ τῆς γεννήσεως καὶ ἐπτὰ μετὰ τὴν γέννησιν.

Athenaeus II p. 49 commemorat et tamquam genuinum Hesiodi opus defendit Κήυκος γάμον.

Ad Iovis adversus Alcyonen *misericiordiam* pertinent et haec Statii (Theb. IX 360 sqq.):

fluctivagam sic saepe domum madidosque penates

Halcyone deserta gemit, cum pignora saevus

Auster et algentes rapuit Thetis invida nidos.

pseudo-Lucianus Alc. de superbia nihil habet, sed Alcyonen tantummodo narrat in avem conversam eoque honore affectam a diis propter insignem in virum amorem.

Fortasse et alii loci apud alios exstant scriptores poetasque ubi haec historia tractatur vel obiter tangitur, sed hi fere citantur in editionibus et proposito nostro sufficiunt.

Vides quid Ovidius e tota ipsius tempore exstante copia rerum de Ceyce et Alcyone traditarum elegerit et in suum usum converterit. Ut breviter dicamus: cetera missa fecit omnia, misericordiam illam deorum sustulit. Opera ergo ei danda erat ut hos coniuges tamquam illa misericordia quam dignissimos depingeret. En subito habemus ad id quod quaerebamus responsum. Ideo haec pars magni operis tam praeclare Ovidio cessit quia res ipsa ei tantopere cordi erat. Pectus est quod disertum facit . . . dummodo praecesserit longa et strenua exercitatio. At hic Ovidium, poetam prae ceteris exercitatum, αὐτὸν ἑαυτοῦ reddidit δεινότατον argumenti sui, ad quod aut operis cursu delatus aut forte delapsus erat, amor innatus et, ut equidem certe censeo, usu confirmatus.

Fidele coniugium iustorum maritorum, adversus deos piorum, adversus homines omne humanitatis officium fideliter exsequentium, en argumentum quod prae ceteris Ovidio in deliciis fuisse apparet et e nostra narratione et ex illa de Philemone et Bauicide multisque aliis, praesertim si illa virtus coniugalis cum multis fuit conflictata aerumnis et tamquam aurum in igne probata. Qui affectus quando et quomodo in mente eius natus sit quis dicat? Fortasse eum e domo paterna secum in vitam tulit, fortasse inter amicos suos quosdam tenerrimo firmissimoque „coniugiali foedere” iunctos vidit, fortasse uxorem Alcyones haud dissimilem aut habuit ipse aut sibi speravit. Certe ipsam vitam, ipsam veritatem spirant omnia quae de Ceyce Alcyoneque nobis narrantur. Totum locum ab initio ad finem percurramus et in quibusdam verbis versibusque paulisper subsistamus, sic et quid mihi velim optime apparebit et simul se offeret occasio de nonnullorum locorum dubiorum vera lectione paulo accuratius deliberandi.

Sed prius mihi refutandum est crimen ceteris omnibus gravius quodque non solum ad locum quendam paulo longiorem per-

tineat sed ad totam poetae nostri indolem artemque. „Quid nobis obgannis” sic me morosus aliquis obiurget philologus „de vita et veritate apud Ovidium? Est pergula pictorum, veri nil, omnia ficta. Cum rhetorum nobis res est alumno, antitheta aliaque ornamenta oratoria limante, sed qui nihil quod ipse sit expertus suisque contemplatus oculis fideliter legentibus depingat. Vide mihi naufragium illud et omnia quae ad Ceycis pertinent navem. Intelligisne, obsecro, ista, videnturne tibi hominis qui aut unquam mare viderit aut, si iam vidit, ea quae ibi fiant apertis aspexerit oculis? Taedet singula persequi, sed unquamne vidisti hominem tam

*ἄπειρον ἀθαλάττωτον ἀσαλαμίνιον*

quam poeta ille est quem tu adeo admiraris?”

Vera haec sunt, fateor, . . . simulque falsissima. Quid remis hic, quid velo et antennis fiat iuxta cum ignarissimis ignoro, et arcus illius aquarum, qui super medios fluctus frangitur (vs. 568 sq.), nullam mihi informare imaginem possum. Hoc quoque obscurum mihi est unde naviganti sit faciendum numerandi initium ut intelligat undam quae cum maxime adveniat decimam esse.

Sed non sunt hic singula ad amussim examinanda. Totusne locus poetae proposito respondeat quaerendum est: videbimus egregie ei rem cecidisse. Commovere legentes — atque adeo audientes, nam quin suas *Metamorphoses* identidem amicis suis recitaverit Ovidius quis dubitet? — descriptione poeta voluit plena rerum terribilium plenaque vicissitudinum, quibus cum obnoxium videant hominem tam pium probumque, tam carissimae uxoris amantem non possint non cum eo angi, metuere, perturbari. Et nonne hunc habet eventum poetica illa procella et poeticum naufragium? Et cum hanc narrationis suae partem sic poeta concludit:

ecce super medios fluctus niger arcus aquarum  
 (quisquis ille *arcus* est et ubiubi sunt illi *medii* fluctus)  
 frangitur et rupta mersum caput obruit unda  
 (illud *caput* iam legentibus tam carum)  
 Lucifer obscurus nec quem cognoscere posses  
 illa nocte fuit: quoniamque excedere caelo  
 non licuit, densis textit sua nubibus ora

quis tam hebes est aut quis ipsa sua sapientia tam obduratus quin lacrimas sibi oboriri sentiat?

Periit Ceyx, homo propter candidos mores et molle pectus nobis acceptissimus et periit clade, quae, si revera nunquam sic accidit, tamen quam dira fuerit et atrox plane sentimus. Hoc nobis sufficiat, hoc semper in eiusmodi locis teneamus.

Addam unum hinc non alienum. Nuper in eadem hac bibliotheca disputationem legimus Piepersii, viri non minus placidi lenisque quam docti et elegantis, suavissimam acutissimamque de *re apiaria* apud Virgilium. Paulo ante eam, ipse apium cultor peritissimus, recitaverat in nostra *Societate Philologica Lugduno-Traiectina*. Quam cum, ut par erat, vehementer laudassemus, Enkius meus et alia multa prudenter, ut solet, in medium protulit et: „quam laetor” ait „quod in re apiaria plane sum hospes, nam nunc nihil mihi obstat quominus Georgicorum Virgilianorum librum quartum admirer, amem, in deliciis habeam”. Ita est: apium quae revera sit vita et quid sit faciendum ut mellis quam maximam congeramus in horreum nostrum copiam discamus ab aliis, a Virgilio nihil aliud postulemus exspectemusque quam ut imaginem nobis ponat ante oculos pulchram iucundamque quae mentium nostrarum oculos detineat deleniatque. Quodsi pro certo constet de ipsis apibus nihil aliud Virgilio innotuisse quam hoc: esse eas bestiolas alatas, agiles, strenuas, pugnaces, agmine facto evolantes redeuntesque, nonne haec sufficiant ei ut nobis ante oculos ponat imaginem adspectu iucundissimam plenamque vitae, poeticae sed vitae? Sint nusquam in rerum natura apes illae Virgilianae at olim in praestantissimi poetae vixerunt mente et nobis quoque, sero natis posteris, vivere eadem et spirare possunt.

Boni esse poetae ea describere quae ipse viderit et corporis „hauserit oculis” opinio est nostro nata tempore falsissima: *εὐρεῖα* est *ὁδὸς Μουσῶν* et quo quemque poetam trahit voluptas ibi ambulat ut ipsi lubet. An forte Dantes vigil unquam Tartarum, Purgatorium, Paradisum vidit peragravitque? Sed quid ad Dantem provoco, poetam divinum et non solum Virgillii sed etiam Statii admiratorem? Ipse Ovidius eo ipso loco in quo cum maxime versamur quam maxime idoneum praebet

argumentum ad noviciam istam refutandam sapientiam. Quis unquam vidit aut videre potuit „domum et penetralia Somni”? Tamen Ovidius de iis sic narrat ut unum tantummodo sit quod obstet quominus ipsi somnum nobis obrepere sentiamus: summa poetae admiratio, qui illa omnia tam praeclara arte finxerit et „de nihilo creaverit”.

Multo sane rectius prudentiusque *Desideratus Nisard* postquam et alia multa Ovidiana et Virgiliana inter se comparavit et haec e nostra narratione

495 quippe sonant clamore viri, stridore rudentes  
 undarum incursu gravis unda, tonitribus aether  
 cum Virgiliano hocce:

exoritur clamorque virum stridorque rudentum  
 sic pronuntiat: „Virgilius priusquam scribat sentit ipse, poetae ea aetate viventes qua literae decrescunt priusquam sentiant scribunt . . . . estque illorum poetarum dux et auctor Ovidius” sed est et ille in Ovidium iudex iniquus nimisque severus. Molle et inflammabile sibi esse pectus non, hercle, mentitus Ovidius est, ita rem se habere quavis sentimus pagina, sed nimis indulget ingenio suo, non ignorat vitia sua sed amat, nescit quae bene cedunt relinquere et quae praeterea in eo reprehendunt notantque Senecae, pater et filius, et Quintilianus vitia multo leviora quam illis visa sunt.

Sed iam veniamus ad propositum nostrum atque ita narrationem de Ceyce et Alcyone percurramus ut quaecunque accuratiore observatione videantur digna inde protrahamus.

410 interea fratrisque sui fratremque secutis  
 anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx,  
 consulat ut sacras, hominum oblectamina, sortes  
 ad Clarium parat ire deum.

Illud in ipso positum initio duplex *que* num versui tantummodo explendo inservit, estne inanis verborum strepitus sententiae nihil ponderis et emolumenti praebens? Immo vero his ipsis vocabulis se accingit poeta ad narrandum de viro quem amet venereturque propter mitem et candidam indolem cuiusque eum misereat quod nil tale meritis crudeli sorte interierit et sanctissimae, castissimae, mariti amantissimae sit ereptus uxori. Et habet profecto Ceyx ille quod eum perturbet et paene ad

insaniam adigat: fratrem dilectissimum in avem vidit conversum, hospitem habuit quem impium scelus Trachinem compulit, illique hospiti quoque horrenda evenerunt miracula. Obstupescit illa inauditorum malorum, quae secum enumerat, serie vir pius et quo se vertat nescit. Iam mentis perturbationem designari ipsa verborum structura admodum impedita arbitror, depingi vero eius admirationem reputantis *quantus* fuerit miraculorum *numerus* isto *que que* probe scio. Et confirmat hanc persuasionem, quae vix ullam requirit confirmationem, eiusdem particulae simili consilio adhibita repetitio versu hinc non longe remoto (649):

deposuitque caput stratoque recondidit alto.

De Somno deo haec dicuntur qui postquam solito plura audivit locutusque est, etiam gravem imperiorum dandorum exantlavit laborem at nunc iacet iacebitque, certe non facile iterum se excitari patietur.

Hominum *oblectamina* dicuntur oracula, multumque ea vox viros doctos exercuit vexavitque. Certe haud solito more hic est adhibita. Illum habes IX, 343:

carpserat hinc Dryope, quos *oblectamina* nato  
porrigeret flores.

Sed non idonea haec causa est cur cum Fabro *solumina* legamus; multo magis respuenda videtur Kornii coniectura *oblenimina*, quae mihi quidem egregie displicet.

Recte habere *oblectamina* censeo, licet revera non sint oblectamina oracula. Sed non *oracula* hic dicuntur verum *sortes*, et sunt aliae sortes, pervulgato more sic dictae, quibus *oblectari* soleant adulti, ut puer ille floribus. Iam vocabulo dare epitheton quod nunc quidem parum aptum est, sed, si alio eoque consueto magis modo idem vocabulum adhibetur, aptissimum, fortasse vitium est dicendum sed est vitium levissimum. Conferri possunt loci ubi *sidus* aliquod ornatur epitheto quod in ipsum sidus non convenit sed plane convenit in *animal* unde sidus nomen habet. Affatim est exemplorum apud poetas multos sed nescio an nullum sit disertius quam hoc apud ipsum Ovidium (X, 127):

concava *litorei* fervebant bracchia Cancrī.

Itineris illius rationem sic reddit poëta (413 sq.):

nam templa profanus

invia cum Phlegyis faciebat Delphica Phorbas.

Deprehendimus hic Ovidium fabulas novo modo inter se iungentem, idque lepidissime elegantissimeque. Iam vidimus eum missam facere, cum aliis rebus multis quas tradiderunt alii, impiam Ceycis arrogantiam qua se uxoremque Iovi et Iunoni aequiparaverit. At introductus est in scenam Peleus: is ansam praebuit narrationum de Daedalionem deque lupo Pelei greges vastante (266—410). En aptam causam cur mari iter faciens inducatur Ceyx, nam mari iter ei faciendum est, hoc e vetustioribus narrationibus retinuit Ovidius. Consulturus ergo oraculum trans mare situm proficiscitur Ceyx, cur non Delphos, quod oraculum habet in vicinia? Promptum et paratum ad hanc quaestionem responsum habet poeta et ingeniosus et doctus.

415 sq. Consilii tamen ante sui, fidissima, certam te facit, Alcyone.

Saepe hac apostrophes figura abutitur (metri, ut opinor, causa) poeta. Omnis vero elegantiae immemor est in hisce (I, 438 sq.):

Illa (Terra) quidem nollet, sed te quoque, *maxime Python* tum genuit.

Nam quando recte illud ornamentum adhibeatur et res ipsa et docet Homerus, qui in Iliadem vix unquam illud admiserit, in Odysea vero unum frequenter eo illustret Eumaeum. Neque, hercle, mirum pium probumque illum Ulyssis servum cordi atque in deliciis fuisse poetae Ulyssis errores canenti. Et hoc opus est ut *cum* homine, *de* quo narras, tamquam praesens cum praesente *amico* colloqui possis, si recte et naturae convenienter anaphora narrationem tuam vis variare.

Iam sequitur Alcyones de mariti consilio querela (vs. 420—443) e qua haec enoto, pauca neque admodum *gravia*:

424 „iam sum tibi carior absens” ait. Videtur hic Ovidius seriis intermiscere ludicra et ridicula. Sed falsa est ea species.

Ante mentem habet poeta et habent qui eum legunt aequales uxorem Romanam impotentem suspicacemque, et lenem illam piamque Alcyonen dolore suo adeo perturbari ut paulisper sui fiat immemor aequi bonique consulamus, immo vero laudemus poetam qui hic tam apte tamque diserte pervulgatos hominum mores in scenam introducat.



425 Sequuntur haec :

at, puto, per terras iter est, tantumque dolebo  
non etiam metuam, *curaeque* timore carebunt.

Cave illud *curae* sic accipias ut *sollicitudinem* significet. Sollicitudo enim fere idem est atque *timor*, certe sollicitudo omni metu et timore carens non est in rerum natura. Sed *cura* nunc est *desiderium*. Quod admodum decet tristem mulierem, bis idem dicit Alcyone, nam prorsus eodem redeunt illa *dolebo*, *non metuam* et haec *curae timore carebunt*.

443 Obsecrat denique maritum lamentans uxor utque sibi eum comitari liceat flebiliter rogat atque hoc utitur argumento :  
certe iactabimur una,

nec nisi quae patiar metuam pariterque *feremus*  
quidquid erit, pariter super aequora lata *feremur*.

Hic, hic, non dissimulo, ingenio suo abutitur poeta nimiumque lascivit. Sed parata ei est venia. Plerique enim, ut opinor, haec legentes fortuitam, non de industria quaesitam, hanc esse eiusdem verbi repetitionem putabunt.

451 sq. Sed consilium suum neque omittit Ceyx neque mutat, sed et frustra argumenta profert quibus illud uxori probet :  
addidit illis

hoc quoque lenimen quo solo flexit amantem :  
longa quidem est nobis omnis mora, sed tibi iuro  
per patrios ignes, si me modo fata remittent,  
ante reversurum quam luna bis impleat orbem.

Leviusculum forsitan videatur quod de paenultimo versu dicturus sum et tamen, nisi me fallunt omnia, vitium ibi admodum grave latet, utpote quo egregia quaedam sermonis elegantia pereat. Simplex infinitivus pro accusativo cum infinitivo positus minus me offendit, licet plenam structuram et alibi habeamus et IX, 401 (loco simillimo) :

quae cum *iurare* pararet

dona tributuram post hunc *se* talia nulli

nudum vero infinitivum cum *iurandi* verbo iunctum nusquam, si satis accurate huius rei causa *Metamorphoses* sum perscrutatus. Sed quod *remittendi* verbum hic obiectum sibi additum habet quam maxime improbo. Quid enim illud *si . . . modo*

sibi vult? Promissurus, affirmaturus, iuraturus aliquis est se facturum aliquid iamque promissi vel iurisiurandi fecit initium, cum subito se reprimat retinetque invidiam metuens deorumque iram. Quam brevissimum ergo eum esse oportet certeque illi averruncandi formulae non semet ipsum inmiscere itaque denuo se arrogantiae obstringere crimine. Confidenter ergo (non enim nunc mihi προσκυνητέον τὴν Ἀδράστειαν) lenissimam hanc commendando emendationem:

sed tibi iuro

per patrios ignes, me (si modo fata remittent!)  
ante reversurum quam luna bis impleat orbem.

Sequuntur haec (vs. 454):

his ubi promissis spes est admota recursus . . . .

En structuram verborum elegantissimam studioseque quaesitam! Quae enim *viciniae* notio in verbo *admoventi* inest ea ad substantivum quod est *recursus* est transferenda, ita ut *spes est admota recursus* significet: spes (data est) propioris (i. e. maturioris) reditus.

463—471 Iam proficiscitur Ceyx, iam eum oculis prosequitur Alcyone. Hic quo magis appareat quae propria sit Ovidii indoles et quam verum sit illud quot ei ab idoneo iudice vitio datum est: „nescit quod bene cedit relinquere” (vel, quod eodem redit: relinquendi tempus iusto diutius differt) iuvat paucos quosdam de simili re Propertii exscribere versus, ita emendatos ut mihi emendandi videntur. Fingit poëta Cynthiam in remotas regiones navigantem et „o utinam” inquit (I, 8, 9—16):

o utinam hibernae duplicentur tempora brumae  
et sit iners tardis navita Virgiliis,  
nec tibi Tyrrhena solvatur funis arena  
neve inimica meas eleveit aura preces.  
Aut ego tum videam faciles subsidere ventos  
cum tibi provectas auferet unda rates,  
et me defixum vacua patiantur in ora  
crudelem infesta saepe vocare manu.

Breviter haec et ita ut tantummodo duo distinguantur tempora: 1 profectio vel profectionis conatus 2 tempos quo navis aliquantum iam abest. At Ovidius rem prodigialiter unam variare mavult, ergo secundum illud tempus denuo in quatuor dissecat partes:

## (1) Sustulit illa

umentes oculos stantemque in puppe recurva  
 concussa que manu dantem sibi signa maritum  
 prima<sup>1)</sup> videt redditque notas. (2) Ubi terra recessit  
 longius atque oculi nequeunt cognoscere vultus,  
 dum licet, insequitur fugientem lumine pinum.

(3) Haec quoque ut haud poterat, spatio submota, videri,  
 vela tamen spectat summo fluitantia malo.

(4) Ut nec vela videt e. q. s.

Quam vere Ovidiana ista sint cognosces e comparatione suavissimi loci Heroid. 13, 17—22.

471 sq. Alcyone ergo (continuo sic pergitur):  
 ut nec vela videt, vacuum petit anxia lectum  
 seque toro ponit.

Nonne languidissime sic *lectus* et *torus* inter se opponuntur licet prorsus nihil intersit? Equidem certe non fero inanem istum verborum strepitum, cum praesertim etiam haec addantur:  
 renovant lectusque locusque

Alcyonae lacrimas et quae pars admonet absit  
*lectum-tora-lectus*: ohe, iam satis est superque. Sed scin quid magis etiam mihi in tradita lectione displiceat? Ita haec dicta sunt tamquam si res ipsa loquatur cum eamve, cuius propinquus carus tandem prosequentium oculis est ereptus, subito ire cubitum. Proprium et peculiare hoc habet Alcyone nostra, cuius vehementem et intolerabilem dolorem, quem pauci tantummodo mortalium cum ea habeant communem, poetam depingere voluisse mihi est persuasissimum. Lego ergo:

vacuum petit anxia *tectum*  
 seque toro ponit.

Nunc recte additur: *renovat lectusque locusque e. q. s.*

„At, o bone” dixeris „regia domus nunquam est vacua, sed ministrorum omni genere abundat. Nisi credis, ea quae vs. 679 sq. leguntur

nam moti voce ministri

intulerant lumen

considera”. Scio, sed etiamsi quam plurimi adsint famuli famu-

1) *Prima* haud dubie cum *signa* est iungendum. Nam et alii, qui in Ceycis nave sunt, signa dant uxoribus (liberisque), sed ceteris omnibus prior hoc facit ipse Ceyx.

laeque, aedes a quibus suus absit Ceyx, Alcyonae vacuae videri debent. Et sunt praeterea nusquam apud Ovidium urgenda vocabula neque ea ab eo exigenda diligentia quam scriba aliquis censorius praestare debet, minime vero in hac narratione quam et aliis nominibus iure admiramur et propter gratae cuiusdam negligentiae speciem. Sponte se eius offerent exempla quorum unum et alterum in transitu notabimus.

Sequitur Ceycis iter, naufragium, mors, unde pauca quaedam protraham. In universum iam nunc hoc dico pleraque omnia hic poetam „maris expertem” nobis praebere, quod vel inde apparet quod postea cum se in media tempestate et in extremo vitae periculo versus pangentem fingit (Tr. I, 2), semet ipsum imitatur. Praesertim cum hac descriptione confer illius elegiae versus 13—50. Sed nescio an prae ceteris hoc eluceat ex illo *aequor PUPPE secabatur* quod habemus vs. 478 sq. Nam novi quidem figuram illam quae „pars pro toto” dicitur, scioque saepe ea effici ut scriptor aliquis nescire *videatur* quid intersit inter *forum* et *comitium*, inter *arcem* et *Capitolium*, credo tamen poetam navigandi peritum et maris naviumque amantem haud facile dicturum fuisse non *prora* verum *puppe* secari mare.

492 Ipse pavet nec se qui sit status ipse fatetur  
scire ratis rector nec quid iubeatve vetetve.

Omnia hic animi perturbationem notant cui egregie convenit coniectura *satis* pro *ratis* et praeterea vs. 482 idem homo simpliciter *rector* vocatur. *Vetetve* longe praestat alteri lectioni *velitve*.

511 et 513 Nimis Ovidianus videtur verborum lusus qui est in isto *arma-arma*.

519 *Vela madent nimbis*. Haud mirum hercle, et iam vs. 487 legimus: „properant ventis vela negare”.

521 Hoc quoque oratorium nimis:  
Caecaque nox premitur tenebris hiemisque suisque.

629 sq. Sic ubi pulsarunt noviens latera ardua fluctus,  
vastius insurgens decimae ruit impetus undae.

Paulo audacior sit licet, egregia est haec Merkelii coniectura *noviens* pro *celsi*.

568 sq. De illo *arcu aquarum et mediis fluctibus* iam diximus. Egregie locum imitando correxit Statius Theb. V, 366 sqq.:

obnixi lacerant cava nubila venti  
diripiuntque fretum, nigris redit umida tellus  
verticibus, totumque notis certantibus aequor  
pendet et arcuato iamiam prope sidera dorso  
frangitur.

Sed si quid hic erravit Ovidius, egregie illud vitium compensatur praeclara quam iam laudavimus clausula:

Lucifer obscurus nec quem cognoscere posses  
illa nocte fuit, quoniamque excedere caelo  
non licuit, densis textit sua nubibus ora.

Hac enim efficitur ut mors Ceycis gravissimo afficiat legentem dolore et hoc prae ceteris efficiendum fuit poetae.

Praeter alios in naufragio describendo imitatores et Silium nactus est Ovidius. Multa apud illum (XVII, 235—282) satis sunt inepta, quaedam Virgilium Ovidiumque sapiunt. Quod vero Silius habet vs. 278 sqq.

natat aequore toto  
arma inter galeasque virum cristasque rubentis  
floquentis Capuae gaza

sponte in mentem nobis revocat hos festivissimi poetae nostratis, qui se „Ludimagistrum” dixit, versus:

fluctibus in summis natat ancora, totaque navis  
in rostrum it praeceps ebrius ut scolopax.

576 *reditusque sibi promittit inanes*. Conferantur quae ad vs. 454 dicta sunt de verbis *spes est admota recursus*.

Dicuntur haec de Alcyone quae interea domi sedet anxia et nil non metuens. A diis et praesertim a Iunone opem petit.

580 utque foret sospes coniunx suus utque rediret  
optabat nullamque sibi praeferret.

Annotat Giergius: „maximopere improbandus talis iocus in re tam tristi”. Nimis severe mihi hic iudicare videtur. Legitimus enim de aemula et pelice metus in uxoribus maritorum reditum exspectantibus; cf. Her. I, 75—80. Et sunt haec poetae non ludentis sed vera misericordia erga Alcyonen moti, quemadmodum egregie apparet e verbis quibus totus hic locus clauditur:

at illi

hoc de tot votis poterat contingere solum.

Singultientis enim potius quam iocantis haec videntur.

586 Permota Aleyonae pietate Iuno  
 „Iri meae” dixit „fidissima nuntia vocis  
 vise soporiferam Somni velociter aulam  
 extinctique iube Ceycis imagine mittat  
 somnia ad Aleyonen veros *narrantia* casus”

fuit qui pro *narrantia* commendaret *imitantia* allato Pont. I, 3, 43  
 somnia me terrent veros *imitantia* casus.

Satis inepte ut mihi quidem videtur. Lege enim et vs. 40 sq.:  
 at, puto, cum requies medicinaque publica curae  
 somnus adest, solitis nox venit orba malis?

videbis quam parum par hic sit Ovidius illi qui fuit antea.  
 Et praeterea nunc tantummodo opus est ut Aleyone *edocetur*  
 de re quae evenit. Quo modo ea sit *narranta* tuto ipsius Somni  
 iudicio Iuno relinquere potest.

Sequitur praeclara illa Somni domus descriptio, ab ipso  
 Ovidio, ut opinor, sine ullo auctore inventa (vs. 592—615),  
 unde hos potissimum eligo in quibus subsistam versus:

608 Traditum est:

Ianua *ne* vero (sic M.) stridorem cardine *reddit*

Edidit Kornius:

ianua *nec* (cum cod. rec.) verso stridorem cardine *reddit*.

Tum a versu sequente

nulla domo tota est, custos in limine nullus

novam inchoat sententiam. Quod mihi quidem ridiculum videtur:  
 nulla ianua stridorem *reddit*, nam nulla ianua est.

Heinsius emendavit locum:

ianua *quae* verso stridorem cardine *reddat*

nulla domo tota

quam lectionem probans Burmanus perperam tamen accepisse  
 videtur: „si” ait „*fores* (605) sunt ante antrum, intus ianuas  
 fuisse verisimile est, sed minime sonoras”. Verus sensus est:  
 „neque ulla ibi ianua est neque custos ullus”. Sed cur Somnus  
 custodes non habet? Apud Statium X, 89 sq. habet *quietem*,  
*oblivia*, *ignaviam*, *silentia*. Aptius certe (Metam. XII, 45) *Fama*  
 nullas habere portas dicitur et nocte *dieque patere*.

610 at *medio* torus est ebene sublimis in *antro*.

Recte habet haec codicis M. lectio, falsa est illa *atra*, nam *sublimis* in *Metamorphoses* in semper simplicem habet ablativum:

VII, 587 *templa gradibus sublimia*.

VI, 650 *sublimis solio*

XIV, 262 *idem*.

*Sublimis* ergo fere est *se attollens*, et *ebene sublimis* idem quod „*sponda pedibusque ebeneis*” cf. VIII, 645.

Domum Somni habemus etiam apud Statium X, 84 sqq. Ille Ovidium immutat et multo reddit languidiorem; sed tota illa descriptione defungitur tantummodo ut sibi transitum paret ad artificium a se introductum: de Somno adventante et omnia occupante (137—155). Egregia illa oratio est.

613 sq. Hunc circa passim varias imitantia formas

*Somnia vana iacent*.

At vs. 616 *somnia obstantia* dimovet Iris. An ibi *Somnia* sunt quaedam quasi *Somniorum numina*, hic omnia quae ab illis praebentur spectacula?

617 sq. intrante Iride

*vestis fulgore reluxit*

*sacra domus. Tarda*que deus gravitate iacentes

*vix oculos tollens iterumque iterumque relabens*

620 *summaque percutiens nutanti pectora mento*

*excussit tandem sibi se, cubitoque levatus*

*quid veniat (cognovit enim) scitatur.*

Dudum observatum est *pectus mento percutere* eius esse qui sedens, non qui iacens, dormiat. Ergone versus sic transponamus ut fiat:

*excussit tandem sibi se cubitoque levatus*

*summaque percutiens nutanti pectora mento?*

Vix opus. Ovidius enim, dum copiose et oratoria ubertate Somnum depingit, de rebus ipsis admodum est securus.

623 sqq. Somnum sic Iris alloquitur:

*Somme quies rerum, placidissime, Somne, deorum,*

*pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris*

*fessa ministeriis mulces reparasque labori.*

Vulgata haec lectio. Heinsius ex pr. Basil. *corda diurnis*; „alii quatuor” (Gierig) *membra diurnis*, utrumque, ut ego opinor, natum e prava imitatione eorum quae IV, 215 de *Solis* equis dicuntur:

ambrosiam pro gramine habent: ea fessa *diurnis*  
*membra* ministeriis mulcet reparatque labori.

Nam *Solis* quidem labor cum die finitur, at *dormire* homo aliquis etiam interdiu potest.

621 Saepe in *metonymiis* adhibendis nimium lascivit Ovidius, velut ridiculum est quod X, 125 de *Mida* dicitur:

miscuerat puris auctorem muneris undis  
(auctorem muneris = Bacchum = vinum!) sed lepidissimum hoc de *Somno* vix expergiscente: „excussit tandem sibi se”.

622 Quid veniat (*Iris*), cognovit enim, scitatur (*Somnus*).

*Cognovit enim*: ergo non rogat quis sit, cf. V, 278:

„*Mnemonides*” (cognorat enim) „*consistite*” dixit (*Pyreneus*).

626 sqq. *Iunonis* mandata sic ad *Somnum* *Iris* perfert:

Somnia quae veras aequent imitamine formas  
*Herculea Trachine* iube sub imagine regis  
*Alcyonen* adeant, simulacraque naufraga fingant.

*Herculea Trachine* admodum rarus hic et ingratus locativi usus, sed totus versus horridus est et incultus, sciolum sapit, nihil veri ornamentum addit. Una eum litura delendum censeo. Vide enim quam apte brevi formula totam rem comprehendat *Iris*:

somnia quae veras aequent imitamine formas  
*Alcyonen* adeant simulacraque naufraga fingant.

Non vero tabellario hic mandatum datur, qui accurate de omnibus rebus sit edocendus, cum fabula ficta nobis res est.

629 sqq. postquam mandata peregit

*Iris* abit, neque enim ulterius tolerare *vaporis*  
vim poterat e. q. s.

(In *M.* est *vaporem* et vs. sq. *vi*) Sed in *Metamorphosesin* *vapor* aut *humiditatem calore mixtam* aut solum *calorem* significat:

I, 432 *vapor* umidus res creat.

II, 483 presserat ora *vapor*.

XIV, 793 *vapor* penetravit ad ima fontis.



II, 301 tolerare vaporem ulterius.

X, 126 solisque vapore . . . fervebant.

III, 152 finditque vaporibus arva.

VII, 105 tactaeque vaporibus herbae.

Praestat ergo nostro loco recipere lectionem codicis *ε saporis* (cod. λ *saporis*).

635 Mittitur ergo ad Alcyonen Morpheus:

*non illic quisquam* sollertius alter

exprimit incessus vultumque sonumque loquendi.

Sic M. Pro *illic* Kornius coniecit *illi*, quae arcana est sapientia. „Deteriores” ut solet dant quod unice verum est *non illo iussos*. Nam sic scripsisse Ovidium equidem penitus sentio.

646 Praeterit hos (Icelon, Phobetora, Phantason) *senior*.

Mehlerus nostras *genitor*, quae coniectura cur vulgo probetur in hoc quod nunc regnat conservandi studio prorsus me latet. Habemus enim I, 645 *senior Inachus* (i. e. pater Inachus). Nec multum differt locus XII, 535, ubi *senior* in vocativo. Conferri potest notissimus ille ex Aeneide versus (II, 545):

sic fatus senior, telumque imbelle sine ictu  
coniecit.

Pulcherrimi sunt versus:

650 ille (Morpheus) volat nullos strepitus facientibus alis  
et 657 tum lecto incumbens fletu super ora profuso

(*super ora* sc. Alcyones: ipsius Morphei lacrimae in os iacentis incidunt). Quod autem Morpheus vs. 653 dicitur ante torum stare *sumpta figura* sic intelligendum arbitror ut non Ceycis solum sed *Ceycis naufragi* figuram sumere Morpheus dicatur. Est omnino praeclara tota Morphei ad Alcyonen allocutio (658—670). Si usquam quisquam, hic Ovidius sentit quae scribit.

666 sq. non haec tibi nuntiat auctor  
ambiguus, non ista vagis rumoribus audis.

*Haec et ista* de eadem re. Colorem quandam haec pronominum varietas orationi praebet.

669 sq. surge, age, da lacrimas, lugubriaque indue nec me  
indeploratum sub inania Tartara mitte.

*Sub Tartara mitte* alio sensu hic quam vulgo. Pulcherrime autem praeclarae allocutionis ultimus versus ab illo pleno, longo, graviter sonante vocabulo *indeploratum* incipit.

674 in codice M est:

ingemit Alcyone, lacrimas movet atque lacertos  
zeugmate ingratisimo atque adeo intolerabili. Heinsius:

ingemit Alcyone lacrimans motatque lacertos  
mavult tamen totum versum delere et vs. 677 *sui* dat pro *sua*.  
Parum verisimile hoc nam sic vs. 677 desideratur Alcyones  
nomen (inde illud Heinsianum *sui* pro *sua*). Sed v. vs. 679  
'moti voce ministri': *voce* u. o. clara voce hominis spirantis,  
non simulacri susurru. Hoc tamen praesertim Heinsianae obstat  
*ἀθετήσει* quod v. 677 sq. verbis *soporem excutit* respiciuntur ea  
quae ipsa Alcyone *per somnum* fecit et locuta est. His omnibus  
consideratis ego censeo in nostro versu olim fuisse lacunam et  
*atque* esse fragmentum superstes verbi *agitatque*. Lego ergo:

ingemit Alcyone, lacrimatque agitatque lacertos.

Egregie frequens illud *que* (continuo enim sequitur *corpusque  
petens*) effectum somnii depingit.

667 altrici, quae luctus causa roganti e. q. s.  
nunquam in antiqua tragoedia, in qua primas partes agit aliqua  
regina, haec persona omittitur. Et est totus in tragoedia noster,  
Medeae poëta laudatissimus.

677 *voce sua* et 679 *moti voce*. In vitanda eiusdem vocabuli  
repetitione non tam sunt quam nos anxii antiqui.

694 sq. Sic lamentatur Alcyone:

hoc erat, hoc animo quod divinante timebam,  
et ne me fugiens ventos sequerere rogabam.  
*at* certe vellem, quoniam periturus abibas,  
me quoque duxisses.

Pro *at* haud dubie *aut* est legendum. E magna exemplorum  
copia cf. XIII, 152 sqq.

nec sanguinis auctor

sed virtutis honor spoliis quaeratur in illis;

*aut* si proximitas primusque requiritur heres, e. q. s.

Est graecum illud *μάλιστα μὲν . . . εἰ δὲ μή.*

697 continuo sequitur:

multum fuit utile tecum

ire mihi.

Sic M. Quemadmodum fieri solet, in „deteriore” codice  $\epsilon$  exstat id quod poeta dignum: „fuit hoc fuit utile tecum”. Nec male  $\lambda$ : tecum fuit utile, tecum.

700 sq. nunc absens perii, iactor quoque fluctibus absens  
et sine me me pontus habet.

Declamantis haec sunt poetae; parum decent istae argutiae  
tristem mulierem, gravissimo dolore oppressam et obstupe-  
factam.

712 sqq. Stat ad litus Alcyone eo loco unde Ceycem spectarat  
euntem.

Dumque moratur ibi, dumque „hic retinacula solvit,  
hoc mihi discedens dedit oscula litore” dicit,

714 quae dum tota locis reminiscitur acta fretumque  
prospicit ...

Sic vs. 714 traditur in cod. M. Delet eum Heinsius. Sed  
„deteriores” exhibent:

dumque notata oculis reminiscitur acta fretumque  
Pulcrius tamen sit *locis* pro *oculis*, quia hoc propius abest a  
codicis M. lectione, melius ante acta complectitur, melius τὴν  
καταστροφὴν praeparat, cf. VIII, 698 et 712 (in editione  
Korniana).

723 Ad terram corpus naufragi allabitur:

quod quo magis illa tuetur

hoc minus et minus est mentis suae. Iamque propinquae.

Versus vitiosus quomodo sit emendandus nescio. Parum placet  
Heinsianum:

hoc minus et minus est amens sua. I. p.

Praecedunt haec:

et tamquam ignoto lacrimam daret, heu miser, inquit  
quisquis es et si qua est coniunx tibi.

Egregie M. *lacrimam* non *lacrimas*. Inscia hic Alcyone suam  
ipsa sortem tristem augurat. In deliciis hoc artificium poetis  
antiquis, *tragicis* praesertim. Cogita de Sophoclis Oedipode  
Tyranno.

Eximii versus sunt 723 sqq.

iam iamque propinquae  
 admotum terrae, iam quod cognoscere posset,  
 cernit: erat coniunx, „ille est” exclamat et una  
 ora, comas, vestem lacerat, tendensque trementes  
 ad Ceyca manus e. q. s.

Denuone agnoscis poetam tragicum qui semper scenam habeat  
 ante oculos?

Praeclarus versus est 733 de Alcyone iam in avem conversa:

Stringebat summas ales miserabilis uudas  
 vigilans apertis oculis spectat poeta quae finxit ipse.

738 Eadem

frigida nequiquam duro dedit oscula rostro.

*Nequiquam* quia duro rostro suo vera oscula dare non potest.

747 Diebus Alcyoniis commemoratis haec denique addit  
 poeta:

*tunc iacet unda maris*: ventos custodit et arcet

Aeolus egressu praestatque nepotibus aequor.

Sic est in M. Sed dubium non est quin „deteriores” praebeant  
 quod ipse voluit poeta:

tum via tuta maris.

Ita enim claudenda praestantissima narratio quae illo

interea *fratrisque* sui *fratremque* secutis

anxia prodigiis turbatus pectora Ceyx

consulat ut sacras, hominum oblectamina, sortis,

ad Clarium parat ire deum

tam egregie legentium ad cognoscendam infaustam illam futuram  
 navigationem animos praeparaverit. Non enim benene an non  
 procedat totum Metamorphoseon opus quaerendum est sed sitne  
 quaeque narratio in se teres atque rotunda. Ergo qui aequus  
 de Ovidio iudex esse cupit, hanc praesertim fabulam perpendat.  
 Ex animi sententia Sulmonensem vatem admirabitur.

# AD SOPHOCLIS ANTIGONAM.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.

(continuatur ex pag. 183)



Vs. 187 sqq. οὐτ' ἂν φίλον ποτ' ἄνδρα δυσμενῆ χθονός  
θείμην ἐμαυτῶ, τοῦτο γιγνώσκων, ὅτι  
ἢδ' ἐστὶν ἡ σφύζουσα καὶ ταύτης ἔπι  
πλείοντες ὀρθῆς τοῦς φίλους ποιούμεθα.

Sententia cetera perspicua desinit in tenebras. Non enim: „cum censeam patriam esse communem salutem ideoque nos hac innitentes amicos nobis *eligere*”, non hoc, inquam, exspectamus, sed: „*eligere debere*” vel tale quid. Frustra se torquent interpretes, ut sensum idoneum assequantur, velut Jebbius τοῦς φίλους non *amicos* simpliciter, sed *fidus amicos* significare sibi persuasit. In corollario autem editionis Turnebi pro ὀρθῆς adfertur correctae lectio ὀρθῶς. Quam unde Turnebus protraxerit, nescimus; nam et plerique codices Sophoclei usque ad hunc diem neglecti iacent et Turnebus forsitan subsidiis usus sit, quae hodie perierunt. Magis tamen veri simile videtur coniecturam ipsius Turnebi esse. Sed quoquo modo orta sit, bonam esse et iure Robertum in libro novissimo de Oedipo eam vulgari lectioni praetulisse arbitror <sup>1)</sup>. Hoc igitur dicit Creon: „cum censeam nos non nisi in nave reipublicae navigantes *recte*

1) Robert, Oedipus, I, p. 342.

amicos nobis eligere". Sententiae prius laboranti, addito adverbio *ἄρθως*, optime consultum esse apparet, et simul sublatum est adiectivum *ἄρθως*, quod hoc loco supervacaneum et absonum erat. Ecquid enim cives hoc de quo agit Creon officium civitati praestare decet tantummodo donec illa secunda fortuna utatur? Creontis certe sententia sempiternum est et immutabile, sive floret illa sive duriore fortuna conflictatur.

Vs. 175—190 in Demosthenis oratione *περὶ τῆς παραπρεσβείας* § 247 non secus adferuntur atque in codicibus nostris traditi sunt. Ergo corruptela *ἄρθως* pro *ἄρθως* (si concedes corruptelam esse) antiquissima est, quippe quae orta sit in spatio centum fere annorum, quo oratio Demosthenis a fabula Sophoclis distat. Neque hoc incredibile mihi videtur; immo praesertim illa aetate, cum grammatici nondum editiones curabant, opera veterum scriptorum neglegentia librariorum multis huiusmodi mendis inquinata esse consentaneum est. Nostro loco lectio *ἄρθως* inde nata est, quod apud poëtas *ἄρθως* et *ἄρθοῦσθαι* creberime de nave, cui respublica comparatur, dicta sunt.

Vs. 253 sqq. *ὅπως δ' ὁ πρῶτος ἡμεροσκόπος  
δείκνυσι, πᾶσι θαῦμα δυσχερὲς παρῆν·  
ὁ μὲν γὰρ ἠΦάνιστο, τυμβήρης μὲν οὔ,  
λεπτὴ δ' ἄγος Φεύγοντος ὡς ἐπῆν κόνις,  
σημεῖα δ' οὔτε θηρὸς οὔτε του κυνῶν  
ἐλθόντος, οὐ σπᾶσαντος ἐξεφάνιστο.*

Plerique commentatores non explicant, quomodo vs. 257 sq. cum prioribus cohaereant. Neque quae Triclinius et Bruhnus hac de re scripserunt mihi placent. Quorum ille ingeniose, sed parum credibiliter, sic fere disputavit: „ferae saepe praedam suam semesam pulvere contegunt et abscondunt, Polynicis vero cadaver non feram humo condidisse custos hic significat monens nulla vestigia ferae canisve apparere". Bruhnus vero putat coniunctionem δ' vs. 257 non adversativam, sed copulativam vim habere et custodem significare arbitratur pulverem cadaveri iniectum impedimento fuisse, quominus ferae id tangerent. Cui opinioni, in qua aliquid absurdi inesse se optime sentire ipse ostendit, ne vs. 696 sqq. quidem pondus addere contendo. Iustam explicationem solus proposuit Leeuwenius in

adnotatione interpretationi suae Antigones <sup>1)</sup> adiecta, in qua memores nos esse iussit earum rerum, quae in Iliadis lib. XXIII sq. narrantur. Hectoris cadaver canibus obicit Achilles, XXIII, 184

τὸν δ' οὐ κύνας ἀμφεπένοντο,  
ἀλλὰ κύνας μὲν ἄλαλκε Διδὸς θυγάτηρ Ἄφροδίτη  
ἤματα καὶ νύκτας ..

Vel duodecimo die adeo cadaver integrum est, ut Priamum Mercurius his verbis consoletur:

XXIV, 411 ὦ γέρον, οὐπω τόν γε κύνας Φάγον οὐδ' οἶανοί ..

422 ὡς τοι κήδονται μάκαρες θεοὶ υἱὸς ἔης.

Similiter apud Sophoclem custos tamquam rem admodum miram narrat feras Polynicem non adisse (ἐλθόντος, vs. 258), nedum lacerasse (σπάσαντος). Inde chori dux vs. 278 sq. praedicat deorum fortasse ope et voluntate hoc esse factum. Versibus igitur 255—258 exponitur duplex causa τοῦ δυσχεροῦς θύματος (vs. 254): stupuerunt custodes et mirati sunt primum quod corpus pulvere clam coopertum erat, deinde quod ferae et canes praeter expectationem cadaveri pepercerant.

Vs. 262 sq. εἶς γὰρ τις ἦν ἕκαστος οὐξειργασμένος  
κοῦδεις ἐναργής, ἀλλ' ἔφευγε μὴ εἰδέναι.

Plurima menda omnibus Sophoclis codicibus communia sunt, quae per metrum laesum statim coarguuntur. Hoc loco omnes, quod sciamus, codices habent: ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι, metro invito. Demonstratur autem his mendis codices omnes pendere ex uno eodemque exemplari, cuius Laurentianus longe antiquissimum et praestantissimum apographon est. Hunc codicem archetypum scriptum fuisse reor ea aetate, qua singulorum scriptorum opera a doctis Byzantinis e vetustioribus exemplaribus primum litteris minusculis descripta sunt, i. e. saeculo nono vel decimo.

Iam vero lectio ἔφευγε τὸ μὴ εἰδέναι orta esse videtur e duabus lectionibus ἔφευγε μὴ εἰδέναι et ἔφευγε τὸ εἰδέναι perperam in unum conflatis. Quarum illa utpote difficilior alteri longe praeferranda est et ita explicanda ut fecit Jebbiius. Codicem autem archetypum habuisse suspicor: ἔφευγε <sup>τὸ</sup> μὴ εἰδέναι.

1) Antigone, Tragedie van Sophocles, metrisch vertaald door J. v. Loeuwen Jr., Leiden, Sijthoff.

Alterum exemplum variae lectionis in codice archetypo reperisse mihi videor vs. 320:

οἴμ', ὡς ἄλλημα δῆλον ἐκπεφυκὸς εἶ.

(Vocem δῆλον, pro qua exspectarem δειλόν, nunc non curo). Codex Parisinus habet λάλλημα, Laurentianus item λάλλημα, sed manus prima scripserat ἀλάλλημα, cuius vocis primum α deinde erasum est. Lemma scholiastae item λάλλημα est, sed explicatio quam addit: λάλλημα τὸ περιτρίμμα τῆς ἀγορᾶς· οἶον πανούργος non bene ad hanc lectionem quadrat. Λάλλημα (Eur. Androm. 937) enim nihil est nisi *homo garrulus*. Neque igitur tolerari potest in responso Creontis, nam custos cum dicit:

ὁ δρῶν σ' ἀνιᾶ τὰς Φρένας, τὰ δ' ὧτ' ἐγώ,

mordaci brevilocquentia potius quam garrulitate insignis est. Vox ἄλλημα, *molitum, farina*, et inde, ut *πιπάλῃ* et *παιπάλῃμα*, *homo vafer*, et nequam legitur Soph. Ai. 381 et 389, ubi a scholiasta explicatur per eadem verba: τὸ περιτρίμμα τῆς ἀγορᾶς. Cf. etiam Suid. ἄλλημα· *πραλογιστικὸν πανούργημα ἢ ἐπίτρίμμα*. Summo igitur iure Boeckhius et Dindorfius scholiastas nostro quoque loco lectionem ἄλλημα novisse et hanc lectionem recipendam esse censuerunt. Quae cum ita se habeant, quomodo tu putas monstrum ἀλάλλημα, quod in Laurentiano fuit, exortum esse? Nimirum e varia lectione codicis archetypi: αλλημα vel λαλλημα.

Vs. 289 sqq. οὐκ ἔστιν, ἀλλὰ τὰυτα καὶ πάλαι πόλεως  
 ἄνδρες μάλιστα φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί  
 κρυφῆ, κάρη σείοντες, οὐδ' ὑπὸ ζυγῶ  
 λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ.  
 ἐκ τῶνδε τούτους ἐξεπίσταμαι κελῶς  
 παρηγμένους μισθοῖσιν εἰργάσθαι τάδε.

In his versibus tres salebrae insunt, in quibus post multos alios ego quoque haereo:

1<sup>o</sup>. Quonam iure, ut hinc ordiar, Creon iam diu nonnullos in civitate sibi obsistere dicit, cum vix heri rex factus sit? Respondent πάλαι et καὶ πάλαι haud raro dici de rebus modo praeteritis. Quod etsi verissimum sit (cf. modo vs. 278 sq.:

ἄναξ, ἐμοί τοι, μή τι, καὶ θεήλατον  
 τοῦργον τόδ', ἢ ξύννοια βουλεύει πάλαι),



tamen vereor ne sophistica ratione disputet qui istiusmodi argumentis defungi se posse putet. Sensus enim communis hoc ipse declarat, si quis dicat: „custodes corrupti sunt a civibus nonnullis, qui iam diu mihi clam adversabantur et iugum ferre gravabantur”, eum non loqui de discidio eodem vel hesterno die coorto. Aliam vero quaestionis solutionem in promptu habemus. Creon enim in fabula vulgari, quae in carminibus epicis tradita erat, post abitum Oedipi (ut de interregno post Laii interitum <sup>1)</sup> taceam) procurator regni fuerat. Atque Sophoclem hac in re ne in Antigone quidem a vulgari fabula discrepare apparet ex vs. 531 sq., unde efficitur Antigonen et Ismenen in domo Creontis educatas esse: si enim Eteocles et Polynices, utpote adulti, statim post Oedipum regnare coepissent, sorores apud ipsos, non apud avunculum habitassent. Sed haec solutio hodie spernitur; nam Bruhnius, novissimus Antigones commentator, poetam in hac quidem tragoedia scribenda res ita informasse sumit, ut Creon numquam antea rem publicam gubernaverit. Duorum autem quibus utitur argumentorum alterum mea sententia nullius pretii, alterum speciosius est. Quod enim ad vs. 165 sqq. attinet:

τούτο μὲν τὰ Λαΐου  
 σέβοντας εἰδὼς εὖ θρόνων αἰεὶ κράτη,  
 τοῦτ' αὖθις, ἠνίκ' Οἰδίπους ᾤρθου πόλιν,  
 κάπρ' ἐδιδόλετ', ἀμφὶ τοὺς κείνων ἔτι  
 παῖδας μένοντας ἐμπέδοις Φρονήμασιν,

sane manifestum est Polynicem et Eteoclem post Oedipi cladem protinus patri successisse, sed minime ex his versibus sequitur, ut ipsi continuo regnaverint neque in tutelam Creontis venerint. Ipsum enim Creontem tutelae suae mentionem inicere hoc loco minime necessarium erat. Ceterum moneo vs. 168 *διώλετ'* non magis quam *ἀπώλετο* vs. 50 de morte Oedipi dictum esse, sed de ruina eius; cf. e. g. Oed. R. vs. 442:

*αὕτη γε μέντοι σ' ἡ τύχη διώλεσεν.*

Inprimis vero nititur Bruhnius vs. 175 sqq., quibus Creon, postquam ad proverbium *ἀρχὴ ἄνδρα δείκνυσι* circumlocutione usus provocavit, exponere coepit, quomodo ipse rex factus

1) Cf. Robert, Oedipus, I, p. 101.

saluti publicae consulturus sit. Sed ne inde quidem contra auctoritatem vs. 289 et 531 sqq. sequitur, ut Creon numquam antea procurator regni fuerit; nam ne procurator quidem prorsus liber est, aut saltem fingere potest Creon se nunc demum, cum ipse rex sit, studio suo reipublicae plene vacare.

2°. Deinde non mihi placet istud πόλεως / ἄνδρες pro πολῖται τινες. Comparant cum hac locutione

Soph. Ai. 1044 ἄνδρα..στρατοῦ

El. 759 ἄνδρα; Φωκίων.

Neque possumus non cogitare de Antig. vs. 842 sq.:

ὦ πόλις, ὦ πόλεως

πολυκτῆμονες ἄνδρες,

sed tamen ille locus aliquantum dissimilis est huius nostri.

3°. Atque hoc fortasse levius est. Illud vero rursus gravissimum, quod non habemus, quo pronomem ταῦτα (vs. 289) referamus. Quod cum vulgo, ut sensum idoneum eliciant, ne dicam inculcent, significare perhibent edictum Creontis de Polynice non sepeliendo, summo iure oblocutus est Earleus <sup>1)</sup>, quem Bruhnius quoque in editione sua sequitur. Sed medela, quam tentavit ille, haud scio an minus probanda sit. Sententiae enim maiorem partem in parenthesi collocat hoc modo:

ἀλλὰ ταῦτα (καὶ πάσαι πόλεως

ἄνδρες μόλις Φέροντες ἐρρόθουν ἐμοί

κρυφῆ, κάρη σείοντες, οὐδ' ὑπὸ ζυγῶ

λόφον δικαίως εἶχον, ὡς στέργειν ἐμέ)

ἐκ τῶνδε τούτους ἐξεπίσταμαι καλῶς

παρηγμένους μισθοῖσιν εἰργάσθαι τάδε.

Censet igitur Creontem sententiam, quam inceperat per ἀλλὰ ταῦτα post longam parenthesin non continuare, sed alio modo reuovare, ταῦτα autem item ac τάδε vs. 294 significare sepulturam Polynicis. Eiusmodi anacoluthi parenthesin complectentis exemplum praebet Antiphon VI, 45 sq.: οὔτοι δ' ἐπιστάμενοι κτλ. (καὶ ἐν αὐτῶ τῶ βουλευτηρίῳ ... Φανερός ἦν) καὶ οὔτοι παρόντες ... οὐκ ἤξιον ἀπογράφεσθαι. Sophocles vero tantummodo breves sententias in parenthesi collocare solet et semel tantum, quod sciam, (Indag. vs. 324 sqq.) anacolutho rhetorico

1) Class. Rev. 1903, p. 6.

usus est ut indignationem et iracundiam personae alicuius depingeret. Praeterea impediō quominus credam μόλις Φέροντες ἐμοί, ut Earleus perhibet, significare posse: *mihī irati*. Certum quidem est apud Xenophontem βρέως et χαλεπῶς Φέρειν hic illic cum dativo rei construi; quin etiam apud ipsum Sophoclem ἀλγεινῶς Φέρειν hoc modo constructum legitur Philoct. vs. 1011. Sed haec constructio explicanda esse videtur per analogiam quam praebent verba βρύνεσθαι, χαλεπαίνειν, ἀλγεῖν et ἀλγύνεσθαι τινι. Non igitur inde sequitur ut etiam μόλις Φέρειν cum dativo, eoque personae, construi possit.

Concludendum mihi videtur verba ποῦται, sicut tradita sint, vix explicari posse. Quid si una litterula mutata sic legimus:

ἀλλὰ τακτὰ καὶ πάλαι πόλεως

ἄνδρες μόλις Φέροντες ἐρρόθου ἐμοί

κρυφῆ, κάρα σείοντες,

„sed iussa civitatis <sup>1)</sup> iampridem nonnulli acgre ferentes mihi clam obmurmurabant capita quassantes iugique impatientes”<sup>2)</sup> Τακτόν substantivi fere loco dictum legitur apud Xenophontem Cyr. inst. VIII, 3, 28: ἔτυχε γὰρ ὁ Φερκύλας περὶ γυγέλλων τι τακτὸν παρὰ τοῦ Κύρου. . Cum τακτὰ Φέρειν cf. νόμους Φέρειν Ai. vs. 1073 sq.:

οὐ γὰρ ποτ' οὔτ' ἂν ἐν πόλει νόμοι καλῶς

Φέροιντ' ἂν, ἔνθ' αὖ μὴ καθεστήκη δέος.

Vitium facile ex scriptura minuscula nasci potuit, in qua litterae *x* et *v* inter se similes sint.

Vs. 298 sqq. τὸδ' ἐκδιδάσκει καὶ παραλλάσσει Φρένης  
χρηστὰς πρὸς αἰσχροὺς πράγμαθ' ἴστασθαι βροτῶν·  
πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις ἔχειν  
καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἶδέναι.

Vs. 299 βροτῶν A, βροτούς L, superscripta varia lectione -ῶν.

Constructio vs. 298 sq. difficilior est, cum infinitivus ἴστασθαι ab ἐκδιδάσκει tamquam obiectum, a παραλλάσσει non item pendere videatur. Ceteroquin nihil obstaret, quominus ita inter-

1) Cf. Antig. vs. 78 sq.:

τὸ δέ

βίᾳ πολιτῶν δρᾶν ἔφυν ἀμήχανος.

59 sq.:

εἰ νόμου βίᾳ

ψῆφον τυράννων ἢ κράτη παρέξιμεν.

pretaremur: τότε παραλλάσσει Φρένας χρηστάς ὥστε πρὸς αἰσχροῦ πράγματα ἴστασθαι, sed inaequalitas constructionis molestissima est. Quamobrem Wecklinio in mentem venit καὶ παραλλάσσει parenthesin esse, ego vero verba digerere mallet hoc modo:

τὸδ' ἐκδιδάσκει (καὶ παραλλάσσει Φρένας  
χρηστάς) πρὸς αἰσχροῦ πράγμαθ' ἴστασθαι βροτούς.

Sed etiam versu sequenti haud leviter offendo in voce πανουργίας. Πανουργίαι enim sunt πανουργήματα, *versutiae, malitiae*; cf. Arist. Eq. 684: πανουργίαις μείζουσι κεκασμένον καὶ δόλοισι ποικίλοις. Locutio autem πανουργίας ἔχειν pro πανοῦργον εἶναι nullo modo defendi potest. Neque operae pretium esset pluralem numerum in singularem convertere, nam ne πανουργίαν ἔχειν quidem dicere potuisse Sophocles mihi videtur, non magis quam κακίαν ἔχειν pro κκκὸν εἶναι vel μοχθηρίαν ἔχειν pro μοχθηρὸν εἶναι. Unicum <sup>1)</sup> exemplum usus consimilis verbi ἔχειν occurrit in locutione ὕβριν ἔχειν, quae septies apud Homerum legitur:

Od. I, 368 et IV, 321 μνηστῆρες ὑπέρβιον ὕβριν ἔχοντες

IV, 627 et XVII, 169 ὕβριν ἔχοντες

XVI, 86 λίην γὰρ ἀτάσθαλον ὕβριν ἔχουσιν

410 ὑπέρβιον ὕβριν ἔχουσιν

418 Ἄντινο', ὕβριν ἔχων, κακομήχανε.

Quem secutus Sophocles quoque semel ὕβριν ἔχειν dixit pro ὕβριστήν εἶναι

El. 523 ἐγὼ δ' ὕβριν μὲν οὐκ ἔχω.

Itaque non mirandum est Blaydesium utramque offensionem simul tollere studuisse scribendo:

πανουργίας δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις θιγεῖν

exemplo usus Philoct. vs. 407:

παντὸς ἂν λόγου κακοῦ

γλώσση θιγόντα καὶ πανουργίας.

Displicet tamen infinitivus aoristi neque videmus quomodo θιγεῖν in ἔχειν abire potuerit.

Restat vero etiam alius scrupulus: πανουργίας iuxta παντὸς ἔργου vix tolerari potest. Etymologia enim vocis πανουργία uni-

1) Il. I. IX vs. 305 (λύσαν ἔχων ὀλοήν) non bene hic mentionem incit Jebbii; nam Hector non semper furit, sed τότε μὲν, ἄλλοτε δ' οὐχί.

cuique Graecorum clara atque perspicua erat; velut, ut uno exemplo defungar, loco Philoctetis supra adlato *πανουργίας* poëtice pro *παντὸς ἔργου κακοῦ* dictum esse apparet. Numne igitur delendum est molestum vocabulum *πανουργίας* tamquam interpretamentum olim vocibus *παντὸς ἔργου* superscriptum, quo scilicet lectores docere commentator voluerit *ἔργον* hic, ut in voce composita *πανουργία*, in malam partem esse intelligendum? Hoc si verum sit, verba male expulsa iam pro certo in integrum restitui non possint. Exempli tamen gratia locum refingere libet sic:

τόδ' ἐκδιδάσκει (καὶ παραλλάσσει Φρένας  
 χρηστάς) πρὸς αἰσχρὰ πράγμαθ' ἴστασθαι βροτῶν  
 γνώμας <sup>1)</sup>, ὕβριν δ' ἔδειξεν ἀνθρώποις ἔχειν  
 καὶ παντὸς ἔργου δυσσέβειαν εἰδέναι.

Vs. 302 sq. ὅσοι δὲ μισθαροῦντες ἤνυσαν τάδε,  
 χρόνῳ ποτ' ἐξέπραξαν ὡς δοῦναι δίκην.

Omnes fere viri docti arbitrantur Creontem, postquam de argenti amore disseruerit, vs. 302 sq. cum ironia de custodibus dicere: „sed illi, qui se corrumpi passi sunt, ut hoc facinus perpetrarent, iam id consecuti sunt . . . ut poenas dent”. Sed huic interpretationi obstat illud *χρόνῳ ποτ'*, *tandem aliquando*. Si enim custodes corrupti essent, non diu antea, sed proxima nocte corruptos esse necessarium esset, cum Creontis edictum non prius propositum sit. Nec quicquam expedit cum Camerario et Wecklinio *χρόνῳ ποτ'* non cum *ἐξέπραξαν*, sed cum *δοῦναι δίκην* coniungere. Rursus solus Leeuwenius locum recte intellexit. Quem cum patrio sermone libere verteret:

„Want, wie der zonde zich verpandt uit winstbejag,  
 Bereikt ten slotte slechts zijn eigen ondergang”,

ostendit se vidisse Creontem hic adhuc prorsus universe loqui, *ἐξέπραξαν* autem et *ἤνυσαν* esse aoristos gnomicos. Quin etiam, ut hoc, puto, clarius appareret, duos versus de suo addidit, qui apud Sophoclem non leguntur:

1) Cf. Thuc. VI, 34: τῶν δ' ἀνθρώπων πρὸς τὰ λεγόμενα καὶ αἱ γνώμαι ἴστανται.

„De straf der goden, niet hun milde zegen, treft  
De schatten, die de misdaad zich bijéén vergaart”.

Notandum huic explicationi mirum quantum favere pronomen ὄσσι, τάδε autem hic pro τσιάδε dictum esse. Quod minime inauditum est; cf. e. g. Antiph. VI, 10: αὐται αἱ κατηγορίαι pro αἱ τσιαῦται κατηγορίαι, 28: οὓς pro οἴους, 30: ταῦτα pro τσιαῦτα.

## ERRATUM.

P. 182, vs. 19 pro *Photii* lege *Pollucis*.

## POLENARIANUM AD HOR. C. III, 29, 62—64.

„Non ego pro navigio magno, mercium pleno, deos fatigo precibus” poeta dixit, additque:

tum me biremis praesidio scaphae  
tutum per Aegaeos tumultus  
aura feret geminusque Pollux.

*Temporis* significatio non est huius loci, *praesidio scaphae* pro simplici ablativo *scapha* latinum non videtur, denique inepte (parva) *scapha biremis* appellatur, quod magni est navigii. Lege ergo:

dum me biremis praesidio scapha  
.....  
aura ferat .....

Scapha navi onerariae adhaerens ut in naufragio praesto sit navigantibus recte illius (biremis) *praesidium* appellatur.

J. J. H.

## AD SENECAE THYESTEN.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



Tantalus a furia adductus ab inferis quaerit quod novum  
supplicium sibi paratum sit, num forte poena Tityi

3            *qui specu vasto patens*  
              *visceribus atras pascit effossis aves*  
              *et nocte reparans quicquid amisit die*  
              *plenum recenti pabulum monstro iacet?*

Haec relegendi numquam non mihi incidit suspicio, poetam  
pro *monstro* scripsisse: *rostro*, quod si in libris mss. trade-  
retur haud dubie praetulerim.

---

Chorus deos ut scelera in Pelopis domo concepta posthac  
avertant precatur, quae significare iam pergit.

138            *Peccatum satis est; fas valuit nihil*  
                  *aut commune nefas. proditus occidit*  
                  *deceptor domini Myrtilus c. q. s.*

Emendandum esse puto:  
                  *stat commune nefas.*

Cf. Herc. II 708: *stat terror animis.*

Seneca verbum *stat* in versus initio collocare amat, cuius  
rei ex una tragoedia Herc. Fur. vss. 540, 554, 861, 1040  
exempla affero.

---

Atrous crimina Thyestis exponens fatalem arietem furto ab-  
ductum tamquam omnium malorum originem copiose describit.

225 *est Pelopis altis nobile in stabulis pecus,  
arcanus aries, ductor opulenti gregis.  
huius per omne corpus effuso coma  
dependet auro, cuius e tergo novi  
aurata reges scepra Tantalici gerunt.*

Post multas virorum doctorum coniecturas Leo lectionem corruptam *e tergo novi* cruce notare melius duxit; proposuerunt autem Peiper: *cuius e fuco novi*, Bothe: *tergore ex huius*, de Wilamowitz: *cuius e texto*, ipse Leo: *c. e. tracto*.

Restituendum esse credo:

*cuius aeterna vice  
aurata reges scepra Tantalici gerunt.*

Aeterna vice h. e. sempiterno officio, ut Oct. praet. 233:  
*qua plaustra tardus noctis aeterna vice  
regit Bootes, frigore Arctoo rigens.*

Similiter Herc. Fur. 1212 *revocata vice* et Agam. 561 *alterna vice* legitur nec non apte conferri potest in nostra tragoedia vs. 657 sq.:

*hinc auspicari regna Tantalidae solent,  
hinc petere lassis rebus ac dubiis opem.*

Iam Atreus qua ratione fratrem adducat cum satellite deliberat.

299 *si nimis durus preces  
spernet Thyestes, liberos eius rudes  
malisque fessos gravibus et faciles capi  
prece commovebunt: hinc vetus regni furor,  
illinc egestas tristis ac durus labor  
quamvis rigentem tot malis subigent virum.*

*prece commovebo* E — *praecommovebunt* A — *prece* (preces Avantius) *movebunt* interpolati.

Lectio *prece commovebunt*, a Luc. Muellero prolata (*d. r. m. p.* 167) et tam a Richtero quam a Leone recepta, omnino improbanda est neque praestat Bentley coniectura *pueri movebunt*.

Reponendum esse opinor:

*liberos eius rudes  
malisque fessos gravibus et faciles capi  
pretia movebunt, hinc vetus regni furor,*



*illinc egestas tristis ac durus labor.  
quamvis rigentem tot malis subigent virum.*

Ista emendatione adhibita istaque interpunctione revocata èt verbo *movebunt* èt *subigent* suum subiectum reddideris, illi nempe *pretia*, cui subiecto apposita sunt *hinc . . . labor*, huic *liberi*: quamvis induratum tot malis virum liberi eius subigent ut condicionibus meis indulgeat.

Agamemnonem et Menelaum si consilii mei conscios ad fratrem mittam (ita Atreus argumentatur), simul experiar filiine mei sint an Thyestis, qui uxorem meam corrupit.

327 *prolis incertae fides  
ex hoc petatur scelere: si bella abnuunt  
et gerere nolunt odia, si patrum vocant,  
pater est.*

Immo vero:

*si bella abnuunt  
et gerere nolunt odia, quem patrum vocant  
pater est.*

Animadvertas quaeso, pro *si bella* in cod. Etrusco exaratum esse *qui bella!*

Ambitione regum exposita improbataque chorus vitam latentem collaudat.

391 *stet quicumque volet potens  
aulae culmine lubrico:  
me dulcis saturet quies;  
obscuro positus loco  
leni perfruar otio,  
nullis nota Quiritibus  
aetas per tacitum fluat.*

Lectio *Quiritibus* alios ante me offendit, cum Markland *notaque litibus* — Luc. Mueller *notaque coetibus* substituere voluerint, at vero mecum corrigere ne dubita:

*nullis nota curulibus  
aetas per tacitum fluat.*

Voc. *nullis* — *curulibus* videlicet ablativus causae est et verba sic optime respondent iis, quae continuo sequuntur:

*sic cum transierint mei  
 nullo cum strepitu dies,  
 plebeius moriar senex.*

Cf. Stat. Silv. I 4, 82, III 3, 115, IV 1, 5.

---

Thyestes iam redux non sine praesentis fortunae diffidentia  
 statum humilem quem reliquit filio laudat.

451 *scelera non intrant casas,  
 tutusque mensa capitur angusta cibus;  
 venenum in auro bibitur — expertus loquor:  
 malam bonae praeferre fortunam licet.*

Pro licet legendum esse censeo: *liquet* h. e. mihi iam con-  
 stat, nulla apud me dubitatio est. Cf. Herc. Fur. 446:

*nondum liquet de patre? mentimur Iovem:  
 Iunonis odio crede.*

---

Thyestes ubi in fratris congressum colloquiumque venit et  
 alia dicit et haec:

517 *lacrimis agendum est: supplicem primus vides;  
 hae te precantur pedibus intactae manus.*

Hanc lectionem codicis optimi bene se habere neque rationem  
 esse habendam lectionum, quas libri interpolati varie exhibent  
*iniectae, iniunctae, victae, vinctae*, hi loci, si opus erit, com-  
 probabunt:

Troad. 691: *Ad genua accido  
 supplex, Ulixē, quamque nullius pedes  
 novere dextram pedibus admoveo tuis.*

Med. 247: *talem sciebus esse, cum genua attigi  
 fidemque supplex praesidis dextrae peti.*

Herc. Fur. 1002: *En blandas manus  
 ad genua tendens voce miseranda rogat.*

De Brev. Vit. 8. 2: at eosdem aegros vide, si mortis peri-  
 culum propius est admotum, medicorum genua tangentes.

---

Atreus deinde blande fratri respondet:

524

*squalidam vestem exue  
oculisque nostris parce et ornatus cape  
pares meis laetusque fraterni imperi  
capesse partem. maior haec laus est mea,  
fratri paternum reddere incolumi decus:  
habere regnum casus est, virtus dare.*

Vix ac ne vix quidem dubito quin poetae manus sic restituatur: *maior haec laus sit mea*. Locum enim ita intellegendum esse arbitror: Haec laus, regnum tibi reddere, quae laudem ceterorum in te beneficiorum superat, sit s. fiat laus mea. Cf: vs. 538, ubi Atreus, posteaquam Thyestes regni societatem diu recusavit, rogat

*fratrem potiri gloria ingenti vptas?*

Chorus Atrei laudat pietatem, qua fratrum simultates composuit.

552

*ira cum magnis agitata causis  
gratiam rupit cecinitque bellum,  
cum leves frenis sonuere turmae,  
fulsit hinc illinc agitatus ensis  
quem movet crebro furibundus ictu  
sanguinem Mavors cupiens recentem:  
opprimit ferrum manibusque iunctis  
ducit ad pacem Pietas negantes.*

Unum vocabulum atque adeo una litterula corrupta in hisce veram iuncturam sententiarum nunc conturbare videtur, quam reconcinnabis scribendo vs. 554

*tum leves frenis sonuere turmae.*

Prodit nuntius, horrore perstrictus, ut epulas nefandas narret.

636

*ferte me insane procul,  
illo, procellae, ferte quo fertur dies  
hinc raptus.*

Miror neminem vitium manifestum, quod locum inquinat, adhuc sustulisse: corrigendum nimirum est *hinc raptum*, quia verba ad *me* (vs. 636) pertinent.

Deinde situm regiae exponit atque ita quidem ut primum

domum ipsam describat, dein nemus arcanum sacrumque, post domum iacens, in quo Atreus filios Thyestis trucidavit.

645 *fulget hic turbae capax  
immane tectum, cuius auratas trabes  
variis columnae nobiles maculis ferunt.  
post ista vulgo nota, quae populi colunt,  
in multa dives spatia discedit domus;*

650 *arcana in imo regio secessu iacet,  
alta vetustum valle compescens nemus,  
penetrabile regni, e. q. s.*

Versus 648 et 649 sedes mutare iubeo: postquam enim verbis  
*in multa dives spatia discedit domus*

designationem ipsius regiae ad finem perduxit, versibus  
*post ista vulgo nota, quae populi colunt,  
arcana in imo regio secessu iacet*

ad copiosam arcani memoris descriptionem transgreditur.

Una corruptela in eiusdem relatione tollenda restat

732 *silva iubatus qualis Armenia leo  
in caede multa victor armento incubat e. q. s.*

Emenda: *iam caede multa victor.*

Sunt verba Thyestis

1006 *agnosco fratrem. sustines tantum nefas  
gestare, Tellus? non ad infernam Styga  
te nosque mergis rupta et ingenti via  
ad chaos inane regna cum rege abripis?*

Pro codicum lectione corrupta, quam supra descripsi, editores B. Schmidii coniecturam *tenebrasque mergis* solent recipere — iniuria. Legendum est: *noctemque mergis*. Cf. 1071, 1094, H. F. 610, 862, Phoen. 144, Med. 9, H. II 47 atque ea, quae de litteris in cod. E transpositis ad Herc. II 123 a me disputata sunt.

# DE QUATTUOR TEMPERAMENTIS

SCRIPSIT

IACOBUS VAN WAGENINGEN.



Quoniam hodie èt inventio quattuor temperamentorum èt nomina eorum saepius Graecis <sup>1)</sup> tribuuntur — quod iam idcirco parum veri simile videtur, quia sic non facile explicatur, qui factum sit, ut nominibus Graecis, quae sunt *melancholici*, *phlegmatici*, *choleric*, unum Latinum additum sit sc. *sanguinei*, — hanc rem rursus perquirere statui, ut non modo Graecis sed omnibus philosophis et medicis suum cuique redderetur.

Primus Alcmaëo Crotoniates, medicus clarissimus, idem qui iam exeunte saeculo sexto ante Chr. n. sedem et locum animi in cerebro esse dixit <sup>2)</sup>, multas in corpore humano vires esse, sc. umidum, siccum, frigidum, amarum, dulce cet., quibus aequabiliter regnantibus bona valetudo efficeretur, existimabat: *Ἀλκμαίων τῆς μὲν ὑγείας εἶναι συνεκτικὴν τὴν ἰσονομίαν τῶν δυνάμεων, ὑγροῦ, ξηροῦ, ψυχροῦ, θερμοῦ, πικροῦ, γλυκέος καὶ τῶν λοιπῶν.*

Primus idem, quantum scimus, de hac qualitatum mixtura adhibuit vocem, quae est *κρᾶσις*, quam Romani <sup>3)</sup> vocabulo,

1) Volkmann, Psychologie I 208: „Hippocrates legte die 4 Hauptsäfte des Leibes zu Grunde, eine Ansicht, die sodann Galen ... durch Einführung der bekannten Namen fixirte“.

2) Diels, Vorsokratiker<sup>3</sup> I 132, 32; 133, 3. Siebeck, Geschichte der Psychologie I 90, 145.

3) Colum. III 12: „opus est, inquit, inter has tam diversas inaequalitates magno temperamento, quod in corporibus quoque nostris desideratur, quorum bona valetudo calidi et frigidi, umidi et aridi, densi et rari, certo et quasi examinato modo continetur“.

quod est *temperamentum*, Latine expresserunt: τὴν δὲ ὑγιάν τὴν σύμμετρον τῶν ποιῶν κρᾶσιν.

Hanc doctrinam Parmenides (504 a. Chr. n.), qui ignem et terram elementa universi putabat, ad mentis condicionem explicandam transtulit eiusque acumen in mixtura certa calidi et frigidi constare disseruit<sup>1)</sup>: Παρμενίδης .. ἀφώρικεν .. ὅτι δυοῖν ὄντοιν στοιχείοιν κατὰ τὸ ὑπερβάλλον ἐστὶν ἡ γνώσις. ἐὰν γὰρ ὑπεραίρη τὸ θερμὸν ἢ τὸ ψυχρὸν, ἄλλην γίνεσθαι τὴν διάνοιαν, βελτίω δὲ καὶ καθαρωτέραν τὴν διὰ τὸ θερμὸν· οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ταύτην δεῖσθαι τινος συμμετρίας ... τὸ γὰρ αἰσθάνεσθαι καὶ φρονεῖν ὡς ταυτὸ λέγει· διὸ καὶ τὴν μνήμην καὶ τὴν λήθην ἀπὸ τούτων γίνεσθαι διὰ τῆς κράσεως. ἂν δ' ἰσάζωσι τῇ μίξει, πότερον ἔσται φρονεῖν ἢ οὐ, καὶ τίς ἢ διάθεσις, οὐδὲν ἔτι διάρικεν. Parmenide igitur auctore si in mente calor intentus, frigus remissum est, memoria valet, sin frigus maius est, rerum oblivia mentem vexant. Qualis mentis status futurus sit, si utrumque aequabiliter misceatur, hoc dicere neglexit.

Empedocles ille, qui quattuor elementa ignem aëra aquam terram statuit et mixturae doctrinam fusius exposuit, in sanguine sedem perfectissimae principiorum mixturae esse atque mentis sensuumque acumen eo absolutius et exactius fore, quo aequabilius elementorum partes in sanguine mixtae sint, putat. Si rarius et laxius collocatae sint, hominis naturam fieri tardam et cunctantem, sin densius et subtilius, hominem propter rapacem sanguinis motum vehementem esse et multa inchoare, pauca absolvere<sup>2)</sup>: διὸ καὶ τῷ αἵματι μάλιστα φρονεῖν· ἐν τούτῳ γὰρ μάλιστα κεκρᾶσθαι [ἐστὶ] τὰ στοιχεῖα τῶν μερῶν ... καὶ ὧν μὲν μανὰ καὶ ἀρκιὰ κείται τὰ στοιχεῖα, νωθροὺς καὶ ἐπιπόνους· ὧν δὲ πυκνὰ καὶ κατὰ μικρὰ τετραυσιμένα, τοὺς δὲ τοιοῦτους ἐξείς φερομένους καὶ πολλοῖς ἐπιβαλλομένους ὀλίγα ἐπιτελεῖν διὰ τὴν δξύτητα τῆς τοῦ αἵματος φορᾶς· οἷς δὲ καθ' ἓν τι μόριον ἢ μέση κρᾶσις ἐστὶ, ταύτη σοφοὺς ἐκάστους εἶναι, itaque oratores excellere propter bonam mixturam, quae in lingua eorum sit, artifices autem eminere ob crasim aequam in manibus latentem.

Neque Alcmaeonis neque Parmenidis doctrina Platoni

1) Diels, Vorsokr.<sup>2</sup> I 142, 5; 145, 31; 146, 5.

2) Diels, Vorsokr.<sup>2</sup> I 218, 5 sqq.

ignota fuisse videtur, quippe qui hominum et animalium valetudinem bonam e quattuor qualitibus earumque mixtura pendere arbitretur (Symp. 188 A): ἐπεὶ καὶ ἡ τῶν ὠρῶν τοῦ ἐνιαυτοῦ σύστασις μεστή ἐστὶν ἀμφοτέρων τούτων, καὶ ἐπειδὴν μὲν πρὸς ἄλληλα τοῦ κοσμίου τύχῃ ἔρωτος ἃ νῦν δὴ ἐγὼ ἔλεγον, τὰ τε θερμὰ καὶ τὰ ψυχρὰ καὶ ξηρὰ καὶ ὑγρὰ, καὶ ἄρμονίαν καὶ κρᾶσιν λάβῃ σάφρονα, ἦκει φέροντα εὐετηρίαν τε καὶ ὑγίαιαν ἀνθρώποις καὶ τοῖς ἄλλοις ζώοις τε καὶ φυτοῖς καὶ οὐδὲν ἠδίκησεν. Idem februm varia genera ita explicat, ut in alio aliud elementum praevalere demonstrat, quae febris causa sit: τὸ μὲν οὖν ἐκ πυρὸς ὑπερβολῆς μάλιστα νοσήσαν σῶμα ξυνεχῆ καύματα καὶ πυρετοὺς ἀπεργάζεται, τὸ δ' ἐξ ἀέρος ἀμφημερινούς, τριταίους δ' ὕδατος διὰ τὸ νωθέστερον ἀέρος καὶ πυρὸς αὐτὸ εἶναι· τὸ δ' ἐκ γῆς τετάρτως ὂν νωθέστατον τούτων (Tim. 86 A), quin etiam de regnantis fortitudine et continentia agens voce, quae est ξύγκρασις, utitur (Politicus 308 E), sed neque ille neque Xenophon <sup>1)</sup> mores hominum atque indolem ad illa elementa revocare studuit.

Iam ex iis, quae Plato de februm generibus scripsit, eum non fugisse apparet, quae aequalis eius Hippocrates de corpore humano tradiderat. Is enim, quamquam in natura non plus duo elementa, ignem et aëra, statuit, tamen in corpore humano quattuor inesse umores eorumque mixturam et bonae valetudinis et morborum causam esse censebat: τὸ δὲ σῶμα ἔχει ἐν ἑαυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα καὶ χολὴν ξανθὴν τε καὶ μέλαιναν καὶ ταῦτ' ἐστὶν αὐτέω ἢ φύσις τοῦ σώματος καὶ διὰ ταῦτα ἀλλεῖε καὶ ὑγιαίνει (περὶ φύσις ἀνθρώπου c. 4). Valet autem homo maxime, si umores illi, quantum ad vim et multitudinem attinet, maxime aequaliter inter se mixti sunt, aegrotat vero, si unus ex iis ceteris abundantior aut minor est aut seorsum a ceteris in corpore segregatus. Quorum umorum sanguis aëri calido umidoque, phlegma aquae frigidae umidaeque, bilis rubra igni calido siccoque, bilis atra terrae frigidae sic-

1) Xen. Mem. I 4, 8: ὅτι γῆς τε καὶ μικρὸν μέρος ἐν τῷ σώματι πολλῆς οὔσης ἔχεις καὶ ὑγροῦ βραχὺ πολλοῦ ὄντος καὶ τῶν ἄλλων δήπου μεγάλων ὄντων ἐκάστου μικρὸν μέρος λαβόντι τὸ σῶμα συνήρμοσταί σοι. νοῦν δὲ μόνον ἄρα οὐδαμοῦ ὄντα σε εὐτυχῶς πως δοκεῖς συναρπάσαι.

cacque similis est <sup>1)</sup>). Hippocrates tamen, etsi animi condicionem et statum cum corpore cohaerere sibi persuasum habebat, nondum hanc umorum partitionem ad animum eiusque naturam revocavit, id quod magis erat philosophi quam medici <sup>2)</sup>).

Id primus fecit Aristoteles, quamquam ne ille quidem de temperamentis loquitur, sed in operibus rhetoricis et ethicis tantummodo temperamentorum definitionibus utitur. Aristoteles autem sic iudicat de corpore humano (de part. an. I): *ὁ δ' ἀήρ καὶ τὸ ὕδωρ ὕλη τῶν σωμάτων ἐστίν· ἐκ τῶν τοιούτων γὰρ σωμάτων συνιστᾶσιν τὴν φύσιν πάντες* et alibi (problem. XXX 1): *θερμοῦ γὰρ καὶ ψυχροῦ κρᾶσις ἐστίν· ἐκ τούτων γὰρ δυοῖν ἡ φύσις συνέστηκεν*. Hanc sententiam iam apud Parmenidem invenimus, sed multo fusius et copiosius Aristoteles, Hippocratis de umoribus doctrina fretus, de iis qui atra bile laborant, agit, quorum et animi et corporis naturam disertissime tractat (problem. ibid.): *οἱ μελαγχολικοὶ πνευματώδεις. δῆλοι δ' εἰσὶν ἐπ' ἐνίων· σκληροὶ γὰρ οἱ πλείους τῶν μελαγχολικῶν καὶ αἱ φλέβες ἐξέχουσιν· τούτου δ' αἴτιον οὐ τὸ τοῦ αἵματος πλῆθος ἀλλὰ τοῦ πνεύματος*. Deinde Aristoteles addit atram bilem et calidissimam et frigidissimam fieri posse sicut aquam; si frigida in corpore abundet (*ὑπερβάλλη*), *ἀποπληξίας ἢ νάρκας ἢ ἀθυμίας ἢ φόβους* exsistere, sin abundans incaluerit, *τὰς μετ' ᾧδῆς εὐθυμίας καὶ ἐκστάσεις καὶ ἐκζέσεις ἐλκῶν* (ulcerum eruptiones). Hae sunt animi condiciones temporariae, quas secundum Aristotelem atra bilis in plerisque hominibus victu cotidiano abundans efficit, sed quae non mutant τὸ ἦθος, morbum tantummodo melancholicum creant. Verum *ὄσοις ἐν τῇ φύσει συνέστη κρᾶσις τοιαύτη, εὐθὺς οὗτοι τὰ ἦθη γίνονται παντοδαποί, ἄλλος κατ' ἄλλην κρᾶσιν*, velut quibus multa et frigida bilis est atra, hi stolidi sunt et ignavi; in quibus permulta et calida, ii perciti et ingeniosi, amasii, propensi ad omnem excandescentiam et cupiditatem, nonnulli etiam loquaces. Vides primum Aristotelem et corporis et animi proprietates ad atrae bilis condicionem revocasse.

Etiam Stoici, imprimis Chrysippus, analogiam inter syno-

1) Galenus de temperamentis II 603; Volkmann Psychol. I 208.

2) Philoronus d. an. I fol. B<sup>a</sup> a ob: *ἐπεὶ οὐκ αἱ κράσεις τοῦ σώματος τὰς τῆς ψυχῆς δυνάμεις*, Siebeck l.l. II 279, 3.



nymas et corporis et animi condiciones intercedentem statu-  
bant<sup>1)</sup>: ἡ δὲ τῆς ψυχῆς νόσος ὁμοιοτάτη ἐστὶ τῇ τοῦ σώματος  
ἀκαταστασίᾳ. λέγεται δὲ εἶναι σώματος νόσος ἡ ἀσυμμετρία τῶν  
ἐν αὐτῷ, θερμοῦ καὶ ψυχροῦ, ξηροῦ καὶ ὕγρου. Praeterea Seneca  
(de ira II 19) antiquiorem sine dubio auctorem Stoicum secutus  
sic morum varietates e mixtura qualitatum explicare studuit:  
„opportunitissima ad iracundiam fervidi animi natura est. Nam  
cum elementa sint quattuor ignis aquae aëris terrae, potestates  
pares his sunt, fervida frigida arida atque umida. Et locorum  
itaque et animalium et corporum et morum varietates  
mixtura elementorum facit et proinde in aliquos magis incum-  
bunt ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundavit...  
refert quantum quisque umidi in se calidique contineat. Cuius  
in illo elementi portio praevalebit, inde mores erunt.  
Iracundos fervida animi natura faciet: est enim actuosus et  
pertinax ignis. Frigidi mixtura timidos facit: pigrum est enim  
contractumque frigus. Volunt itaque quidam ex nostris iram  
in pectore moveri effervescente circa cor sanguine”<sup>2)</sup>.

Suam autem viam in varietate morum explicanda ingressus  
est Epicurus, qui cum non modo corpus sed etiam animum  
ex atomis constare putaret, naturam animi non ad corporis  
mixturam revocavit, sed ad ipsius animi atomos, h. e. ad κρᾶμα  
illud ἐκ τεττάρων, scil. e calore, aëre, aura (πνεῦμα) quartaque  
natura nominis experti, constans<sup>3)</sup>. Quam doctrinam sic versibus  
illustravit Lucretius (III 288 sqq.):

est etenim calor ille animo, quem sumit in ira,  
cum fervescit et ex oculis micat acrius ardor.  
est et frigida multa comes formidinis aura,  
quae ciet horrorem membris et concitat artus<sup>4)</sup>.  
est etiam quoque pacati status aëris ille,  
pectore tranquillo qui fit vultuque sereno.  
sed calidi plus est illis quibus acria corda  
iracundaque mens facile effervesceat in ira.

1) von Arnim, Stoicorum veterum fragm. III 121, 14.

2) Stob. ecl. I p. 468 W.

3) Heinze ad Lucr. III 288 (p. 89); Fragm. Epic. (Usener) 314, 315.

4) Operae pretium est animadvertere secundum Lucretium animi statum causam  
esse corporis motus.

Versibus consequentibus tria illa temperamenti genera describuntur a poeta in leonis cervi bovisque natura et ostenditur leonem nimium caloris, cervum aurae frigidae habere, bovem autem „placido magis vivere aëre”; tum Lucretius ita concludit:

sic hominum genus est.

Philosophorum et Hippocratis doctrina fretus Galenus secundo demum saeculo post Christum natum (131—201) systema illud temperamentorum excogitavit, quod etiam hodie quamvis paulum mutatum, exstat vigetque. Is enim, si quattuor potestates (calidum = c, frigidum = f, siccum = s, umidum = u) aequaliter inter se mixtae in corpore essent, hanc mixturam *εὐκρασίαν* esse dixit <sup>1)</sup>, sed cum haec temperamenti species rara esset vel numquam occurreret, duodecim mixturas proposuit iuxta illam, quas *δυσκρασίας* appellabat, in quibus singulae potestates praevalerent, hoc modo:

$$\begin{array}{l}
 c^+ \left\{ \begin{array}{l} 1 \ u^+ s^+ f^- \\ 2 \ u^- s^+ f^- \\ 3 \ u^+ s^- f^- \end{array} \right. \\
 \text{praevalet} \\
 \\
 s^+ \left\{ \begin{array}{l} 7 \ c^+ f^+ u^- \\ 8 \ c^+ f^- u^- \\ 9 \ c^- f^+ u^- \end{array} \right. \\
 \text{praevalet} \\
 \\
 f^+ \left\{ \begin{array}{l} 4 \ u^+ s^+ c^- \\ 5 \ u^- s^+ c^- \\ 6 \ u^+ s^- c^- \end{array} \right. \\
 \text{praevalet} \\
 \\
 u^+ \left\{ \begin{array}{l} 10 \ c^+ f^+ s^- \\ 11 \ c^+ f^- s^- \\ 12 \ c^- f^+ s^- \end{array} \right. \\
 \text{praevalet}
 \end{array}$$

Ex his duodecim *δυσκρασίαις*, quarum in prima triade calidum, in secunda frigidum, in tertia siccum, in quarta umidum praevalet, cum potestates praevalentes modo cum mixtura aequali modo cum inaequali duarum diversarum iunguntur, sex maioris sunt momenti, quoniam earum mixtura omnino convenit cum uno e quattuor umoribus, qui in corpore humano sunt. Congruunt scilicet 2 et 8 cum bili rubra ( $c^+ s^+$  et  $s^+ c^+$ ), 3 et 11 cum sanguine ( $c^+ u^+$  et  $u^+ c^+$ ), 5 et 9 cum bili atra ( $f^+ s^+$  et  $s^+ f^+$ ), 6 et 12 cum phlegmate ( $f^+ u^+$  vel  $u^+ f^+$ ). Ταύτας μὲν οὖν τὰς τέτταρες *δυσκρασίας*, inquit Galenus <sup>2)</sup>, οἱ πλεῖστοι γινώσκουσι ἰατροὶ καὶ Φιλόσοφοι. Itaque iam Galeni aetate quattuor illae mixturae notae erant, sed neque ille neque alii

1) Siebeck *Gesch. der Psych.* II 284; Galenus IV 804; VI 130, 377, 401; XV 96.

2) Galenus I 536.

medici philosophique omnibus quattuor temperamentis nomina indiderunt. A Galeno praeter melancholicos, qui imprimis veteribus curae erant, soli phlegmatici commemorantur, quorum ἦθος dicitur ἀτολμον καὶ δειλὸν καὶ δύσθυμον <sup>1)</sup>, sed reliqua nomina desunt. Quin etiam quod hodie temperamentum cholericum vocatur, veteres philosophi non accurate distinguebant a melancholico, neque Galenus temperamentum sanguineum diserte descripsit.

Galenii opera medio aevo homines, quippe qui Graece nescirent, non ipsa legerunt, sed a Johanni<sup>2)</sup> quodam Arabice versa, porro in sermonem Latinum conversa cognoverunt. Inde factum est — quod hodie miramur — ut duobus nominibus Graecis, quae sunt *melancholici* et *phlegmatici*, unum Latinum, quod est *sanguinei*, alterum, quod hoc saltem sensu vix Graecum est, sc. *cholericici*, ab interpretibus additum sit. Hic autem Johannitius in isagoga ad parvam artem Galeni <sup>3)</sup> scribit:

#### De humoribus.

„Compositiones sunt quattuor s. sanguis phlegma cholera rubea (sic!) et cholera nigra. Sanguis est calidus et humidus, phlegma frigidum et humidum, cholera rubea calida et sicca, cholera nigra frigida et sicca.

Masculus a femina differt in eo quod hic calidior et siccior est, illa e contrario frigidior et humidior” <sup>4)</sup>.

#### De phlegmate.

„Phlegmatis autem quinque sunt modi. Est autem phlegma salsum calidius et siccus ceteris, infectum humore *colerico*. Et est phlegma dulce pertinens ad caliditatem et humectationem, infectu *sanguineo*. Est etiam acre pertinens ad frigiditatem et siccitatem, infectu *melancholico*”.

Haec verba legentes statim animadvertimus ne Johannitium quidem vocabula, quae sunt *cholericus sanguineus melancholicus*,

1) Galenus II 648.

2) Nomen eius Arabicum est Honein Ben Ishak. Natus est Hirae a° 809 p. Chr. n., mortem obiit a° 873, cf. Wernich und Hirsch, Biogr. Lexikon der Aerzte I p. 166.

3) Sunt duae editiones Latinae huius isagogae, Lipsiensis a° 1497 et Argentoratensis a° 1532. In altera titulus hic est: „Isagoge Johannitii in tegni Galieni primus liber medicinae”.

4) Galen. II 606: τῆ κράσει ψυχρότερον ἄρρενος τὸ θῆλυ καὶ οἰκουρεῖ τὰ πολλὰ.

de hominum moribus adhibuisse, sed de variis phlegmatis generibus.

Primus, quantum huius rei memoriam eruere potui, Honorius <sup>1)</sup> Augustodunensis, qui priore parte saeculi duodecimi post Chr. n. fuit, nomina a Johannitio in philosophorum et medicorum sermonem introducta, ad mores humanos ipsosque homines transtulit. Is (fortasse monachus, nam cognomen ei erat solitario) in libro IV 20 C de philosophia mundi ita scribit <sup>2)</sup>: „verbi gratia homo naturaliter calidus et humidus et in quattuor qualitates temperatus, sed quia corrumpitur natura, contingit illas in aliquo intendi et remitti. Si vero in aliquo intendatur calor et remittatur umiditas, dicitur *cholericus*, id est calidus et siccus, non est sine umiditate tamen. Sin vero in aliquo intensus sit umor, calor vero remissus, dicitur *phlegmaticus*. Sin autem intensa sit siccitas, remissus calor, *melancholicus*. Sin vero aequaliter insunt, dicitur *sanguineus*”. Deinde Honorius figuram et habitum quattuor generum describit atque sic concludit: „sed quia hoc a Johannitio satis dictum est” cet.

En habes quattuor demum illa nomina, duo Graeca, unum quasi Graecum, quartum Latinum de ipsis hominibus diversi temperamenti usurpata. Neque Aristoteles, neque Hippocrates, neque Galenus <sup>3)</sup> quattuor illa invenit, sed ita iuncta non ante saeculum duodecimum in litterarum monumentis occurrunt. Melancholicos sane et phlegmaticos medici veteres cognitos habebant, sed temperamentum cholericum non semper accurate a melancholico distinguebant, sanguineum autem vix commemorabant atque tantummodo perstringebant, nedum illis nominibus (*cholericus*

1) Mortuus est Honorius a° 1152, cf. R. Rocholl in Realencycl. für protest. Theologie und Kirche VIII 328.

2) Migne, Patr. Lat. 172 p. 93. Idem fere locus exstat apud Bedam, qui presbyter appellatur, de elementis philosophiae l. III (Opp. tom. II Coloniae Agrippinae 1612, p. 227), nisi quod hic Johannitium non nominatim laudat, sed *physicum* appellat.

3) Iniuria Volkman, Psych. I 208: „Hippokrates legte die 4 Hauptsäfte des Leibes zu Grunde, eine Ansicht die sodann Galen... durch Einführung der bekannten Namen fixirte”.

et *sanguinei*) usi sint. Ita historia docet, e quantulo initio totum hoc systema ortum sit.

Denique nolo silentio praeterire iatromathematicos, qualis erat Antiochus Atheniensis <sup>1)</sup>, qui elementa pathologiae umoralis cum astrologia coniunxerunt et necessitudinem quandam intercedere statuerunt non modo inter elementa, umores, temperamta, sed etiam inter illa et anni tempora, zodiaci signa, caeli regiones, colores, status. Ex tabula, quam Franciscus Bollius <sup>2)</sup> ad hanc rem illustrandam edidit, eam partem lectoribus proponere volo, quae ad argumentum nostrum pertinet. Inde nemo non videbit, quantopere etiam in hac temperamentorum doctrina astrologia valuerit ad quattuor generum numerum stabiliendum atque firmandum:

Elementa	Anni tempora	Umores	Temperamenta
ἀήρ	ἔαρ	αἷμα	θερμὸν καὶ ὑγρὸν
πῦρ	θέρους	χολή	" " ξηρόν
γῆ	Φθινόπωρον	χυμὸς μελαγχολικός	ψυχρὸν καὶ ξηρόν
ὔδωρ	χειμῶν	φλέγμα	" " ὑγρὸν

1) Pauly-Wissowa I 2494, 68; Engelbrecht, Hephæstion von Theb. 36; Boll, Stern Glaube und Stern deutung 65.

2) Catalogus codd. astr. VII 104—105.

### POLENARIANUM AD HOR. C. IV, 4, 68.

praelia coniugibus *loquenda*  
 scriptorum poetarumque istud est, sed mulierum lugere maritos  
 filiosque et propterea detestari proelia.

Lege ergo *dolenda*.

J. J. H.

# QUO TEMPORE PHAEDRUS PLATONICUS SCRIPTUS SIT

SCRIPSIT

H. D. VERDAM.



Ioannes ab Arnim auxilio artis statisticae quae vocatur ordine quo dialogi Platonici inter se succedunt investigato <sup>1)</sup> deinde dialogorum ipsa argumenta inter se comparando ordinem statistica arte inventum rectum esse probare conatus est <sup>2)</sup>, itaque duas inquirendi rationes sibi invicem esse subsidio. In qua disputatione sponte imminebat periculum, ne ei officerent illa, quae ex arte statistica collegerat et ne non integro, sed artis statisticae eventibus praeiudicato animo dialogorum argumenta examinare institueret. Neque omnino hoc periculum effugit.

Schleiermacherum secutus Platonis senioris opiniones iam inde ab adolescentia easdem fuisse contendit, improbata quam Hermannus primus protulerat sententia, Platonis opiniones paulatim esse adultas, quam nuper Pohlenzius in libro, qui inscribitur „aus Platons Werdezeit“ se pro vero sumere ipso titulo professus est <sup>3)</sup>. Itaque monet, ne in Platoniorum dialogorum corpore locos indagemus, qui inter se pugnare videantur,

---

1) Sprachliche Forschungen zur Chronologie der platonischen Dialoge, Sitzungsberichte d. Wiener Akademie, Bd. 169.

2) Platos Jugenddialoge und die Entstehungszeit der Phaidros. [1914].

3) l. l. p. III. Mein Buch stellt sich unter anderem die Aufgabe, gegen die... genetische Auffassung der platonischen Schriftstellerei, die seit K. F. Hermann in Deutschland herrscht, die *relative* Berechtigung jener von Schleiermacher vertretenen Auffassung ins Feld zu führen, die eine *methodisch-didaktische Planmässigkeit* in Platos Schriftstellerei und der Abfolge seiner Schriften findet.

quum haud raro sibi obloqui videatur Plato, revera secum consentiat<sup>1)</sup>. At contra dialogum alterum altero esse priorem inde effici posse, quod alter sine alterius auxilio intellegi non possit, velut Phaedrum Republica esse posteriorem his verbis demonstrare conatur (l. l. p. 156): „Wir natürlich, denen die Darstellung im vierten Buch der „Republik“ geläufig ist, deuten das Symbol (sc. aurigae et bigarum in Phaedro) sofort richtig und erkennen in dem Wagenlenker das λογιστικόν, in dem edleren Rosz das θυμειδές, in dem schlechteren das ἐπιθυμητικόν. Wer dagegen die „Republik“ nicht gelesen hat, kann aus den Worten unserer Phaedrosstelle 246a überhaupt nicht verstehen, um was es sich handelt“<sup>2)</sup>. Eiusmodi vero arguendi ratio mihi parum probatur. Nam primo, ludimagistrone similis erat Plato, qui innixus iis quae discipuli iam didicerunt mox alia doceat, quae intellegi non possunt nisi priorum illorum ope, ita ut tum demum Rempublicam intellegere possimus, si prius viginti fere illos qui praecedunt legerimus? Minime, sed auctor, cuius opera singula ex se intellegi et debent et possunt. Tum ei, qui Rempublicam novit, vix tuto arbitrium mandari potest num Phaedrus intellegi possit ab eo, qui Rempublicam non novit; periculum enim est, ne ex Republica sumptas sententias iniuria Phaedro intexat; quemadmodum Arnimius hoc loco bonum illum equum idem valere quod λογιστικόν iniuria affirmat<sup>3)</sup>. Praeterea cur Plato non aliquando obscurius paulo scribere potuit et, si ei videbatur, in posteriore aliquo dialogo obscuriora priorum operum dicta explicare?

At postulat Arnimius, ut credamus, Platonem opiniones suas non mutasse<sup>1)</sup>. Cur? An quia stulti est, opiniones suas renovare? Immo vero summi hominis. Nam quicumque praeclarorum auctorum scripta legit et cum summis suae aetatis hominibus

1) l. l. p. VI Vielmehr musz man, solange es irgend mit unbefangener Auffassung vereinbar ist, an dem *Glauben* festhalten, dasz Plato sich nicht widersprochen und seine Ansicht nicht geändert hat.

2) Cf. p. 161 Einem Leser dagegen, der diese Bücher (sc. Rep. IV, VIII) nicht vor dem „Phaidros“ gelesen hat, würde durch diesen Ausdruck (sc. πολλός, εἰκὴ συμπεφορημένος Phaedr. 253) etwas zuviel Scharfsinn im Rätselraten zugemutet, cf. p. 165.

3) Vid. infra p. 386 aqq.

versatur et vere vivit, quotidie opiniones suas recognoscit emendat auget. Et cuinam credamus? Nemini potius, ut opinor quam ipsi Platoni. Is tamen saepe numero luce clarius indicat, se opiniones suas immutare. Quid quod ne ipse quidem Arnimius hoc negat, nam is quoque aliquando in disputatione sua mutatas esse Platonis opiniones statuit, e. g. p. 161 sq.: „Die Vergleichung zeigt nämlich, dass die eschatologischen Vorstellungen im „Phaidon“ ähnlich sind wie im „Gorgias“, im Phaidros dagegen genau dieselben wie in der Republik und von den beiden erstgenannten Dialogen *ganz wesentlich verschieden*“. Ceterum loco supra <sup>1)</sup> laudato legimus ab eo probari „die *relative* Berechtigung jener von Schleiermacher vertretenen Auffassung“. Ex quibus apparet eum suam sententiam non *contra*, sed *iuxta* Hermannianam defendere et Schleiermacheri causam agere, Hermanni sententiam non ab omni parte repudiare. Nos Hermanni unius sententia probata primo de Republica et Phaedro quaeremus.

Quae de hisce duobus dialogis disputavit, in quattuor partes divisit, ex quibus prima est de auriga bigisque

altera de animorum vita post mortem

tertia de immortalitate animi

quarta de arte rhetorica eristica dialectica.

Eadem hac divisione usi et eos comparabimus locos, de quibus Arnimius egit et alios. Nam sunt maximi momenti loci, quos accurate comparare neglexit.

Quoniam de duabus prioribus quaestionibus agitur in parte eius orationis Socratis in Phaedro dialogo, quae palinodia vocatur, primo ea breviter enarranda esse mihi videtur.

Socrates postquam quattuor insaniae genera enumeravit demonstravitque cur animus immortalis esse videatur. (244 A—246A), comparationem instituit animi cum auriga bigisque (*Ξυμφύτω ζεύγει ὑποπτέρου ζεύγους τε καὶ ἡνιόχου* (246 A), altero bono equo, altero improbo (B) animum autem mundum pervolare, sed alis amissis cadere, donec corpori alicui occurrat, quocum coniungatur (C). Valere animum gravia tollere in coelum, ubi dei domicilia sua habeant. Ibi *Iovem volucrem*

1) p. 383 ann. 3.



*currum agentem* agmen ducere, hunc sequi agmen deorum hominumque (E) Unumquemque deorum comitari qui velit animus hominis (247 A). Hos autem laborare, improbo equo impeditos (B) Deos ad summum coelum ascendere, ubi sedem habeat *οὐσία ὄντως οὐσα κυβερνήτη μόνῳ θεατῇ νῶ* In caelo circumagendo deos veras ideas conspiciari (D), quo facto *ipsos* in coelum intimum redire, *aurigas* equos ad stabulum reducere (E) Hominum vero animos in ideis aspiciendis magnopere laborare (248 A) multasque alas aurigarum improbitate frangi; qui nil aspexerint, *τροφῇ δοξάσῃ χρᾶσθαι* (B). Si qui animus nimia gravitate sua ceciderit, primo non in corpus bestiae *inseri* (C) sed hominis (D). In hac vita qui iustior fuerit, eum post mortem meliore uti fortuna, sed improbum hominem post mortem meritas poenas dare (E). Omnibus qui alas amiserint, *decem vitas singulorum millium annorum agendas esse* excepto eo qui ter vitam philosophi elegerit; *ei post tria spatia singulorum millium annorum in coelum redire licere*. Ceteros post mortem aut sub terra poenas luere scelerum suorum aut *in quodam loco coeli praemiis ornari pro meritis suis* (249 A). Anno millesimo utrosque ad alterius vitae *sortitionem atque electionem* venire; ubi fieri, ut animus humanus in bestiam veniat et qui olim homo fuerit, sed deinde bestia, *rursus ad hominis fortunam* perveniat. Sed solum eos animos, qui aliquid ex vero viderint, homines fieri; nam sine idearum notitia (B), i. e. *sine memoria eorum, quae olim apud deos conspexerint, nulli animo licere in hominis figuram venire* (C.).

#### I. De auriga bigisque.

Et in Phaedro et in Reip. l. IV animum in tres partes dividit Plato, quas in Republica vocat *λογιστικόν θυμοειδές επιθυμητικόν* (440 E 441 A cf. 436 A), in Phaedro imagine aurigae bigarumque effingit (246 A), ita ut

auriga idem valere Arnimio videatur quod <i>λογιστικόν</i> in Reip. l. IV	
bonus equus idem	quod <i>θυμοειδές</i> " " "
improbus equus idem	quod <i>ἐπιθυμητικόν</i> " " "

Ipsum Platonem dilucide hanc similitudinem indicare ait, quod ipsis verbis aurigam cum mente aequet, ita dicentem: *οὐσία ὄντως οὐσα, κυβερνήτη μόνῳ θεατῇ νῶ*, ad quae haec annotat Arnimius (l. l. p. 158): „Hier wird also plötzlich und

ganz unerwartet der Wagenlenker als νοῦς gedeutet...”, κυβερνήτην enim idem valere quod ἡνίοχον. Num iure? Non opinor. Nam primo nil habet v. κυβερνήτης, quod dignum notatu est, quippe quod saepissime adhibeatur tamquam *dux*, e. g. Rep. VI 488 DE. Deinde nullo alio totius palinodiae loco v. κυβερνήτης pro auriga legitur, sed ubique v. ἡνίοχος aut inde derivatum vocabulum (246 A bis 247 E 248 AB 253 D ἡνιοχικός E ἡνιοχεῖται 254 A κέντρων ἡνιοχικῶν, ἡνίοχῳ B C D E 256 A). Quocirca si Plato legentium mentes hoc loco reicere voluisset ad Rempublicam et indicare, ἡνίοχον sibi idem valere, quod λογιστικόν in Reip. I. IV — si parum poëticum illud v. λογιστικόν adhibere et ἡνίοχῳ λογιστικῶ scribere gravatus, v. νοῦς praeferebat — at saltem, si usquam, hoc loco v. ἡνίοχος uti debuit neque v. κυβερνήτης substituere.

Accedit, quod totum locum accuratius examinantibus nobis clare apparebit Arnimii interpretationem v. κυβερνήτης minus rectam esse. Sermo enim hic (246 E ὁ μὲν δὴ — 247 E οὗτος μὲν θεῶν βίος) est de *deis*, qui non, ut homines ideas aspicere conati, malo illo equo praecipitati graviter laborant, sed facile et nulla re impediti eas aspiciunt (cf. 246 A s. f. θεῶν μὲν οὖν ἵπποι τε καὶ ἡνίοχοι πάντες αὐτοὶ τε ἀγαθοὶ καὶ ἐξ ἀγαθῶν). Ergo Iovis et deorum animi non ut hominum ita tripertiti sunt ut Iovis auriga habenda sit Iovis animi tertia pars (sc. mens, λογιστικόν), Iovisque bigae duae Iovis animi partes (θυμοειδές et ἐπιθυμητικόν), sed quam de homine adhibebat similitudinem ad animum tripertitum effingendum, ea aliter paulum in deis usus esse videtur Plato, ita ut Iovis auriga bigaeque non idem valerent quod *Iupiter*, sed ab ipso deo essent separati. Nam si idem valerent, ét vitiosum esset dicere: Ζεὺς, ἐλαύνων πτηνὸν ἄρμα (i. e. ὑπόπτερον ζευγος) — idem enim esset Ζεὺς quod *summa* aurigae bigarumque —, sed pro Iove ipso eius auriga nominandus erat ét quae sub finem loci reperiuntur vituperanda essent; haec dico: <θεοῦ διάνοια> δῦσα πάλιν εἰς τὸ εἶσω τοῦ οὐρανοῦ, οἴκαδε ἦλθεν, ἐλθούσης δὲ αὐτῆς ὁ ἡνίοχος πρὸς τὴν Φάτνην τοὺς ἵππους στήσας παρέβαλεν ἀμβροσίαν (247 E). Ex quibus aliud esse Iovis mentem aliud eius aurigam cum bigis luce clarius apparet, quum Iupiter ad intimum coelum, auriga cum bigis ad stabulum redire dicatur.

Ergo si Iovis mens non idem valet quod eius auriga, nil iam est cur vv. κυβερνήτη νῶ *aurigam*, i. e. *mentem* significasse Platonem suspicemur, quo facto legentium mentes reicerentur ad tres animi partes, quae in Reip. l. IV describuntur.

Iam igitur iis, [quae in Phaedro et Reip. l. IV de animi tripartitione leguntur accurate inter se comparatis integra mente videamus, num ex iis effici possit Phaedrusne prior sit an Respublica. Distinguuntur in Reip. l. IV primo τὸ λογιστικόν et τὸ ἐπιθυμητικόν (439 D), quae perpetuo inter se pugnare dicuntur. Additur mox tertia pars (τὸ θυμοειδές), quae τίθεται τὰ ἔπλα πρὸς τὸ λογιστικόν (440 E) et ἐπίκουρόν <ἔστι> τῶ λογιστικῶ φύσει, ἐὰν μὴ ὑπὸ κακῆς τροφῆς διαφθαρῆ (441 A cf. E); eam autem sua sponte menti dicto audientem esse hisce tribus exemplis accuratius significatur:

1. si quem contra rationem cupidines agant, eum sibi conciviciari rationemque *irasci* (θυμοῦσθαι) cupidinibus atque duabus inter se pugnantibus *iram* (τὸν θυμόν) *rationi subvenire*.

2. si quis maleficiis suis poenas det, quo probior sit, eo minus *iram* eius moveri; iure enim poena se affici putare.

3. si quis se iniuria puniri putet, *iram* eius non placari, priusquam aut vicerit aut ratione mitigatus sit. Ergo in omnibus hisce *iram* suoapte ingenio rationi subvenire (440 B—D).

Quibuscum consentiunt quae legimus 442 A musica arte et gymnastica colenda futurum ut λογιστικόν et θυμοειδές praesint τῶ ἐπιθυμητικῶ. Item in sequentibus agitur de mente et ira in numero duali (τούτω δὲ οὕτω τραφέντε κτέ), tamquamsi eorum societas dirimi vix possit.

Ceterum de hac animi parte non solum in Reip. l. IV, sed etiam in Reip. ll. VIII et IX sermo est, quos ab Arnimio silentio esse praetermissos vehementer dolendum est, quod in eis multo accuratius de ira illa disseritur eaque significatur tamquam Φιλόνικον et Φιλότιμον *vulgoque bene recteque agere negatur*. Exponuntur enim in libro VIII quinque civitatum formae, prima vera aristocratia, optimorum regnum, quae comparari potest cum mente composita, altera timocratia (545 B), θυμοειδεῖ similis, in qua Φιλόνικον et Φιλότιμον regnant, reliquae tres (oligarchia, democratia, tyrannis) cum ἐπιθυμητικῶ comparandae. Hic minime legitur *iram* propius stare a ratione,

sed mediam esse (μέσον), haud magis tamen cum meliore parte coniunctam quam cum peiore. Nam singulos homines, qui huic reipublicae formae similes sunt, medios inter bonos et malos, ab altera (bona) parte trahi τῷ λογιστικῷ, ab altera (mala) parte foedere ἐπιθυμητικοῦ et θυμοειδούς. Ex quo patet, iram iam descisse suoapte ingenio mentis sociam esse.

Iram minime cum mente esse coniunctam solere, sed per se in utramque partem agere clarius etiam apparet ex iis, quae in Reip. l. IX reperiuntur. Iam inde ab initio sic definitur (581 AB): τὸ θυμοειδὲς οὐ πρὸς τὸ κρατεῖν μέντοι Φαμὲν καὶ κικᾶν καὶ εὐδοκιμεῖν ἀεὶ ὄλον ἀρμηῆσθαι; Καὶ μάλα. Εἰ οὖν Φιλόνικον αὐτὸ καὶ Φιλότιμον προσαγορεύοιμεν, ἢ ἐμμελῶς ἂν ἔχοι; Ἐμμελέστατα μὲν οὖν. Mox autem legimus, si quis coli vincere irasci cupiat sine mente et ratione, eum fieri invidum violentum molestum. (586 C). Quibuscum congruit quae mox effingitur imago; comparatur enim animus cum animali, quod mixtum est ex homine (i. e. λογιστικῷ), leone (θυμοειδεῖ), bestia multiformi (ἐπιθυμητικῷ). In eane imagine depingenda iusto homini placere dicitur hominem leonemque alere, bestiam domare, iniusto bestiam alere, *hominem leonemque socios* neglegere, quemadmodum expectamus ex Reip. l. IV, ubi ira effingitur ἐπίκουρον ὃν τῷ λογιστικῷ φύσει? Minime, at homini iniusto placere dicitur bestiam illam *et leonem* alere (588 E): λυσιτελεῖ αὐτῷ (sc. ἀδίκῳ) τὸ παντοδαπὸν θηρίον εὐωχοῦντι ποιεῖν ἰσχυρὸν καὶ τὸν λέοντα καὶ τὰ περὶ τὸν λέοντα, τὸν δ' ἄνθρωπον λιμοκτενεῖν καὶ ποιεῖν ἀσθενῆ.

Comparantibus igitur nobis Reip. l. IV cum ll. VIII et IX apparebit, eos quidem inter se non pugnare, sed Platonis opiniones hac in re tamen leviter esse immutatas. In libro IV (cf. prae ceteris tria exempla illa quae supra (p. 388) enarravi) ira cum mente consentire dicitur, hac saltem lege, *ἐὰν μὴ ὑπὸ κακῆς τροφῆς διαφθαρή*; ceteroquin ne verbo quidem indicat Plato, fieri posse, ut ira a mente aberret et noceat; at in libro VIII et IX aliquando per se agere dicitur et depravari et una cum cupidinibus menti repugnare.

Iamvero utri loco Phaedrus dialogus proprius est, libro quarto an octavo nonoque? Quarto, ut opinor. Nam sicut in libro quarto, in Phaedro quoque inde ab initio sumitur alterum

equum esse *bonum* (246 B τῶν ἵππων ὁ μὲν αὐτῷ καλὸς τε κάγαθός, cf. 253 D), semper una agere cum auriga (254 A τὸ δὲ, sc. auriga cum bono equo, κατ' ἀρχαῖς μὲν ἀντιτείνετον, sc. improbo equo, ἀγακτοῦντε; C τὸν μὲν, sc. bonum equum, ἐκόντα διὰ τὸ μὴ ἀντιτείνειν, sc. aurigae) neque usquam per se agere videtur, ut nisi ipse Plato affirmaret, se animum trifariam divisisse (253 C), in duas partes divisus esse videretur, alteram aurigam cum bono equo, alteram improbum equum. Etiam artius igitur in Phaedro bonus equus cum auriga coniunctus est quam in Reip. l. IV ira cum mente; nam illic haec saltem legebatur condicio: ἐὰν μὴ ὑπὸ κακῆς τροφῆς διαφθαρή. Fieri autem posse, ut bonus equus depravetur, in Phaedro ne ponitur quidem.

Ergone *post* imaginem leonis illius, qui saepe numero una cum cupidinibus mentem ipsumque hominem *pervertit*, eandem animi partem Platonem denuo effinxisse credibile est ab his verbis initium facientem: τῶν ἵππων ὁ μὲν αὐτῷ καλὸς τε κάγαθός καὶ ἐκ τοιούτων? Vix quisquam affirmabit. Ergo ante Rempublicam scriptus est Phaedrus.

Quid quod ipse Plato significat se cum Phaedrum scriberet nondum accurate de animo egisse his verbis, unde imaginem bigarum effingere incipit (246 A): περὶ δὲ τῆς ἰδέας <τῆς ψυχῆς> ᾧδε λεκτέον· οἶον μὲν ἐστὶ, πάντῃ πάντως θείας εἶναι καὶ μακρᾶς διηγῆσεως, ᾧ δὲ ἔοικεν, ἀνθρωπίνης τε καὶ ἐλάττονος. Suntne haec eius, qui de animo fuse iam egit in Reip. ll. IV, VIII, IX? Minime. Nam quomodo dicere soleat, quum legentium mentes ad priorem aliquem dialogum reicit videmus Rep. X 611 B: Ὅτι μὲν τοίνυν ἀθάνατον ψυχὴν, καὶ ὁ ἄρτι λόγος καὶ οἱ ἄλλοι ἀναγκάσειαν ἄν, quibus designat quae in Phaedone Phaedroque disputata sunt. Sed verba illa eius sunt, qui de animo disputare etiamnunc ampliat et ad tempus imagine utitur. Quemadmodum sedem beatorum describere his verbis in Phaedone supersedet (114 C): εἰς οἰκῆσεις ἔτι τούτων καλλίους ἀφικνοῦνται, ἃς οὔτε ῥᾶδιον δηλῶσαι οὔτε ὁ χρόνος ἱκανὸς ἐν τῷ παρόντι. Quae promissum fere continent, quod solvitur Phaedr. 247 C (cf. infra p. 399 sq.), ubi caelum ideaeque depinguntur.

Quid igitur sibi volebat Plato bono illo equo, si nil est quod

adducat nos; ut ea imagine iram ab eo significatam esse suspicemur? Hoc melius perspicemus, si illum locum examinaverimus, ubi uterque equus describitur (253 DE), ubi praeter ea quae vere equina sunt bonus equus dicitur *τιμῆς ἕρασ-τῆς* <sup>1)</sup> *μετὰ σωφροσύνης τε καὶ αἰδοῦς καὶ ἀληθινῆς δόξης ἑταῖρος*, improbus equus *πολύς, ὕβρεως καὶ ἀλαζονείας ἑταῖρος*.

Quae legentibus in mentem nobis venit prioris illius Socratis orationis in Phaedro dialogo, ubi duo genera amoris esse dicuntur (237 DE): ἡ μὲν ἔμφυτος οὖσα ἐπιθυμία ἡδονῶν, ἄλλη δὲ ἐπίκτητος δόξα, ἐφιεμένη τοῦ ἀρίστου (i. e. ἀληθινῆς δόξης) <sup>2)</sup>. τούτῳ δὲ ἐν ἡμῖν τοτὲ μὲν ὁμονοεῖτον, ἔστι δὲ ὅτε στασιάζετον <sup>3)</sup>. καὶ τοτὲ μὲν ἡ ἑτέρα <sup>4)</sup>, ἄλλοτε δὲ ἡ ἑτέρα κρατεῖ <sup>5)</sup>. δόξης μὲν οὖν ἐπὶ τὸ ἀριστον λόγῳ ἀγούσης σωφροσύνη ὄνομα· ἐπιθυμίας δὲ ἀλόγως ἐλκούσης ἐπὶ ἡδονᾶς καὶ ἀρξάσης ἐν ἡμῖν τῇ ἀρχῇ ὕβρις ἐπωνομάσθη. ὕβρις δὲ πολυώνυμον· πολυμελὲς γὰρ καὶ πολυειδές.

Ex quibus conicere licet bono equo probum, improbo vulgarem amorem significari, utrumque ex Convivio cognitum <sup>6)</sup>, auriga vero summum illum amorem, qui non brevioris illius immortalitatis cupidus est, quam homines dicunt, de quo legimus Conv. 208 AB *τούτῳ γὰρ τῷ τρόπῳ πᾶν τὸ θνητὸν σφύζεται, οὐ τῷ παντάπασιν τὸ αὐτὸν αἰεὶ εἶναι ὥσπερ τὸ θεῖον, ἀλλὰ τῷ τὸ ἀπὸν καὶ παλαιούμενον ἕτερον νέον ἐγκαταλείπειν οἷον αὐτὸ ἦν. ταύτῃ τῇ μηχανῇ, ἧ Σώκρατες, ἔφη, θνητὸν ἀθανασίας μετέχει, καὶ σῶμα καὶ τᾶλλα πάντα, ἀδύνατον δὲ ἄλλη —*, sed caelestioris illius immortalitatis, quae vere aeterna est et divina, quae hominem et participem et memorem idearum reddit. Quid igitur sibi volebat Plato, cum amantem animum imagine aurigae et bigarum effingeret? Hoc, ut opinor, tria amoris esse genera,

1) Hisce nequaquam idem indicari quod Reip. II. VIII et IX v. φιλότιμος, quivis intelleget.

2) Cf. 238 B δόξης ἐπὶ τὸ ὀρθὸν ὁρμώσης.

3) Cf. 254 A τῷ δὲ (i. e. auriga et bonus equus) *κατ' ἀρχᾶς ἀντιτείνετον* (sc. improbo equo).

4) Cf. ibid. *τελευτῶντε δὲ πορεύεσθον* (sc. auriga et bonus equus) *ἀγομένω, εἴξαντε καὶ ὁμολογήσαντε* (sc. improbo equo).

5) Cf. 254 E *ἔταν δὲ ταύτων πολλάκις πάσχων ὁ πόνηρος τῆς ὕβρεως λήξη, ταπεινωθεὶς ἔπεται ἡδὴ τῆ τοῦ ἡνίοχου προνοῖα.*

6) Conv. 180 C—181 C.

primum summum illum, divino furore inflatum, idearum memorem, quo amantes incitantur ut ea peragant, quae ad aeternitatem pertineant, alterum bonum illum humanum amorem, qui temperans est et modestus et bonae famae cupidus in societate humana, tertium vulgarem et intemperantem; verum amorem ex tribus illis generibus esse compositum, sed operam dandam esse, ut summus amor una cum bono illo praesit vulgari amori. Sin summum genus in amore desit, eos quoque qui bonum amorem fideliter colant, suum praemium esse laturos (256 D).

Vulgari amori, qui cupidinibus abundat, similitudinem quandam esse cum ἐπιθυμητικῶν, summo amori cum λογιστικῶν, libenter concedo; sed bono equo idem significari, quod θυμοειδεῖ et Φιλονίκη et leone illo, qui in Reip. l. IX depingitur, non opinor. Ipso enim teste Platone rectae opinioni et humanae virtuti similis est (253 D). Quocirca nemini mirum videbitur, eum tam arte coniunctum esse cum auriga, cuius imagine ideae et divina virtus oculis proponuntur.

Iam sic intellegere mihi videor, quid in Phaedro tribus orationibus de amore Plato sibi voluerit: Lysias, qui primam habet orationem, nullum amoris genus novit nisi vulgare; altera oratio, quae διὰ τοῦ ἐμοῦ (i. e. Socratis) στόματος καταΦαρμακευθέντος ὑπὸ σοῦ (i. e. a Phaedro) ἐλέχθη (242 E) ab eo habetur, qui probi et σώφρονος generis particeps sit et rectas opiniones habeat. Tertiam vero orationem is habet, qui idearum gnarus sit et vere divini furoris.

Hoc postremo monendum videtur, quae in Phaedone erant prolatae sententiae, eas emendari in Phaedro; in Phaedone enim cupidines corpori tribuuntur (94 B), in Phaedro et Republica animus eorum sedes esse dicitur. Qua in sententia quoniam posthac quoque perseveravit Plato (v. Phileb. 34 C), hanc sententiam posteriorem esse, Phaedonis priorem esse patet. Ex quo Phaedrum Phaedone posteriorem esse perspicuum est.

## II. De animorum vita post mortem.

Agentibus nobis de vita post mortem et de animorum ab aliis ad alios transitione quae vocetur multo magis quam in praecedentibus Phaedo comparandus erit. Quem Republica priorem esse et ego modo paucis probavi et Arnimius censet et omnes fere consentiunt; hoc unum quaeritur, num Phaedrus

inter eos medium locum teneat. Quod quamquam supra iam luculenter demonstravimus, nunc videamus num ex iis quae de animorum transitione narrantur idem efficiendum sit. Maximi hac in re esse momenti quae in hisce dialogis de anamneseos doctrina reperiuntur nuper iam monui <sup>1)</sup>, quippe quae in Phaedone explicetur, in Phaedro augeatur, in Republica . . . alto silentio prematur; ex quo perspicuum esse Rempublicam medium locum tenere non posse, quum veri sit dissimillimum Platonem modo hoc pro vero sumere, modo illud, modo redire ad eam sententiam, quam nuper reiecerat. Qua in re Arnimium a me dissentire vix posse opinor, ut qui in eiusdemmodi quaestione — Phaedonem Phaedro posteriorem esse non posse arguens — haec habet (l.l. p. 162): „Denn undenkbar wird es jeder Urteilsfähige erklären, dass Plato die Stätte der Seligen immer abwechselnd in den ungeraden Dialogen auf die Erde, in den geraden in den Himmel verlegt habe“.

Revera de anamnesi in Republica sileri quum Arnimius existimare videtur, ubi dicit (l.l. p. 169): „Die Einführung (sc. in Phaedrum) eines solchen μέγας ἐνιαυτός (i. e. spatii X millium annorum) schien nötig, um die Anamnesis, aus der Plato jetzt den Eros herleitet, dem Mythos der „Republik“ einzuverleiben“, tum ego nuper (l. l.) demonstrare studui: nam vix credibile esse, si Plato etiamnunc anamnesin pro vero sumpsisset, eum et alia scripturum fuisse in libro VII, ubi custodum qui vocantur institutionem enarrat, et haec (519 C): ἀναβῆναι ἐκείνην τὴν ἀνάβασιν, quippe pro quibus huiuscemodi quid expectemus: ἀναλαβεῖν ἐξ αὐτοῦ ἐκείνην τὴν ἐπιστήμην, quemadmodum in Menone (85 D) vehementerque mirandum esse ne verbo quidem indicatum esse a Platone, discipulorum non esse, novam aquirere doctrinam, sed resuscitare eam, quam perpetuo iam habeant <sup>2)</sup>.

Sunt nihilominus, qui anamnesi non plane destitisse in Republica Platonem affirmant, hoc loco laudato, ubi de Lethes campo et de Amelete fluvio sermo est: (621 AB) μέτρον μὲν οὖν τι τοῦ ὕδατος πᾶσιν ἀναγκαῖον εἶναι πιεῖν· τοὺς δὲ Φρονήσει μὴ σφζομένους πλέεν πίειν τοῦ μέτρου· τὸν δὲ αἰεὶ πίνοντα πάντων

1) Mnem. vol. XLIV.

2) Men. 80 E—86 B.



*ἐπιλανθάνεσθαι*. Num recte? Non opinor. Nam oblivione illa minime idearum oblivio significatur, quoniam in Republica idearum spectio, cuiusmodi in Phaedro, est nulla, itaque ne anamnesis quidem. Etenim quomodo animi caelestem suam vitam degant, legimus 615 A, ubi ex caelo redeuntes non ideas spectasse se narrant, sed τὰς ἐκ τοῦ οὐρανοῦ εὐπαθείας διηγείσθαι καὶ θέας ἀμηχάνους τὸ κάλλος. Neque igitur αὐτὴν δικαιοσύνην neque ὄντως ἐπιστήμην οὖσαν in caelo aspicere feruntur quemadmodum in Phaedro, sed gaudere tantum et oculorum voluptatibus frui.

Accedit hoc quoque. Et in Menone, ubi rudis literarum servus idearum memor esse fertur, et in Phaedone *unicuique homini* idearum cognitio et memoria inesse dicitur, in Phaedro vero disertis verbis idem asseveratur (249 BC): οὐ γὰρ ἢ γε μήποτε ἰδοῦσα τὴν ἀλήθειαν (i. e. ideas) εἰς τὸδε ἤξει τὸ σχῆμα (i. e. hominis figuram). δεῖ γὰρ ἄνθρωπον ξυνιέναι τὸ κατ' εἶδος λεγόμενον . . . τοῦτο δ' ἐστὶν ἀνάμνησις ἐκείνων, ἃ ποτ' εἶδεν ἡμῶν ἢ ψυχὴ συμπορευθεῖσα θεῶ. In Republica autem cuncti in caelum venire dicuntur? Minime, sed iusti soli: iniusti in orcum descendere et omne tempus, quod inter binas vitas dilabitur, ibi permanere feruntur. Quocirca si Plato θέαις ἀμηχάνοις τὸ κάλλος illis quae in caelo spectantur ideas significasset, bonis tantum cognitionem idearum tribuisset, malis denegasset sine idearum memoria in vitam redituris dissentiretque ab iis quae comperta habemus ex Menone iisque quae modo ex Phaedro laudavimus: οὐ γὰρ ἢ γε μήποτε ἰδοῦσα τὴν ἀλήθειαν εἰς τὸδε ἤξει τὸ σχῆμα. Fieri sane potuisset, ut Plato a prioribus opinionibus dissentiret, minime nego; quod ubi facit tamen, clare indicare solet se sententiam mutasse <sup>1)</sup>. Ergo in Republica neque cuncti animi post mortem in coelo versari dicuntur neque mira pulchritudine illa idearum spectio significatur neque de anamnesi sermo est.

1) Sed fac θέαις ἀμηχάνοις τὸ κάλλος ideas indicari, malos sine idearum memoria in vitam redire, Platonem dissentire ab opinionibus in Menone Phaedroque prolatis. Meno autem ante Rempublicam scriptus est; ergo Phaedrus quoque ante Rempublicam non scriptus esse non posset, nam eundem dialogum non posse dissentire et a praecedenti et a sequenti inter se consentientibus modo vidimus (p. 393). Ergo sic quoque sequitur, ut Phaedrus Rempublicam praecedat.

Sed credibile est eos qui cum Arnimio faciunt sic disputare: anamnesin in Republica alto silentio condi non negare, sed Platoni visum esse propter illam „methodisch-didaktische Planmässigkeit in Platos Schriftstellerei” quae vocetur (v. Arnim, l. l. p. III, v. supra p. 383 ann. 3) ad tempus eam reticuisse, ut animorum transitionem duabus rationibus exponeret, prius (in Republica) omissa anamnesi, deinde (in Phaedro) cum ea coniunctam.

Audio, sed reputare oportet in Phaedone quoque de animorum transitione una cum anamnesi agi, quamobrem multo mihi videtur probabilius primo Phaedonis locum in Phaedro a Platone esse retractatum — quoniam quae in Phaedone de animorum transitione et anamnesi inveniuntur incerta sunt et imperfecta, in Phaedro elaborata — deinde hac praecipue de causa denuo rem in Republica esse retractatam, quia anamnesin tum non iam pro vero sumebat Plato, quapropter multa in expositione, quae in Phaedro legebatur mutanda erant et simpliciora reddenda.

Quocirco singula examinemus, ut appareat quomodo omnia ad animorum transitionem pertinentia, quae inter se diversa habent Phaedo Phaedrus Republica, cum anamnesi cohaereant. Tum patebit in Phaedone et anamnesin et animorum transitionem exponi, sed parum inter se cohaerentes, in Phaedro bene conexas et elaboratas, in Republica anamnesin omissam esse, quo fieri ut omnia multo fiant simpliciora.

1. Primo de spatiis temporum videamus. De iis in Phaedone nil accurati reperitur. In Phaedro spatia inter binas vitas singulorum millium annorum esse feruntur, dena autem eiusmodi spatia in unum coniungi ad spatium decem millium annorum (*μέγαν ένίαυτον*, ut ait Arnimius). Maioris huius spatii initio animi apud deos ideas aspicere dicuntur, quarum memores aut decem vitas in terra peragere aut, si ter philosophi vitam elegerint, tres vitas. In Republica autem altum silentium est de maiore illo spatio et nonnisi de spatio mille annorum sermo est.

Phaedo 113 A.. τήν λίμνην τήν Ἀχερου- σιάδα, οἱ αἱ τῶν τετε- λευτηκότων ψυχαι τῶν πολλῶν ἀφικνοῦνται	Phaedr. 248E 249A εἰς μὲν γάρ τὸ αὐτὸ ᾧθεν ἤκει (i. e. ad deos) ἢ ψυχῇ ἐκάστη οὐκ ἀφικνεῖται ἐτῶν μυ-	Rep. 615 A ἐν τῇ ὑπὸ γῆς πορείᾳ — εἶναι δὲ τὴν πορείαν χιλιέτη — 621 D ἵνα ... καὶ
--	---	--

καί τινας εἰμαρμένους  
 χρόνους μείνασαι, αἱ  
 μὲν μακροτέρους, αἱ  
 δὲ βραχυτέρους, πάλιν  
 ἐκπέμπονται εἰς τὰς  
 τῶν ζῶων γενέσεις.

ρίων οὐ γὰρ πτεροῦται  
 πρὸ τοσούτου χρόνου,  
 πλὴν ἢ τοῦ Φιλοσοφή-  
 σαντος ἀδόλως ἢ παι-  
 δεραστήσαντος μετὰ  
 Φιλοσοφίας· αὐται δὲ  
 τρίτη περίοδω τῆ χιλιέ-  
 τει, ἐὰν ἐλῶνται τρεῖς  
 ἔφεξις τὸν βίον τοῦτον,  
 οὕτω πτερωθεῖσαι τρισ-  
 χιλιοστῶ ἔτει ἀπέρ-  
 χονται.

ἐνθάδε καὶ ἐν τῇ χι-  
 λιέτει πορεία, ἣν διε-  
 ληλύθαμεν, εὖ πράτ-  
 τωμεν.

249B τῶ δὲ χιλιοστῶ  
 ἀμφότεραι ἀφικνού-  
 μεναι ἐπὶ κλήρωσίν τε  
 καὶ αἴρεσιν τοῦ δευτέ-  
 ρου βίου κτέ.

Quid autem adduxit Platonem ut maius illud spatium X millium annorum inferret? Idearum spectio, ut opinor. Nam in Phaedone affirmat quidem cunctis hominibus idearum cognitionem inesse (cf. supra p. 394) eosque illarum memores vitam terrestrem inire, sed ubi aut quomodo eam cognitionem acquirant, vix exponit. Hiatus ille in Phaedro expletur, ubi maius illud temporis spatium infertur. Cur autem — rogarit quispiam — iter illud cum deis, in quo ideae spectantur, in Phaedro non inter binas vitas fieri enarravit, ita ut animus quisque non post decem demum millia annorum iter illud faceret, sed singulis millibus annorum, quo fieret, ut spatio illo X millium annorum omnino opus non esset? Hanc ob causam, opinor, quia, si ita fecisset, binis vitis, quae inter se sequuntur, nullum esset vinculum seriesque illa denarum vitarum itinere cum deis et idearum spectione interrumperetur; seiungere autem eas non debebat, ergoque iter cum deis ante initium seriei aliquot vitarum collocare. Nam si singulas vitas idearum spectione seiunxisset, quomodo animum aliquem in bestiae corpus imponi contendere potuit? satis absurdum enim videtur, statim post idearum spectionem animum quendam in bestiae corpore collocari. Revera in prima post idearum spec-

tionem vita unumquemque animum in hominis corpus venire asseverat: (248 CD) ὅταν δὲ <ψυχὴ τις> ἐπὶ τὴν γῆν πέσῃ, τότε νόμος ταύτην μὴ φυτεῦσαι εἰς μηδεμίαν θήρειαν φύσιν ἐν τῇ πρώτῃ γενέσει<sup>1)</sup>. At contra si animus postquam unam aut plures hominum vitas peregit paulatimque idearum cognitionem ex memoria amisit, in bestiae corpus venit, nil absurdi restat.

Ergo in Phaedro Phaedonis expositionem a Platone elaboratam esse patet, quam coniungeret cum idearum spectatione, in Republica — anamnesi omissa — multo simpliciore redditam.

2. Alia quoque in re Phaedrum transitum esse inter Phaedonem et Rempublicam videbimus, si quaeremus novamne vitam ipsi eligant animi an a deis corporibus inserantur. In Phaedone enim vitae a deis in corpora inseri dicuntur, in Republica animos sortitione et electione novas vitas accipere, in Phaedro utraque ratio coniungitur. En loci

Phaedo 81 E ἐν- δοῦνται δὲ ὡσπερ εἰκός, εἰς τοιαῦτα ἦθη, ἄττ' ἂν καὶ μεμελε- τηκυῖται τύχῳσιν ἐν τῷ βίῳ.	Phaedrus 248 CD νόμος ταύτην μὴ φυτεῦσαι εἰς μηδεμίαν θήρειαν φύσιν ἐν τῇ πρώτῃ γενέσει. 249 B ἀφικνούμεναι ἐπὶ κλήρωσιν τε καὶ αἴρεσιν τοῦ δευτέρου βίου αἰ- ροῦνται ὅν ἂν θέλῃ ἐκάστη.	Rep. X 617 E οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμεῖς δαίμονα αἰρήσεσθε. ταῦτα εἰπόντα (sc. προφήτην λαχέσεως) ῥῆσαι ἐπὶ πάντας τοὺς κλή- ρους, τὸν δὲ παρ' αὐτὸν πεσόντα ἕκασ- τον ἀνααιρεῖσθαι.
---	--	---

Quisquamne ex his locis collegerit, Rempublicam Phaedro esse priorem, ita ut primo Plato in Republica desisteret ratione, quam in Phaedone exposuerat, mox in Phaedro *partim* ad eam rediret? Non opinor, sed Phaedrum Republica esse priorem in eoque Phaedonis rationem conservari ad primae vitae ortum enarrandum, in ceteris vitis rationem illam mutari sortitione et electione, in Republica unam sortitionem et electionem retineri. Hanc ob rem autem Phaedonis expositionem aliqua ex parte in Phaedro retineri, ne statim post idearum spectationem animus in bestiae vitam veniat modo (p. 396) vidimus. Quod in Republica opus non iam est, quippe in qua idearum spectatio omittatur.

1) Minus recte hunc locum explicat Arnimius l. l. p. 166.

Rogat quidem Arnimius, si praecederet Phaedrus, in quo obiter sortitio et electio exponatur, quomodo fieri potuerit, ut quisquam intellegeret, quid sibi vellet Plato sortitione et electione illa; semper enim prolixiorem expositionem praecedere, breviorē posteriorem esse<sup>1)</sup>. At primo non tam obscurum est quid sibi velit illa sortitio et electio, ut sine longiore explanatione non intellexeretur. Deinde vulgo prolixiorem locum praecedere non infitior. Sed reputemus oportet quae recte Arnimius alio loco<sup>2)</sup> dicit: „dasz die Palinodie des „Phaidros“ kein Lehrvortrag ist, sondern eine als Stilbeispiel dienende Epideixis, und dasz die Einzelheiten der Seelenwanderungslehre nur sehr nebensächliche Bedeutung haben“. Quamobrem si in Phaedro brevius paulo Plato indicavit quae ibi levioris erant momenti, nil est quod miremur.

3. a. Quomodo improbi homines post mortem poenas luant, hi docent loci:

Phaedo 113 E—  
114 B οἱ δ' ἂν δόξωσιν  
ἀνιάτως ἔχειν διὰ τὰ  
μεγέθη τῶν ἁμαρτη-  
μάτων .. τούτους ἢ  
προσῆκουσα μοῖρα βίπ-  
τει εἰς τὸν Τάρταρον,  
ὄθεν οὔποτε ἐκβαίνου-  
σιν. οἱ δ' ἂν ἰάσαμα  
μέν, μεγάλα δὲ δό-  
ξωσιν ἡμαρτηκέναι,  
ἁμαρτήματα .. βοῶσι  
τε καὶ καλοῦσιν, οἱ  
μὲν οὐς ἀπέκτειναν,  
οἱ δὲ οὐς ὕβρισαν, ..  
καὶ ἔαν μὲν πείσωσιν,  
ἐκβαίνουσὶ τε καὶ λή-  
γουσι τῶν κακῶν, εἰ  
δὲ μὴ, φέρονται αὐθις  
εἰς τὸν Τάρταρον.

Phaedr. 249 AB  
ὅταν δὲ τὸν πρῶτον  
βίον τελευτήσωσιν κρι-  
σεως ἔτυχον, κριθεῖσαι  
δὲ αἱ μὲν εἰς τὰ ὑπὸ  
γῆς δικαιοτήρια ἐλ-  
θοῦσαι δίκην ἐκτίνου-  
σιν. τῷ δὲ χιλίστῳ...  
αἰροῦνται ὄν ἂν <βίον>  
θέλη ἕκαστη.

Rep. 614 E—615 C  
διηγείσθαι δὲ ἀλλή-  
λαις τὰς μὲν ὀδυρομέ-  
νας τε καὶ κλαούσας,  
ἀναμιμνησκομένους  
ὅσα τε καὶ οἶα πά-  
θοιεν καὶ ἴδοιεν ἐν τῇ  
ὑπὸ γῆς πορείᾳ —  
εἶναι δὲ τὴν πορείαν  
χιλιέτη — ... ὅσα δὲ  
πώποτε τινα ἠδίκησαν  
καὶ ὄσους ἕκαστοι, ὑπὲρ  
ἀπάντων δίκην δεδω-  
κέναι ἐν μέρει, ὑπὲρ  
ἐκάστου δεκάκις... εἰς  
δὲ θεοῦς ἀσεβείας καὶ  
εὐσεβείας καὶ γονέας  
καὶ αὐτόχειρος Φόνου  
μειζους ἔτι τοὺς μισ-  
θοὺς διηγείτο.

1) l. l. p. 172.

2) l. l. p. 165.

De hominibus sceleratis in Phaedro perbrevis Plato est. Cur? Quia ei nequaquam ad argumentum Phaedri pertinebant. Hac in re tamen Phaedrus et Respublica ab expositione Phaedonis (et Gorgiae) discrepant, quod in his sceleratissimi homines in aeternum poenas dare feruntur, in illis ad tempus. Quod tempus in Phaedro mille annis definitur; in Republica additur, spatia et poenarum et praemiorum longius etiam reddi posse, cuius rei exemplum Ardiaeus citatur.

b. De ceteris hominibus haec legimus:

Phaedo 113D οἱ μὲν ἂν δόξωσι μέσως βεβιωκέναι, . . . δίκας ἀπολούνται, εἴ τις τι ἠδίκηκεν, τῶν τε εὐεργεσιῶν τιμὰς φέρονται κατὰ τὴν ἀξίαν ἕκαστος.

114BC οἱ δὲ δὴ ἂν δόξωσι διαφερόντως πρὸς τὸ ὀσιῶς βιῶναι προκεκρίσθαι, οὗτοί εἰσιν οἱ . . . ἄνω εἰς τὴν καθαρὰν οἴκησιν ἀφικνούμενοι καὶ ἐπὶ γῆς οἰκίζόμενοι. τούτων δὲ αὐτῶν οἱ φιλοσοφίᾳ ἱκανῶς καθηράμενοι ἄνευ τε σωμάτων ζῶσι τὸ πάραπαν εἰς τὸν ἔπειτα χρόνον, καὶ εἰς οἰκήσεις ἔτι τούτων καλλίους ἀφικνοῦνται, ἃς οὔτε ῥᾶδιον δηλῶσαι οὔτε ὁ χρόνος ἱκανὸς ἐν τῷ παρόντι.

Phaedr. 248E ἐν δὴ τούτοις ἅπασιν ὃς μὲν ἂν δικαίως διαγάγη, ἀμείνωνος μοίρας μεταλαμβάνει, ὃς δ' ἂν ἀδίκως, χείρονος. Sequuntur quae p. 395 sq. laudavimus.

249A κριθεῖσθαι δὲ αἱ μὲν εἰς τὰ ὑπὸ γῆς δικαιωτήρια ἐλθοῦσαι δίκην ἐκτίνουσιν, αἱ δ' εἰς τοῦρανοῦ τινα τόπον ὑπὸ τῆς δίκης κουφισθεῖσθαι διάγουσιν ἀξίως οὐ ἐν ἀνθρώπου εἶδει ἐβίωσαν βίου.

Rep. 614C δικαστὰς δὲ . . . καθῆσθαι, οὕς, ἐπειδὴ διδικάσειαν, τοὺς μὲν δικαίους κελεύειν πορεύεσθαι τὴν εἰς δεξιάν τε καὶ ἄνω διὰ τοῦ οὐρανοῦ . . . τοὺς δὲ ἀδίκους τὴν εἰς ἀριστεράν τε καὶ κάτω.

619DE ἐπεὶ εἴ τις αἰεὶ, ὅποτε εἰς τὸν ἐνθάδε βίον ἀφικνοῖτο, ὑγιῶς φιλοσοφοῖ . . . κινδυνεύει . . . οὐ μόνον ἐνθάδε εὐδαιμονεῖν ἂν, ἀλλὰ καὶ τὴν ἐνθένδε ἐκεῖσε καὶ δεῦρο πάλιν πορείαν οὐκ ἂν χθονίαν καὶ τραχεῖαν πορεύεσθαι, ἀλλὰ λείαν τε καὶ οὐρανίαν.

Ad hos locos hoc primum observandum videtur, Platonem in Phaedone dicere sibi nunc non otium esse ad coelum describendum, sed quodammodo promittere, si otiosum erit, se id

esse descripturum <sup>1)</sup>). Itaque si proxime post Phaedonem scripta esset Respublica, in qua multus sermo est de coelo, cur in ea componenda promisso non stetit? Solvit autem promissum in Phaedro, ubi his verbis coelum depingere incipit: (247 C) τὸν δὲ ὑπερουράνιον τόπον οὔτε τις ὑμνήσῃ πω τῶν τῆδε ποιητῆς οὔτε ποτὲ ὑμνήσει κατ' ἀξίαν, ἔχει δὲ ὧδε. Proxime post Phaedonem igitur non Respublica, sed Phaedrus scriptus esse videtur, in quo servet quod in Phaedone erat pollicitus, quemadmodum quod in Phaedro pollicetur se animum esse descripturum in Republica ab eo esse solutum supra (p. 390) vidimus. Deinde summo iure Arnimium affirmasse concedo <sup>2)</sup> aliud quid esse τὸν ὑπερουράνιον τόπον, ubi ideae aspiciuntur, aliud τούρανου τινα τόπον, ubi praemiis donantur boni pro meritis suis in vita, his vv. autem idem significari quod in Rep. vv. πορεύεσθαι ἄνω διὰ τοῦ οὐρανοῦ. At mox <sup>3)</sup> iniuria Platoni vitio vertit primo quod satis obscure dicat in Phaedro αἱ μὲν . . αἱ δὲ neque disertis verbis iustos iniustosque animos indicet, deinde quod vv. ἀξίως . . βίου minus recte opponantur verbis δίκην ἐκτίουσι, quia haec accurata sint, illa minus accurata. Iniuria. Nam vv. αἱ δὲ non iniusti solum indicantur sed omnes qui non sunt in numero malorum, ergo medium quoque genus, quod quamquam non punietur, praemiis tamen non donabitur. Saepius tamen medii illius generis animis in τούρανου τινα τόπον veniendum est quam philosophis, illis decies, his ter.

Ergo hac quoque in re medium locum tenet Phaedrus inter Phaedonem et Rempublicam. Etenim in Phaedone tria loca enumerantur quo post mortem animi veniunt, mali in Tartarum, medium genus ἐπὶ γῆς, philosophi εἰς οἰκήσεις ἔτι τούτων καλλίους. In Phaedro item tria discernuntur loca, τὰ ὑπὸ γῆς δεικνωτήρια, τούρανου τις τόπος, ὁ ὑπερουράνιος τόπος: sub terram mali veniunt, in „locum quendam coeli” reliqui omnes, sed medii generis animi decies, philosophi ter; postquam aut ter aut decies in loco quodam coeli morati sunt, omnibus ad ὑπερουράνιον τόπον venire licet, ubi ἐπτερωμέναι μετεωροποροῦσιν (246 C). Itaque discrimen inter sortem medii generis et philo-

1) Cf. supra p. 390.

2) l. l. p. 166.

3) l. l. p. 172.

sophorum in Phaedro in nulla alia re consistit nisi in numero vitarum, qui peragendus est, ergo hic quoque quae in Phaedro alio modo exponuntur quo in Phaedone, cum longiore illo temporis spatio et anamnesi cohaerent. Quo fit, ut in Republica medium illud genus non iam a philosophis discernatur, sed de duobus tantum generibus sermo sit, de iustis atque iniustis.

Ergo in Republica multa, quae ad animorum transitionem pertinent alia esse atque in Phaedro apparet, omnia autem haec cohaerere cum anamneseos doctrina. Putandumne igitur est, ea, quae in Phaedone exposuerat, in Republica ad tempus reiecisisse Platonem, deinde ad ea rediturum, ut coniungeret ea cum anamnesi, quae in Phaedone erat enarrata sed in Republica ad tempus omissa? Minime vero, sed anamnesin, quae in Phaedone non ab omni parte accurate erat elaborata, in Phaedro esse perfectam, mox in Republica omissam.

III. *De immortalitate animi.*

IV. *De rhetorica.*

De Arnimii disputationis capite tertio et quarto paucis absolvam. In quibus demonstrat haud pauca in Phaedro inveniri quae admonent eorum dialogorum, quos in ultimis habendos esse nemo negat: Parmenidem Sophisten Politicum Leges dico. Velut immortale esse id quod a se ipsum movetur et in Phaedro legi et in Legibus, de arte oratoria satis clementer iudicari et in Phaedro et in Politico, quum severe de ea iudicatum esset in Gorgia, Euclidem peti et in Phaedro et in Parmenide, dividendi artem adhiberi et in Phaedro et in Sophista Politicoque. At haud leviora esse in Phaedro, quae Convivii, Menonis Phaedonis admoneant supra vidimus. Quamobrem haec argumenta non ita magni sunt pretii. Nam sane si prius demonstratum est, qui locus in corpore Platónico dialogo alicui attribuendus videatur, tum haud abs re est examinare quaenam ei communia sint cum iis dialogis qui proxime praecedunt et sequuntur; quocirca si in prioribus duobus capitibus recte demonstrasset Phaedrum post Rempublicam non scriptum esse non posse, haec aliquid valerent, nunc cum prioribus illis haec quoque corrunt.

Duo monenda sunt. Legimus p. 200 haec „Ein Leser, der den „Phaidon“ und die Bücher V—VII der „Republik“ nicht



kannte, würde Phaedr. 249b, c, absolut nicht die Identifikation des *εις εν λογισμῶ ξυναιρεῖσθαι* mit der Anamnesis verstehen können". At hoc unum probat Arnimius, ab eo qui *Phaedonem* ignorat locum illum intellegi non posse, de Republica nil probat neque probare possit, quum de anamnesi sileri in Republica patuerit.

p. 180 demonstrare conatur quae in Phaedro dicuntur ad probandum animum esse immortalem abhorrere ab iis quae hac de re in Phaedone Republicaque leguntur. At ego opinor et in Phaedro et in Republica variis modis continuari quae in Phaedone protulerat. Quid enim? In Phaedone animo vitam in corpus *inferri* legimus, 105 D ἦκει <ψυχῇ> ἐπ' ἐκεῖνο (i. e. σῶμα) φέρουσα ζῶν; ex quo sequitur, ut corpus animo, animum a semet ipso moveri arguatur, id quod revera legimus in Phaedro (245 C): ψυχῇ πᾶσα ἀθάνατος. τὸ γὰρ ἀεὶκίνητον ἀθάνατον. Explicat deinde, quaeenam *notio et vis* sit illius vitam ferentis animi: 245 E ἀθανάτου δὲ πεφασμένου τοῦ ὑφ' αὐτοῦ κινουμένου, ψυχῆς οὐσίαν τε καὶ λόγον τοῦτον αὐτὸν τις λέγων οὐκ ἀισχυεῖται. In Republica (I 353 D) affirmatur animi esse *munus* — non solum vivere, ut in Phaedro, sed praecipue — ἐπιμελεῖσθαι καὶ ἄρχειν καὶ βουλευέσθαι animique *virtutem* ea omnia bene facere. Ergo et Phaedrum et Rempublicam Phaedone esse posteriorem ex hisce quoque cognoscere licet; Phaedrus prior sit an Respublica ex his locis demonstrari non potest.

POLENARIANUM AD HOR. C. III, 24, 58.

nescit equo rudis

haerere ingenuus puer

venarique timet, ludere doctior

seu Graeco iubeas trocho

seu *malis* vetita legibus alea.

Nimis lauguidum istud *malis* post *iubeas*. Lege *multis*: alea „in nostra civitate et vetabitur semper et retinebitur” ut cum Tacito loquamur.

J. J. H.

## AD SENECAE MEDEAM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



Medea deserta superos inferosque Iasonis ultores invocans  
precatur

- 17                    *coniugi letum novae  
letumque socero et regiae stirpi date.  
mihī peius aliquid, quod precer sponso malum:*
- 20                    *vivat, per urbes erret ignotas egens  
exul pavens invisus incerti laris,  
me coniugem optet, limen alienum expetat  
iam notus hospes, quoque non aliud queam  
peius precari, liberos similes patri*
- 25                    *similesque matri — parta iam, parta ultio est:  
peperi.*

Hic locus in editionibus recentioribus male mulcatus est,  
vs. 19 praecipue, quem Leo ita se correxisse affirmat:

*mihī peius aliquid, quod precer sponso, manet:*

Richter autem: *date peius aliud, quod precer sponso malum.*

At in promptu, hercle, est versus emendatio eaque lenissima.  
In annotatione I. F. Gronovii et alia leguntur et haec: „Gruterus *aliquid* (in editione Aldina enim a. 1517 *aliquod* exhibetur), confirmatum a Flor. et intellegit *est*: ut dicat: quod ad Iasonem spectat, non indigere se opera Furiarum, esse enim sibi ad manum, quod ei impreceetur omni malo peius”. Recte sane Gruterus sententiam versus perspexit, sed quod de verbo *est* cogitatione supplendo dixit, verum esse non puto: immo poeta id revera addidit. Nempe Gronovius postquam

coniecturam suam *Me peius aliquid protulit*, sic pergit: „Cogitabam etiam *Nisi peius aliquid. Quod precer sponso malum? Vivat, per urbes erret. Certe Florentinus τῶ malum subiicit notam interrogationis. Fortassis denique: Me peius aliud quod precer sponso malum!*” Illam autem notam interrogationis, quam in codice Etrusco post voc. *malum* exaratam esse Gronovius testatur, nihil aliud esse arbitror quam verbi *est* compendium itaque versum nostrum reponendum:

*mihī peius aliquod quod precer sponso malum est:*  
nisi quis maluerit: *aliquid — mali est.*

Neque feliciter Leonem egisse censeo in vs. 22 sq. constituendis, quos duobus hemistichiis transpositis ita recensuit:

*iam notus hospes limen alienum expetat,  
me coniugem optet quoque non aliud quam  
peius precari, liberos similes patri  
similesque matri —*

Ista traiectione quibus de causis omnino respuenda sit exponam. Voc. *liberos* nimirum aut obiectum est verbi *precar*, quod omissum e praecedenti *precari* facile intellegitur, aut verbi alicuius praetermissi quale est *gignat* vel *procreet*: hoc si mecum praetuleris, necesse erit te accipere poetam figura reticentiae quae vocatur usum esse, id quod in animi affectibus quibus Medea agitur, profecto haud importunum videtur. Leo sine dubio hanc interpretationem voluit, quippe qui lineola post voc. *similesque matri* collocata significare studuerit, sententiam ad finem nondum perductam esse.

At vero traiectione eius hemistichiorum ordo verborum is fiet ut lector quivis imprudens voc. *liberos* obiectum verbi *optet* esse credat, id quod absurdum est: nam Medea precatur ut Iason liberos similes patri similesque matri, h. e. proditores et desertores, aliquando e Creusa procreet — non ut liberos ita moratos optet. Si quis inferre velit, neminem umquam locum ita explicaturum, haec respondeam.

Est mihi trium fabularum Annaearum (Herc. Fur., Troad., Med.) editio, Eboraci Novi a. 1908 edita, prolegomenis et notulis instructa, quam H. M. Kingery composuit. Libellum sane utilissimum confecit, quoniam nusquam non sapienter doctaque propositum suum tenuit, ut scilicet Senecam ad in-

tellegendum faciliorem, ad legendum iucundiorē studiosae iuventuti faceret, neque doctus videri voluit eo quod commentarium suum notis prolixis locisque undique congestis saburraret. At unum est quod in libro reprehensione dignum videtur: in textu constituendo Leonis recensionem serviliter secutus est, sicut hic quoque perversam eius traiectionem verbo non addito recepit et, quamquam etiam lineolam transversam ab eo mutatus est post voc. *matri*, in commentario explicat: „*liberos*: object of *optet* and antecedent of *quo* (23)”!

Iam satis me demonstrasse confido, traiectionem Leonis non modo necessariam non esse, sed etiam vehementer improbandam utpote legentem in periculum adducentem locum male intelligendi ac perperam explicandi.

---

E colloquio Medae et nutricis verba haec sunt  
 140 *si potest, vivat meus,*  
*ut fuit, Iason; si minus, vivat tamen*  
*memorque nostri muneri parcat meo.*

Libri mss. fere consentiunt — unus cod. E pro *muneri* praebet *muneris*, quam discrepantiam ut e genitivo *nostri* ortam missam facere iam licet. Nihilominus versus 142 multis coniecturis locum dedit, veluti Delrius *parcas* coniecit, quod non intellego, Gronovius *vivat tamen, memorque nostri. muneri parcam meo*, M. Mueller *m. n. vulneri p. m.*, Peiper et Richter postquam in ed. Teubn. priore lacunam post vs. 142 statuerunt, in ed. altera ille ad librorum scripturam redeundum censuit (vid. Praef. XXXII), hic vero se correxisse contendit *m. n. muneris parcat mihi*. Patet igitur lectionem traditam editoribus minime placuisse neque mihi omnibus numeris placet. Quod nunc Medea dicit *muneri parcat meo*, sic quodammodo explicari potest ut sit: Iason dono meo, h. e. vitae suae, parcat, quasi sit receptus sententiae quam prompserat vs. 138: *debit ferro obvium offerre pectus*. At primum post illud *vivat tamen verba muneri parcat meo* sic additamentum frigidum atque elumbe efficiunt, deinde appositum *memorque nostri* omni vi ac ratione caret.

Quae cum ita sint, vix et ne vix quidem dubito quin versus corruptela qualicumque laboret et manu emendatrici egeat

atque haec tandem mihi nata est suspicio, voc. *muneri meo* non ad vitam Iasonis pertinere, de quo occidendo Medea ne verbum quidem usquam edit, sed ad Creusae vitam, quam marito denique iam condonat: paulo ante Creusam necare cupiens exclamavit vs. 125:

*utinam esset illi frater! est coniunx: in hanc  
ferrum exigatur,*

iam mutato consilio ei parcere decernit et 'munus suum' aemulam vocat quam Iasoni data est, ut vs. 228: *munus est Orpheus meum*, Herc. F. 589: *munus dum properat cernere, perdidit*, 806: *me quoque petenti munus Alcidae dedit*. Itaque Medea Creusam missam fecit et unum Creontem ulcisci iam cogitat, cl. vs. 143: *culpa est Creontis tota* et 146: *petatur solus hic*.

Ita si voc. *muneri meo* intellegemus et emendabimus:

*memorque nostri muneri pereat meo*

haec probabilis evadet sententia: sin meus vivere non potest, vivat tamen, sed ita ut memor semper sit nostri et novae coniugi, quae 'munus meum' est, aequè pereat ac periit mihi.

Creo in scenam prodit et de Medea ubi nonnulla animo sollicito locutus est, eam animadvertit ad se accedentem.

185 *concessa vita est, liberet fines metu  
abeatque tuta. fert gradum contra ferox  
minaxque nostros propius affatus petit.*

Quoniam nihil ostendit, adventum Medae superbientis Creonti necopinanti accidisse, ante voc. *fert* particulam *en* vel *at* inserendam esse persuasum mihi est. Dein Creo pergit:

188 *arcete, famuli, tactu et accessu procul,  
iubete sileat. regium imperium pati  
aliquando discat. vade veloci fuga  
monstrumque saevum horribile iamdudum avehe.*

Cui Creo verba *vade* — *avehe* dixisse putandus est? Farnabius respondet: „Hoc dicit conversus ad aliquem satellitum”. Non credo: tam verba *vade veloci fuga* quam illud *avehe* tali interpretationi repugnare videntur neque scio an idem senserit scriba codicis A, cum pro *fuga* substitueret *via*. Me tam ipsa

verba quam numerus singularis *vade* — *avehe* post illa *arcete* — *iubete* inducunt ut credam versum post vs. 190 excidisse qualis est: *Pagasaea puppis, quae tenes portus meos.*

Creo et alia crimina Medae obicit et Peliae necem.

258 *senio trementem debili atque aevo gravem  
patrem peremptum queritur et caesi senis  
discissa membra (Acastus sc.).*

Putidam tautologiam, quae nunc versum primum dedecorat, sic tollas:

*senio trementem debili ac somno gravem*

cl. Ov. Met. VII 328 sq.:

*iamque neci similis resoluto corpore regem  
et cum rege suo custodes somnus habebat,  
quem dederant cantus magicaeque potentia linguae.*

Cantici, quod vs. 301—379 complet, constituendi officium editoribus recentioribus haud prospere cessit. Quod Leo vs. 305 sq. tamquam dittographiam ad vs. 301 sq., ut ait, delevit, Richtero eum non probasse video gaudeoque. Quod vero Richter ei persuasit, vs. 329—334 post vs. 308 ponendos esse doleo atque improbo; quia tamen M. Mueller traditum ordinem iam defendit, equidem eum vindicare supersedeo. Deinde moneo coniecturam *nautis*, quam Richter in apparatu critico affert, omnino reiciendam esse cl. vs. 364 sq. neque Leonem loco, qui est vs. 344, bene consuluisse cum Madvigii inventum *arces* pro *astris* reciperet, neque Richterum, cum infelicissima Peiperi coniectura *austris* in textum recepta ipse dipodiarum ordinem immutaret. Ego quidem cum in hoc loco emendando mihi satisfacere nequeam, eum critico doctiori relinquo, fortasse emendatori subsidio esse posse ratus Herc. Fur. 1212 sqq.:

*iamque revocata vice*

*in se coibunt saxaque in caelum expriment  
actis utrimque rupibus medium mare.*

De uno cantici loco meam sententiam aperire lubet.

364 *Nunc iam cessit pontus et omnes  
patitur leges: non Palladia*

*compacta manu regum referens  
inclita remos quaeritur Argo —  
quaelibet altum cumba pererrat.*

Pro *regum referens*, quae lectio librorum mss. omnium communis est, Leo, Madvigio obsecutus, coniecturam eius *regumque ferens* substituit itaque versum non modo vitio nullo laborantem sed etiam egregie a poeta enuntiatum corrumpit. Nempe ad analogiam animalium hominumque, qui cum de itu redituque eorum sermo est dicuntur *pedem* (Phoen. 11) vel *pedes* (Med. 862) vel *gressus* (Herc. Oet. 741) vel *gradum* (Oed. 708) *ferre* et *referre pedem* (Ag. 819, Troad. 516) vel *gressus* (Troad. 616), de rebus quoque eadem locutiones a poetis usurpari solent, e. g. Thyest. 419 sq.:

*animus haeret ac retro cupit  
corpus referre.*

Val. Fl. I 99:

*iam stare ratem remisque superbam  
poscere quos revehat rebusque in saecula tollat.*

id. II 423:

*refer et domitis a Colchidos oris  
vela.*

Verg. Aen. X 307: *retrahitque pedem simul unda relabens.*

Quandoquidem autem in nave remi pedum vice funguntur, navem aptissime elegantissimeque dici opinor 'remos referentem'. Quod vero Argo regum remos refert, singulare eius decus est quo ceteris navigiis antecellit.

Itidem Gronovium vero sensu poeticae elegantiae caruisse puto, cum vs. 608:

*quisquis audacis tetigit carinae  
nobiles remos*

scribi iussit *mobilis remos*: immo tangenda non est tradita lectio venustatis plena. Cf. etiam vs. 455.

Iasonis et Medae primus congressus est: ille loqui incipit

431 *O dura fata semper et sortem asperam,  
cum saevit et cum parcit ex aequo mala!*

Ita in codice optimo exaratum est, sed mira concordia editores omnes deteriorum scripturam receperunt, quae est *malam*, quamquam Gronovius certe in vulgatis orationem indecore hiare observans coniecit *exaequat mala*. Emendandum est:

*O dura fata semper et sortem asperam!  
cum saevit et cum parcit ex aequo mala est.*

Ea conferri utile erit quae ad vs. 19 supra a me disputata sunt.

Medea deinde Iasonem opprobriis precibusque aggreditur.

447 *Fugimus, Iason: fugimus — hoc non est novum  
mutare sedes; causa fugiendi nova est:  
pro te solebam fugere. discedo exeo,  
penatibus profugere quam cogis tuis:*

Pro discedo exeo nescio an sit legendum: *discedo ecce ego.*

Iamque haec continuo sequuntur:

451 *ad quos remittis? Phasin et Colchos petam  
patriumque regnum quaeque fraternus cruor  
perfudit arva? quas peti terras iubes?  
quae maria monstras? Pontici fauces freti cet.*

Ad hunc locum sanandum non mutationem at quo remittis, quam Leo intulit, sed hanc traiectionem adhibendam esse censeo:

*ad quos remittis? quas peti terras iubes?  
quae maria monstras? Phasin et Colchos petam  
patriumque regnum quaeque fraternus cruor  
perfudit arva? Pontici fauces freti cet.*

Inferius paulo in altercatione inter eosdem haec sunt:

515 IAS. *Quid facere possim, loquere. MED. Pro me? vel scelus.*

IAS. *Hinc rex et illinc — MED. Est et his maior metus:  
Medea. nos configere certemus sine,  
sit pretium Iason.*

Gronovius proposita criticorum, quibus locum mutilatum corrigere studuerunt, enumerat, sc. Aldi *nos confige*, Lipsii *neu confige*, Scaligeri *nos conligere*, Gruteri *nusquam est fugere, certemus*, Grotii *nos conlide*; *certamen sine*, denique sua *nos conferre certamen sine vel conficere vel nos configere inter nos sine*. Quibus adicio recentiora L. Muelleri *metus. medere. nos configere ardemus*, Buecheleri *cum rege*, Leonis cui vss. 516—520 dittographia videtur.

Ex ista coniecturarum copia nulla editoribus adhuc satis placere potuit, ita ut et Leo et Richter crucem verbo *configere* praeponere satis habuerint.



Post tot summorum virorum irrita conamina meam quoque sententiam in medium proferre fere dubito, verum tamen ut lector eam benevole cognoscere et tamquam integra re consulere velit, cum debita verecundia etiam atque etiam rogo. Optimum igitur mihi visum est, argumentandi viam ac rationem qua ad nodum solvendum me pervenisse credo, gradatim explicare.

Cum alios alia vocabula suspecta habuisse atque temere immutasse animadverterem, hoc ante omnia statuendum esse duxi, quid in vs. 516 sq. haud dubie sincerum existimandum neque igitur sollicitandum esset.

Iason inter metum regum atque amorem Medae qualemcumque gratumque animum propter eius in se merita dubius haerebat. Qui cum quaesivit, quid in gratiam Medae fieri a se posset, et illa respondit: „Omnia, immo et scelus!” scrupulum iniecit: „At hinc rex Creo mihi minatur, illinc Acastus, Peliae filius”. At enim eum hanc totam sententiam eloqui Medea non patitur, quae eius verba interrumpens exclamat: „At etiam his regibus ego, Medea, maior metus sum quam illi sunt tibi”. Ita nempe verba intellegenda esse aio, non ut Farnabius et alii fortasse interpretati sunt: „Utroque tamen maior ego, quam vel propter merita verearis vel propter magicas artes metuas”. Pronomen *his* dativus — non ablativus est, quae constructio quantopere Senecae in deliciis fuerit ostendam.

Cf. Herc. Fur. 230: *taurumque centum non levem populis metum.*

Troad. 62: *mea sors timetur, sola sum Danais metus.*

ibid. 243: *tum saeva Amazon ultimus cecidit metus.*

ibid. 742: *non sic iacemus Troes, ut cuiquam metus possimus esse.*

Phaedr. 30: *hic versatur, metus agricolis  
vulnere multo iam notus aper.*

Thyest. 1049: *quisve Cecropiis metus  
terris Procrustes?*

Denique e fabula nostra locum affero, qui non solum verborum constructionem tuetur sed etiam meam interpretationem veram esse comprobat, sc. vs. 870 sqq.:

*quando efferet Pelasgis  
nefanda Colchis arvis*

*gressum metuque solvet  
regnum simulque reges?*

Satis iam me demonstrasse puto, hactenus omnia sana esse atque intellectu facilia: non igitur recipienda erat Richtero lectio M. Muelleri *Est (et hic maior metus) Medea*, qua de scriptura haec apud Gronovium iam leguntur: „*Est et heic maior metus, Medea: sic Gruterus ex aliquot suis. Delriani codd. Hinc. Parum interest, sed tamen Flor. Est et his*”.

Ceterum iam progrediamur.

Medea igitur, viribus suis freta suique fiducia plena, ipsam se regibus, quos Iason tantum timet, metum esse contendens, quid Iasoni proponit? Nimirum ut sinat se cum Creonte Acastoque certamen inire ea condicione ut ipse sit victoriae pretium, id quod verbis *nos configere — sine: sit pretium Iason* optime expressum est.

Quid denique restat? Nempe vocabulum *certemus*. Hoc verbum h. l. omnino inexplicabile, quod si abesset omnes tenebras dissiparet, molestiarum omnium fons atque origo est. Quid quod multis criticis integrum innocuumque visum est, cum alia vocabula immerito in suspicionem venerint? Tenemus, ecce, lectionem importunam spuriamque: restat inquirendi officium, quae vera ac genuina fuerit lectio, quam ipse poeta scripsisse putandus sit.

Quid Medea de Iasonis voluntate sentiebat, cum consilium vi atque armis rem discernendi ei proposuit?

Si eum Creontis Acastique vires et sponsam regiam prae se contemnere persuasum haberet, auctor ei fuisset ut secum fugeret — si eum Creusam iam palam ipsi praeferre neque ullam spem se retinendi vel recuperandi uxori reliquisse existimaret, condicionem quam posuit non tulisset. Immo Iasonem, non amore Creusae sed uno regum metu permotum, etiamtunc dubitare et velut in bivio haerere utram viam ingrederetur putabat. Sane Iasonis rogatio *Quid facere possim, loquere* talis fuit ut animos ei adderet et falsam opinionem corroboraret, quamquam nos legentes iam timemus ne Iason, metu regum et animo in uxorem animosam averso perductus, deteriora sequi h. e. Medeam destituere dudum decreverit.

Quae cum ita sint, emendandum est:

IAS. *Hinc rex et illinc* — MED. *Est et his maior metus  
Medea. nos configere incertus sine:  
sit pretium Iason!*

Dicit igitur: Quoniam incertus es utram partem sequaris, sine me cum regibus dimicare, quo facto victori accedes. Adiectivum *incertus* absolute ut dicitur haud raro apud Senecam invenitur, cuius usus haec exempla notavi:

Med. 123: *incerta vaecors mente vaesana feror.*

ibid. 939: *anceps aestus incertam rapit.*

Herc. Fur. 792: *antro sedit incertus canis  
leviterque timuit.*

Agam. 140: *incerta dubitat unda cui cedat malo.*

Phaedr. 669: *certa descendi ad preces.*

---

Nutrix apparatus nefandos Medae enarrat.

680 *et triste laeva comprecans sacrum manu  
pestes vocat quascumque ferventis creat .  
harena Libyae quasque perpetua nive  
Taurus coerchet frigore Arctoo rigens,  
et omne monstrum: tracta magicis cantibus e. q. s.*

Pro *comprekans* (cod. A *complicans*) coniecerunt Buecheler *comparans*, Koetschau *comprimens*, Richter *congregans*, Leo corruptam lectionem cruce notavit. Litterarum traiectione corrigas quaeso:

*et triste laeva concrepans sacrum manu*

Cf. Martial. XI 16. 4: *Et Tartesiaca concrepat aera manu.*

Petron. 59: *intravit factio statim hastisque scuta concrepuit.*

Ultimum versum, ubi Peiper *coit omne*, Koetschau *en o. m.* legere voluerunt, ita restituendum esse opinor:

*ciet omne monstrum:*

Cf. Herc. Fur. 901: *cuius in laeva ciet*

*aegis feroces ore sacrificio minas.*

Troad. 1100:

*preces*

*concipit Ulixes vatis et saevos ciet*

*ad sacra superos.*

Oed. 351:

*infausta magnos sacra terrores ciet.*

Phaedr. 357:

*vulgus aequoreum cie*

*fluctusque ab imo tumidus Oceano voca.*

Porro nutrix e Medeae incantatione et alia et haec refert:

701 *et Hydra et omnis redeat Herculea manu  
succisa serpens, caede se reparans sua.*

Ad verba *et omnis Herculea manu* Gronovius recte observat: „Haec non intellegenda de Hesperidum custode neque de illis quos infans elisit Hercules, ostendit sequenti versu adiectum: *caede se reparans nova*, quod de sola Hydra verum est”, qua de causa veram ac genuinam lectionem ita restituendam esse suspicor:

*Lernaea et omnis redeat Herculea manu  
succisa serpens, caede se reparans sua.*

h. i. et Lernaea serpens, Herculea manu succisa, redeat omnis i. e. integra: glossa *Hydra* nimirum, a nescio quo supra *Lernaea* appicta, id postea detrussit.

Denique ex eadem nutricis relatione afferro

712 *aut quos sub axe frigido sucos legunt  
lucis Suebae nobiles Hyrcaniis.*

ubi cum nullam causam videam propter quam Suebae nobiles vocentur, fortasse legendum esse puto: *mobiles* h. e. nomades, de quibus vid. Herc. Fur. 533 sq., Troad. 1104, Oed. 474. Similiter Ag. 670 in libris mss. *mobile* et *nobile* varia lectio est.

Medea filios suos morituros ultimum alloquitur.

945 *Huc, cara proles, unicum afflictae domus  
solamen, huc vos ferte et infusos mihi  
coniungite artus. habeat incolumes pater,  
dum et mater habeat. urguet exilium et fuga.*

Richter post *habeat* (vs. 948) duo hemistichia intercidisso suspicatur, velut talia: *d. e. m. habeat, <at matri eripuit pater, | dum exilia iussit>: u. e. e. f.*, verum leniore medela locus sanandus esse mihi videtur:

*habeat incolumes pater,  
dum et mater habet, at urguet exilium et fuga.*

Deinde queri pergit:

949 *iam iam meo rapiuntur avulsi e sinu  
flentes gementes osculis pereant patri  
periere matri.*

Est ista lectio codicis Etrusci — ceteri exhibent *oculis p.*

*patris. Coniecerunt Gronovius o scelus p. patri, Peiper fac scelus, Richter osculis — parcam patri? periere matri.*

Poetae suum reddidisse ante me I. Gronovium ex apparatu editionis prioris Teubnerianae cognovi, quam emendationem unice veram neque Leo neque Richter commemorat:

*iam iam meo rapiuntur avulsi e sinu  
flentes gementes: ocius pereant patri,  
periere matri.*

Deinde altero filio iam trucidato exclamat:

985 *o placida tandem numina, o festum diem,  
o nuptialem! vade, perfectum est scelus,  
vindicta nondum: perage, dum faciunt manus.*

Emenda: *perage, dum fervent manus*, cl. Herc. Oet. 435:  
*scelus occupandum est: perage dum fervet manus.*

#### AD PINDARI OL. XIII, 53.

„Et alios e prisca aetate homines canam” poeta ait  
*καὶ τὰν πατρὸς ἀντίᾳ Μήδειαν θεμέναν γάμον αὐτᾶ,  
ναὶ σώτειραν Ἄργοι καὶ προπόλοισ.*

Sic legitur in Bergkiana quarta et in editionibus prioribus, neque ullam usquam lectionis discrepantiam indicatam video. Ad αὐτᾶ Dissenius annotat „pro αὐτᾶ”. Quidni ergo αὐτᾶ edidit? An etiam in eiusmodi minutiis codicum assensu opus est? Sed totum illud αὐτᾶ, vel αὐτᾶ pro αὐτᾶ positum, quid sibi vult? „Invito patre nupsit Medea” hoc sufficit et quidquid praeterea addideris, locum depravabis. Tamen ne litera quidem mutata est opus; transpone virgulam ut poeta Medeam dicat αὐτᾶ ναὶ σώτειραν καὶ προπόλοισ. Potuitne simplicius magisque rei de qua agebatur convenienter?

J. J. H.

# DE LEGE COLLEGII CANTORUM MILESII.

SCRIPSIT

GUILIELMUS VOLLGRAFF.



Magna inscriptio Mileti in fano Apollinis Delphinii reperta, quam paucis illustrare mihi in animo est, anno 1904 primum edita et egregiis commentariis ornata est a Wilamowitzio <sup>1)</sup>. Deinde ex coetu virorum doctorum, quibus studia epigraphica curae sunt, complures operam ei navaverunt minime spernendam <sup>2)</sup>. Quorum nunc agmen claudenti mihi non multa quidem enucleanda supersunt; sed tamen operae pretium esse visum est toto titulo rursus diligenter examinato denuo anquirere, qui tandem fuerint illi „cantores”, quibus haec lex data sit. Illi enim, qui huc usque de hac quaestione scripserunt, scrupulum, ut libere fateor, mihi iniecerunt. Ne tamen legentibus taedium adferam neve in infinitum augeatur moles commentariorum, satius duxi supersedere singulorum *κατορθώματα* omnia suo loco laudare. Horum enim scripta cum in omnium manibus sint, facile quivis agnoscet, quem quovis loco secutus sim, quae aliquis mihi non persuaserit, quae denique ipse novarim.

Lex perscripta est anno, quo Philteas praeses cantorum erat, id est, ut hodie constat, anno 450—449 a. C. n., quo imperium populare Mileti constitutum est. Nobis vero tradita est per apographon lapidi incisum saeculo a. C. n. primo, ut videtur, idque hic illic, ut fit, mendosum. Sed pleraque menda iam

1) Berl. Sitz. Ber. 1904, p. 619 sqq. Cf. Gött. gel. Anz. 1914, p. 76 sqq.

2) Bechtel, S. G. D. I. 5495; Solmsen, Inscr. graecae sel. <sup>3</sup> p. 88 sqq.; Rehm, Milet, Heft III: das Delphinion, p. 277 sqq.; Hiller von Gärtringen, Syll. inscr. graec. <sup>3</sup>, 57. Danielsson, Eranos, 1914.

dudum omnium consensu sublata sunt, quo fit, ut ne de his quidem omnibus denuo me agere necesse sit.

In lege describenda ubique fere utor orthographia non ipsorum Milesiorum aetatis Herodoti, sed quae nobis usitata est.

Ἐπὶ Φιλτέῳ τοῦ Διονυσίου μολπῶν αἰσυμῶντος (προσέταιροι ἦσαν Οἰνώπων Ἀγαμήδης Ἀριστοκράτεος, Ὀπλήθων Λύκος Κλέαντος, Βίων Ἀπολλοδώρου, Βαρῶν Κρηθεύς Ἐρμῶνακτος, Θράσων Ἀντιλέοντος) ἔδοξε μολποῖσιν τὰ ὄργια ἀναγράφαντας θεῖναι εἰς τὸ ἱερὸν καὶ χρῆσθαι τούτοις· καὶ οὕτω τὰδε γραφθέντα ἐτέθη.

§ 1. Ἐβδομαίοισι τῇ ὀγδῶ ἀπο(τε)λεῖ καὶ τὰ ἱερά ἢ σπλάγχνα σπείσουςι μολπῶν αἰσυμνήτης. Ὁ δὲ αἰσυμνήτης καὶ ὁ προσέταιρος προσαιρεῖται, ὅταν οἱ κρητῆρες πάντες σπεισθῶσι καὶ παιωνίσωσιν.

Τῇ δὲ ἐνάτῃ καὶ ἀπὸ τῆς ὀσφύος καὶ τῆς πεμπάδος, ἣν ἴσχουσιν στεφανηφόροι, τούτων προλαγχάνει τὰ ἰσαῖα ὁ νέος. Ἄρχονται θύειν τὰ ἱερήια ἀπὸ τούτων Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ καὶ κρητῆρες κირνάται κατόπερ ἐμ μολπῶν καὶ παιῶν γίνεται. Ὁ δὲ ἐξιὼν αἰσυμνήτης ἀπὸ τῶν ἡμισέων θύει Ἰστίῃ· καὶ κρητῆρας σπενδέτω αὐτὸς καὶ παιωνιζέτω.

Τῇ δεκάτῃ ἀμιλλητήρια· καὶ δίδοται ἀπὸ μολπῶν δύο ἱερήια τοῖσι στεφανηφόροισιν τέλεια καὶ ἔρδεται Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ· καὶ ἀμιλλῶνται οἱ στεφανηφόροι οἳ τε νέοι καὶ οἱ ἱερεῖς καὶ οἶνον πίνουσι τὸμ μολπῶν· καὶ κρητῆρες σπένδονται κατόπερ ἐμ μολπῶν. Ὁ δὲ ἐξιὼν αἰσυμνήτης παρέχει ἄπερ ὁ Ὀνιτάδης καὶ λαγχάνει ἄπερ ὁ Ὀνιτάδης.

§ 2. Ὅταν στεφανηφόροι ἴωσιν ἐς Δίδυμα, ἢ πόλις διδοῖ ἐκκτόνβην τρία ἱερήια τέλεια· τούτων ἐν θῆλυ, ἐν δὲ ἐνερχές.

Ἐς μολπῶν ἢ πόλις διδοῖ Ταργηλοῖσιν ἱερήιον τέλειον καὶ Μεταγειτνίοισιν ἱερήιον τέλειον, Ἐβδομαίοισιν δὲ δύο τέλεια· καὶ χούν τὸμ παλαιὸν ὀρθῆς ἐκάστης.

Τούτοις τοῖς ἱεροῖσιν ὁ βασιλεὺς παρίσταται, λαγχάνει δὲ οὐδὲν πλεῖον τῶν ἄλλων μολπῶν.

§ 3. Καὶ ἄρχονται οἱ στεφανηφόροι Ταυρεῶνος θύειν Ἀπόλλωνι Δελφινίῳ ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἀπαρξάμενοι καὶ κρητηρίσας τέσσαρας. Καὶ γυλλοὶ φέρονται δύο καὶ τίθεται παρ' Ἐκάτην τὴν πρόσθεν πυλῶν ἐστεμμένος καὶ ἀκρήτῳ κατασπένδεται, ὁ δ' ἕτερος ἐς Δίδυμα ἐπὶ θύρας τίθεται. Ταῦτα δὲ ποιήσαντες ἔρχονται τὴν ὁδὸν τὴν πλατεῖαν μέχρι ἄκρου, ἀπ' ἄκρου δὲ διὰ δρυμοῦ. Καὶ

παιωνίζεται πρῶτον παρ' Ἐκάτῃ τῇ πρόσθεν πυλέων παρὰ Δυνάμει, εἶτεν ἐπὶ λειμῶνι ἐπ' ἄκρου παρὰ Νύμφαις, εἶτεν παρ' Ἑρμῇ Ἐνκελάδου, παρὰ Φυλίῳ, κατὰ Κεραϊίτην, παρὰ Χαρέω ἀνδριᾶσιν. Ἐρδετχι δὲ τῷ πανθῶν ἔτει παρὰ Κεραιίτῃ δαρτόν, παρὰ Φυλίῳ δὲ θύα θύεται πάντ' ἔτεα.

§ 4. Ὀνιτάδῃσι παρέξις κεράμου, σιδήρου, χαλκοῦ, ξύλων, ὕδατος, κύκλων, δαδός, ῥιπῶν κρέα ἐπιδιαίρειν, Φλαγκτηρίων, δεσμῶν τοῖς ἱερηίοισιν, παρὰ στεφνηφόρους λύχνον καὶ ἄλειφα, ὄπτησις σπλάγχων, κρεῶν ἔψησις, τῆς ὀσφύος καὶ τῆς πεμπάδος, ἢν στεφνηφόροι ἴσχουσιν, ἔψησις καὶ διαίρεσις, καὶ μοίρης λάξις. Ἐπιπέσειν τὰ ἔλατρα ἐξ ἡμεδίμνου τῶπόλλωνι πλακούντινα, τῇ Ἐκάτῃ δὲ χωρίς.

Γίνεται Ὀνιτάδῃσιν ἀπὸ μολπῶν ὀσφύες πᾶσαι ἐκτὸς ὧν οἱ στεφνηφόροι ἴσχουσιν, δέρματα πάντα, θαλάμηματα τρία ἀπ' ἱερηίου ἐκάστου, θύων τὰ περιγινόμενα, οἶνον τὸν ἐν τῷ κρητῆρι περιγινόμενον, πεμπὰς τῆς ἡμέρης.

Ὅτι ἂν τούτων μὴ ποιῶσιν Ὀνιτάδῃ, ἕαδε μολποῖσιν ἐπὶ Χαροπίνου στεφνηφόρους ἀπὸ τῶν Ἰστιγιῶν παρέχειν. Ὅτι δ' ἂν Ὀνιτάδῃ χρηθίζωσιν, ἕαδε μολποῖσι στεφνηφόροισιν ἐπιτετράφθῃ.

§ 5. Τῷ κήρυκι ἀτελείῃ ἐμ μολπῶν πάντων καὶ λάξις σπλάγχων ἀπὸ θυῶν ἐκαστέων καὶ οἴνου Φορῆ ἐς τὰ ψυκτῆρια τέλεσι τοῖς ἑωυτοῦ, ὃ δ' οἶνος ἀπὸ μολπῶν γίνεται.

§ 6. Τῷ ὠδῶ δεῖπνον παρέχει ὃ ἱέρως, ἄριστον δὲ ὠσυμνήτης.

„Phltea Dionysii filio cantorum praeside, assessoribus ex Oenopibus Agamede Aristocratis filio, ex Hopletibus Lyco Cleantis filio, Bione Apollodori filio, ex Boreensibus Cretheo Hermonactis filio, Thrasone Antileontis filio, visum est cantoribus religiones describere et dedicare in templo iisque stare. Atque descriptae et dicatae sunt sic:

§ 1. Hebdomaeis octavo die porrigit sacra extave libaturis cantorum praeses. Adlegitur autem praeses ille et assessores, cum craterae omnes libatione consecratae sunt et paeanam cantaverunt.

Nono die lumborum et quintae partis, quae stephanephoris datur, parem portionem praesortitur praeses novus. Deinde incipiunt victimas Apollini Delphinio immolare et craterae vino et aqua implentur, uti in cantorum domo, et paean can-



tatur. Praeses qui se munere abdicat ex dimidia parte Vestae sacrificat; et crateras libatione consecrato ipse et paeanem cantato.

Decimo die fiunt certamina et duae victimae adultae a cantoribus praebentur stephanephoris et sacrificantur Apollini Delphinio. Certant stephanephoris, cum iuniores tum sacerdotes, et vinum cantorum bibunt; et craterae consecrantur, uti in cantorum domo. Praeses anni prioris praebet eadem quae Onitadae et accipit eadem quae Onitadae.

§ 2. Cum stephanephoris procedunt Didyma, respublica praebet hecatomben trium victimarum adularum; harum. una femina, altera non exsecta esto.

Cantorum in domum dono mittit respublica Targeliis victimam adultam, Metagitniis victimam adultam, Hebdomaeis duas adultas, et (vini) congium illum antiquum quoque die festo.

His sacris rex adest, sed non plus accipit quam cantores.

§ 3. Incipiunt stephanephoris mense Taureone sacrificare Apollini Delphinio, postquam victimas a sinistro lustraverunt et craterae consecratae sunt quatuor. Cubi lapidei portantur duo, quorum alter collocatur ad Hecaten extra portam infulatus et mero conspergitur, alter Didyma defertur ibique ad fores aedis deponitur. His rebus peractis, procedunt via lata ad iugum, deinde per nemus. Paean cantatur primum ad Hecaten extra portam apud fanum Opis, deinde in prato in iugo collis ad Nymphas, deinde apud Mercurium Enceladi, ad Phylum, ad Ceraeitam, ad Chareae statuas. Sacrificatur anno, qui *πάνθουον ἔτος* dicitur, ad Ceraeitam ovis; apud Phylum quotannis suffimentis litatur.

§ 4. Onitadae praebent fictilia, ferrum, aes, ligna, aquam, circulos, faces, crates, in quibus carnes dividantur, *Φαλαγκτήρια*, vincula victimis, stephanephoris lucernam et oleum, extorum assationem, carniuum coctionem, lumborum et quintae partis, quae stephanephoris datur, coctionem et divisionem et sortitionem. Ad hoc placentas conficiunt ex hemimedimno Apollini mellitas, Hecatatae seorsum.

Dantur Onitadis a cantoribus lumbi omnes praeter eos, qui stephanephororum sunt, pelles omnes, tria liba pro quaque victima, suffimentorum residua, vinum quod in crateris superest, quinta pars quotidie.

Quicquid harum rerum Onitadae non praebent, visum est cantoribus, Charopino praeside, stephanephoros ex Vestae suppellebile praebere oportere. Sed petitiones Onitadarum omnes cantoribus visum est stephanephoris committere.

§ 5. Praeconii esto immunitas in cantorum domo ab omnibus rebus et portio extorum de quoque sacrificio et vini portatio ad viridaria suo sumptu; vinum a cantoribus praebetur.

§ 6. Praecentori coenam sacerdotes, pransum praeses praebet".

Mileti quotannis tres phylae binos viros elegisse videntur, qui collegio cantorum praessent. Ex his sex viris unus praeses creabatur, cui *αἰσυμνήτης* nomen erat; ceteri quinque *προσέταιροι* vocabantur.

*Ad § 1.* Primo capite constituitur, quomodo Hebdomaeis praeses novus adlegatur. Insunt etiam alia praescripta quaedam ad Hebdomaea pertinentia.

Quae cum, ut ipsum nomen docet, septimo die, qui Apollini sacer erat, mensis alicuius inceperint, hic tamen tantum definitur, quid octavo, quid nono, quid decimo die eius mensis agendum sit. De die septimo propterea nihil statutum esse apparet, quod de sollemnibus illius diei inter omnes constaret. Inde statim universam indolem huius legis sacrae cognoscere licet: non omnia enim in ea attinguntur, sed, ut in plerisque legibus antiquissimis, tantum illa, de quibus nova praecepta danda aut vetera instauranda erant aut de quibus dissensio orta erat.

In primis autem hoc capite praescribitur, qua ratione praeses collegii abdicet et praeses novus, qui die secundo Hebdomaeorum simul cum assessoribus creatur, munus suum auspicetur. Primo die, de quo inscriptio nihil exhibet, praeses anni exeuntis adhuc solus omnibus praemiis et honoribus cumulatur. Secundo praeses novus in locum eius substituitur et ad quaedam humiliora officia, quae sacerdotum esse solent, astringitur. Tertio praesidem novum mediocribus praemiis donisque honorare incipiunt et simul praesidem, qui se munere abdicat, ipsum insolita officia nonnulla (*κρητήρας σπένδειν, παιωνίζειν*), praestare cogunt; praesides iam in aequo fere stant et aequa conditione

sacrificia ordiuntur <sup>1)</sup>. Quarto die praeses novus plenum dignitatis suae splendorem obtinet, dum decessor eius famuli loco in templo operatur et famuli vicem vescitur. Sic spatio quatuor dierum alter a culmine honorum ad infimum gradum descendit, alter sensim ad summum fastigium extollitur.

Prima verba capitis laborant corruptela, quae omnes interpretes exercuit. Legitur enim in lapide: Ἐβδωμαίισι τῇ ὀγδῶ ΑΠΟΛΕΙ καὶ τὰ ἱερά ἢ σπλάγχνα σπείσουσι μολπῶν αἰσυνήτης. Quod sensu cassum est. Collatis vero inscriptionibus Cois <sup>2)</sup>, in quibus identidem legitur sacerdotis esse ἱερά παρέχειν, facile suspicio oriri potest pro ΑΠΟΛΕΙ verbum quoddam legendum esse, quod a παρέχειν sententia non multum absit. Deinde conferri iubeo inscriptionis Theratae IG, XII, 3, 330 (Leg. Graec. sacr. p. 320), VI vs. 14 sq.: οἱ δὲ ἐπιμήνιοι οἱ θύοντες τὰς θυσίας ταύτας ἀποδωσοῦντι τῷ κοινῷ τοὺς τε ἐλλύτας πάντας καὶ τῶν σπλάγχνων τὰ ἡμίση . . . ὁ δὲ ἀρτυτῆρ διελεῖ τὰ ἱερά τοῖς παροῦσι. His maxime fretus pro ΑΠΟΛΕΙ scriptum fuisse ἀποτελεῖ conieci. Cum enim apud Homerum legatur δῶρα sive δωτήνην τελεῖν <sup>3)</sup> pro δῶρα διδόναι, consentaneum est Iones etiam ἀποτελεῖν dixisse pro ἀποδιδόναι. Τὰ ἱερά quid sint, neque hoc loco neque multis aliis pro certo definiri potest <sup>4)</sup>. Apte dicitur: τὰ ἱερά ἢ σπλάγχνα, nam non inprimis interest, quid aesymneta distribuat, dummodo ipse tali officio fungatur. Scrupulum fortasse adhuc tibi inicit adverbium καὶ ante τὰ ἱερά collocatum. Hoc non ad τὰ ἱερά, sed ad totam sententiam pertinere censeo, ut significetur octavo die ἄλλα τε πολλά fieri καὶ δὴ καὶ τοῦτο. Similiter paulo infra legitur: τῇ δὲ ἐνάτῃ καὶ ἀπὸ τῆς δσφύος καὶ τῆς πεμπάδος . . . προλαγχάνει τὰ ἱσαῖα ὁ νέος. Nam coniunctio copulativa bis repetita καὶ-καὶ ab hoc loco aliena esset <sup>5)</sup>.

Ὁ προσέταιρος collective dictum est; item § 1: τῆς δσφύος,

1) Cf. Plat. Crat. p. 401, d: πρὸ πάντων θεῶν τῇ Ἑστία προδύειν. Hymn. Hom. XXIX. Soph. frg. 658 N.<sup>1</sup>: ὃ πρῶρα λοιβῆς Ἑστία. Fritze, De libatione veterum Graecorum, diss. Berol. a. 1893, p. 43 sqq.

2) Dittenberger, Syll.<sup>3</sup>, 616 sqq.

3) Hom. Il. V, 598; Od. XI, 352. Cf. Soph. Indag. 2.

4) Cf. Stengel, Opferbräuche der Griechen, p. 89, 4 et 149, 7; p. 96.

5) Daniellson, l. l. p. 9.

ὁ Ὀνιτάδης; § 4: τῆς δσφύρας, § 6: ὁ ἱέρως. Προσαιρεῖται aptissime dicitur, quod praeses et assessores anni superioris non statim decedunt, sed per tres dies simul cum successoribus suis sacris intersunt. Κρητῆρας σπένδειν quid sit, ex ipsa inscriptione facile intellegimus: ex singulis enim crateris diis libatur<sup>1)</sup>, priusquam paterae ex iis impleantur: tum rursus quisque ex suo poculo libat. Idem mos invenitur Hom. Odyss. III, 393 sēq.:

τοῦ ὁ γέρων κρητῆρα κεράσσατο, πολλὰ δ' Ἀθήνη  
εὔχετ' ἀποσπένδων, κούρη Διδος αἰγιόχοιο·  
αὐτὰρ ἐπεὶ σπεῖσαν τ' ἔπιον θ' ἔσον ἤθελε θυμός...

Πεμπάδα hic dici conicio quintam partem carniū victimarum. Quamquam incertum hoc esse concedo. Alibi πεντάς dicitur id quod e quinque partibus constat; sed etiam vox τριτῦς modo ternionem, modo tritam partem significat. Cf. Dittenberger, Syll.<sup>2</sup>, 554, 12 (v. Stengel, Opferbräuche, p. 89): τὰ τρίτα μέρη. Post verba ἄρχονται θύειν τὰ ἱερῆια in lapide perperam repetitae sunt litterae APXO, quas utpote manifesto errore a quadratario additas delendas esse censeo. Ἐπὶ τῶν ἡμισίων adverbialiter dictum esse mihi videtur eadem ratione qua apud Thucydidem plus semel ἀπὸ τοῦ ἴσου vel ἀπὸ τῆς ἴσης legitur pro ἕξ ἴσου, ex aequo. Stephanephororum nomen apud Graecos commune erat magistratibus et sacerdotibus, qua de causa inscriptiones aliarum civitatum aliusve aetatis fere nihil prodesse possunt scire cupientibus, quoniam munere stephanephorii Milesii medio saeculo quinto functi sint. Minime vero huc referendum est, quod cantorum Milesiorum praesides aetate Romana non solum αἰσυμνήται, sed etiam στεφανηφόροι vocabantur. Ex verbis οἱ στεφανηφόροι οἱ τε νέοι καὶ οἱ ἱερεῖς sine ulla dubitatione efficio stephanephoros hic dici eos, qui aut iam sacerdotes Apollinis facti sunt, aut in fano instituuntur, ut postea sacerdotium incant. Cuius rei aliud exemplum, ut videtur, nondum apud Graecos inventum est<sup>2)</sup>. Primo obtutu

1) Cf. Poll. VI, 15; Schol. Plat. Phileb. p. 66, d; Fritze, De libatione veterum Graecorum, diss. Berol. 1893, p. 45; Daremberg-Saglio, Dict. des antiq. s. v. sacrificium, p. 963.

2) Cf. Stengel, Griech. Kultusalte. p. 31: „Eine Vorbildung und Erziehung für das priesterliche Amt gab es nicht“.

fortasse miraberis, quod sacerdotes Apollinis eorumque discipuli lege astricti sunt, ut in certamina musica descenderent. Sed huius rei causa in aperto est: Miletum post bella Persica ad summam inopiam delapsam esse non mea nunc est opinio, sed dudum a Glotzio, omnibus plaudentibus, demonstratum est <sup>1)</sup>. In universa autem egestate studia Musarum desereri solent <sup>2)</sup>. Lege igitur cavendum erat, ne certamina publica Apollinis Delphiniæ negligenterentur.

*Ad § 2.* Capite secundo constituitur, quid respublica cantoribus praestet diebus festis, scilicet 1° cum pompa Mileto Didyma ducitur, de qua § 3 agitur, 2° Targeliis, 3° Metagitniis, 4° Hebdomaeis.

Athenis Thargelia et Metagitnia, quaecumque eorum prima origo fuit, in Apollinis honorem celebrabantur. Procul dubio res se item habebat Mileti. Concludimus igitur in hac inscriptione de solo Apollinis cultu agi, quem collegium cantorum unice fere coluisse videtur <sup>3)</sup>.

Hic hecatomben ob paupertatem civitatis ad tres, si dis placet, victimas redactam videmus; ceteris feriis una vel duabus defunguntur, quibus additur vini congius, antiquae quidem capacitatis, sed unus!

Haec cum respublica dono det cantoribus, invitatur etiam rex sacrorum nec tamen prae ceteris, qui sacrificiis suo iure intersunt, honorifice tractatur.

*Ad § 3.* Capite tertio praecipitur, quomodo pompa sollemnis ad Didymaeon ducenda sit.

Quid sit ἀπὸ τῶν ἀριστερῶν ἀπρξάμενοι, minime ignotum est. Ἀπάρχεσθαι sive κητάρχεσθαι τὸ ἀπὸ τῶν χερνίβων περιρραίνειν τῷ ἱερείῳ... ἐκάλουν οἱ πολλοί <sup>4)</sup>. Quod etiam Athenis semper a sinistro sive dextrorsum factum esse patet ex Arist. Pac. vs. 956 sq.:

ἄγε δὴ τὸ κανοῦν λαβὼν σὺ καὶ τὴν χέρνιβα  
περίθι τὸν βωμὸν ταχέως ἐπιδέξια.

1) Comptes-rendus de l'Acad. des Inscr., 1906, p. 525.

2) Suspiciari licet certamina musica Milesiorum saeculo VI° et VII° admodum floruisse.

3) Hecatae in fano Apollinis Delphiniæ ara consecrata fuisse videtur (v. § 4).

4) Schol. Od. III, 445. Cf. Eur. Iph. Aul. 1568 sq. Herc. Fur. 926 sq. Arist. Av. 958. Daremberg-Saglio, Dict. des antiq. s. v. sacrificium, p. 965.

Ἐνδεξιούσθλι βωμόν id vocatur Eur. Iph. Aul. 1471.

Κρητηρίζειν duas significationes habere docet Photius, cuius haec sunt verba: κρητηρίζων· οἶνον ἐν κρητῆρι κερῶν ἢ ἀπὸ κρητῆρων ἐν τοῖς μυστηρίοις σπένδων. Harum altera occurrit apud Demosthenem <sup>1)</sup>, posterior huic loco idonea esse videtur. Κρητηρίζειν igitur hic idem est quod supra dicitur κρητῆρα σπένδειν. Ad τέσσερας subintellegi potest κρητῆρας. Pro κρητηρίσας exspectamus κρητηρίσαντες. Si autem qui hoc scripsit ἀνακολούθως hic singulari numero usus est, vide ne propterea hoc fecerit, quod non omnes stephanophori, sed unus ex iis crateras consecrare solitus sit. Sed etiam lapicidae mendum esse potest.

Paean cantatur cum aliis locis tum παρὰ Δυνάμει. Hic Δύνκμιν tamquam deam a Milesiis esse cultam videmus. Eidem numini etiam Tei aram consecratam fuisse efficimus e Diris Teiis <sup>2)</sup> (vs. 29 sqq.): οἵτινες τιμοῦχέοντες τὴν ἐπαρῆν μὴ ποιήσεν ἐπὶ Δυνάμει, καθημένον τῶ γῶνος, Ἄνθεστηρίοισιν καὶ Ἑρκλέοισιν καὶ Δίοισιν, ἐν τῆ περρῆ ἔχεσθλι. Hucusque legebatur ἐπὶ δυνάμει, quod invita grammatica et absurde, quod ad sensum attinet (quid enim magistratus impedire potuisset, quominus imprecationem haberent?) idem significare putabant quod εἰς δύνκμιν.

Πρ' Ἑρμῆ Ἐγκελάδου dubito num recte legatur, nam Enceladus nomen gigantis est. Ecquid legendum est παρ' Ἑρμῆ ἐν Κελάδ(ω)? Etiam in Arcadia flumen memoratur, cui Κέλαδος nomen erat.

Ad § 4. Capite quarto agitur de Onitadarum officiis et de eorum iuribus ac praemiis.

Onitadas famulos esse ex toto tenore huius capituli apparet, maxime vero ex eo quod quicquid vini in crateris restat <sup>3)</sup> iis ebibendum relinquitur. Inter officia eorum commemoratur τῆς ὀσφύος καὶ τῆς πεμπάδος, ἣν στεφανηφόροι ἴσχυουσιν, ἔψησις καὶ διρίσεις, καὶ μοίρης λάξις. Ergo manifestum est verbis

1) Demosth. XVIII, 259.

2) Michel, Recueil, 1318; Dittenberger, Syll.<sup>2</sup>, 38.

3) Verba οἶνον — περιγινόμενον perporam accusativi terminationibus ornavit qui haec scripsit, cum debuisset nominativi. Eiusmodi errores vix quisquam praeter grammaticos sentit et animadvertit. Non credo inde pro certo concludi posse haec verba postea addita esse.

μοίρης λάξις non significari Onitadis partem tribui earum carniū, quas in gratiam stephanephororum coquant et dividant. Hoc enim infra inter iura eorum positum oportuit. Non nego per grammaticam μοίρης λάξιν esse posse ius partis nanciscendae; cf. § 5: λάξις σπλάγγων. Sed hoc loco alia sententia requiritur. Quapropter, collatis glossis Hesychianis: μοιρολαχεῖν· τὸ μερίδι λαγγάνειν. τινὲς τὸ διαιρεῖσθαι. — μοιρίλογοι· οἱ τὰ κοινὰ διαιροῦντες. — λῆξις· . . . ἐπὶ μερίδι διακληροῦσθαι <sup>1)</sup>, suspicor verbis μοίρης λάξις Onitadis praecipī, ut partes, quas ipsi stephanephoris faciunt, inter eas sortiantur, ut omnia quam iustissime fiant. Μοίρης collective dictum est; cf. quae supra p. 420 sq. ad § 1 adnotavi.

Ludicrum est quod in fine capituli scriptum legimus. Onitadae si quando non praebent quae lex eos praebere iubet, ipsos stephanephoros eorum officia suscipere et quae desunt supplere lex cogit, ne quid cultus Apollinis detrimenti capiat. Hoc tunc constitutum est, cum Milesii ex beatis miseri facti erant. Sed perspicuum est, si nihil praeterea praescriptum esset, Onitadas iam officiorum suorum magnam partem neglecturos fuisse idque prorsus impune. Sollerter ideo et callide legis latores statim addiderunt iudicium de omnibus petitionibus Onitadarum penes stephanephoros fore. Semper enim famuli aliquid rogant et puniuntur quodammodo, si nihil obtinebunt praeter ea, quae iusto iure iis debentur.

Charopino praeside, i. e. anno 479/8, quo Miletus post proelium ad Mycalen liberata est, hoc ita constitutum esse diserte in inscriptione dicitur. Intellegimus igitur etiam cetera omnia, quae in hac lege leguntur, non necessario demum Philtea praeside a cantoribus decreta esse, sed etiam antiquiora praescripta nonnulla in ea esse repetita vel renovata. Neque id mirum est. Nam plurimae leges et antiquis et nostris temporibus ea ratione nascuntur, ut partim antiquiora serventur, partim nova interponantur et superaddantur. Sed licet hoc in universum certo certius sit, tamen humanum ingenium, cum nihil praeter ipsas leges tenemus, vix sufficiat ad enucleandum, qua ratione quae proportione nova antiquis mixta sint.

1) Cf. Poll. VIII, 135 sq.

Quod non minus de hac lege quam de ceteris valere persuasum habeo.

Nomen Onitadarum derivatum esse videtur a nomine herois, qui Ὀνίτης vocabatur quique apud Hesychium breviter memoratur. Huius autem nomen manifesto a voce quae est ὄνος ductum est. Asinus, sicuti apud Aegyptios deo Seth, ita apud Graecos Apollini sacer erat. Cuius rei argumenta afferre possumus haecce:

1<sup>o</sup>. In inscriptione attica <sup>1)</sup> a. 380 a. C. n., qua de rebus Amphictyonum Delphicorum agitur, sermo est de asinis, qui Apollini tamquam victimae aluntur.

2<sup>o</sup>. Pindarus <sup>2)</sup> Hyperboreos Apollini hecatombas asinorum mactare fingit.

3<sup>o</sup>. Antoninus Liberalis <sup>3)</sup> idem affirmat narratque fabulam, in qua item de asinis Apollini sacrificatis agitur. Similia Boeus et Simmias Rhodius narraverant.

4<sup>o</sup>. Callimachi <sup>4)</sup> fragmentum servatum est hoc:

*τέρπουσιν λιπαρὰ καὶ Φοῖβον ὄνοςΦαγίαι.*

5<sup>o</sup>. Pausania <sup>5)</sup> auctore, Delphis in fano Apollinis erat asinus aeneus ab Ambraciotis Apollini consecratus. Cuius rei αἴτιον cum postea ignoraretur, insulsam fabellam excogitaverant, quam apud Pausaniam relegas, si tanti est. Vera causa erat, quod deo suum animal, tamquam perpetuum sacrificium, conflandum curaverant.

6<sup>o</sup>. Midas ab Apolline auribus asininis dotatus est.

*Ad § 5.* Capite quinto constituuntur munera praeconis.

*Ad § 6.* Capite sexto agitur de victu τοῦ ᾠδοῦ.

Cf. lex sacra Asclepiei Epidaurii saeculi VI exeuntis <sup>6)</sup>: τοῦ δευτέρου βόδου τοῖς ἀοιδοῖς δόντω τὸ σκέλος, et inscriptio ex insula Ceo III<sup>i</sup> saeculi a. C. n. ineuntis <sup>7)</sup>: διδόναι δὲ καὶ ῥαψωδῶ κρεῶν μερίδα.

Totam legem perlustravimus. Quo singula capita spectent, definivimus et simul nonnulla supplementa commentariorum,

1) I. G. II, 545.

3) Ant. Lib. 20.

5) Paus. X, 18, 3.

7) Ibid. 522, 35 sq.

2) Pind. Pyth. X, 33.

4) Callim. frg. 187; cf. sq.

6) Dittenberger, Syll.<sup>3</sup> 938, 14 sq.



quibus viri docti inscriptionem abunde ornaverunt, proposuimus. Nunc, quod caput est, inquiramus, quinam fuerint „Cantores” illi Milesii, qui talem legem promulgaverint. Non sunt ministri Apollinis neque famuli sacrorum, nam illis partibus *στεφανηφόροι* et *Ὀνιτάδαι* funguntur. Nec magis sodales collegii tibi-  
cinum vel cantatorum sunt; cantat enim illis festis diebus ὁ ᾠδός, homo vili mercede conductus, qui ne cibo quotidiano egeat, in fine legis benigne providetur. Quinam sint, sponte apparebit, si perpendemus quae in ipsa lege de iis dicta sunt:

Cantores sunt sodales collegii, cui praeficiuntur sex viri, ab ipsis procul dubio, utpote in civitate democratica, electi. Habent curiam suam, in qua congregantur et festos dies celebrant. Habent suos redditus, nam certis diebus victimas et vinum donant stephanephoris. Habent potestatem statuendi quidlibet de cultu in fano Apollinis Delphinii, legemque, quam de sacris Apollineis iusserunt, in fano dedicandam curant. Quemadmodum igitur populus in contione de re publica decernit, vel ut minore exemplo ex titulis atticis petito utar, quemadmodum οἱ ἄρχωνες τοῦ ἱεροῦ de fano sacrisque suis statuunt, ita illi de cultu Apollinis. Sunt ergo nihil aliud ac sodales collegii cultorum Apollinis.

Parvumne hoc collegium an magnum fuerit, quaeres. Maximum puto, ut vix ullus civis Milesius non Cantor Apollinis esset.

1<sup>o</sup>. Cantorum enim praeses eponymus civitatis est.

2<sup>o</sup>. Assessores, qui iis praesunt, eliguntur ex phylis Milesiis.

3<sup>o</sup>. Cantores constituunt, quatenam dona civitatem sibi quotannis dare oporteat (§ 2).

4<sup>o</sup>. In inscriptione Milesia a. 212/11 a. C. n. 1) legitur: ἐὰν δέ τις πολιτεύηται παρὰ τὸδε τὸ ψήφισμα, εἶναι αὐτὸν ὑπεύθυνον τῇ τε ἐμ μολποῖς ἐνστάσει καὶ τῇ δίκῃ τῆς ξενίας κατὰ τοὺς νόμους. Cantorum igitur fuit de civitate cognoscere.

Haec omnia ita se habere non possent, nisi omnes fere cives, exceptis indignis, simul Molpi fuissent.

Quare autem cultores Apollinis *μολποί* dicti sint, non est valde difficile intellectu. Nomen natum esse videtur ea actate, qua adhuc omnes tribules numen suum communi cantu et

1) Milet, III: das Delphinion, n<sup>o</sup>. 143, 31 sq.

saltatione placare solebant. Quamquam morem paeanis in honorem dei identidem cantandi diu perdurasse ipsa lex docet. De cantu et saltatione in prisca religione nemo acutius egit quam nuper J. A. K. Thomson in libro amoeno, quem magna cum voluptate legisse me profiteor. Qui licet legem Milesiam eo loco, nisi fallor, non respexerit, tamen nomen cultorum Apollinis Delphini meae sententia optime illustravit his verbis:

„The earliest poetry is, by all the evidence, a form of charm or spell. This *carmen* is the accompaniment of a magical dance. It is a kind of interpretation or description of the dance, which has always a mimetic or semi-dramatic character. It comes to the same thing, if we say the dance is a kind of enactment or dramatisation of the chant. The dance is performed by the entire community or „tribe” of able and qualified dancers. Hence poetry is in its beginning choral . . .

Whether we say, that the dance-song . . . has a religious, or whether we say it has a magical character, we cannot be far out . . . It is communal or „tribal”, thus possessing an inclusiveness in one direction and an exclusiveness in the other . . . It is inclusive in this, that it demands (with certain obvious exceptions) all the members of the community for its performance. It is exclusive in so far as it is restricted to the community . . . The dance is a secret, and on the preservation of the secret knowledge depends the safety, and even the existence of the „tribe”<sup>1)</sup>.

---

1) Thomson, *The Greek Tradition*, p. 159.

## AD SENECAE HERCULEM FURENTEM.

SCRIPSIT

P. H. DAMSTÉ.



Senecae tragoedias nostris temporibus magis magisque legi atque emendari coeptas esse magnopere gaudeo. Vereor enim ne illorum numero ascribendus sim qui eas lectitare amant tam propter cogitata quae continent sapientissima quam propter modum concisum pulcherrimumque quo quavis pagina ex-prompta leguntur. 'Vereor' scripsi, nam probe scio usu receptum iam esse poetas Latinos tantum non omnes prae Graecis contemnere, tamquam rhetoricos neque umquam ex se fertiles damnare, hoc uno consilio etiamnunc commentari ut ergasterium atque adeo ergastulum eorum excutiatur, deinde vero doctissima gravissimaque inquisitione exponatur cui Graeco unamquamque sententiam debere et singula enuntiata, immo vocabula singula surripere potuerint. Qui ea ratione utitur quam nunc tenet saeculum et moris antiqui homunculos naso adunco suspendit, totus de capsula est, ut Senecae verbis utar. Equidem et istud et alia eiusmodi vitia nostrae aetatis aequo animo fero, quamdiu ipse mea via pergere non impediatur, sicut illis futurismi et cubismi sectatoribus non invidio, dummodo vera pictorum artificia spectare atque admirari mihi liceat. In eorum igitur numerum me refero qui Senecae tragoediis delectentur nec me pudet societatis quamvis exiguae. Viros doctos summo studio poetam amplecti et variae editiones comprobant et commentationes quas in libro trimestri cui *The Classical Quarterly* est titulus C. E. Stuart Cantabrigiensis, W. R. Hardie Edim-

burgensis, H. W. Garrod Oxoniensis anno MCMXI evulgarunt. Quid quod eodem fere die, quo meae ad Phaedram fabulam annotationes in hoc volumine prodierunt, noster Van Wageningen egregia eiusdem tragoediae editione nos ditavit, quae introitu locupletissimo et notis exegeticis patrio sermone conscriptis instructa cum sit, haud dubie multum contribuet ad poetae nostri virtutes cum nostratibus communicandas, quae saepe a censoribus quasi curta sententia iudicantibus non agnoscuntur. Exemplum afferre lubet. Unum ex amicis meis, cuius iudicium ceteroquin magni facio, nuper locum illum improbare audiui, ubi infantibus inferos intrantibus cereum vel candelam praeferrī poeta dicit quae tenebras et timorem arceat, Herc. F. 855 sq.:

*his datum solis, minus ut timerent,  
igne praelato relevare noctem.*

Tam ridicula haec ei videbantur ut poetam summam insulsi-  
tatem hic consecutum esse neque ullum locum insipidiorem in  
tragoediis omnibus exstare contenderet. At tamen mihi repu-  
tanti ex prisca consuetudine funerum, cum noctu omnia duce-  
rentur, hunc morem etiam tunc servatum esse, cuius originem  
Seneca iam ignoraret, res a tragoediae gravitate non absona  
visa est. Poetam isto more saepius permotum esse demonstrant  
De Tranq. An. 11: *toties praeter limen immaturas exsequias  
fax cereusque praecessit* et De Brev. Vit. i. f.: *At mehercule  
istorum funera, tamquam minimum vixerint, ad faces cereosque  
ducenda sunt.* Nonne igitur ista sane puerilis explicatio moris,  
cuius causa eum latebat, Romani hominis propria et naturalis  
potius appellanda est quam absurda insulsaque? Aliter com-  
parata erat mens hominum tunc viventium atque nostra.  
Ceterum quam verum Garrodi dictum sit „Seneca has, in fact,  
always been carelessly read”, in tragoediis legendis relegen-  
disque usu expertus pro viribus meis librariorum menda, quibus  
vel nunc scatent, haud pauca corrigere sum conatus. Quod num  
prosperè mihi successerit, quoniam Leo et Richter, viri de  
poeta nostro optime meriti, diem supremum obierunt, futuri  
editoris iudicio committo.

In ipso tragoediae exordio Iuno indignata queritur

1 *Soror Tonantis (hoc enim solum mihi  
nomen relictum est) semper alienum Iovem  
ac templa summi vidua deserui aetheris  
[locumque caelo pulsa paelicibus dedi;]  
tellus colenda est: paelices caelum tenent.*

Versus uncinis a me inclusus delendus est.

In cantico primo, ubi chorus diem nascentem salutatur,  
legitur

129 *signum celsi glaciale poli  
septem stellis Arcados ursae  
lucem verso temone vocat.*

Leo vs. 130 ad calcem paginae tamquam insititium relegavit,  
quem non induendum, sed emendandum esse equidem suspicor;  
credo enim veram scripturam esse:

*sa e p t u m stellis Arcados ursae.*

Chorus varia ambitionis exempla enumerat, inter quae  
169 *illum populi favor attonitum  
fluctuque magis mobile vulgus  
aura tumidum tollit inani.*

Constructio verborum me quidem docet legendum esse *attoni-  
tus*, quod epitheton in Senecae tragoediis frequentatum diversis  
nominibus additur.

Amphitryon cum primum progreditur, exclamat  
205 *O magne Olympi rector et mundi arbiter,  
iam statue tandem gravibus aerumnis modum  
finemque cladi. nulla lux umquam mihi  
secura fulsit: finis alterius mali  
gradus est futuri.*

Quoniam in iis, quae post versus supra descriptos leguntur,  
semper et ubique de Herculis, non de Amphitryonis laboribus  
mentio fit, multi finem versus 207 mutare voluerunt, Withof *um-  
quam viro*, de Wilamowitz *u. Herculi*, Peiper *u. meis* conicientes,  
et Leo post *fulsit* sententiam olim stetisse putavit tali com-  
plemento <*nullus e nati datur | labore fructus*>.

At melius satisque loco consulueris, si repones  
*iam statue tandem gravibus aerumnis modum  
 finemque gnati.*

Amphitryon casus aliquot ab Hercule in Africa superatos  
 commemorat

322 *cumque deserta rate  
 depensus haesit Syrtium brevibus vadis  
 et puppe fixa maria superavit pedes.*

Quamquam res singulae calamitatis, quae summatim hic ex-  
 posita est, nobis traditae non sunt, sana ratio mihi quidem suadet  
 ut pro *deserta rate* Valerium scripsisse credam: *defecta rate*.  
 Cf. Phaedr. 374: *vadit incerto pede,*

*iam viribus defecta.*

Herc. II 1859: *grandaeva anus defecta.*

Imprimis vero cf. Val. Fl. II 285:

*visa ratis saevae defecta laboribus undae.*

Similiter ap. Ov. Met. IX 154: *defecto amori*, Val. Fl. II 462:  
*defectaue virginis ora*, 489: *defectaue Pergama*.

Consilio aut Megaram uxorem ducendi aut domum Herculeam  
 penitus tollendi patefacto Lycus addit

352 *invidia factum ac sermo popularis premet?  
 ars prima regni est posse † invidiam pati.*

In exemplari meo ascripseram olim, emendandum esse  
*ars prima regni est noscere invidiam pati.*

Ecce vero e Garrodi disputatione anni 1911 disco, eum hanc  
 emendationem Kiesslingii manu in tragoediarum exemplari, a  
 Leone edito, appictam invenisse et veram existimare! Conferri  
 iubet H. II 228. Cum igitur honore inventi cedendum mihi  
 iam esse videam, locos quos ad coniecturam confirmandam  
 collegeram reticere nolui; sunt autem

Troad. 256: *noscere hoc primum decet,  
 quid facere victor debeat, victus pati.*

Phoen. 654: *regnare non vult esse qui invisus timet.*

Phaedr. 114: *peccare noster novit in silvis amor.*

502: *callidas tantum feris  
 struxisse fraudes novit.*

- Oed. 703: *odia qui nimium timet  
regnare nescit: regna custodit metus.*
- Ag. 259: *nec regna socium ferre nec taedae sciunt.*
- Thy. 470: *immane regnum est posse sine regno pati.*

---

Mortales si numquam odia et inimicitias remittant ac finiant,  
365 *nihil relinquent bella; tum vastis ager  
squalebit arvis, subdita tectis face  
altus sepultas obruet gentes cinis.*

Restituendum esse credo: *tum vastis se ges.* Cf. Phoen. 560:  
*armis uris infestis solum  
segetesque adultas sternis et totos fugam  
edis per agros.*

Oed. 51: *arente culmo sterilis emoritur seges.*

---

Iam Megara Lyco acerbissime exprobrat  
379 *patrem abstulisti, regna, germanos, larem  
patrium — quid ultra est? una res superes! mihi  
fratre ac parente carior, regno ac lure:  
odium tui, quod esse cum populo mihi  
commune doleo: pars quota ex illo mea est?*

Pro *carior emendare ne dubita: certior, quod ante me  
Withof suavit. cf. Thyest. 240 et 424.*

---

Lycus, Herculem irridens, Amphitryoni respondet  
465 *fortem vocemus cuius ex humeris leo,  
donum puellae factus, et clava excidit  
fulsitque pictum veste Sidonia latus?*

Pro *pictum Withof amictum — Nolte rigidum coni.*

Herculem cum Iphitum, Euryti filium, occidisset, per tres annos Omphalae, reginae Lydiae, servire pactum esse nota res est, qua considerata pro mira lectione *pictum* nescio an legendum sit *pactum — latus.* Cf. Phaedr. 953: *redde nunc pactam fidem*, Phoen. 324: *regna repetens frater et pactas vices.* Etiam cf. Ov. Met. VII 740, Fast. V 702.

Theseus horrenda Tartari Amphitryoni enarrat, in quibus sunt  
 693 *Metus Pavorque † Funus et frendens Dolor*  
*aterque Luctus sequitur et Morbus tremens*  
*et cincta ferro Bella.*

Pro *funus* de Wilamowitz *fervus* coni., quod Leo recepit.  
 Immo corrigendum esse censeo:

*Metus Pavorque effrenus et frendens Dolor.*

Adi. *effrenus* apud nostrum est Phaedr. 255, Ag. 588 et 944.

Idem ubi ad Cerberum abductum venit, haec dicit:

807 *tum gravia monstri colla permulcens manu*  
*adamante texto vincit.*

Poetam scripsisse suspicor: *tum rava m. colla*, cl. vs.

59: *atrum per urbes ducit Argolicas canem.*

H. II 23: *sed trepidus atrum Cerberum vidit dies.*

Paulo inferius idem canis iam

810 *componit aures timidus et patiens trahi*  
*erumque fassus, ore summisso obsequens,*  
*utrumque cauda pulsat anguifera latus.*

Et rerum et verborum contextus flagitat: *ore summisso*  
*sequens.*

Chorus canticum, quo Herculis victoriam de inferis reportatam  
 celebravit, hac adhortatione claudit

893 *stantes sacrificus comas*  
*dilecta tege populo.*

Interpretes epitheton *stantes* explicare solent: horrentes, ar-  
 rectas, sacerdos cum divinitus afflatus sit, quae notio ab hoc  
 loco prorsus aliena est. Emenda

*sanctas sacrificus comas*  
*dilecta tege populo.*

Cf. ea quae de hoc mendo in cod. E obvio ad H. II 123  
 disserui.

Hercules in furorem versus loquitur

999 *huc eat et illuc aula deiecto obice*  
*rumpatque postes; culmen impulsum labet.*

Ita libri mss. omnes.

Editores pro voce corrupta *aula* recipere solent Badenii coni.



*valva*, quam Leo etiam in Vindiciis (II p. 376) defendere conatus est. At tamen Withofii emendatio *clava* unice vera etiam nunc mihi videtur, quamquam ei non assentiendum est ubi pro *eat* substitui iussit *rotet*.

Deinde suis trucidatis Hercules in somnum labitur

1046 *flexo genu iam totus ad terram ruit,*  
*ut caesa silvis ornus aut portum mari*  
*datura moles.*

Immo vero: *aut dorsum m. d. m.*

Cf. Verg. Aen. I 110: *dorsum immane mari summo* et X 303: *dorso dum pendet iniquo*, ad quae Serv.: „*dorsum est durior arena, quae remeantibus fluctibus et euntibus plerumque densatur et in modum saxi durescit, quod a nautis pulvinus vocatur*”.

Val. Fl. II 630: *namque improba caecis*  
*intulit arva vadis longoque per aequora dorso*  
*litus agit.*

Scilicet non nego, molem obiectu suo portum efficere posse, verum id si poeta significare voluisset, non *mari* sed aliquid quale est nautis vel ratibus addidisset.

Hercules menti restitutus mortem sibi consciscere vult et minatur

1284 *arma nisi dantur mihi,*  
*aut omne Pindi Thracis excidam nemus*  
*Bacchique lucos et Cithaeronis iuga*  
*mecum cremabo, aut tota cum domibus suis*  
*dominisque tecta, cum deis templa omnibus*  
*Thebana supra corpus excipiam meum*  
*atque urbe versa condar.*

Locum in hisce manifeste corruptum Peiper ita sanare conatus est ut pro *cum domibus suis* legere vellet: *cum laribus suis*, B. Schmidt: *cum famulis suis*, sed immerito vocabulum *domibus* sollicitarunt, nam reponendum est:


*aut tota cum domibus suis*  
*dominisque regna.*

Sexcenties hoc nomen apud Senecam numero plurali occurrit, cuius rei exempla afferre opus non est.

# DE ORIGINE PARTICIPII FUTURI LINGVAE LATINAE.

SCRIPSIT

F. MULLER JAC.FIL.



Participium latinum quod dicitur futuri temporis unde ortum esset, tot iam viri doctissimi disquisiverunt, ut e nostratibus uni contingeret, v. d. H. Leopold, totum dissertationis volumen ut repletet refutatione Postgatii, qui novam eius quaestionis proposuerat solutionem. In isto specimine, cui nomen: Quid Postgatius de origine Latini infinitivi et participii futuri activi senserit (diss. Groningae, a. 1904), Postgatum refellere conatus est; rursus ille (Class. Rev. 18, 450—56) priorem sententiam pronuntiavit copiosiusque defendit, quam antea in Indogerm. Forsch. 4, 252 publici iuris fecerat.

Cuius rationis haec fuit summa: *tūrum* natum est ex *\*tū-esom*; *-tū* fuisse. perhibetur supinum, quod dicitur secundum, *esom* Postgate infinitivum putat perantiquum radicis *es-* „esse”, ita ut sensus totius terminationis *-turum* fuisse dicatur: e. g. *facturum* = esse *in* factu, esse *in* faciendo. Hanc explicationem ne accipiamus, duae res monent; altera formam respicit, altera significationem. In dialectis enim eius formae infinitivi permulti inveniuntur, qui in *-om*, *-um* cadunt: osc. *censaum* „censere”, *moltaum* „multare”, osc. *ezum* umbr. *erom* „esse”, osc. *fatium* „fateri”, *deicum* „dicere”, *acum* „agere”, sed nulla <sup>1)</sup>

1) Originem gerundivi hoc loco non tangam. Multi in eo latere suspicati sunt formam pristinam Infinitivi praesentis, ita ut *ferundo-* ex *\*ferom-* (Ind.) + *do-* ortum esse putaretur. Sed haec res per se multo est obscurior, quam ut nostrae disquisitioni subsidio, nedum fundamento esse possit. Mea sententia alia certe via ac ratione natura Gerundivi eiusque historia solvi debet, id quod alibi demonstrare conabor.

omnino prodiit usque ad hunc diem in dialectis veteris Latii. Neque per formae significationem licet Postgatio credamus. Nam „esse in faciendo” periphrasis esse potuit Infinitivi praesentis, futuri temporis numquam, neque huc faciunt verba, quibus Romani interdum describebant actionem futuram necnon instantem continuo: *in eo est, ut . . .*; namque in hac locutione coniunctio *ut*, quam nomine indicant consecutivae, sola id efficere potuit.

Quodsi forte priorem refutationis partem haud sane magni penderis, at maiorem ei tribues dignationem, si tecum reputaveris infinitivum et participium futurum admodum recentis esse originis. Multa infra eius rei cognoscemus vestigia, multa documenta ex usu cotidiano exque verborum ordine petivit v. d. J. Marouzeau in libro sagacissimo, qui inscribitur: *La phrase à verbe „être” en latin* (1910) 184—192. Iam si recenti aetati participii origo est tribuenda, fieri non posse ut infinitivus perantiquus (sc. *esom*) — si modo in lingua latina eiusmodi forma apparuisset! — in eo indagari possit quis est quin plane atque facile perspiciat!

Cum autem aliae explanationes etiam longius a scopo aberraverint, rem tamquam integram tractandam denuo suscepi.

Unum exstat indicium, quo primus usus est Postgatus, neglexerunt priorés: infinitivus futuri temporis in prisca latinitate genus saepissime non respicit; duodeviginti exempla habemus, quae *-urum* scribunt, ubi nos *-uri*, *-ura(m)* expectamus, v. nuper Marouzeau l.l. p. 188, Sommer Hdb. lat. Laut. u. Formenl.<sup>2</sup> 595, uberrime olim Lindsay Lat. Lang. 537. Plurima attulit exempla in capite lepidissimo (septimo libri primi) A. Gellius; qui postquam etiam Ciceroni talem locutionem vindicavit, amicum inducit de hac re ita disserentem: (§ 5): „is libro inspecto ait nullum esse in eo verbo neque mendum neque vitium et Ciceronem probe ac vetuste locutum. „Nam *futurum*”, inquit, „non refertur ad *rem*, sicut legentibus temere et incuriose videtur, neque pro participio positum est, set verbum est indefinitum, quod Graeci appellant *ἀπαρέμφατον*, neque numeris neque generibus praeserviens set liberum undique et in promiscum . . .; § 8 . . . sicut in Graeca oratione sine ulla vitii suspicione omnibus numeris generibusque sine discri-

mine tribuuntur huiuscemodi verba: „ἔρεῖν”, „ποιήσῃν” „ἔσεσθαι” et similia”.

Verum multo vehementius firmissque peculiaris eiusdem infinitivi natura eodem nos cogit pergere, simulac manifestum est semper fere in scriptoribus prisca aevi formam *-turum* terminatam verbo substantivo „esse” carere. In Plauti exemplis tantum quinta, in Terentianis tertia pars cum infinitivo „esse” coniungitur; v. Postgate Indog. Forsch. 4, 252. Posteriores scriptores quo magis ab antiquissimis temporibus remoti sunt, eo saepius adhibent eundem infinitivum „esse”, si unum exceperis Caesarem, qui 150 exempla praebeuit huius formae *facturum*, 2 tantummodo alterius formae *facturum esse*, v. Dittenberger Hermes 3, 375. In aliis autem infinitivis temporis perfecti eiusmodi prorsus nihil invenimus, hic solum nova [rei] condicio ab utraque parte, ut in voce *facturum* infinitivi formam atque sensum latere putemus, magna voce suadet atque instat.

Quodsi verbum *\*esom* illic locum non habet, diligenter quaerendum est, num forte aliunde verum indagari possit. Neque diu exspectandum. Unum tantum verbum reliquum est, quod hoc fungatur officio, verbum dico *eundi*.

In Catonis fragmento quodam apud Iordanium servato haec leguntur (p. 51, fr. XXIII, 1) ex oratione: Ad litis censorias: „Scio *fortunas secundas negligentiam prendere solere; quod uti prohibitum irem, quod in me esset, meo labori non parsi*”. Ita fere Cato idem dicere potuerat: *quod me prohibiturum, quod in me esset, ob summum meum laborem numquam desperavi*: cf. ib. p. 63, 3: *quod ego me spero ostenturum*. In iisdem fragmentis alia exempla verbi *eundi* Cato exhibet haecce cum supino coniuncta: *aquatum et lignatum ire* 14, 4; *depugnatum ivit* 17, 6; *obcursatum <eamus>* 35, 9; *vectilatum iri* 59, 1; *factum itur* 63, 7; *supplicatum eat* 80, 11.

Continuo apparet, quomodo infinitivus futuri passivi qui dicitur, e. g. *laudatum iri*, natus sit. In quo posterioribus temporibus si nihil iam reliquum erat ex supino accusativum <sup>1)</sup>

1) Iam Plautus ita scribit Rud. 1242: *michi istasc videtur praeda praedatum irier*.

casum regenti, in eo nunc scimus iam Catonis aetate coniunctionem istam verbi *eundi* cum supino penitus coaluisse, ita ut non modo *factum iri* sed etiam *factum itur* non accusativum sed nominativum casum sibi posceret. Sic enim loquitur ib. p. 63, LIIII: *Atque evenit ita, Quirites, uti in hac contumelia, quae mihi per huiusce petulantiam factum itur, rei quoque publicae medius fidius miserear, Quirites*".

Linguae igitur latinae ipsius formarum copia atque compositio eo spectat, ut, neglecta parumper alia ratione, infinitivum futurum ponamus atque exspectemus: *factum ire*.

Iam inde a remotissimis temporibus etiam in linguis affinis saepissime forma quaedam *-tum* terminata *eundi* verbo adiungitur, quo finis designetur, ad quem actio humana tendat. In lingua vedica antiquissima habes: *dākṣiṇāni hótum éti* „sacra effusum it" (v. Whitney Sanskrit Grammar § 981, b; Speyer Vedische und Sanskrit Syntax § 218); multo crebrius talis ibi usus deprehenditur, ita ut forma illa *-um* terminata iustum infinitivi officium praestet atque hoc ipso nomine designetur. In linguis autem slavonicis non nisi rudera supersunt, quae tantummodo verba exhibent motum descriptiva, e. g. *idŏ lovitŭ rybŭ* „piscium (Gen. partitivus, = pisces) captum eo"; sola verba quae dicuntur imperfectiva huic usui indulgent, quo magis apparet supinum slavonicum colorem illum vividum iam dudum amisisse, qui unice accommodatur rebus semel necnon singulari diligentia observatis vel peractis. Vide W. Vondrák Altkirchenslavische Grammatik<sup>2</sup> (1912) p. 611.

In linguae lituanicae parte occidentali iam prorsus evanuit supinum locumque infinitivo concessit, in orientali vero parte sermo cotidianus eo utitur, e. g. *ász tau dŭsiu gértu* „tibi biber(e) dabo". Hodie quoque tantum in optativo superest supinum per *-tum* terminatum, procul dubio cum formis radices *\*bheḡā/ē* = lat. *fū* „esse" copulatum: *dŕbtum-biau* „laborarem", recentius *dŕbczau*, 3 sing. *dŕbtu*, quae forma supino in *-u* exeunti ab omni parte similis esse videtur.

Quae omnia si breviter complectimur, nusquam nobis praesto fuit forma in *-tum* exiens cum radice *es-* coniuncta, persaepe cum verbo *eundi*, in recenti formatione (linguae lituanicae) etiam cum radice \**bheŭāē-* „*fu-*” copulata, quae latinae quoque linguae imperfecti et futuri tempora (*-bam*, *-bo*) supeditavit, v. Skutsch e. g. *Kleine Schriften* 283, 292 sqq. Accedit quod etiam in lingua graeca vestigium huius substantivi verbalis per *-tu-* terminati superest, adiectivum dico verbale *-τερος*, quod ex *-τερος*, ig. *-τερος* natum esse pro manifesta originis natura nimis timide autumat Brugmann-Thumb *Griech. Gramm.*<sup>4</sup> 216.

Redeamus nunciam ad copias latinas. Uberrima ibi nos manet materia, quam conditam quasi in horreum luculenterque digestam nobis tradidit C. E. Bennet, *Syntax of Early Latin*, vol. I, 367 sqq., Lindsay *Synt. of Plaut.* p. 76 sq. Semel atque iterum verbum *eundi* praecedit supinum, e. g. Plaut. *Cist.* 4: *qui magis potueris mi honorem ire habitum*, Bacch. 565 *occiperes tute eam amare et mi ires consultum male*, Ter. *Andr.* 134: *cur te is perditum?*

Restat ut explicemus, quomodo ex *-tumire* (cf. *-tumiri*) *-tūrum* natum sit. Quae forma inter utrumque intercedat, non solum coniectura assequi possumus, ad nos etiam pervenit (cf. Lindsay *Lat. Lang.* 538, Sommer *Hdb.*<sup>2</sup> 596) *-uire*, *-uiri*. Equidem non vitio librariorum, sed re vera atque maximo iure in (Caes.) B. *Alex.* 19, 2 scriptum fuisse arbitror: *sed eum postero die simili ratione adgreditur, quod his obtentis duobus omnem navigiorum excursus et repentina latrocinia sublatuiri videbat* — (in Ciceronis verbis ad *Att.* 5, 15, 3: *Plura scribam † tarde tibi reddituiri*” lectio nimis incerta est) —, ad quae cf. Schmalz *Fleckeisen Jahrb.* 1892, 80 et de formis eiusmodi posterioris aetatis ALL. 2, 349 (apud Lactantium); 9, 492. 557; 10, 136; 11, 274.

Unum locum labemus maioris ponderis atque momenti, quia sensim ad id genus alias formas nos traducit. Martialis scribit loco notissimo (III, 93, 18).

*audes ducentas nuptuire post mortes  
virumque demens cineribus tuis quaeris  
prurire. quid, sarire quis velit saxum?*

Mirum non erit, si conferetur *prurire* (v. 19) et *sarire* (v. 20), editores nonnumquam loco nostro scripsisse: *nuptūrire*, quod re vera exhibet Apuleius Apol. 70 (Helm): *igitur si Claro nubsisset, homini, rusticano et decrepito seni, sponte eam diceres sine ulla magia iam olim nubturisse.*

Rara vestigia! At certa, immo eo certiora, quo inveniuntur saepius apud eos potissimum scriptores, qui magis vulgarem secuti sunt eloquentiam atque stilum cotidianum. Quomodo sunt interpretanda? Priscam latinitatem scribentes atque loquentes homines prout maiorem minoremne verbis praestare volebant vim atque gravitatem, eodem actu aut *ire factum* aut *factum ire* dicebant, v. Marauzeau, La phrase à verbe être 300; (F. Muller in disputatione, quam mox Indog. Forsch. foras dabunt). *Factum ire* contractum est in *factum ire*, *factuire*, ut supra demonstratum est <sup>1)</sup>. Propterea quod *factum ire* atque alia eiusdemmodi usitatum ordinem referebant, eundem eventum hic invenies quem habes in: *circuitio*, *circuit*, *circuitus* (v. Thesaurus ling. lat. III, 1102 sq. ubi *circuitus* „vox sermonis potissimum pedestris” appellatur, III 1135: Plautus Asin. 742 *circumit* tamquam *circiit* pronuntiari vult: *domuitio* v. Lucil. 607, ubi Nonius habet *domutionis*, v. Marx ad loc. p. 225, *obtusus: obtuitus* Paul. p. 203 Linds.; longius absunt *animadvertere* et alia eiusdem rationis, quae cursim tractat Stolz Hist. Gramm. 341.

Litteras vel potius sonos *ū* tam arta ratione constrictas crasim pati inque unum sonum coniungi haud facile negari potest. Iam statim lat. *cūria* ex *coviria* (i? cf. volsc. *co-uehriu*) natum hic laudandum est, etsi in hoc vocabulo plurimi syncopen praetulerunt: *\*cou(i)ria*. *Dudum* ex *\*diudum* explicatum haud prorsus spernendum esse videtur. Accedit quod sonus litterae *r* eo tendit, ut vocalem magis clausam („gesloten”) reddat; qua de re nuper Bartholomaeus locupletissime egit Wochenschr. f. klass. Phil. 1916, 1031, tractans *fūr*: *Φώρ*, *cūr*: *quōr* et alia

1) Aliter comparatum est *vēnum eo*, unde *vēneo* „vendo”. Hic et aliae personae haud minus saepe quam ipse infinitivus in sermone cotidiano adhibebantur; porro quaerere licet, num forte stirps per *o* finita (*vēno-*: gr. *ἄνος*) iam antiquiore aetate cum eundi verbo coaluerit, ita ut soni coniuncti *ō(m)* + *ire* et *u(m)* + *ire* suam quisque sequerentur in mutando viam atque rationem. Itaque illic orta sunt ratione usitata: *vēnum eo*: *vēnum eo*, *vēneo*, *vēnis*, *vēnire*.

eiusmodi; quam recte haec se habeant, comparatio docet vocabulorum *mirus* ex \**moi-ro*: *moenia*. Copiose denique hac de re egit nuperrime Maurenbrecher Parerga zur lat. Sprachgesch. 173, 181, quibus adiungas *hūc* „ἐνθ'αὐτῆς”: *huic* „τῷ αὐτῆς”<sup>1)</sup>. Universam rationem huius mutationis non est quod improbemus; si *ū* ex *o* + *i* oritur, gravioribus argumentis idem autumari confirmarique debet de vocalibus *u* + *i*.

Romanorum in ore igitur per aliquot annos hae formae praesto erant: *ire factum*, *factūre*. Quia iuxta *ī*- (in *īre*, *īmus*, *ītis*) etiam *e*- (in *euntes*, *eunt*, *eo*, *eam* al.) audiebatur et formae, quae certam indicabant personam, pro futuro fere non nisi magna cum accentus gravitate adhibebantur atque ea de causa plerumque ante supinum callocabantur, \**factūre* vero unica forma infinitivi futuri erat, idcirco *eo*, *imus*, *irem*, *ire factum* multaque aliae superabant numero \**factūre*.

*Factūre* nihil omnino habebat, quod ad se defendendum imploraret; nulli formae simile erat, cum nulla coniunctum. Itaque Romani, qui dicebant: *scio te factum consulē*, qui in auribus eiusmodi sonos permultos habebant: *eo factum*, *ire factum* etc., ex *factūre*, quod nihil erat, *factūrum* in iusti vocabuli formam ambitumque impleverunt.

Denique *facturum* personae, generis, numeri induit varietatem itaque inter participia linguae latinae novissimum et recentissimum natum est *facturus*, *-a*, *-um*. At hīc et alibi patet eius originem posteriorem fuisse quam ipsius infinitivi, idque luculenter plurimis exemplis demonstravit J. Marouzeau, La phrase à verbe être p. 192.

Hinc demum solvenda est antiqua illa quaestio de participiis futuris anomalis. Inter alia sunt haec: *moriturus* (: *mortuus*), *oriturus* (: *ortus*), *pariturus* (: *partus*) et primae coniugationis: *iuvāturus* (: *adiūtus*), *secāturus* (: *desectus*), *sonāturus* (: *sonitus IV*); extra ordinem positum est: *stāturus* (: *stātus*, et *stātura*). Solutio nunc obvia est: praesertim cum iam ab initio infinitivi reapse essent formae quales sunt *facturum*, *moriturum*, in auribus atque in memoria populi loquentis cum

1) *Huc* ex \**hoic(e)* natum est doctissima disputatione comprobaverunt Brugmann Indog. Forsch. 17, 172, Solmsen Kuhns Zeitschrift 44, 206 in annot.



infinitivo praesentis temporis arto vinculo conectebantur atque eius auctoritati nonnumquam paruerunt. Ita nata sunt iuxta *secāre secāturum*, iuxta *mori, moritur: moriturum* e. a.

Apud Plautem interdum coniunctio supini et verbi *eundi* sensum habet voluntatis, id quod indicavit Lindsay Synt. of Pl. 77. En habes verba illa „meditativa” quae dixerunt grammatici antiqui, nos „desiderativa”. Plenam seriem invenies apud F. Taber Cooper, *Word-formation in the Roman Sermo Plebeius* (Boston 1895), p. 224; v. insuper Arch. lat. Lex. 1, 408; Lindsay Lat. Lang. 482, Stolz Hist. Gramm. 613. Primum huiusmodi verba in lingua vulgari orta esse neque eius terminos excessisse ex Cooperi disputatione apparet, et in Ciceronis ep. ad Att. 9, 10, 6 quicumque legerit verba *proscripturire* et *sullaturire* magnamque in ea epistula animadverterit graecarum locutionum copiam, Coopero statim assentietur.

Infra sequuntur verba desideration in comicis latinis obvia, supra numerum Cooperi ex textu Plautino paulum adaucta: Cas. 795: *qui amat, tamen hercle si essurit, nullum essurit*, cf. Stich. 180; Truc. 150: *si arationes / habituris, qui arari solent, ad pueros ire meliust*, Amph. 1039 et 1061 *parturio*, etiam Ter. Hec. 413; Varro praebet R. R. II praef. § 6: *empturientem* et Paulus ex Festo scribit p. 60 Linds. *Dagnades sunt avium genus . . . , quae vellicando morsicandoque et canturiendo adsidue non patiuntur dormire potantes.*

In omnibus his exemplis numquam infinitivus legitur magisque adducimur ut infinitivum in his verbis haud ita magnam habuisse auctoritatem credamus, si *parturio* et *pariturus, morturio* (Cicero apud Augustinum, Reg. Bened. 516, 17 Keil): *moriturus* inter se comparamus.

Ut haec verba explicaret, Brugmann (Grundrisz <sup>2</sup>II, 1, 308; 3, 219; Indog. Forsch. 33, 334), uno graeco verbo *μαρτύρομαι* ex *μαρτύριον*, *μαρτύρ-* fretus, etiam desiderativa ex *-tūr-izō* derivavit. Haec vere papyracea tabulatio, nulla re satisfirmata!

Neque magis coniectura valet, quae e. g. (*femina*) *parturit* ex *partus* it „partus (nom.) instat” explanare conetur s littera inter vocales posita mutata in r.

Hic quoque proficiscendum est a *partum it* „zij gaat baren”, *essum it* „hij gaat eten, wil gaan eten”, *essum eo* etc. Sonus ibi natus his fere litteris, id est signis, describi potest: *éssuuit*, *éssuueo*. Ut inde oreretur *éssūrit* multae causae opitulatae sunt. Primum infinitivus futuri *essūrum* (*ū* > *ū* accentus vi addita), deinde vicinitas atque affinitas vocabulorum per *-tūra* terminatorum. Nam cum parum rectum videatur, — id quod olim fieri solebat —, *-tūrum* et *-tūrio* cum nominibus agentis *-tōr*, *-tōris* exitum habentibus coniungere <sup>1)</sup>, tum optime fieri potuit, immo summo iure fieri debuit, ut nomina illa agentis auctoritatem suam plane in vocabulis affiuis exercerent.

Ipsa nomina in *-tūra -rā* syllaba addita ex nominibus per *-tu-* terminatis orta sunt, postquam haec aut verbo addicta aut obsoleta facta erant: *natus* (IV): *natūra*, *iactus* (IV): *iactūra*. Sed Romani ipsi in his vocibus nomina agentis sibi audire visi sunt, quod manifeste declarant voces: *praetor* (= *\*prae-itor*): *praetūra* (sed *navis praetōria*), *ensor*: *ensūra* (sed *nota ensōria*); *consul* vero creavit *consulatus*, *magister magistrātus*, postea *\*magistratūra*.

Inde *r* irrepsit in locutiones vulgares *\*éssūueo* *\*pártūvit*, tam ex infinitivo futuri *essūrum*, qui ipsa creatione cognatus erat, quam propter nomina *-tūra* et *-tor* exitum habentia <sup>2)</sup>.

Nonne graeca lingua has observationes magna auctoritate confirmat? In qua verba desiderativa in *-σιών* cadentia simili modo orta sunt. Wackernagel enim (Kuhns Zeitschr. 28, 141) et Brugmann (Indog. Forsch. 33, 332) comprobaverunt *δψείοντες* Hom.  $\Xi$  37, et alia post Homerum, ex copulatione nata esse hac: *δψει λών* „auf das Sehen ausgehend”. Dativum finalem in

1) Nihil reliquum est in linguis italicis illius antiquissimae variationis (Ablaut) *δάτωρ*: *δάτορ*. Quosdi fuit vere vivida et *vīvax* in Italia ipsa, nihilo magis utilis foret ad explicanda verba nostra tam recentia quam sunt desiderativa latina. Accedit quod *-ōr* in fine vocabuli vel syllabae positum in *-ūr* transit (cf. Bartholomae Wochenschr. klass. Phil. 1916, 1031), transit numquam, ubi in duas syllabas erant litterae divisae.

2) *Canturnus* nomen loci Paul. p. 51 Linds. *cantor* non poscit neque ponit; namque ne *taciturnus* quidem (apud Ciceronem et postea) *tacitor* iuxta se exhibet. Analogiam hoc loco habemus manifestam. Talis fuit series: *nocturnus* (v. *νύκτωρ*) > *diurnus*, *diuturnus*; quae iuter se opposita etiam respectu fremitus aut silentii *taciturnus* et *canturnus* creaverunt. Adde *somnurnus* et alia apud Stolz Hist. Gramm. 479.

hac locutione odorari mihi videor, non instrumentalem aut locativum, id quod Brugmann putat; infinitivus etiam in lingua graeca vim dativi semper fere manifeste retinuit, id quod nuper demonstravit H. Mutzbauer, *Das Wesen des griech. Infinitivs* (1916).

Hoc demum modo omnia optime quadrare mihi visa sunt; multo certe melius quam hucusque fieri potuit universam linguae latinae indolem atque naturam haec explanatio sequitur, quae non pauca neque rara sed permulta vestigia ipsius linguae latinae diligenter observare conata est.

#### EMENDATUR LOCUS GELLIANUS (II, 21, 8).

Sed ego quidem cum L. Aelio et M. Varrone sentio, qui 'triones' rustico cetera vocabulo boves appellatos scribunt quasi quosdam 'terrones', hoc est arandae colendaeque terrae idoneos.

In hisce quid illud *cetera* sibi vellet cum quaererem, libros mss. omnes non *cetera*, sed *c(a)etero* exhibere cognovi, illud I. Fr. Gronovio deberi, Hertzius maluisse *ceterum*, Cobetum *vetere*.

At vocabulum non emendandum est, sed tripartitum in marginem relegandum, id quod nemo non agnoscat, simulatque *c(a)etero* in partes, e quibus male coaluit, rursus dissecuerit. Nempe supra verba

qui 'triones' rustico vocabulo boves appellatos scribunt nescio quis addidit: *sc. e tero*; veriloquium igitur, ab Isidoro primum prolatum et verum nunc creditum, Gellio imprudens obtusit, nam singulae voculae cum satis distinctae non essent, scribae glossam, quam non intellexerant, tamquam unum integrumque vocabulum in contextam orationem receperunt.

P. H. D.

# ANNOTATIUNCULAS CRITICAS

AD

PINDARI

LOCOS QUOSDAM

SCRIPSIT

J. J. HARTMAN.

(addantur ea quoque quae iam huiusce voluminis leguntur  
paginis 335 sq. et 414).



AD PΥTH. III, 38

Ad Coronidem in adulterio deprehensam Apollo immittit  
Dianam sororem, quae impudicam fratris uxorem cum tota  
comburit vicinia.

Tum sic poeta narrare pergit:

ἀλλ' ἐπεὶ τείχει θέσαν ἐν ξυλίνῳ  
σύγγονοι κούραν, σέλας δ' ἀμφέδραμεν  
λαβρὸν Ἀφρίστου, τότε ἔειπεν Ἀπόλλων· οὐκέτι  
τλάσομαι ψυχᾶ γένος ἀμὸν ὀλέσσαι  
οἰκτροτάτῳ θανάτῳ ματρὸς βαρεῖα σὺν πάθῃ.  
ὡς φάτο· βάρματι δ' ἐν πρώτῳ κιχῶν παῖδ' ἐκ νεκροῦ  
ἄρπασε.

Eximium locum totum exscripsi quo melius appareret quam  
turpis ei macula esset adpersa, quam nemo non semel monitus  
nullo negotio tollere possit. Sandapilam aliquam *ingentem, im-*  
*mensam*, utcunque *τείχος* dici posse concedo. Sed recordemur,  
atque semper et ubique illud teneamus, cum praeclaro nobis

rem esse poeta, qui ne unum quidem vocabulum temere et sine idonea causa proiciat. Dudum poetae Thebani editores iterum iterumque annotant nullam ab eo metaphoram, nullam paulo rariorem structuram, nullum denique ornamentum nisi certo deliberatoque consilio adhiberi. Atque hoc illud esse opinor cur vates ille, quem nunc viri docti vix inspicere audent, antiquis nunquam obscurus visus sit. Certe, ut unum nomen qui multorum instar est, non memini equidem Plutarchum, qui totus est in Pindaro, usquam queri quod in aliquo eius versu haereat. Non, hercle, Pindari culpa factum est ut nobis, sero natis posteris, singuli eius versus pedetentim sint legendi, sed quod tam multa nobis saepe non sine magno labore sunt investiganda quae poetae aequalibus, iis certe quibus carmina sua recitabat, tam bene quam digiti sui nota essent.

Ut ad propositum redeamus: relege mihi quae citavi: incredibile tibi videbitur vel unum hic deprehendi vocabulum quod suo loco non sit quam aptissimum. Et tamen unum illud *τείχει* non absonum solum est sed et absurdum. Quid nobis *ingenti* hic sandapila opus est? *Ligneam* eam fuisse sciamus: hoc sufficit. Huius rei imago nobis clara stet ante oculos: intelligemus cur tantopere fuerit festinandum.

Ipsa vero *sandapila* vocabulo est indicanda quam maxime communi, trito, cotidiano: sic optime adiectivi quod additur vis elucebit. Habebimus hoc si pro *τείχει* legemus *τεύχει*. Accedit quod ipsum illud vocabulum saepe apud scriptores poetasque, tragicos praesertim, pro *urna* ponitur. Sed in re tam perspicua ne opus quidem exemplis.

#### AD PYTH. IV, 202

Argonautas felicem itineris exitum vaticinans laetissima implevit spe Mopsus,

*εἰρεσία δ' ὑπεχώρησεν ταχέϊαν ἐκ παλλυμῶν ἄκρος.*

Quae, obsecro, ratio intercedit inter remigum aliorumve virorum strenuorum industriam et *κόρον*, vitium illud quod nasci potest soletque e nimia felicitate nimioque successu? Nulla, ut opinor. Quibusnam hominibus *ὁ κόρος* esset metuendus

fugiendusque nemo melius descripsit quam poeta noster, cuius hosce certe versus quivis bonus philologus tenet (certe teneat!) memoria. Sunt enim hi quoque et eximii et ipsa luce clariores (Isthm. III, 1—3):

εἴ τις ἀνδρῶν εὐτυχήσας ἢ σὺν εὐδέξοις ἀέθλοισι  
ἢ σθένει πλούτου κατέχει Φρασὶν αἰανῆ κόρον,  
ἄξιος εὐλογίας ἀστῶν μεμίχθαι.

Victoriae in certaminibus reportatae vel magna opulencia κόρον parere possunt, sed nemo ad impiam illam ideo delabatur superbiam quod quamvis navitor remigaverit. Et quoniam nulla εἰρεσία, ita ut ὕβρις, κόρον τίκτει, ne ἄκορος quidem εἰρεσία cogitari potest. „Atenim pro ἀκέρεστος illud adiectivum Pindarus posuit”. Cuius poetae eiusmodi aliquid interdum licere concedo, sed hic illud sibi licuisse, ut equidem opinor, credere non potuit Pindarus, apud quem ipsum illud κόρος sit, ut ita dicam, terminus quidam technicus, quo paulo imprudentius eum usum nunquam credam. Hac in re philosophi boni vel theologi similis est, apud quem certa quaedam vocabula nunquam nisi stricto adhibeantur sensu. Et ne recte quidem illud „insatiabilis” hic poneretur. Eorum enim est laborum quibus aliquis *delectetur* et ita quidem delectetur ut finem non inveniat. At hi nautae non detrectant quidem officium sed grave illud esse, dum eo perfunguntur, probe sentiunt. Ipsam Pindari manum restitutum iri opinor si ἄκοπον legerimus. *Indefessa industria*: quid magis aptum huic loco? Nam nunc quoque, ut priore illo, locutione nobis opus est quam maxime consueta.

#### AD PYTH. V 117 sqq.

Arcesilaum Battiadem propter multas eius variasque virtutes laudavit poeta: disertum eum dixit oratorem, strenuum in bello ducem militemque, in certaminibus adversarium invictum et muri instar. Tum haec addit:

— θεός τέ οἱ τουῦν τε πρόφρων τελεῖ δύνασιν,  
καὶ τολοιπὸν ὄπισθε, Κρονίδαι μάκαρες,  
δίδοιτ' ἐπ' ἔργοισιν ἀμφί τε βουλαῖς  
ἔχειν, μὴ Φθινοπωρὶς ἀνέμων  
χειμερίᾳ κατὰ πνοὰ δαμαλίζοι χρόνον.

Primum omnium hic observes velim quam sit poeta de Arcesilai regis sorte sollicitus; et totus locus illam sollicitudinem testatur et praesertim illud *Κρονίδαί μάκαρες* illo loco positum: instans regi periculum ut avertant dii anxia precatur mente. Neque sine causa patrono suo metuit: fuit enim Arcesilaus rex non solum fortis et bellicosus sed etiam ad iram et severitatem iusto propensior: iam seditio principum virorum in eum orta est quae gravibus ei poenis fuit compescenda, ad quam rem totum pertinet carmen quartum de quo consulendus Boeckhius docta et accurata disputatione eius enarrans argumentum. Si unquam quemquam, hic certe poetam disertum facit pectus; vera autem facundia hoc habet ut fiat is qui verba facit quam maxime perspicuus. Quod vel maxime hic usu venit. Nam in disertis hisce precibus ne si velis quidem haerere possis . . . . praeterquam in ultimo vocabulo. Hoc vero eiusmodi est ut qui illustrare cupiat multa molitus tandem aliquando rem eo deducat ut arcana locutum appareat poetam. Quod genus orationis quam parum aptum esset ad deorum impetrandam pacem nemo, ut opinor, Pindaro melius intellexit, summo artifice qui semper id in promptu habuerit quod esset proposito aptissimum. Quid autem hic aptius quam *γόνον* et quid disertum magis? Hoc enim, hoc eiusmodi temporibus turbulentis et seditionum plenis praecipue ab aulicis iisque quibus in praesenti rerum statu omnis est spes honoris et emolumentum metuitur ne ad aliam gentem transferatur potestas regia vel ad „liberam” confugiatur rempublicam.

In eodem vocabulo quod est *χρόνος* turbatum et

NEM. I, 46

De serpentibus, quos Iuno in Herculem Iphiclemque recessu natos immisit, sic poeta narrat:

*εἰς θαλάμῳ μυχὸν εὐρὺν ἔβαν τέκνοισιν ὠκείας γνάθους  
ἀμφιελίξασθαι μεμαῶτες· ὁ δ' ὀρθὸν μὲν ἄντεινε κάρη, πειρᾶτο*  
[δὲ πρῶτον μάχης

*δισσαῖσι δοιοῦς αὐχένων  
μάρψαι· ἀφύκτοις χερσὶν ἑαῖς ὄφιας·  
ἀγχομένοις δὲ χρόνος  
ψυχὰς ἀπέπνευσε μελέων ἀφάτων.*

Unum tantum in his vocabulum more minus solito adhibetur: ἀπέπνευσε enim est: *fecit ut animam efflarent*. Sed hoc quidem legentium nulli molestiam exhibebit. At istud χρόνος quo, quaeso, vertamus? An ita est interpretandum ut *tandem aliquando* serpentes animam efflare dicantur? Nihil unquam vidi quod esset magis ineptum atque udeo ridiculum. An forte poetam miseret miserorum istorum animalium, quae lenta conficiantur morte et operam nunc dat ut nos quoque miserent? Quid sit reponendum haec docebit observatio: omnia hic, paene dixerim, nuntiantis oratione sunt significata, suum cuique rei datum est vocabulum quotidianum et pedestre, ornatus aliquid requiritur quod legentium mentes gravius percutiat et oculos eorum auresque in se convertat. Haec omnia habebis si pro χρόνος legeris βρόχος ut manus Herculis poeta *laqueum* dicat et *nodum*. Et alii multi poetarum de eiusmodi luctationibus loci hunc usum illustrare possunt et haud pauci apud Ovidium in *Metamorphosesin*.

Paulo supra Chromius Aetnaeus, cui scriptum carmen, sic laudatur:

31 οὐκ ἔραμαι πολὺν ἐν μεγάρῳ πλοῦτον κατακρύψαις ἔχειν.

Errorem typhothetae in mea Schneidewiniana semper opinatus eram esse istud ἔραμαι, cum nuper in Bergkiana vidi sic vulgo edi. Confidenter ergo corrigo ἔρασαι. Totius enim loci hic est sensus: „in variis rebus te, Chromi, utilem praestas; non coacervare divitias tibi lubet sed ex iis quae habes et genio indulgere et amicis tuis — nam hi quoque adversa interdum utuntur fortuna — subvenire laborantibus inopia”.

#### AD NEM. IX, 20

„Adrastus cum sociis,” poeta ait „bello petierunt Thebas”  
οὐ κατ’ ὀρνίχων ὀδόν· οὐδὲ Κρονίων ἀστεροπᾶν ἐλελίξας οἴκοθεν  
[μαργουμένους

στείχειν ἐπώτρυν’, ἀλλὰ Φείσασθαι κελεύθου.

Neque Graecum videtur Φείσασθαι κελεύθου et est totius sententiae nimis impedita structura. Legendum censeo Φείδου κέλευσε. Confer Latinum „parce”, sed et Graece Φείδου dicitur ad eum qui aliquid *non facere* iubetur.

Admonet me istud κέλευθς huiusce loci:



## ISTHM. III, 19—21

Melissum Thebanum, in pancratio victorem, sic poeta laudare incipit (nam praestat hinc novum ordiri carmen):

ἔστι μοι θεῶν ἕκατι μυρία παντᾶ κέλευθος'  
 ὦ Μέλισσ', εὐμαχανίην γὰρ ἔφηνας Ἴσθμίοις  
 ὑμετέρας ἀρετὰς ὕμνω διώκειν.

Arena sine calce. Tamen et olim sic edebatur et nunc quoque editur. Sed quantum erat semicolon post κέλευθος delere et εὐμαχανίαν-Ἴσθμίοις in parentheses ponere, ut infinitivus ille (διώκειν) a κέλευθος penderet? ἔστι μοι κέλευθος διώκειν, quid lenius elegantiusque?

## AD OL. I, 55

„Si quisquam unquam mortalis in honore fuit apud deos Olympios, Tantalus ille fuit” poeta ait et haec subiungit:

..... ἀλλὰ γὰρ καταπέψαι  
 μέγαν ὄλβον οὐκ ἔδυνασθη, κόρῳ δ' ἔλεν  
 ἄταν ὑπέροπλον ἄν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον.

Etiam si quis minus quam ego Pindarum admiretur suspiciatque, tamen concedat, opinor, bene eum Graece scivisse. Quod qui semel concesserit non ultra feret importunum istud οἱ . . . αὐτῷ sed lubenter mecum pro αὐτῷ leget αὐτίς h. e. paulo post. Nam non statim Iupiter Tantali peccatum ultus est; cf. Ol. II, 57 ubi in sententia generali prorsus idem eiusdem adverbii αὐτίς ope significatur, quod hic de uno Tantalo dictum est:

— θανόντων μὲν ἐνθάδ' αὐτίς ἀπάλαμνοι Φρένες  
 ποιναῖς ἔτισαν

nam verbis ἀπάλαμνοι Φρένες fere impietas significatur, et, ut Tantalus, sic hic quisvis impius dicitur prius apud superos ad mortem adigi, deinde (αὐτίς) apud inferos poena affici.

## AD ISTHM. IV, 43

Multis heroibus enumeratis qui fortiter ad Troiam pugnaverunt, sic poeta pergit:

τοῖσιν Αἴγιναν προφέρει στόμα πάτραν  
 διαπρεπέα νᾶσον.

Sensu cassa haec, sed praeclarum sensum obtinebis *πρόφερε* pro *προφέρει* legendo. Ut alibi mentem, hic linguam suam alloquitur et „declara” ait „o mea vox, his omnibus patriam fuisse Aeginam”. Nam in Phylacidae Aeginetae scriptum carmen honorem.

## AD OL. X, 4

εἰ δέ σὺν πόνῳ τις εὖ πράσσοι, μελιγάρυες ὕμνοι  
 ὑστέρων ἀρχαί λόγων  
 τέλλεται καὶ πιστὸν ὄρκιον μεγάλας ἀρεταῖς.

Quomodo se hinc extricent qui pro *ἀρχαί* reponere neglexerunt *ἀρχά* neque scio neque curo. Nunc hymni dicuntur ei qui victoriam reportavit fieri gloriae apud posteros *initium*, verbo *τέλλεται* ad praedicatum adaptato.

## AD OL. I, 48

„Non verum est” sic poeta Pelopem alloquitur „te a tuo patre concisum et appositum in mensa diis hospitibus: Iupiter te rapuit ut postea Ganymedem

ὡς δ' ἄφαντος ἔπελες . . . . .  
 ἔννεπε κρυφᾷ τις αὐτίκα Φθονερῶν γειτόνων  
 ὕδατος ὅτι τε πυρὶ ζέοισαν ἀμφ' ἀκμὴν  
 μαχαίρα τάμον κατὰ μέλη.

Istud *τε* in ultimo versu quid sibi vult? Repone *σέ*.









UNIVERSITY OF MINNESOTA  
wils.per n.s.v.45-46

Mnemosyne. Bibliotheca classica Batava.



3 1951 001 349 278 6